BULLARIUM

ROMANUM

BULLARUM
DIPLOMATUM ET PRIVILEGIORUM
SANCTORUM ROMANORUM PONTIFICUM
TAURINENSIS EDITIO

LOCUPLETIOR FACTA

COLLECTIONE NOVISSIMA PLURIUM BREVIUM, EPISTOLARUM, DECRETORUM ACTORUMQUE S. SEDIS

A S. LEONE MAGNO USQUE AD PRAESENS

CURA ET STUDIO

COLLEGII ADLECTI ROMAE VIRORUM S. THEOLOGIAE ET Ss. CANONUM PERITORUM

QUAM

SS. D. N. PIUS PAPA IX

APOSTOLICA BENEDICTIONE EREXIT.

TOMUS XI

A CLEMENTE VIII (ab. an. MDCIII) AD PAULUM V (MDCXI).

AUGUSTAE TAURINORUM
A. VECCO ET SOCIIS EDITORIBUS
SUCCESS. SEBASTIANI FRANCO ET FILIORUM
M DCCC LXVII.

LECTORI BENEVOLO

EDITORES TAURINENSES

S.

Ingens quidem labor fuit et nimiae sollicitudinis perpetuus angor, quo novae nostri *Magni Bullarii Romani* editionis Tomum Undecimum praefinito tempore proferremus in lucem. Centum vix dies ad octigentas fere duabus singulas columnis constantes *in 4° maximo* paginas parandas, typis componendas, emendandas, ac demum ultima manu perfectas praelo committendas! Ast nunc laetamur summopere datam lectoribus fidem, opitulante Deo, soluisse; et quod pluris est, nos ipsos iam posse in tanta totius Orbis Christiani nunquam audita prius prae Octodecies Centennali celebritate Beatissimi Petri et Romanae Sedis divo illius sanguine consecratae laetitia gestiente novum hunc operis nostri fructum Romam deferre, illum ad pedes Summi Apostolorum Principis in D. N. itemque Patris ac Protectoris peramantissimi Pii PP. IX persona iugiter viventis, universamque per orbem Ecclesiam perpetuo regentis, humillimis obsequiis et maximo cum gaudio deposituros. Ex qua nova quaedam animis nostris serena atque secura spes affulget, magnum coeptum nostrum, Apostolica Benedictione iterum iterumque roboratum, ad finem usque bene feliciterque nobis cessurum.

Continet porro Tomus iste Undecimus, quem tibi, Benigne Lector,

multis laboribus et impensis paravimus, omnia adamussim (paucis exceptis in Tomo nostro Decimo antea relatis, itemque additis paucis e sequenti Mainardianae volumine desumptis et huc descriptis) Acta Pontificia quae in Tomi v Parte III principis editionis Romanae primum Cocquelinio curante recensita fuere: nempe Clementis VIII Constitutiones annis datas XII, XIII et XIV pontificatus illius, deinde brevem ex integro pontificatum Leonis XI, ac demum sex annos priores pontificatus Pauli V usque ad annum nostrae salutis MDCXI; cuius continuationem usque ad finem una cum toto pontificatu Gregorii XV in Tomo Duodecimo proxime evulgando dabimus, quo primus quadrans saeculi XVII feliciter exactus erit.

Praestantiam, auctoritatem, sapientiam tot Summorum Pontificum, supremorum Orbis Christiani in omni fere re legumlatorum, quorum Decreta hisce voluminibus deinceps recensentur, quid loquimur, quod iam non saepe saepius proloquuti simus, cunctique per orbem omnes fateantur? Superfluum sane foret nostris extollere laudibus quod se ipso toto laudibus nostris excellit: quodque nos decet potius vereri et silentio discere, quam verbis prosequi et iudicare. De chartae etiam typorumque nitore et elegantia, ceterisque, quae eodem pertinent, huius nostrae editionis dotibus admonere te supervacuum arbitramur, quum tute ipse, quid rei sit, cognoscere possis. Unum hoc secure profitemur, quoad istas quoque attinet partes, hunc Tomum nil ceteris, qui illum tempore praecesserunt, minus valere: quin et plerisque eorum etiam praestare fortasse reperies. Quantas denique curas posuimus, ut hanc nostram a plurimis librariorum mendis, quae viri docti in editione Romana aegre ferunt et iure queruntur, servaremus immunem, satis superque tibi dicet huc proxime adiectus plus quam sexcentarum emendationum catalogus quas circa adhibuimus. Sed huius ipsius catalogi edendi causas, quaenam nos moverint, non abs re erit paucis explicare. Etsi enim Mainardianum Opus corrigere in praegressis quoque voluminibus non desivimus unquam; attamen a nobis adhibitarum emendationum indicem retexere et coram ponere non antea cogitavimus.

Ne quis vero existimet, non iuste, inanis cuiusdam gloriolae nos movisse cupidinem ut hoc faceremus; quin et in hac serie nostrarum emendationum retexenda non una tantum vice nos miserė deceptos fuisse ingenue sumus confessi, neque illos casus, uti facile potuissemus, silentio dissimulavimus. Nec sola quidem nos movit contentio demonstrandi et veluti ante omnium oculos ponendi quot numeris haec nostra editio Romanam excellat; quamquam et in hac parte si quid modicum post tot curas impensas gloriaremur, aequus et sapiens quisque nobis minime invideret. At graviora momenta quam ista nobis cordi fuerunt.

Primum, quam difficile sit alienorum codicum correctoris officium, quantisque plenum periculis non ignorabamus, atque ante animum nostrum versabantur continuo insignis Epistolarum RR. PP. editoris Petri Coustant verba scitissima, qui cardinalem Carafam plurimum laudans eo quod Acta Pontificia, uti repererat in codicibus, summa exscripserit fide, *probe cautus nihil addere de suo, nihil resecare*, subiungit: « contra quam nonnullis mos est, qui, si vitiata » quaedam et a grammaticae legibus aliena offendunt, haec ita ple- » rumque sanant, ut novo sauciata ulcere reddant insanabilia. Quod » non eo dictum velimus ut eorum culpemus institutum, qui certas » criticae leges secuti, diuturnoque veterum codicum usu edocti, » maculas a monumentis antiquorum eluunt, *et labore suo laborem* » *minuunt studiosorum*. De his loquor unis qui veterum aut sententias » aut verba, si vel mendosa sunt vel esse putant, aut etiam non » intelligunt, statim arbitratu suo mutare, circumcidere, immo et » absonis etiam glossulis illustrare, verius dixerim obscurare reli- » gioni non habent » (1). Itaque dum *labore nostro laborem minuere studiosorum* unice intendebamus, nil tamen *arbitratu nostro aut mutare aut circumcidere aut interiectis glossulis illustrare vel obscurare voluimus*; sed plerumque, lectione Mainardiana intacta, nostras emendationes modeste ad modum coniecturarum in notulis ad oram paginae proposuimus: quod si aliquando evidentia ducti aliquid in

(1) In Praef. ad *Epistolas Romanorum Pontificum*, num. 176, pag. CXL.

ipso textu mutavimus, lectionem Mainardianam vicissim ad oram paginae in notulis summa exscripsimus fide, ut de apicibus Romanae editionis nil decideret, et lector ipse inter duas lectiones veluti constitutus, quaenam illarum arrideret magis, arbiter foret. Quibus rebus sic stantibus, iam opus erat utramque in indicem referre et alteram alteri mutuo e regione in conspectu ponere.

Dein id etiam facere operae precium fore censuimus, ut nostram saltem in perquirendis, pensandisque Pontificiis Constitutionibus quam maximam diligentiam, studiumque assiduum testaremur: *diligentia* enim amorem significat, et studium quod alicui rei vel personae impenditur interius animi obsequium demonstrat. Porro amore et obsequio maximo Summorum Pontificum acta et decreta nos prosequi neminem latere hoc erat in votis.

Insuper ipsis quoque lectoribus quam magna fidelitate munus nostrum erga ipsos adimplere curamus apertius significare aliquando debuimus.

Demum et illorum quoque commoditati prospicere voluimus aliquantum, qui editionem Mainardianam aere multo comparatam possident; nam huius nostrarum emendationum aut variarum lectionum Indicis ope, pluribus fortasse poterunt mendis exemplar *Magni Bullarii Romani* quod in usu habent expurgare.

At vero nos ipsos potuisse tam longam asperamque viam inoffenso omnino pede decurrere sperabit nemo, ipsique minime contendemus; eo magis quod aliquando alienis erroribus corrigendis intenti, nostros, ut assolet, non satis cavebamus. Sed quae nobis opere finito occurrere potuerunt, ingenue saltem ad calcem huius voluminis lectori indicabimus, ne ipsi molestiam aut negotium facessant, qui ceterum et alia, quae nos forsan effugerunt, ipse per se corrigere scite ac benevole sataget.

Quod iam in Tomo Nono et Decimo praestare curavimus, Bullas omnes ordine chronologico accuratissime, quantum fieri potuit, disposuimus, pluribus, in Mainardiana editione huc illucque vagantibus, in suas sedes translatis; nam experimento constat ad Pontificia diplomata commodius in *Bullario* perquirenda faciliusque reperienda

hunce ordinem plurimum conferre. Quapropter et huic volumini Tabula praefixa est in qua *vetus* Romanae editionis ordo *novusque* Taurinensis, alter alteri collatus, illico conspiciatur. Sed quia nimis recedere ab ordine editionis illius, quae hucusque principatum tenet, verebamur, ideo *Indiculum* etiam apposuimus chronologice digestum omnium Constitutionum quae in hoc Tomo nostro Undecimo vel prioribus adiectae vel posterioribus insertae extra ordinem vagantur.

Novis huiusmodi curis, quo haec nostra editio absolutior evadat, nos minime abstinere cernis, Benevole Lector. Precamur ut tu quoque velis votis studiisque nostris opere et favore obsecundare: nosque apud D. O. M. *a quo bona cuncta procedunt* semper habeas commendatos. Vale.

Augustae Taurinorum xv kalendas Iulii an MDCCCLXVII.

A. VECCO ET SOCII
successores Sebastiani Franco et Filiorum.

TABULA

Quae novum ordinem *refert, quo chronologice dispositae sunt Pontificiae Constitutiones in Editione Taurinensi, collatum cum* veteri ordine *Romanae Editionis Hieronymi Mainardi.*

(*) Ex tom. seq. edit. Main. et ex Const. XLIX Gregor. XV

(*) Ex tom. seq. edit. Main. pag. 290.

ERRATA-CORRIGE

Pag. 431 *num.* LXIX	*Lege* LXXIX
» 488 —	» CII *bis*



INDICULUS

NONNULLORUM PONTIFICUM CONSTITUTIONUM

QUAE IN HOC TOMO XI

VEL PRIORIBUS ADIECTAE, VEL POSTERIORIBUS INSERTAE

EXTRA ORDINEM CHRONOLOGICUM VAGANTUR

(a) Cum in editione Mainardianâ indicatio anni sit mendosa, ista Constitutio posset etiam referri ad 1 Februarii an. 1600 vel 1601.

(a) Istum datum publicationis habetur ex Cherubino.

(b) Datum habetur ex Cherubino.

INDEX

LECTIONUM, VEL MENDOSARUM, VEL DUBIARUM

EDIT. ROM.

QUIBUS OPPONUNTUR SINGULIS SINGULAE EMENDATIONES VEL LECTIONES

NOSTRAE EDITIONIS.

Adv. *Menda ortographiae legibus repugnantia, quae in edit. rom. pene innumera sunt, ex. gr.*, **comprae-hendo, eleaemosyna, prophanum, praesbyter**, *etc. sicuti et pleraque eorum quae nomina propria vel locorum vel personarum spectant, minime recensemus, ne infiniti simus; sed ea tantummodo quae syntaxim aliquo modo conturbant, et sensum vel vitiant vel obnubilant. Emendationes vel lectiones nostras quae dubiae sunt cum signo (?) distinguemus. In citationibus paginarum litera* a *significat columnam primam, litera* b *columnam secundam. Lineas computamus aliquando a primâ, aliquando ab ultimâ, habitâ ratione solius textus, non autem notarum, vel rubricarum, vel titulorum.*

Edit. Rom. Main., Tom. v, Part. III.				*Edit. Taur.*			
Pag. 2	*b*	linea 10	eisdem, aut	*Pag* 3	*b*	linea 19	eisdem autem
» 3	*a*	» 20 *ult.*	eiquae	» 4	*b*	» 7	eique
» 3	*b*	» 27 *ult.*	quacumque	» 5	*a*	» 27	quaecumque
» 4	*a*	» 34 *ult.*	iurisdictioni	» 6	*a*	» 1	iurisdictionis
» 4	*b*	» 5	recursus	» 6	*a*	» 4 *ult.*	recursum
» 5	*a*	» 4 *ult.*	referta est	» 7	*b*	» 7 *ult.*	refertum est
» 5	*b*	» 9	aliquam	» 8	*a*	» 6	aliquem
» 6	*a*	» 10	Sane, sicut	» 8	*b*	» 10 *ult.*	Sane, cum, sicut
» 6	*a*	» 30	et super quibus	» 9	*a*	» 12	et super illis
» 7	*b*	» 30 *ult.*	arceri valeant	» 11	*b*	» 1 *ult.*	arcere valeat
» 8	*a*	» 5 *ult.*	et absentes	» 12	*b*	» 7	ut et ad absentes
» 8	*b*	» 9	et ut	» 12	*b*	» 21	ut et
» 8	*b*	» 12	iuvant	» 12	*b*	» 23	vadant (?)
» 9	*b*	» 29 *ult.*	laborabatur	» 14	*b*	» 17	laboretur
» 14	*b*	» 23 *ult.*	spiritualibus	» 22	*a*	» 9 *ult.*	specialibus
» 15	*a*	» 6	communiri	» 22	*b*	» 10 *ult.*	communire
» 16	*a*	» 24 *ult.*	spectantia	» 24	*b*	» 11	spectantem
» 16	*a*	» 19 *ult.*	quinquaginta	» 24	*b*	» 20	quinquaginta quinque
» 16	*b*	» 19	ac	» 25	*a*	» 13	ad
» 16	*b*	» 32	retardare	» 25	*a*	» 26	retardari
» 16	*b*	» 48	tum	» 25	*a*	» 2 *ult.*	autem
» 20	*b*	» 13 *ult.*	ac alias	» 31	*b*	» 5 *ult.*	at alia (?)
» 21	*b*	» 35 *ult.*	statuit	» 33	*a*	» 8	statum
» 22	*b*	» 22	dicti	» 34	*b*	» 10	dictis
» 23	*a*	» 8 *ult.*	equae	» 35	*b*	» 3 *ult.*	aeque
» 24	*b*	» 18	expressum	» 37	*b*	» 7 *ult.*	expresso
» 26	*a*	» 21 *ult.*	exortas	» 40	*b*	» 16	exortis
» 26	*a*	» 14 *ult.*	monasterio	» 40	*b*	» 21	monasteria
» 27	*b*	» 1	an maxime	» 42	*b*	» 1 *ult.*	ea maxime
» 28	*a*	» 24	contrariant	» 43	*b*	» 13	contrariat
» 28	*b*	» 24	dispensandi	» 44	*a*	» 1 *ult.*	dispensandas
» 30	*a*	» 3 *ult.*	nostrae	» 47	*a*	» 20 *ult.*	nostros
» 31	*b*	» 31 *ult.*	provincialium	» 49	*a*	» 11	provincialem
» 32	*b*	» 7 *ult.*	ad	» 50	*b*	» 2 *ult.*	ante vel usque ad
» 33	*a*	» 25	omnibus	» 51	*a*	» 13 *ult.*	ac omnibus
» 33	*a*	» 26	pacifici	» 51	*a*	» 12 *ult.*	pacifice
» 33	*a*	» 35	poenas	» 51	*a*	» 2 *ult.*	poenas compescendo

	Edit. Rom.			Main., Tom. v, Part. III.		Edit Taur.			
Pag.	34 b	linea	9	et ut	Pag.	53 b	linea	18 ult.	ut et
»	34 b	»	12	sit	»	53 b	»	14 ult.	titulo
»	34 b	»	20	eadem	»	53 b	»	6 ult.	ut eadem
»	42 a	»	10 ult.	accomodae	»	66 b	»	20	accomode (?)
»	42 a	»	9 ult.	utilitatis	»	66 b	»	21	utilitas
»	42 b	»	9	B. Mariae	»	66 b	»	1 ult.	B. Mariae de Platea
»	42 b	»	6 ult.	ac	»	67 b	»	14	a
»	43 b	»	13 et seq.	Hortens	»	68 b	»	21	Hortonens. (?)
»	43 b	»	18	certis	»	68 b	»	26	certis aliis (?)
»	43 b	»	28 ult.	pastoralem	»	69 a	»	10	pastorem
»	44 a	»	7	firmaque	»	69 b	»	3	firma
»	44 a	»	23 ult.	diffundantur	»	69 b	»	5 ult.	diffundatur
»	45 a	»	1	primitiales	»	73 a	»	12	primatiales
»	47 b	»	23	rex suae	»	75 a	»	18 ult.	rex, ut suae
»	50 b	»	29 ult.	solemniter	»	79 a	»	10 ult.	praesentes litteras solemniter
»	52 a	»	52	inde Allos	»	83 a	»	16	in de Allos
»	52 a	»	55	Granopolitanensis	»	83 a	»	20	Grationopolitanensis (?)
»	52 a	»	62	illis forsan annex. respective et quinquaginta	»	83 a	»	1 ult.	et illi forsan annexorum respective, quinquaginta
»	52 b	»	2	et	»	83 b	linea	10	etiam (?)
»	52 b	»	9	et seu alii ordines	»	83 b	»	17	seu aliorum ordinum
»	52 b	»	21	magnum	»	84 a	»	2	magnum magistrum
»	52 b	»	22 ult.	et	»	84 a	»	11 ult.	etiam (?)
»	52 b	»	13 ult.	unionem militiae		84 a	»	1 ult.	unionem de militia sancti Lazari militiae
»	53 a	»	11	fructuum	»	84 b	»	24	et fructuum
»	53 a	»	34 ult.	concessis ... concedendis	»	85 a	»	11	concessa... concedenda
»	53 a	»	19 ult.	subcollectoris	»	85 a	»	8 ult.	subcollectores
»	53 a	»	6 ult.	alium ordinum	»	85 b	»	7	aliorum ordinum
»	53 b	»	6	apud sedem	»	85 b	»	21	apud dictam sedem
»	54 a	»	15	possessiones	»	86 b	»	18	possessione
»	54 a	»	31	celebrati	»	86 b	»	8 ult.	novissime celebrati
»	54 a	»	38	unam	»	86 b	»	1 ult.	unam dictam
»	56 b	»	6 ult.	tum	»	91 a	»	6 ult.	cum
»	57 a	»	12	saecularium	»	91 b	»	13	scholarium
»	57 a	»	39	acceptis	»	91 b	»	2 ult.	ac coeptis
»	57 a	»	40	uni	»	91 b	»	1 ult.	huic
»	58 a	»	12	annexi	»	91 a	»	19 ult.	annexorum
»	58 b	»	12 ult.	superioritatis, ac tam	»	94 b	»	16	superioritatis actum
»	59 a	»	13	ecclesia... aliarumque	»	94 b	»	2 ult.	ecclesiae... aliorumque
»	59 a	»	26 ult.	participantium	»	95 a	»	10 ult.	participantibus
»	59 a	»	19 ult.	per ipsum	»	95 a	»	2 ult.	per se ipsum (?)
»	59 b	»	20	praedictorum	»	95 b	»	9 ult.	praedictarum
»	59 b	»	26 ult.	quacumque	»	96 a	»	18	quocumque
»	60 a	»	24	eiusdem	»	96 b	»	22	eisdem
»	63 a	»	16	ad monasterium	»	101 a	»	3	ad monasterium translatis
»	63 a	»	33	iuventus	»	101 b	»	15	iuventutis
»	63 b	»	16	saecolares	»	102 a	»	17 ult.	scholares
»	64 b	»	35	generalis	»	104 a	»	12	generales
»	64 b	»	2 ult.	Idus	»	104 b	»	5	vi Idus
»	65 b	»	9	praesentibus	»	105 b	»	4	praesente
»	66 a	»	10	munita	»	106 a	»	9 ult.	munitam
»	66 a	»	24	statum	»	106 b	»	6	statu
»	67 b	»	9 ult.	Ursuriae	»	109 a	»	13 ult.	Ursariae (?)
»	68 b	»	23 ult.	invaluissent, obviari	»	110 b	»	13 ult.	invalescerent, obviaretur
»	68 b	»	11 ult.	quos cum	»	111 a	»	2	quum eos
»	69 a	»	2	commensalitatis	»	111 a	»	14	et commensalitatis

Edit. Rom. Main., Tom. v, Part. III.				Edit. Taur.			
Pag.	69 *a* linea	25	conferendi	*Pag.* 111 *a* linea	2 *ult.*	conferendos	
»	69 *a* »	18 *ult.*	extra dictam curiam	» 111 *b* »	15 *ult.*	extra dictam curiam vacarent	
»	69 *a* »	14 *ult.*	vacantibus	» 111 *b* »	11 *ult.*	vacantes	
»	69 *b* »	31-33	nec... nullatenus	» 112 *a* »	8-6 *ult.*	nec... ullatenus	
»	69 *b* »	34	nec	» 112 *a* »	5 *ult.*	et	
»	70 *b* »	14	cumque etiam	» 113 *b* »	7 *ult.*	etiam	
»	71 *a* »	16	quocumque faciendae	» 114 *b* »	18	quocumque modo faciendae standum esset	
»	71 *a* »	30	teneantur, nec non praemissa	» 114 *b* »	1 *ult.*	tenerentur, et non contra praemissa	
»	72 *b* »	23	disposuit	» 117 *a* »	5 *ult.*	disposuerit	
»	72 *b* »	28	applicavit	» 117 *b* »	1	applicaverit	
»	73 *a* »	2 *ult.*	1603 an. XII	» 118 *b* »	18	1604 an. XIII (?)	
»	75 *b* »	21 *ult.*	primitiali	» 122 *b* »	15	primatiali	
»	78 *b* »	7	aliqui	» 126 *b* »	6 *ult.*	alicui	
»	79 *a* »	24	modicum	» 128 *a* »	9	modicam	
»	79 *b* »	4	quemlibet	» 128 *b* »	4	quomodolibet	
»	80 *b* »	3	in mora	» 130 *a* »	16	et in mora	
»	81 *a* »	14	annum compleverit	» 131 *a* »	15	annum non compleverit	
»	81 *a* »	30-32	supplere in primo reliquerit honeste reparatum et notabiliter vel sequentibus annis	» 131 *a* »	6 *ult.*	supplere in primo, vel sequentibus annis	
»	81 *a* »	2	interiori	» 131 *b* »	4 *ult.*	exteriori	
»	82 *b* »	30	dicti ordinis	» 133 *b* »	1 *ult.*	dicto ordini (*vel*) dicti ordinis decori	
»	85 *b* »	34 *ult.*	non servant (*)	» 138 *b* »	1 *ult.*	non tradunt (*)	
»	86 *a* »	18	christianae	» 139 *b* »	13	et christianae	
»	89 *a* »	22	ordinationes	» 144 *b* »	3	conditiones	
»	89 *a* »	23	praescriptas habeant	» 144 *b* »	4	praescriptas	
»	89 *a* »	26	Etsi	» 144 *b* »	8	Et si	
»	89 *a* »	35	illo triennio	» 144 *b*	18	illius triennii	
»	89 *b* »	34	et paupertatis	» 145 *b* »	3	paupertatis	

* *Vel potius tota periodus emendanda est modo sequenti*

Edit. Main. pag. 85 *b* lin. 26 seq.

propterea sive negligentia superiorum ordinum, religionum et institutorum vel officialium archiconfraternitatum et congregationum erigentium, instituentium, aggregantium et communicantium, quae confraternitatibus et congregationibus erigendis, instituendis et aggregandis, et quibus communicationes privilegiorum, indulgentiarum, aliarumque gratiarum praedictarum fiunt, non servant formam in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus et communicationibus servari debitam, neque praescribunt modum quo privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias et indulta praedicta consequi debeant, seu ipsarum confraternitatum et congregationum incuria, quae non inquirunt ea quae praestare oportet ut illa consequantur, etc.

Edit. Taurin. pag. 138 *b* in nota

propterea sive negligentia superiorum ordinum, religionum et institutorum, vel officialium archiconfraternitatum et congregationum erigentium, instituentium, aggregantium et communicantium, quae non servant formam in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus et communicationibus servari debitam, neque confraternitatibus et congregationibus erigendis, instituendis et aggregandis praescribunt modum quo privilegia, indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias et indulta praedicta consequi debeant, seu ipsarum confraternitatum et congregationum incuria, quibus communicationes privilegiorum, indulgentiarum aliarumque gratiarum praedictarum fiunt, quae non inquirunt ea quae praestare oportet ut illa consequantur, etc.

Edit. Rom. Main., Tom. v, *Part.* III.			*Edit. Taur.*		
Pag. 89 *b*	linea 16 *ult.*	statui	*Pag.* 145 *b*	linea 25	status
» 90 *a*	» 8	deputet	» 146 *a*	» 8	deputent
» 90 *a*	» 23 *ult.*	eorumque	» 146 *b*	» 2	eiusque
» 90 *b*	» 26 *ult.*	haberi	» 147 *a*	» 15 *ult.*	haberet
» 90 *b*	» 7 *ult.*	immediate.	» 147 *b*	» 6	immediatâ
» 91 *a*	» 16	si qua forsan occasione illius	» 147 *b*	» 30	si qua forsan quavis occasione illi
» 91 *a*	» 28	suffraganeas	» 148 *a*	» 1	suffraganeis
» 91 *a*	» 41	Postmodum	» 148 *a*	» 15	Post obitum
» 91 *a*	» 43	et clerus seu dilecti filii communitas	» 148 *a*	» 18	et seu dilecti filii clerus et communitas
» 91 *a*	» 11 *ult.*	praetextu	» 148 *b*	» 2	preces
» 91 *a*	» 8 *ult.*	praesidis	» 148 *b*	» 5	praesulis (?)
» 91 *b*	» 1	etiam	» 148 *b*	» 14	et iam
» 91 *b*	» 6	statueretur.	» 148 *b*	» 19	statueret
» 91 *b*	» 9	ecclesiae	» 148 *b*	» 22	ecclesias
» 91 *b*	» 12	competiisset	» 148 *b*	» 25	competiisse
» 91 *b*	» 29	provinciis praedictis	» 149 *a*	» 12	provinciis
» 92 *a*	» 17	litteris	» 149 *b*	» 4 *ult.*	litteras
» 92 *a*	» 21	erant	» 150 *a*	» 1	erat
» 92 *a*	» 31	nec	» 150 *a*	» 11	ac (?)
» 92 *b*	» 8	Donini ecclesia	» 150 *b*	» 14 *ult.*	Domnini ecclesias
» 92 *b*	» 19	erectione	» 150 *b*	» 2 *ult*	electione
» 93 *a*	» 9	vendicato	» 151 *b*	» 17	vendicare
» 93 *b*	» 16	eum	» 152 *b*	» 8	eum, in quo
» 94 *a*	» 7 *ult.*	etiam viam	» 153 *b*	» 1 *ult.*	.... (?)
» 94 *b*	» 9 *ult.*	superadditionali	» 154 *b*	» 21 *ult.*	superadditionalia
» 95 *a*	» 20 *ult.*	non posset.	» 155 *a*	» 2 *ult.*	non posse
» 95 *a*	» 7 *ult.*	hae	» 155 *b*	» 15	haec
» 96 *a*	» 21	eas quae	» 156 *b*	» 22	eas, quas
» 96 *a*	» 16 *ult.*	ecclesiasticorum auctoritate	» 157 *a*	» 10	auctoritate ecclesiasticos
» 97 *a*	» 34	statueretur	» 158 *b*	» 6	statueret (?)
» 97 *a*	» 8 *ult.*	sint	» 158 *b*	» 6 *ult.*	sit
» 97 *b*	» 7 *ult.*	enunciationes	» 159 *b*	» 23	innovationes (?)
» 97 *b*	» 5 *ult.*	erant	» 159 *b*	» 25	erat
» 98 *a*	» 7	nec	» 159 *b*	» 4 *ult.*	ac
» 98 *a*	» 25 *ult.*	eiusdem	» 160 *a*	» 8 *ult.*	eisdem
» 99 *b*	» 14	nullo	» 162 *b*	» 5	ullo (?)
» 100 *a*	» 17 *ult.*	decreti	» 163 *b*	» 9 *ult.*	decretorum (?)
» 101 *b*	» 19	quarum	» 165 *b*	» 19 *ult.*	quorum
» 101 *b*	» 19 *ult.*	Teneatur	» 166 *a*	» 15	Teneantur
» 102 *a*	» 35	etsi	» 166 *b*	» 23	et, si
» 103 *a*	» 31	adiicimus	» 168 *a*	» 15 *ult.*	adiecimus
» 103 *b*	» 14 *ult.*	molendinum	» 169 *a*	» 3 *ult.*	molendinorum
» 103 *b*	» 13 *ult.*	minera ferraria	» 169 *a*	» 2 *ult.*	minerae ferrariae
» 104 *a*	» 10	spectabunt et pertinebunt	» 169 *b*	» 22	spectabant et pertinebant
» 104 *a*	» 16	decimam exigendi	» 169 *b*	» 27	exigendi
» 104 *a*	» 18	necessaria	» 169 *b*	» 29	necessarium
» 105 *b*	» 6	ditionibus	» 172 *a*	» 1	ditioni
» 106 *a*	» 13 *ult.*	tecum aliis	» 173 *a*	» 3 *ult.*	te cum aliis
» 109 *b*	» 6	in iudice	» 178 *a*	» 1 *ult.*	in iudices
» 109 *b*	» 30 *ult.*	quoscumque	» 178 *b*	» 7 *ult.*	quoscumque ex altera partibus
» 109 *b*	» 9 *ult.*	infirmorum	» 179 *a*	» 16	infirmorumque
» 109 *b*	» 2 *ult.*	inservientes	» 179 *a*	» 16 *ult.*	inservientium
» 110 *a*	» 8	spectantes	» 179 *a*	» 7 *ult*	spectantibus
» 110 *a*	» 12 *ult.*	possint	180 *a*	8	possint inhibemus

Edit. Rom. Main., Tom. v., Part. III.		*Edit. Taur.*	
Pag. 110 *b* linea 33 *ult.*	et quando	Pag. 180 *b* linea 19	quando
» 134 *a* » 13	concessae fuissent	» 189 *b* » 1	concessa fuisset
» 134 *b* » 9	etiamsi quod	» 190 *a* » 12 *ult.*	etiamsi
» 137 *b* » 27 *ult.*	tenore	» 195 *b* » 13	tenorem
» 138 *b* » 2	ex nunc	» 196 *b* » 1 *ult.*	ne ex nunc
» 139 *b* » 16 *ult.*	et iniquitates contra	» 199 *a* » 16	et contra eum iniquitates
» 140 *b* » 21	suscipiat	» 200 *a* » 8 *ult.*	suscipiant
» 141 *a* » 7 *ult.*	qui	» 201 *b* » 17	iis qui
» 141 *b* » 27	forma... tradita	» 202 *a* » 11	formam... traditam
» 143 *a* » 32	expediri	» 204 *b* » 1	expediri faciant
» 145 *a* » 24 *ult.*	defectum	» 207 *b* » 11	contraxerint defectum
» 145 *b* » 4 *ult.*	ad... regiminis assumptionem	» 208 *b* » 16	ad... regimen assumptionis (?)
» 146 *a* » 12 *ult.*	nullumque illis	» 209 *a* » 8 *ult.*	nullumque de illis
» 146 *a* » 6 *ult.*	ius	» 209 *a* » 1 *ult.*	ius nullum
» 146 *b* » 3	expediendis	» 209 *b* » 8	expediendae
» 146 *b* » 20 *ult.*	et reddituum	» 210 *a* » 14	reddituum et
» 147 *a* » 30 *ult.*	huiusmodi	» 210 *b* » 13 *ult.*	huiusmodi factas
» 150 *a* » 3	rectaque	» 215 *b* » 1 *ult.*	tectaque
» 151 *b* » 12 *ult.*	quocumque	» 218 *b* » 15 *ult.*	quacumque
» 153 *b* » 5	die 3	» 224 *a* » 2 *ult.*	die 5
» 156 *a* » 19 *ult.*	ducatus	» 225 *b* » 7 *ult.*	in ducatu
» 156 *a* » 15 *ult.*	Pontificibus	» 225 *b* » 3 *ult.*	Pontificibus probatas
» 158 *a* » 26 *ult.*	reponere	» 229 *a* » 10	reponere debeant
» 158 *b* » 6 *ult.*	providendam	» 230 *a* 13	providendum
» 159 *a* » 20	a die	» 230 *a* » 6 *ult.*	per sexennium a die
» 359 (app.) *b* linea 27 *ult.*	curae	» 232 *a* 4	curà
» 359 » *b* » 21 *ult.*	quam	» 232 *a* » 10	quum (*vel*) quo
» 359 » *b* » 17 *ult.*	nostra	» 232 *a* » 14	nostro
» 360 » *a* » 15	dapitulum	» 233 *a* » 22	capitulum et canonici
» 360 » *b* » 33	mensa	» 233 *b* 26	mensae
» 360 » *b* » 17 *ult.*	reservandae	» 234 *a* 2	reservandam
» 360 » *b* » 12 *ult.*	prorsus	234 *a* 18	liberae et exemptae prorsus
» 361 » *a* » 24 *ult.*	oratorem	» 234 *b* » 23	oratore
» 361 » *b* » 30	octo et canonicos	235 *a* » 13 *ult.*	octo canonicos
» 361 » *b* » 9 *ult.*	altare	» 235 *b* » 21	altari
» 362 » *b* » 9	illis	» 236 *b* » 22	illi
» 362 » *b* » 37	illis	» 237 *a* » 6	illas
» 363 » *a* » 6 *ult.*	conciliorum	» 238 *a* 20	concilii
» 363 » *b* » 4	illisque	» 238 *a* » 14 *ult.*	illis
» 161 *a* linea 27	conduci	» 240 *b* » 12	conduci deberet
» 161 *b* » 35 *ult.*	Nonatulae	» 233 (*bis*) *a* » 15 *ult.*	Nonantulae (?
» 162 *a* » 12 *ult.*	haeredibusque	» 234 (*bis*) *a* 10 *ult.*	haeredibus
» 163 *a* » 6	bonorumque... supportationem praedictam	» 235 (*bis*) *a* 9 *ult.*	honerumque... supportatione, praedictam
» 163 *a* » 19 *ult.*	fungentium	» 235 (*bis*) *b* » 6 *ult.*	fulgentium (?)
» 163 *b* » 7 *ult.*	debeant	» 236 (*bis*) *b* » 13 *ult.*	debeat
» 163 *b* » 4 *ult.*	iurepatronatu	» 236 (*bis*) *b* » 10 *ult.*	iurepatronatus
» 164 *a* » 30	concessa	» 237 (*bis*) *a* » 20 *ult.*	concessas
» 165 *b* » 25 *ult.*	quae	» 239 (*bis*) *b* » 7 *ult.*	quam
» 166 *b* » 28	animadvertit	» 249 *a* linea 5 *ult.*	animadverterit
» 167 *b* » 4 *ult.*	cuilibet	» 251 *a* » 14 *ult.*	quilibet
» 168 *b* » 1-4	in quo... exercentur	» 252 *a* » 15-18	in quo cum... exerceantur
» 168 *b* » 16	ipsi in eam, ut ex praemissis magna dicto archihospitali resultaret utilitas, descenderunt sententiam, si eidem etc.	» 252 *a* » 10 *ult.*	ipsi in eam descenderunt sententiam, quod ex praemissis magna dicto archihospitali resultaret utilitas si eidem etc.

Edit. Rom. Main., *Tom.* v, *Pa*[illegible]III.			*Edit. Taur.*		
Pag. 168 *b* linea	27	Nos igitur	*Pag.* 252 *b* linea	4	Nos igitur qui
» 169 *a* »	20	repetentibus	» 253 *a* »	16 *ult.*	repetentium
» 169 *a* »	26 ult.	Dictaeque capsae computa singulis saltem tribus mensibus... ab universa dicti archihospitalis congregatione qualibet hebdomada coram dicto praeceptore... fieri solita revideantur	» 253 *b* »	10	Dictaeque capsae computa, qualibet hebdomadâ fieri solita, singulis saltem tribus mensibus... ab universâ dicti archihospitalis congregatione coram dicto praeceptore ... revideantur
» 169 *b* »	15	extrahere	» 254 *a* »	7	extrahere debeant
» 169 *b* »	31	continuare et retinere	» 254 *a* »	16 *ult.*	continuare retinere
» 170 *a* »	3	adimplere	» 254 *b* »	17 *ult.*	adimplere debeant
» 171 *a* »	13	et hisque	» 256 *a* »	3 *ult.*	ex hisque
» 172 *b* »	29 *ult.*	nulli eorum	» 259 *a* »	18	nulli eorum indemnitati
» 173 *b* »	5	copia	» 260 *a* »	13 *ult.*	copiam
» 173 *b* »	30	extrahentes	» 260 *b* »	16	extraherent
» 173 *b* »	29 *ult.*	consistentis	» 260 *b* »	12 *ult.*	consistentis, extrahendi
» 173 *b* »	25 *ult.*	1576	» 260 *b* »	9 *ult.*	1577
» 174 *a* »	16 *ult.*	nihilominus quia	» 261 *b* »	13 *ult.*	nihilominus
» 174 *a* »	8 *ult.*	verentur... extrahunt	» 261 *b* »	5 *ult.*	vereantur... extrahant
» 175 *a* »	1	et iam	» 262 *b* »	17 *ult.*	etiam
» 175 *a* »	21 *ult.*	verificari	» 263 *b* »	12 *ult.*	verificare
» 176 *a* »	6 *ult.*	medietate	» 265 *a* »	9	mediate
» 176 *b* »	27	praedictarum	» 265 *a* »	3 *ult.*	praedictarum contemptum?
» 177 *a* »	24	constituti	» 266 *a* »	21	constituti munitis
» 178 *a* »	4	omnes	» 267 *b* »	5	omnem
» 178 *a* »	9	quorumque	» 267 *b* »	10	eorumque
» 178 *a* »	20	eidem	» 267 *b* »	21	eiusdem
» 178 *b* »	25 *ult.*	Hetruria	» 268 *b* »	17 *ult.*	Hetruriae
» 179 *b* »	23	cum officiis	» 270 *a* »	17	suis officiis
» 179 *b* »	32	officium	» 270 *a* »	16 *ult.*	ad officium
» 179 *b* »	42	immediato	» 270 *a* »	7 *ult.*	immediate
» 180 *a* »	43 *ult.*	exposuit	» 270 *b* »	1 *ult.*	exposcit
» 181 *a* »	13	concesserunt... opitulatus fuerat	» 272 *a* »	4 *ult.*	concesserant... opitulat fuerant
» 182 *a* »	3 *ult.*	Quodquod	» 274 *b* »	19	Quodque
» 182 *b* »	5	exercitum	» 274 *b* »	26	exercitium
» 183 *a* »	24 *ult.*	ministrare	» 276 *a* »	12	ministrare possint
» 186 *b* »	35	quam	» 281 *b* »	6	quum
» 186 *b* »	11 *ult.*	archiepiscopus	» 281 *b* »	12 *ult.*	archiepiscopum
» 187 *a* »	29	conservatorum	» 282 *a* »	10 *ult.*	conservatorum prior (?)
» 187 *a* »	26 *ult.*	ad quem etsi	» 282 *b* »	7	ad quem et, si (*nempe* ad quem etiam[illegible]i)
» 188 *a* »	13 *ult.*	prohibentes	» 284 *a* »	15 *ult.*	prohibentis
» 189 *a* »	31 *ult.*	eisque	» 285 *b* »	18 *ult.*	apta, eisque
» 190 *a* »	31	et contributionem	» 287 *a* »	13 *ult.*	et ad contributionem
» 190 *b* »	20	dioeces. Valentin	» 288 *a* »	5	in dioecesi Valentinâ
» 190 *b* »	4 *ult.*	relevarent	» 288 *b* »	11	relevaret (?)
» 191 *b* »	2	fuerit	» 289 *b* »	5	fuit
» 192 *a* »	17	praedictos	» 290 *b* »	4	per dictos
» 192 *b* »	12	et tam	» 291 *a* »	16 *ult.*	etiam
» 192 *b* »	14	fuerint, liquidationes	» 291 *a* »	14 *ult.*	fuerint ad liquidationes
» 192 *b* »	15 *ult.*	congrua centum	» 291 *b* »	16 *ult.*	congrua centum) centum
» 194 *b* »	31 *ult.*	animadvertens	» 294 *b* »	16 *ult.*	animadverteret
» 194 *b* »	3 *ult.*	separarentur	» 295 *a* »	12	separaretur
» 195 *a* »	17	factaque	» 295 *b* »	1	factasque
» 195 *a* »	28 *ult.*	ac	» 295 *b* »	19 *ult.*	quam

Edit. Rom. Main., Tom. v, Part. iii.			Edit. Taur.		
Pag. 195 a	linea 5 ult.	per omnia	Pag. 296 a	linea 5	per omnia decernimus
» 196 a	» 12	xiv	» 297 a	» 12	xxiii
» 196 a	» 16	ex alterá partibus initam	» 297 a	» 16	ex alterá partibus
» 196 b	» 6 ult.	capporum	» 298 a	» 2 ult.	copporum (?)
» 197 a	» 1	constituti	» 299 a	» 17 ult.	constituti, considerantes quod
» 198 b	» 25	ut	» 301 a	» 15	aut
» 199 a	» 35	nostras	» 302 a	» 8	nostra
» 199 b	» 9	intendamus	» 302 b	» 5	intendimus
» 199 b	» 12	interponamus	» 302 b	» 8	interponimus
» 199 b	» 24	beneficiata	» 302 b	» 21	beneficia (?)
» 199 b	» 34	quod licet	» 302 b	» 9 ult.	licet
» 200 a	» 10	sibi	» 303 a	» 8 ult.	sibi quaesitum
» 201 b	» 3	presbyter	» 305 b	» 25	presbyteri
» 201 b	» 10	ibidem	» 305 b	» 13 ult.	ibidem commorari
» 202 a	» 9	praedicta	» 306 a	» 14	praedictae
» 203 a	» 30	capitulum	» 308 b	» 2	capitulum et canonicos
» 203 a	» 33	ne	» 308 b	» 5	nec
» 203 a	» 39	possint	» 308 b	» 11	possent
» 204 b	» 28	ad	» 310 b	» 14 ult.	ac
» 204 b	» 15 ult.	congregationi praedictae, monachis	» 311 a	» 14	congregationis praedictae monachis
» 205 a	» 31	ad particulares	» 311 b	» 19	neque ad alias particulares (*)
» 205 a	» 37	ipso facto	» 311 b	» 25	ipso facto incurrat
» 205 a	» 17 ult.	ullo	» 311 b	» 3 ult.	nullo
» 205 a	» 7 ult.	iuris	» 312 a	» 8	iuris reduci
» 205 b	» 14	faciant	» 312 a	» 14 ult.	faciat
» 205 b	» 18	permittentes	» 312 a	» 10 ult.	permittens
» 206 a	» 6	conspicitur	» 313 a	» 6	conspicit
» 206 b	» 14	valeatis	» 313 b	» 3 ult.	valetis
» 207 b	» 10	eiusque	» 315 a	» 12 ult.	eiusdem
» 208 a	» 22 ult.	recitans	» 316 b	» 8	recitaverit, et
» 208 a	» 18 ult.	effuderint	» 316 b	» 12	effuderit
» 208 b	» 15	quoties	» 317 a	» 1	toties quoties
» 208 b	» 32	quolibet die	» 317 a	» 18	quolibet die recitaverint
» 208 b	» 28 ult.	eiusdem	» 317 a	» 19 ult.	eisdem
» 209 a	» 15 ult.	nuncupata	» 318 a	» 22	nuncupatis
» 210 a	» 23	cumulative	» 319 a	» 1 ult.	cumulative committimus
» 210 a	» 32	possint	» 319 b	» 9	possit
» 210 a	» 39	Camerarii	» 319 b	» 17	Camerae
» 210 a	» 46	privative	» 319 b	» 24	privative committimus
» 210 a	» 49	ordinariorum	» 319 b	» 27	ordinarium (**)
» 210 a	» 50	quam ad	» 319 b	» 28	quam quoad
» 210 b	» 18	praesentandis	» 320 a	» 9 ult.	praesentandis et
» 211 a	» 14 ult.	reservatae	» 321 b	» 2	reservata
» 211 a	» 3 ult.	quotidianas	» 321 b	» 12	quotidianae
» 211 b	» 8	persolvisse	» 321 b	» 4 ult.	persolvisse obligamus (?)
» 212 b	» 24	salutiarum	» 323 b	» 18 ult.	Salutiarum
» 213 b	» 3	quieto	» 325 a	» 4	quieto statu
» 213 b	» 14	efficacemque	» 325 a	» 16	efficacem
» 214 a	» 29 ult.	Ordinis et capitulo	» 326 a	» 8 ult.	Ordinis capitulo

* *At vero hoc loco fateor rectam esse et retinendam lectionem et interpunctionem Mainardianam quae huiusmodi est* habere recursum pro negotiis spectantibus ad Congregationem eiusque monasteria in genere, vel in specie ad particulares personas

** *Etiam hoc loco retinenda lectio Mainardiana, idest* tam quoad processum (iudicum) ordinariorum quam quoad appellationem interponendam (ab ipsorum sententiis).

Edit. Rom. Main., Tom. v, Part. III			Edit. Taur.		
Pag.	linea		Pag.	linea	
214 b	2	quorum.	326 b	24	horum
214 b	28 ult.	expressa, praenominata	327 a	22	praenominata, expressa fuissent
218 b	36 ult.	quorumlibet in illis	333 a	6 ult.	quorumlibet et in illis
218 b	35 ult.	et his propterea	333 a	5 ult.	et his quae propterea
218 b	19 ult.	partibus ex altera	333 a	14	ex altera partibus
218 b	3 ult.	ipsique	333 b	9 ult.	ipsi
219 a	2	tenoris subsequentis: Die 20 iunii 1605 videlicet Christi nomine	333 b	5 ult.	tenoris subsequentis, videlicet: Die 20 iunii 1605. Christi nomine
219 a	17	partibus ex altera	334 a	11	ex altera partibus
219 a	28 ult.	vexationes et impedimenta	334 a	4 ult.	et vexationes, impedimenta
219 b	9	statu	333 b	10 ult.	statu deturbari impedire
219 b	55	seu aliquis	335 a	16	seu si aliquis
220 a	9 ult.	praedecessoribus	336 a	16 ult.	praedecessoribus editae
220 b	7	provideri	337 a	15	provideri liceat
220 b	7	seu ecclesias earumque vicarias	337 a	15	seu ecclesiae earumque vicariae
221 a	17	conversorum	337 a	1 ult.	conversorum erectarum
221 b	4	possint et valeant	338 a	14	possit et valeat
222 b	6	in Zelandiae classe	339 b	17 ult.	Zelandiae, classe
222 b	14	cupis	339 b	9	cupias
223 b	9 ult.	comprehensas	341 b	12 ult.	comprehensa
224 b	22 ult.	duodecimo	343 a	11	vigesimosecundo
224 b	8 ult.	depromptas	343 a	12 ult.	deprompta
226 a	9 ult.	ipse	345 b	20	ipsae
226 b	20 ult.	munitis	346 a	6 ult.	et munitis
226 b	13 ult.	roboris, adiectionis	346 b	3	roboris adiectionis
227 b	13	habentes	347 b	13	habemus
228 b	1	Quodque	349 a	12	Atque
229 a	7	instituta	350 a	8	instituta fuerit
229 a	16	in eamdem	350 a	17	per eamdem
229 a	21	aut	350 a	21	ut
229 b	7 ult.	constitutae	361 b	9	constitutae munitis
231 a	3	Discalceatorum	353 a	9 ult.	Discalceatarum
231 a	15	Discalceatorum	353 b	4	Discalceatarum
231 a	19	capite	353 b	9	in capite
232 b	7	procedenti	355 b	13 ult.	procedendi (?)
232 b	8 ult.	immiscere	356 a	1 ult.	immisceri (?)
233 a	19	solus	356 b	13 ult.	solus... procedere
233 a	31	independentibus	357 a	1	in dependentibus
233 a	36	ex[illegible]tivi	357 b	7	exequutivi iudicare
233 b	9 ult.	et pro tempore	358 a	8 ult.	pro tempore
234 a	22 ult.	ad	359 a	17	tam ad
235 a	21	vel	360 b	8	vel tuis (?)
235 b	22	individuo	361 b	1	individuo de ipsis fieret mentio
235 b	36	quoad bona	361 b	16	quoad bona ipsius (?)
235 b	8 ult.	attinentibus	362 a	1	obtinentibus
236 a	15 ult.	usuraria	362 b	20 ult.	usurario
236 a	6 ult.	ministrando	362 b	13 ult.	ministrandi
238 a	20 ult.	cognoveris	365 b	12 ult.	cognoverit (?)
239 b	31	singulari motu	368 a	1	simili motu
340 a	24 ult.	eorumque	369 a	2	earumque
240 a	7 ult.	eorumque	369 a	19	earumque
242 a	24	Haec	372 a	6	nec
242 b	35 ult.	si quae	373 a	2	si qua

Edit. Rom. Main., Tom. v, Part. III.			Edit. Taur.		
Pag. 244 *a* linea	9	hospitalis	Pag. 375 *a* linea	7	hospitalis promptiores ad virtutem fiant
» 244 *a* »	14	contendunt	» 375 *a* »	13	contenderent
» 245 *a* »	16 *ult.*	nationis	» 379 *b* »	5	a nationis
» 245 *a* »	8 *ult.*	quod licet	» 379 *b* »	12	quod, cum licet
» 245 *b* »	2	differebatur	» 379 *b* »	22	differretur
» 248 *a* »	10	ac	» 381 *b* »	11	potius quam
» 250 *a* »	1 *ult.*	electiones	» 385 *a* »	5 ult.	electionis
» 251 *b* »	7	praetextu	» 387 *a* »	9	praetextu vocari
» 252 *b* »	40	intercesserant	» 389 *a* »	8	intercesserint
» 253 *a* »	7	indictis	» 389 *b* »	1	in dictis
» 253 *b* »	15	Quapropter prius . . .	» 390 *a* »	7 *ult.*	Quapropter, re prius
» 254 *a* »	31	canonice electi	» 391 *b* »	1	electi
» 254 *a* »	8 *ult.*	seu illo	» 391 *b* »	10 *ult.*	seu quod illo
» 254 *b* »	17	ad illas	» 392 *a* »	15	ad illas et alias (?)
» 254 *b* »	27 *ult.*	singulos privatos monachos	» 392 *a* »	1 *ult.*	singuli privati monachi
» 254 *b* »	22 *ult.*	amovere et destinare . .	» 392 *b* »	4	amoveri et destinari
» 254 *b* »	4 *ult.*	iustam	» 392 *b* »	15 *ult.*	nisi ob iustam
» 255 *a* »	8	qualitate	» 392 *b* »	3 *ult.*	qualitatis ratione
» 255 *a* »	10	ut si	» 382 *b* »	2 *ult.*	nisi
» 255 *a* »	27	concedendam	» 393 *a* »	16	concedendi
» 255 *b* »	6	constituatur	» 393 *b* »	23	constituantur
» 255 *b* »	38	usque	» 394 *a* »	10	usque dum
» 255 *b* »	46	praedictis	» 394 *a*	19	praedictarum
» 255 *b* »	15 *ult.*	esse debeat	» 394 *a*	9 *ult.*	alter eorum esse debeat
» 255 *b* »	10 *ult.*	incurrendis	» 394 *a* »	3 *ult.*	incurrendā
» 256 *a* »	25	sortire ab eis	» 394 *b*	3	sortiri, et ab eis
» 257 *a* »	38 *ult.*	abbates.	» 396 *b*	17	quod abbates
» 257 *b* »	18 *ult.*	abbates, priores . . .	» 397 *b*	19 *ult.*	abbateset priores
» 257 *b* »	1 *ult.*	in quibus licet	» 397 *b*	2 *ult.*	in quibus
» 258 *b* »	21	alius	» 399 *a* »	1	alicuius
» 259 *a* »	20	suum diem	» 399 *b*	8 *ult.*	supremum diem (?)
» 259 *b* »	19 *ult.*	exercentibus	» 400 *b* »	6 *ult.*	existentibus
» 260 *a* »	15	etiamsi	» 401 *a* »	16 *ult.*	etiam
» 260 *b* »	4	saecularibus	» 402 *a* »	1	regularibus
» 260 *b* »	7	quas	» 402 *a* »	3	quam
» 260 *b* »	16	Propterea	» 402 *a* »	10	Praeterea
» 260 *b* »	26 *ult.*	approbaverat et confirmaverat	» 402 *b* »	3	approbaverant et confirmaverant
» 261 *a* »	30	deputatis	» 403 *a* »	20	deputatos
» 261 *b* »	6	fuit	» 403 *b* »	23	fuerit
» 261 *b* »	9	pro	» 403 *b*	15	pio
» 261 *b* »	25 *ult.*	nuncios	» 404 *a* »	20 *ult.*	truncos (?)
» 262 *a* »	18 *ult.*	quae	» 405 *a* »	16	qua *
» 263 *a* »	5	editas poenam	» 406 *a* »	21	editas
» 263 *b* »	5	Alophius	» 407 *a*	6	Alphonsus
» 263 *b* »	23	Alophius	» 407 *a*	25	Alphonsus
» 266 *b* »	27 *ult.*	partibus ex alterā . . .	» 412 *a* »	19 *ult.*	ex altera partibus
» 273 *b* »	2	faciendi	» 423 *a* »	1 *ult.*	faciendis
» 274 *a* »	1	sua	» 421 *a* »	13 *ult.*	seu
» 274 *a* »	22	pro illorum sufficienti derogatione, ac si de illis	» 421 *b*	9	etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis
» 274 *b* »	8	tam in sumptuosorum	» 425 *a*	19	tam sumptuosorum
» 274 *b* »	15 *ult.*	destinantum	» 425 *b* »	18	destinantur

* Hunc errorem serius deprehendimus ex pag. 475 *b*.

Edit. Rom. Main., Tom. v, *Part.* III.				*Edit. Taur.*			
Pag. 275	*a*	linea 31 *ult.*	convinctis	*Pag.* 426	*a*	linea 8 *ult.*	coniunctis (?)
» 275	*b*	» 20	latae fuerit	» 427	*a*	» 6	lata fuerit
» 276	*b*	» 31 *ult.*	sterilitas	» 429	*a*	» 1	sterilitatem
» 276	*b*	» 29 *ult.*	habitatoribus	» 429	*a*	» 3	habitatores
» 277	*a*	» 6	super excrescentia	» 429	*b*	» 8	superexcrescentiá
» 277	*a*	» 12	fierent	» 429	*b*	» 14	fieret
» 277	*a*	» 18	persolvendas	» 429	*b*	» 2 *ult.*	persolvendum
» 277	*a*	» 22	a tunc proxime praeterito, iis tribus annis	» 430	*a*	» 4	a tunc proxime praeteritis tribus annis
» 277	*a*	» 32	super excrescentia	» 430	*a*	» 15	persolutio superexcrescentiae
» 277	*a*	» 22 *ult.*	quibus omnibus	» 430	*a*	» 3 *ult.*	ideo his omnibus
» 277	*a*	» 1 *ult.*	inde	» 430	*b*	» 20	in de
» 277	*b*	» 1-2 5	inde	» 430	*b*	» 21-22-25	in de
» 277	*b*	» 13	1537	» 430	*b*	» 3 *ult.*	1547 (?)
» 277	*b*	» 16	Quod vero a rivulo... irrigari non possunt omnes, ab eumdem	» 431	*a*	» 2	quoad vero terras quae a rivulo..... irrigari non possunt, omnes ad eumdem
» 279	*a*	» 5	prohibente	» 433	*a*	» 8	prohibentis (*)
» 279	*a*	» 7 *ult.*	quod a personis	» 434	*a*	» 1	a personis
» 282	*b*	» 4 *ult.*	habere	» 439	*b*	» 18	haberi
» 283	*a*	» 10	in totum	» 440	*a*	» 7	quae in totum
» 283	*b*	» 18 *ult.*	ut quemadmodum	» 441	*a*	» 20	quemadmodum
» 284	*a*	» 9	perficiant	» 441	*b*	» 4	perficiant volentes
» 284	*a*	» 24	facienda	» 441	*b*	» 20	faciendam
» 284	*a*	» 12 *ult.*	causas	» 442	*a*	» 3	causá
» 284	*b*	» 13	multos	» 442	*b*	» 2	multis
» 286	*a*	» 28 *ult.*	quivis	» 444	*b*	» 2 *ult.*	cuivis
» 286	*b*	» 13	fuerunt	» 445	*b*	» 9	fuerint (?)
» 288	*a*	» 31 *ult.*	praesenti	» 448	*a*	» 16 *ult.*	praesentis
» 288	*a*	» 14 *ult.*	per dictos	» 448	*b*	» 4	praedictos
» 289	*a*	» 9 *ult.*	prae	» 450	*a*	» 19 *ult.*	praeter
» 289	*b*	» 30	quarum... habentes	» 450	*b*	» 21	quarum... habemus (*vel*) harum... habentes
» 289	*b*	» 5 *ult.*	similibus	» 451	*a*	» 15	similibus, concessis
» 289	*b*	» 1 *ult.*	illis	» 451	*a*	» 19	aliis (?)
» 289	*b*	» 1 *ult.*	quam etiam	» 451	*a*	» 20	etiam
» 290	*a*	» 4	de quibus	» 451	*a*	» 8 *ult.*	quibus, etiamsi de ipsis
» 290	*a*	» 21	etiam	» 451	*b*	» 11	etiam impressis
» 291	*a*	» 7	tenore	» 453	*a*	» 18 *ult.*	tenorem
» 291	*a*	» 19	subdelegandos pertinentes	» 453	*a*	» 6 *ult.*	subdelegandos
» 291	*a*	» 24	et quae	» 453	*a*	» 1 *ult.*	et qui
» 291	*b*	» 3	quae in	» 454	*a*	» 5	in
» 291	*b*	» *10	pro quo quoad	» 454	*a*	» 12	pro quo ad
» 292	*a*	» 19	per praesentibus non expressis, vel totaliter non insertis effectus earum	» 455	*a*	» 7	per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum
» 292	*b*	» 18	illorum	» 455	*b*	» 11 *ult.*	aliorum (?)
» 293	*a*	» 16	quod	» 456	*b*	» 12	quoad
» 293	*b*	» 2 *ult.*	ac	» 458	*a*	» 5	hac
» 294	*a*	» 17 *ult.*	eorum serie praesentibus pro expressis	» 458	*b*	» 21 *ult.*	eorum seriem praesentibus pro expressá
» 294	*b*	» 4	queant; hos	» 458	*b*	» 1 *ult.*	quaerant, et eos

* *Quamvis stare posset* prohibente, *nempe* constitutione *quae subintelligitur, sed communiter legitur* prohibentis *nempe* concilii.

Edit. Rom. Main., Tom. v, *Part.* III.				*Edit. Taur.*		
Pag. 295 *a*	linea	38	quibus	*Pag.* 460 *a* linea	19	quaevis
» 296 *a*	»	10 *ult.*	sub	» 462 *a* »	7	super (?)
» 297 *a*	»	13 *ult.*	consequantur	» 463 *b* »	10	consequantur, concedimus et indulgemus
» 301 *a*	»	1	cumque etiam dicta die .	» 464 *a* »	20 *ult.*	cumque etiam (eo quod dicta die)
» 301 *a*	»	37	ali	» 464 *b* »	20	alii
» 301 *a*	»	45	praecedente	» 464 *b* »	28	praecedentem
» 299 *a*	»	32 *ult.*	aut	» 467 *b* »	7 *ult.*	a
» 301 *b*	»	14	reformare	» 470 *a* »	4 *ult.*	deformare
» 301 *b*	»	22	inter alias	» 470 *b* »	5	inter alia
» 301 *b*	»	23	quod	» 470 *b* »	6	quid
» 301 *b*	»	32	licet, etc.	» 470 *b* »	15	licet. . . (?) (*)
» 303 *a*	»	12 *ult.*	allegari	» 473 *a* »	7 *ult.*	allegare
» 303 *a*	»	11 *ult.*	Cancellariae Apostolicae	» 473 *a* »	6 *ult.*	Cancellariâ Apostolicâ
» 303 *b*	»	33 *ult.*	integritate, ornatu . .	» 473 *b* »	3 *ult.*	integritate ornati (?)
» 304 *b*	»	30 *ult.*	Aquitania	» 475 *b* »	19	Aquitaniae
» 305 *a*	»	5 *ult.*	de qua, cuiusque . . .	» 476 *b* »	18 *ult.*	de quibus, quarumque
» 306 *b*	»	10 *ult.*	cognoscendi	» 479 *a* »	13 *ult.*	cognoscendas
» 307 *b*	»	4 *ult.*	attendendae	» 481 *a* »	17	attendendae, id fieri conveniat
» 308 *a*	»	11 *ult.*	et aliis quae de iure fuerint iniungenda absolvendo	» 481 *b* »	3 *ult.*	et ab aliis, quae de iure fuerint iniungendae, absolvendo
» 308 *b*	»	19	eorum ecclesiasticorum .	482 *a* »	14 *ult.*	eorum et ecclesiasticorum
» 309 *a*	»	15 *ult.*	illorumque	» 483 *b* »	11	illarumque
» 309 *b*	»	2	praedicta	» 483 *b* »	13 *ult.*	per praedicta
» 309 *b*	»	8	persolvendi	» 483 *b* »	7 *ult.*	persolvendos
» 310 *a*	»	7	in eis	» 484 *b* »	18	in eis obtinentibus
» 310 *a*	»	10	studio	484 *b*	21	studio per quinquennium ?
» 310 *a*	»	15	praedictorum.	» 484 *b* »	27	praedictorum percipere
» 311 *a*	»	11 *ult.*	non utentibus	» 487 *a* »	8	non utendi
			Tom. v, *Part.* IV.			
» 423 *a*	»	19	constitutionibus	489 *b*	2	consuetudinibus (?)
» 423 *b*	»	22 *ult.*	congregationem . . .	490 *b*	15	congregationum
» 423 *b*	»	16 *ult.*	ex Siciliae aliarum . .	490 *b*	19	. . . . (?)
» 423 *b*	»	3 *ult.*	emissas	» 490 *b* »	7 *ult.*	emissis
			Tom. v, *Part.* III.			
» 313 *a*	»	26	charitatis, illi . . .	493 *b* »	5 *ult.*	charitas, illa
» 314 *a*	»	2 *ult.*	morbis	496 *a* »	8	morbis laborantes
» 315 *b*	»	14 *ult.*	procurandam	498 *a*	3 *ult.*	procurandum
» 318 *a*	»	24 *ult.*	Occidentalis	502 *a*	21 *ult.*	Orientalis
» 318 *b*	»	20	et	502 *b*	19 *ult.*	ad
» 319 *a*	»	20	ac	503 *b*	8	ac in
» 320 *a*	»	14 *ult.*	Tyrrhenique	» 505 *b*	12	Terrhetti
321 *a*	»	15	concessa aut concedenda	» 506 *b*	20 *ult.*	concessas aut concedendas
» 321 *a*	»	21	pensionis	» 506 *b*	12 *ult.*	pensionum
» 321 *a*	»	23 *ult.*	dummodo	» 507 *a*	11	et, dummodo
321 *b*	»	6 *ult.*	quae. . . vetuit. . . excludi	508 *a* »	18	qua . . voluit . . explodi
» 321 *b*	»	2 *ult.*	indicavit	508 *a*	21	indicavit ?
» 322 *b*	»	10	ea	509 *a*	17	re

(*) Hoc loco non valui emendationem quae opus esset conicere. At si in fine § 1 punctum deleas et syntaxin continues in § 2 tunc sensus clarior evadet.

Edit. Rom. Main., Tom. v, *Part.* III.			*Edit. Taur.*		
Pag. 324 *b*	linea 15	se exercentes	*Pag.* 512 *a*	linea 2 *ult.*	aliqui se exercentes
» 324 *b*	» 9 *ult.*	extruere et fabricam aggressus fuit ipsamque fabricam	» 513 *a*	» 3	ipsamque fabricam . . . ampliaverit (?)
» 325 *b*	» 13	et ad	» 514 *a*	» 19	et
» 325 *b*	» 29 *ult.*	prout transferri curavit .	» 514 *b*	» 5	transferri curavit, prout
» 326 *a*	» 20 *ult.*	ex nunc	» 515 *a*	» 1 *ult.*	ex tunc
» 326 *a*	» 18 *ult.*	collegii	» 515 *b*	» 2	collegii doctorum
» 328 *a*	» 5 *ult.*	tam post emptionem sequutam; maturatique ex tunc maturandi, et modo etiam pendentes . .	» 518 *b*	» 8 *ult.*	tam post emptionem sequutam maturatî, quam ex tunc maturandi, et modo etiam pendentes
» 328 *b*	» 9	declaret	» 519 *a*	» 6	declararet
» 328 *b*	» 34	ac	» 519 *a*	» 12 *ult.*	hac (?)
» 329 *a*	» 10	conservationem, exactionem	» 519 *b*	» 8 *ult.*	conservationem et exactionem
» 329 *a*	» 17	exigerent, perciperentur	» 520 *a*	» 1	exigerent et perciperent
» 329 *a*	» 23	tribueret	» 520 *a*	» 7	tribuerent
» 329 *a*	» 26	Cappellaniis	» 520 *a*	» 10	Cappellanis (?)
» 329 *a*	» 28 *ult.*	litaniarum minorum . .	» 520 *a*	» 13 *ult.*	litaniarum maiorum (?)
» 329 *b*	» 6	altare	» 520 *b*	» 23	altari
» 329 *b*	» 26 *ult.*	celebrando	» 521 *a*	» 18	celebrandi
» 330 *a*	» 27 *ult.*	nunc	» 522 *a*	» 1	ad quos nunc
» 330 *a*	» 11 *ult.*	ex beneficiis	» 522 *a*	» 18	et beneficiis
» 330 *a*	» 9 *ult.*	alias unitis, unam domum, seu domorum, et bonorum locis domus Thisini, seu, *la casa di Tisino* nuncupati Papiensis dioecesis	» 522 *a*	» 20	aliàs unitis, seu domorum et bonorum locis, unam domum, domus Thisini seu *la casa di Tisino* nuncupatam. Papiensis dioecesis
» 330 *b*	» 20	citra	» 522 *b*	» 1 *ult.*	circa
» 331 *a*	» 15	de illis	» 523 *a*	» 9 *ult.*	illis
» 332 *a*	» 14	auferentur	» 524 *b*	» 1 *ult.*	auferantur
» 332 *a*	» 21	comprehendat	» 525 *a*	» 7	comprehendant
» 332 *b*	» 31	dummodo non ultra . .	» 526 *a*	» 2	dummodo ultra
» 333 *a*	» 20 *ult.*	Lateranensi . . .	» 528 *a*	» 2	Lateranensis statu
» 333 *a*	» 3 *ult.*	ad ministrorum	» 528 *a*	» 20	ac ministrorum
» 333 *b*	» 4 *ult.*	habentes	» 529 *a*	» 9	habemus
» 334 *a*	» 5	conventum	» 529 *a*	» 17	conventus
» 334 *a*	» 20 *ult.*	tam	» 529 *b*	» 23	etiam
» 334 *b*	» 1	quidquid	» 529 *b*	» 1 *ult.*	et quidquid
» 334 *b*	» 3	expensa	» 530 *a*	» 2	expensas
» 334 *b*	» 28 *ult.*	praedecessorum	» 530 *b*	» 2	successorum
» 335 *a*	» 24 *ult.*	derogationes, concessiones	» 531 *a*	» 18 *ult.*	derogationes et concessiones
» 335 *a*	» 12 *ult.*	observata	» 531 *a*	» 6 *ult.*	observatâ, exprimerentur et insererentur
» 338 *b*	» 22	Hispanicae... Italicae .	» 535 *b*	» 21	Hispanicâ... Italicâ
» 338 *b*	» 24	et animarum	» 535 *b*	» 23	animarum
» 338 *b*	» 27	Apostolici	» 535 *b*	» 26	apostoli
» 338 *b*	» 25 *ult.*	congregationis	» 536 *a*	» 2	congregationis alumni
» 339 *a*	» 29 *ult.*	optari... optatio . . .	» 536 *b*	» 17 *ult.*	aptari... aptatio
» 339 *b*	» 35 *ult.*	neque eorum loco mutari aut poni	» 537 *b*	» 5	neque mutari aut aliorum loco poni
» 339 *b*	» 34 *ult.*	alios	» 537 *b*	» 6	alii
» 339 *b*	» 29 *ult.*	substitui	» 537 *b*	» 11	substitui possint
» 340 *a*	» 11	religiosi . . .	» 538 *b*	» 16	religiosis
» 340 *b*	» 7	nullatenus . .	» 538 *b*	» 10 *ult.*	ullatenus

Edit. Rom. Main., Tom. v, *Part.* III.		*Edit. Taur.*	
Pag. 342 *a* linea 13	praescientiae	Pag. 541 *a* linea 2 *ult.*	conscientiae
» 342 *a* » 14	commissionibus	» 541 *b* » 1	concessionibus (?)
» 342 *a* » 2 *ult.*	se involvere	» 541 *b* » 3 *ult.*	se involvet
» 342 *b* » 2	Ecclesiae	» 542 *a* » 2	ecclesiarum (?)
» 343 *a* » 14	Novoramen Spergam	» 543 *a* » 2	novo nomine Spergam nuncupatum (?)
» 343 *a* » 29 *ult.*	non habentes	» 543 *a* » 7 *ult.*	habentes
» 344 *a* » 27	ea	» 544 *b* » 15 *ult.*	ad ea
» 345 *a* » 37 *ult.*	de ea	» 546 *a* » 8 *ult.*	ad ea
» 345 *b* » 30	confirmare	» 547 *a* » 19	confirmari
» 347 *a* » 31	de ea	» 549 *b* » 11	ad ea
» 348 *b* » 12	coruscant	» 552 *a* » 8 *ult.*	coruscat
» 349 *a* » 20	statuti	» 552 *b* » 17 *ult.*	statutis
» 350 *b* » 7	ita tamen	» 555 *a* » 9	id quidem faciat, ita tamen
» 353 *b* » 9	ecclesiae	» 558 *b* » 12	ecclesiae reductam
» 352 *a* » 22 *ult.*	quam extra eam ubilibet locorum minime habere	» 560 *a* » 17 *ult.*	quam extra eam ubilibet, locum minime habere
» 356 *a* » 36 *ult.*	quadraginta	» 564 *a* » 21	nonaginta (?)
» 356 *a* » 32 *ult.*	primo loco	» 564 *a* » 25	primo
» 356 *a* » 18 *ult.*	collectoribus	» 564 *a* » 3 *ult.*	collatoribus (?)
» 356 *a* » 8 *ult.*	etiam	» 564 *b* » 9	etiamsi
» 356 *a* » 1 *ult.*	et	» 564 *b* » 16	etiamsi
» 356 *b* » 8	si quas habeantur	» 564 *b* » 17 *ult.*	si quae habeantur
» 356 *b* » 24 *ult.*	decimae, primitiae	» 565 *a* » 17 *ult.*	decimas, primitias
» 356 *b* » 11 *ult.*	absentium	» 565 *a* » 4 *ult.*	absentium autem
» 356 *b* » 10 *ult.*	pro uniuscuiusque rata portione	» 565 *a* » 3 *ult.*	pro uniuscuiusque ratâ portiones
» 356 *b* » 8 *ult.*	cessantibus	» 565 *b* » 1	cessanti
» 357 *b* » 14 *ult.*	fundationem	» 567 *a* » 15	praesentationem
» 358 *b* » 9	firmamque	» 568 *a* » 10 *ult.*	firmam
» 359 *b* » 7	iuris	» 569 *b* » 12	iure
» 365 *a* » 1	illius	» 572 *a* » 2	illarum
» 366 *b* » 18 *ult.*	maiores	» 573 *a* » 17	maior
» 366 *a* » 31 *ult.*	Decernentes	» 573 *b* » 16 *ult.*	Decernens
» 366 *b* » 8 *ult.*	demoniale	» 574 *b* » 7 *ult.*	domaniale (vel) demaniale
» 368 *a* » 6	permittant	» 576 *b* » 19	permittat
» 368 *b* » 9	opportunam	» 577 *b* » 6	importunam (?)
» 368 *b* » 18	pensatis	» 577 *b* » 16	pensatâ
» 368 *b* » 25	celebrantur	» 577 *b* » 23	celebrarentur (?)
» 368 *b* » 6 *ult.*	Sedis	» 578 *a* » 21 *ult.*	Sedis potestatis (?)
» 369 *b* » 10	futuris aedificiis	» 579 *a* » 17 *ult.*	structuris, aedificiis (?)
» 369 *b* » 28 *ult.*	decernendo	» 579 *a* » 26 *ult.*	decrevit
» 369 *b* » 25 *ult.*	Nolano	» 579 *b* » 22 *ult.*	Dolano
» 370 *a* » 4	subreptioni	» 580 *a* » 8	subreptitiae (*vel*, subreptionis
» 370 *a* » 21 *ult.*	alias si	» 580 *b* » 12	aliàs
» 371 *a* » 28 *ult.*	Sedis	» 582 *a* » 10	Sedi
» 371 *a* » 19 *ult.*	provideri	» 582 *a* » 20	provideri
» 371 *b* » 16 *ult.*	possint	» 583 *a* » 18	possit
» 372 *a* » 35	nullo	» 583 *b* » 17 *ult.*	ullo
» 374 *b* » 15	Sanctitati	» 588 *a* » 8	Sanctitatis
» 375 *a* » 20	constitutum	» 588 *a* » 1 *ult.*	constitutio
» 376 *a* » 13 *ult.*	illis	» 590 *b* » 1	illius
» 376 *b* » 22	considerantesque	» 591 *a* » 7	considerantes
» 376 *b* » 21 *ult.*	prorogatum et extensnm	» 591 *a* » 15 *ult.*	prorogatam et extensam
» 376 *b* » 16 *ult.*	posset	» 591 *a* » 13 *ult.*	posse
» 376 *b* » 5 *ult.*	darent	» 591 *b* » 3	daret
» 376 *b* » 2 *ult.*	computorum	» 591 *b* » 6	milliorum (?)

Edit. Rom. Main., Tom. v, *Part.* III.					*Edit. Taur.*				
Pag.	378 *b*	linea	13	reparatione	*Pag.*	594 *a*	linea	21 *ult.*	repartitione (?)
»	379 *a*	»	20 *ult.*	ac tam	»	595 *b*	»	2	etiam
»	380 *a*	»	1	compescendo	»	596 *b*	»	6	compescendi
»	380 *a*	»	4	aggravando	»	596 *b*	»	9	aggravandi
»	381 *a*	»	18	Granaten. cathedralium	»	598 *a*	»	11 *ult.*	Granatensis et aliarum cathedralium
»	381 *a*	»	25 *ult.*	perpensos	»	598 *b*	»	8	perpessos
»	382 *a*	»	17	sibi ¦.	»	599 *b*	»	11 *ult.*	illis (?)
»	383 *b*	»	2 *ult.*	ad quos	»	602 *b*	»	7 *ult.*	ab iis ad quos
»	384 *a*	»	28 *ult.*	non obstante	»	602 *b*	»	11 *ult.*	non obstare
»	384 *b*	»	10	transferri	»	603 *a*	»	4 *ult.*	transferri conveniebat
»	384 *b*	»	2 *ult.*	ad	»	604 *b*	»	3	ac
»	386 *b*	»	11	dioecesim	»	607 *a*	»	13	dioceses
»	387 *a*	»	10 *ult.*	sanctitate	»	608 *a*	»	10 *ult.*	sanctae
»	390 *a*	»	15	intuitum	»	613 *a*	»	11	intuitum convertentes
»	393 *a*	»	1 *ult.*	praebeat	»	618 *a*	»	12	praebeant
»	393 *b*	»	16	optabilibus	»	618 *a*	»	14 *ult.*	optabilius
»	396 *b*	»	30	eos non	»	623 *a*	»	15 *ult.*	non
»	397 *b*	»	3 *ult.*	confirmamus et innovamus	»	625 *a*	»	11 *ult.*	confirmatis et invocatis
»	398 *a*	»	13	an. VI	»	625 *b*	»	5	an. V
»	398 *a*	»	23 *ult.*	omnem sapientiam	»	625 *b*	»	6 *ult.*	omnis sapientia
»	398 *b*	»	1	tunc	»	626 *a*	»	19	nunc
»	399 *b*	»	32 *ult.*	per consules	»	628 *a*	»	20 *ult.*	consules
»	399 *b*	»	25 *ult.*	non fecerint	»	628 *a*	»	13 *ult.*	fecerint
»	400 *b*	»	8	factas	»	629 *b*	»	5	facta
»	400 *b*	»	8 *ult.*	liminentur	»	630 *a*	»	9	eliminentur (*vel*) terminentur
»	401 *a*	»	33	nigra... contexta	»	630 *b*	»	11	nigrae... contextae
»	401 *a*	»	42	ipsi	»	630 *b*	»	20	quod ipsi
»	401 *a*	»	45	ideo	»	630 *b*	»	23	et ideo
»	401 *b*	»	10	nec non	»	631 *a*	»	17	nec non excommunicationis
»	402 *a*	»	12	diversionem	»	632 *a*	»	9	diversionum
»	403 *a*	»	2 *ult.*	sufficienti	»	634 *a*	»	5	sufficientis
»	403 *b*	»	9	et contiguis	»	634 *a*	»	15	contiguis
»	403 *b*	»	15 *ult.*	ad eam	»	634 *b*	»	19	ad eum
»	403 *b*	»	12 *ult.*	intermediatae	»	634 *b*	»	22	intermediae separata
»	404 *a*	»	18	ecclesiam	»	635 *a*	»	8	ecclesia
»	404 *b*	»	25	non habentes	»	635 *b*	»	1 *ult.*	habentes
»	406 *a*	»	5	tam maxime	»	638 *a*	»	15 *ult.*	quam maxime
»	406 *a*	»	16 *ult.*	existentibus	»	638 *b*	»	19	existentes
»	406 *b*	»	2	processionem	»	638 *b*	»	9 *ult.*	processioni
»	406 *b*	»	32	religiosis	»	639 *a*	»	23	ecclesiasticis (?)
»	406 *b*	»	35	impedimento	»	639 *a*	»	26	impedimento detentis
»	406 *b*	»	4 *ult.*	Pontificis	»	639 *b*	»	14	Pontificum
»	407 *a*	»	28	vel aliquam facultatem tribuere, dispensari, seu habilitari	»	640 *a*	»	3	vel aliquam facultatem tribuere dispensandi seu habilitandi
»	407 *a*	»	26 *ult.*	reservatis	»	640 *a*	»	20	reservatur
»	408 *a*	»	4	se se ipsis	»	641 *a*	»	1 *ult.*	sibi ipsis
»	410 *b*	»	1	demandatur	»	645 *a*	»	10	demandabatur
»	411 *a*	»	26	tam	»	646 *a*	»	1 *ult.*	tamen
»	411 *b*	»	10	sacrae	»	647 *a*	»	9	sacra
»	411 *b*	»	39	in proximo	»	647 *a*	»	5 *ult.*	in proximo asse
»	412 *a*	»	13	cubabat interdum	»	647 *a*	»	1 *ult.*	cubabat; interdum
»	412 *a*	»	29	Navariensis	»	648 *a*	»	18	Novariensis
»	412 *a*	»	29 *ult.*	quaerentibus	»	648 *a*	»	16 *ult.*	querentibus
»	412 *a*	»	30	Papiensis	»	649 *a*	»	1	Papiensi
»	413 *a*	»	21 *ult.*	filiorum	»	650 *a*	»	5	filiolum

Edit. Rom. Main., Tom. v, *Part.* III.			*Edit. Taur.*		
Pag. 413 *a*	linea 14 *ult.*	filiorum	*Pag.* 650 *a*	linea 12	filiolum
» 413 *a*	» 4 *ult.*	narruit	» 650 a	» 23	narravit
» 413 *b*	» 5	quae	» 650 *a*	» 9 *ult.*	quam
» 413 *b*	» 28 *ult*	ad Apostolatus	» 650 *b*	» 11 *ult.*	ad Apostolatus apicem
» 413 *b*	» 16 *ult.*	quando	» 650 *b*	» 2 *ult.*	quod
» 414 *a*	» 14	possumus	» 651 *a*	» 16 *ult.*	possemus
» 414 *a*	» 34	deliberaturi	» 651 *b*	» 7	deliberaturos
» 416 *a*	» 13	septembris	» 654 *b*	» 2	decembris (?)
» 416 *a*	» 25 *ult.*	aliis	» 654 *b*	» 9 *ult.*	alias
» 416 *b*	» 2 *ult.*	editas	» 656 *a*	» 1	additas
» 417 *a*	» 9 *ult.*	ac	» 656 *b*	» 22	de
» 418 *b*	» 13 *ult.*	itinere	» 659 *a*	» 17	itinera
» 419 *b*	» 25 *ult.*	approbatae	» 660 *b*	» 20	delegato
» 419 *b*	» 9 *ult.*	eximimus et liberamus... decernimus	» 660 *b*	» 8 *ult.*	exemimus et liberavimus... decrevimus
» 420 *b*	» 17 *ult.*	rectores	» 662 *a*	» 4 *ult.*	rector
» 421 *a*	» 26 *ult.*	officio	» 663 *a*	» 15	officii
» 423 *a*	» 7	irrigant	» 665 *b*	» 2 *ult.*	irrogant
» 423 *a*	» 8	putabamus	» 666 *a*	» 1	putamus (?)
» 423 *a*	» 14	eosdemque	» 666 *a*	» 7	easdemque
» 423 *a*	» 20	est	» 666 *a*	» 13	et
Tom. v, *par.* IV.					
» 291 *a*	» 3	reliqua supprimenda	» 666 *b*	» 5 *ult.*	supprimenda
» 291 *a*	» 7	reddituum	» 667 *a*	» 1	reddituum computationem
» 291 *b*	» 6 *ult.*	monasteriis	» 668 *b*	» 1	monasterio
» 292 *a*	» 22	novitiis	» 668 *b*	» 15 *ult.*	novitii
Tom. v, *par.* III.					
» 424 *b*	» 2 *ult.*	illarum quod	» 671 *b*	» 7 *ult.*	illarumque
» 423 *b*	» 15 *ult.*	earum	» 673 *b*	» 3	ob earum
» 424 *b*	» 4	fungentes citan	» 673 *b*	» 22	fungentes
» 425 *b*	» 4	ut quae regni	» 674 *b*	» 3	ut regni

CONSTITUTIONES

CLEMENTIS VIII

Anno XII Sacri eius Principatus editae, et deinceps.

CCCX.

Innovatio Constitutionis Pauli IV contra negantes Trinitatem[1]*, aut divinitatem Iesu Christi, vel eius conceptionem de Spiritu Sancto, vel mortem pro nostra redemptione, aut virginitatem Beatissimae Virginis Mariae, adiectâ formâ ipsam Constitutionem publicandi, ne de caetero illius ignorantia allegari possit.*

Clemens Papa VIII
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Dominici gregis divinâ providentiâ nobis, licet meritis imparibus, commissi sollicitudo postulat, ut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quae praesertim ad fidei catholicae integritatem conservandam et impios homines ac pravarum haeresum

1 Hanc Pauli IV Constitut. V. *Cum quorumdam* habes tom. vi, pag. 500.

assertores debitis poenis plectendos pertinent, innovemus, ne, qui eiusmodi errorum labe infecti sunt, earumdem constitutionum et poenarum in eis inflictarum ignorationem ullo modo praetendere, aut quavis ratione excusare se posse praesumant.

Pauli IV const. recenset.

§ 1. Cum itaque felicis recordationis Paulus Papa IV praedecessor, etc. (*Omittitur insertio huius Bullae, quoniam eam habes in loco citato in nota*).

Nonnulli ignorantiam illius allegabant.

§ 2. Eo tamen huiusmodi impiorum hominum prorupit temeritas, ut, praetextu ignorationis huiusmodi constitutionis ac poenarum in eadem constitutione inflictarum, se illis minime subiacere nec obnoxios esse putent, ac propterea se ab eisdem poenis liberari et absolvi posse praetendant.

Eam innovans contra huiusmodi errorum assertores tamquam contra relapsos in haeresim animadverti decernit.

§ 3. Nos igitur animadvertentes, ut idem quoque Paulus praedecessor bene animadvertit, huiusmodi errores tam graves ac nefandos existere, ut illi, qui in eos incidunt, nullam prorsus excusationem

habeant, sed subversi potius et immanes quam haeretici merito dici possint; propterea, ut illi debita animadversione omnino puniantur, nec a praefatis erroribus ulla excusatione de caetero se tueri valeant, motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, dicti Pauli praedecessoris vestigiis inhaerentes, ac eius constitutionem praedictam, quoad poenas in ea contentas, innovantes ac perpetuo confirmantes et approbantes, supradictos omnes et singulos, qui hactenus in similes errores aut eorum aliquem lapsi sunt, aut in posterum prolabentur, attenta dictorum errorum gravitate et enormitate, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis existant, nulla illis etiam ignorantiae supradictae constitutionis excusatione suffragante, pro subversis et relapsis in haeresim haberi, et tamquam relapsos curiae saeculari tradi, ac per eamdem curiam debitis poenis in relapsos statutis puniri posse, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo statuimus.

Contrariis non obstantibus.

§ 4. Non obstantibus omnibus illis quae praedictus Paulus praedecessor voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praesentem Const. iubet publicari Romae.

§ 5. Ut autem huiusmodi constitutionis ignorantia de caetero allegari, aut praetendi nunquam possit, atque ut praesentes omnibus innotescant, volumus illas ad valvas ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum, et in acie Campi Florae, more solito, publicari et affigi, atque iis inde amotis earumdem exempla, etiam impressa, ibi affixa relinqui, factâque publicatione huiusmodi, omnes qui in Urbe, post mensem, qui vero extra eam et citra montes, post quatuor menses, et qui demum ultra montes fuerint, post decem menses a die publicationis huiusmodi computandos, perinde afficere et arctare, ac si eorum cuilibet personaliter intimatae fuissent.

Et ubilibet ab Inquisitoribus et locorum Ordinariis.

§ 6. Et nihilominus, ut ipsae praesentes literae eo notiores fiant, et omnibus magis innotescant, nec non pro potiori cautela, volumus, ut inquisitores contra haereticam pravitatem, in iis civitatibus, terris et locis in quibus constituti sunt, ubi vero huiusmodi inquisitores non sunt, locorum Ordinarii publicationem praesentium, ut infra dicetur, fieri curent; ac propterea universis et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, nec non dilectis filiis inquisitoribus praefatis contra haereticam pravitatem ubilibet constitutis, per easdem praesentes committimus, et in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ut per se, vel alium, seu alios hasce nostras literas, postquam earum exemplum receperint, seu earum notitiam habuerint, semel, aut pluries, prout eis magis expedire visum fuerit, ipsi quidem patriarchae, primates, archiepiscopi et episcopi, et alii locorum Ordinarii in eorum cathedralibus et maioribus respective ecclesiis civitatum, oppidorum et locorum quorumcumque eorum dioecesum, ubi inquisitores non fuerint, ubi vero inquisitores fuerint, ipsimet inquisitores in eisdem ecclesiis, dum in eis maior populi multitudo ad divina convenerit, solemniter publicent, et publicari, auctoritate nostra, mandent et faciant.

§ 7. Caeterum, quia difficile foret, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III februarii MDCIII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 3 februarii 1603, pontif. an. XII.

CCCXI.

Mandatum collectori Portugalliae nunc et pro tempore existenti ut Ordinarios locorum commoneat, illisque praecipiat, ut certum numerum monialium in monasteriis regnorum Portugalliae, ubi praefixus non est, iuxta Concilii Tridentini decreta praescribant [1].

Dilecto filio spoliorum ac furium Camerae nostrae Apostolicae debitorum in Portugalliae et Algarbiorum regnis collectori generali,

Clemens Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

In nonnullis monasteriis monialium numerus praefinitus non erat

§ 1. Cum, sicut ad nos perlatum est, in quampluribus monialium monasteriis diversorum Ordinum in civitatibus, oppidis et locis regnorum Portugalliae et Algarbiorum consistentibus, tam locorum Ordinariis, quam Regularibus subiectis, certus monialium numerus iuxta Concilii Tridentini decreta nondum praefinitus existat:

Mandatum de quo in rubrica

§ 2. Nos pro nostri pastoralis muneris debito monasteriorum eorumdem statui opportune consulere cupientes, ac de tuâ prudentiâ et religionis zelo plurimum in Domino confisi, ex voto etiam venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super consultationibus et negotiis episcoporum et regularium praepositorum, tibi per praesentes committimus et mandamus ut venerabiles fratres archiepiscopos et episcopos ac alios locorum Ordinarios nomine nostro commoneas, illisque praecipias, ut in singulis quorumvis Ordinum monialium monasteriis eorum curae et gubernio subiectis, quilibet eorum certum monialium numerum iuxta Concilii Tridentini decreta praescribat, ultra quem numerum sic praescribendum deinceps in eisdem respective monasteriis aliquae moniales, absque speciali nostrâ et Apostolicae Sedis licentiâ, recipi minime possint;

Hoc idem perficiendum ab Ordinariis, tamquam delegatis S. S., in monasteriis regularibus subiectis.

§ 3. Utque iidem locorum Ordinarii, tamquam nostri et Apostolicae Sedis delegati, in monasteriis monialium regularium quorumvis Ordinum curae et gubernio subiectis, simul cum eisdem superioribus regularibus certum similiter monialium numerum, quem de caetero absque simili nostrâ et Apostolicae Sedis licentiâ nullatenus cuiquam excedere liceat, praescribere curent; atque super hoc opportunam facultatem, auctoritate nostrâ apostolicâ, eisdem locorum Ordinariis concedas; eisdem, autem [1] locorum Ordinariis, et aliis superioribus regularibus dictorum monasteriorum, ut super huiusmodi numero dispensare, illumve quovis modo transgredire non valeant, eâdem auctoritate prohibeas.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus quibusvis eorumdem monasteriorum et illorum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eisdem locorum Ordinariis et aliis superioribus regularibus eorumdem monasteriorum in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII martii MDCIII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 8 martii 1603, pontif. an. XII.

---

[1] Ex Regest. in Secret. [illegible]

[1] Edit. Main. [illegible]

CCCXII.

Approbatio explicationis Kalendarii Gregoriani a Christoforo Clavio Bambergensi e Societate Iesu editae cum abrogatione aliorum Kalendariorum [1].

Clemens Papa VIII
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Quaecumque a Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris, ad communem totius catholicae Ecclesiae utilitatem diuturno studio et longâ deliberatione pie sapienterque sancita et decreta sunt, debent a nobis non solum omni ope ab iniquorum hominum impugnatione defendi, sed etiam, quantum in Domino licet, auctoritate apostolicâ confirmari.

Gregorius XIII Kalendarium emendari curat;

§ 1. Cum itaque felicis recordationis Gregorius papa XIII, praedecessor noster, Kalendarium Romanum, atque annum ecclesiasticum (qui, ob minuta quaedam neglecta, progressu temporis ita a vero deflexerat, ut, nisi idem Gregorius opportune providisset, sacrum Paschae diem plerumque extra legitimum tempus, a Sacris Conciliis et Patribus constitutum) in posterum exhibuisset celebrandum, tanta curâ et felicitate in pristinum statum restituerit, ut praedictum Kalendarium nulli unquam mutationi amplius expositum esse videatur; quia tamen nonnulli improbi homines eo audaciae proruperunt, ut hoc magni laboris opus, tantorum virorum industriâ et studio confectum, oppugnare et calumniis lacessere, idque illi obiicere praesumpserint, quod non semper motibus caelestibus ad unguem respondeat (quasi vero eiusmodi Kalendarii forma excogitari possit, quae una et eadem cum omnium, qui subsequuntur, annorum decursu semper conveniat, et nullo umquam tempore a motibus caelestibus vel minime discrepet), ac praecipue quidam Franciscus Vieta in tantam imprudentiam devenerit ut Kalendarium quoddam a se compositum, plenum erroribus, et Gregoriano plane contrarium, Gregorianum tamen inscribere et edere ausus sit, eique praedicti Gregorii praedecessoris literas emendationis et restitutionis Kalendarii praeposuerit, ut, propositâ palam veri specie, falsae suae doctrinae venenum instillaret:

Sed nonnulli falsum Kalendarium supponunt.

Clemens ideo veri Kalendarii explicationem Christoforo Clavio committit.

§ 2. Nos attendentes huiusmodi Kalendarium a praedicto Gregorio praedecessore nostro summâ diligentiâ et sedulitate, adhibitis in hoc opus viris harum rerum peritissimis, esse restitutum, illudque perfectum perpetuumque iure optimo inscribi potuisse, quod semper suis praecipuis partibus integrum persistat; nec mirandum esse, quod cyclus nostrarum epactarum in dies Kalendarii distributus interdum in noviluniis ac lunis XIV Paschalibus non omnino cum motibus caelorum consentiat, cum hoc in omni cyclo necessario eveniat, satisque sit quod error hic, qui vitari nequit, multo rarior deprehendatur in novo hoc Kalendario, quam in ullo alio; propterea ad maiorem illius declarationem, et ad omnem eius impugnandi occasionem caeterasque difficultates tollendas, dilecto filio Christoforo Clavio Bambergensi, Societatis Iesu religioso, viro hac in re versatissimo, et qui insignem in eiusdem Kalendarii emendatione operam sub eodem Gregorio navavit, mandavimus, ut explicationes in praedictum Kalendarium ederet, tum ad confirmandas eiusdem Kalendarii ac Gregorii rationes, tum ad omnium adversariorum commenta infringenda; qui tandem post multas lucubrationes hunc librum diu desideratum nobis obtulit, eumque *Romani Kalendarii a Gregorio XIII Pontifice Maximo restituti explicationem iussu nostro editam* nuncupavit, in quo adversariorum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

errores perspicue confutantur, doceturque hoc Kalendarium futurum perpetuum, ita ut nulli umquam ne minimae quidem mutationi, quod ad dispositionem epactarum attinet, obnoxium sit, quamquam post plurima elapsa saecula alia solaris anni et lunaris aequatio fortassis instituenda sit:

Eam approbat, aliorumque Kalendariorum usum vetat.

§ 3. Quare nos, ne de caetero contra dictum Kalendarium aliquid obiici aut confingi possit opportune providere volentes, dicti Kalendarii explicationem a praedicto Christoforo Clavio editam per praesentes approbamus; caetera vero Kalendaria, a quibusvis iam confecta, huic aliqua ratione contraria, quae mendosissima Ecclesiae obtruduntur (praesertim illud quod dictus Franciscus Vieta proprià auctoritate edidit, et a Gregoriano praeter alia discernitur, quod in illo ad primam diem ianuarii epacta XXX, sive hoc signo * notata sicuti in Kalendariis habetur, non adscripta sit, ut in Gregoriano, annusque cum epactâ XXIX ab octavâ die martii incipiat, quae res inaudita est, et Patribus Nicaeni Concilii prorsus contraria), nec non quaecumque alia forsan in posterum edenda in universo christiano orbe perpetuo abrogamus, eorumque usum ubique interdicimus, ac prohibemus.

Clausula.

§ 4. Sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere: irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Praesens publicari iubet.

§ 5. Praecipientes in virtute sanctae obedientiae universis venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, eorumque vicariis in spiritualibus generalibus, ut praesentes nostras litteras in eorum quisque ecclesiis, civitatibus et dioecesibus publicari et observari curent et faciant.

Derogat contrariis.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alià roboratis, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis in contrarium praemissorum hactenus quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 7. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticà constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae praesentibus ipsis haberetur, si essent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII martii MDCIII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 17 martii 1603, pontif. an. XII.

CCXIII.

Mandat episcopo Cenetensi, ut unum Vicarium in spiritualibus et temporalibus in parte inferiori ipsius civitatis in loco ab episcopali palatio separato constituat, et unum Auditorem apud se habeat, cui causas in gradu appellationis a sententiis prolatis a dicto vicario committat[1].

Venerabili fratri episcopo Cenetensi

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Mandat Episcopo [illegible] Vicarium [illegible]

§ 1. Cupientes commoditati civium et incolarum habitatorumque istius civitatis Cenetensis illiusque universi ter-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ritorii comitatus ac iurisdictionis, quae in temporalibus etiam fraternitati tuae et pro tempore existenti Ecclesiae Cenetensis praesuli subest, pro apostolici muneris quo Ecclesiis omnibus praesidemus debito, opportune consulere, iustis etiam ac rationabilibus causis suadentibus; motu proprio, et ex certa scientia et maturâ deliberatione nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, eidem fraternitati tuae per praesentes iniungimus, ut in parte inferiori eiusdem civitatis, in loco ab episcopali palatio separato, unum vicarium generalem in spiritualibus et temporalibus, virum fide, doctrinâ et integritate praestantem, cum convenienti provisione, ita ut pro sui officii qualitate se decenter sustentare valeat, et eo pacto a sordibus et muneribus abstineat, deputes et constituas, qui omnes et singulas causas civiles, criminales et mixtas, omnium et quorumcumque civium, incolarum, comitativorum et habitatorum, necnon communitatis, universitatis et cuiusvis collegii seu congregationis dictae civitatis, comitatus, territorii et iurisdictionis Cenetensis, vel aliâs quoquo modo Ecclesiae Cenetensi subditorum, et ad forum ac iurisdictionem temporalem Cenetensem quomodolibet spectantes et pertinentes, audiat, cognoscat et fine debito, prout iuris fuerit, terminet et decidat.

Et Auditorem insuper constituat pro cognoscendis causis appellationum

§ 2. A cuius sententiis si appellari, reclamari, de nullitate dici, seu adversus illas recursum, vel in integrum restitutionem, prout de iure, peti contigerit, in iis casibus, in quibus de iure communi vel ex dispositione statutorum dictae civitatis Cenetensis non erit prohibitum appellare, reclamare, de nullitate dicere, recursum vel restitutionem in integrum petere; tu causas appellationum, reclamationum, nullitatum, recursuum vel restitutionum in integrum huiusmodi, auditori tuo, viro similiter fide, doctrinâ et integritate conspicuo, quem apud te habere debeas, per ipsum auditorem tuum in secundâ instantiâ audiendas, cognoscendas, fineque debito terminandas et decidendas, per commissionem ordinariam tuumque rescriptum committas, ipseque auditor in causis huiusmodi sententias ab eo ferendas subscribat.

In quorum conflictu Episcopus ipse decidat

§ 3. Quod si contigerit per ipsum auditorem sententias, a vicario praedicto in primâ instantiâ latas, revocari, vel primae minime conformes proferri, tunc tu causas easdem per te ipsum, tam tuâ ordinariâ auctoritate, quam etiam tamquam noster et Apostolicae Sedis delegatus, audias, cognoscas et fine debito pro iustitiâ termines et decidas.

Ita ut duae conformes faciant rem iudicatam

Et semel tantum liceat appellari.

§ 4. Nos enim in omnibus et singulis causis supradictis ad iurisdictionem et potestatem Cenetenses in temporalibus, ut supra, quovis modo spectantibus et pertinentibus, duas conformes facere rem iudicatam, et illas fore et esse exequutioni per iudicem ultimam proferentem, omni et quacumque appellatione postpositâ, demandandas, ita quod utrique partium semel tantum et non ulterius liceat appellare, iuxta formam, tenorem, continentiam et dispositionem statutorum, dictae civitatis decernimus.

Qualitates requisitas in eligendis Vicario et Auditore declarat

§ 5. Volumus tamen, ac tibi iniungimus, ut vicarium et auditorem huiusmodi non solum iis, quas diximus, virtutibus ornatos, sed etiam alienigenas, et, si fieri poterit, ex Apostolicae Sedis subditis, ita ut nos in eos, quatenus, quod absit, aliquando in officio deliquerint, debitâ animadversione procedere valeamus, deligere procures.

§ 6. Caeterum tibi praemissa omnia et singula faciendi, ipsisque abs te constituendis vicario et auditori huiusmodi causas praedictas, ut praemissum est, audiendi cognoscendi fineque debito ter-

minandi et decidendi, aliaque in praemissis, et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi et exequendi, plenam, amplam et opportunam facultatem et auctoritatem concedimus et impertimur.

Ad alium, quam ad Auditorem praedictum et Episcopum, appellare et recurrere omnibus vetat.

§ 7. Mandantes propterea tam communitati, universitati, collegiis et congregationibus quibuscumque, quam omnibus et singulis civibus, incolis, comitativis, et quovis modo habitatoribus dictae civitatis, comitatus, territorii et iurisdictionis Cenetensis, sub excommunicationis, etiam latae sententiae, aliisque censuris et poenis Ecclesiasticis ipso facto incurrendis in casu contraventionis, in causis appellationum, reclamationum, recursuum, nullitatum et restitutionis in integrum praedictarum, ne alium, quavis auctoritate fungentem, quam supradictum auditorem tuum et te ipsum, ordine et forma supra expressis, quovis quaesito colore, vel praetextu adire audeant seu praesumant.

Clausulae.

§ 8. Sicque, et non aliter, in praemissis omnibus et singulis de caetero perpetuis futuris temporibus observari debere, ac ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublatà eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus, statuimus et ordinamus.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae Ecclesiae Cenetensis, illiusque civitatis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die XII aprilis MDCIII, pontificatus nostri anno XII [1].

Dat. die 12 aprilis 1603, pontif. an. XII.

CCCXIV.

Dismembratio curae animarum ab ecclesia sancti Triphonis de Urbe, quae unitur ecclesiae S. Augustini cum Stationum translatione [2].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis apostolici muneris debito, ad ea libenter intendimus, per quae christifidelium animarum curae, et divini cultus augmento opportunius consulatur, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Dismembratio et unio de quibus in rubrica.

§ 1. Cum itaque ecclesiam sancti Triphonis in regione Campi Martii de Urbe monasterio fratrum Sancti Augustini de eadem Urbe Ordinis Eremitarum eiusdem sancti Augustini contiguam existere, et curam animarum eidem ecclesiae sancti Triphonis incumbentem, necnon reliquiarum eiusdem ecclesiae sancti Triphonis per dilectos filios priorem et fratres dicti monasterii sancti Augustini (quod insigne existit, et fratrum numero et sufficientià ad huiusmodi curam exercendam refertum est) commodius et facilius, quam per alios sacerdotes exerceri posse consideraverimus; ex his et aliis rationabilibus causis animum nostrum moventibus, motu proprio, et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ab

1 Hac eadem die Clemens suis litteris in forma Brevis, quibus initium est: *Quae pro Ordinis vestri*, confirmavit privilegia omnia ab antecessoribus Pontificibus concessa Ordini S. Pauli Primi Eremitae.

2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

eadem ecclesia sancti Triphonis curam animarum huiusmodi, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo abdicamus et dismembramus, ac ad ecclesiam praedicti monasterii sancti Augustini perpetuo transferimus, ita ut per aliquem seu aliquos eiusdem monasterii fratres, ad id a dilecto filio nostro in alma Urbe vicario approbatos, exerceri possit et debeat.

Reliquiae ab ecclesia S. Triphonis ad ecclesiam S. Augustini transferendae.

§ 2. Necnon etiam reliquias omnes, in eadem ecclesia sancti Triphonis existentes, ad ipsam ecclesiam sancti Augustini, in qua decentius custodiri et conservari poterunt, similiter transferimus, seu dictis priori et fratribus illas transferendi licentiam et facultatem impertimur.

Fructus quoque et redditus transfert.

§ 3. Insuper eisdem priori et fratribus, ut omnia et singula fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque, etiam incerta, ad praedictam ecclesiam sancti Triphonis ratione exercitii curae animarum spectantia et pertinentia (ita tamen ut ipsi prior et fratres onera omnia eidem ecclesiae sancti Triphonis incumbentia supportare teneantur), auctoritate et tenore praedictis, perpetuo concedimus et assignamus.

Transfert etiam indulgentias Stationum.

§ 4. Ulterius, ut diebus, in quibus Stationes in praedicta ecclesia sancti Triphonis haberi consueverunt, christifideles, ecclesiam praedictam sancti Augustini visitantes, easdem indulgentias Stationum, quas in praedicta ecclesia sancti Triphonis consequerentur, cumulative consequantur, perinde ac si eamdemmet sancti Triphonis ecclesiam visitarent, similiter concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes praesentes litteras perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, nec a quoquam, quavis auctoritate et occasione, impugnari, rescindi, vel retractari ullatenus posse. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac dictae ecclesiae sancti Triphonis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die XIV aprilis MDCIII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 14 aprilis 1603, pontif. an. XII.

CCCXV.

Declarantur dubia nonnulla ab episcopo Egitaniensi proposita[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem in his, quae ad ecclesiarum omnium, praesertim cathedralium, optimum regimen et utiliora servitia pertinent, auctoritatem suam interponere, ac dubia quaecumque desuper emergentia, opportuna declaratione, e medio tollere, ac alias desuper providere, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

Ex defectu residentiae praecedentium episcoporum plures abusus irrepserant.

§ 1. Sane, cum[2], sicut venerabilis frater Nonnius episcopus Egitaniensis nobis exponi fecit, ex eo quod, a quadraginta et pluribus lapsis annis, bonae memoriae episcopi Egitanienses eius antecessores frequentem, seu continuatam apud dictam ecclesiam, ut tenebantur, residentiam nedum non fecerunt, sed eorum aliqui regis Portugalliae curiam sequuti fuerunt, quidam vero in Urbe, et alii in diversis locis

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Heic fortasse supplenda erat particula *cum*, ut quisque viderit ex contextu et ex const. seq. § 1 (R. T.).

extra dioecesim praedictam residere consueverunt, multi tam in ipsa cathedrali ecclesia, quam in eius dioecesi errores et abusus irrepserint, ac plurimae laudabiles ac piae consuetudines ex eorum praelatorum absentia, minusque diligenti cura in desuetudinem abierint, ac multa denique evellenda, nonnulla vero moderanda et reformanda sint; ac in his apostolicam auctoritatem sibi praesto esse oporteat; ac propterea infrascripta dubia nobis proposuerit, et super illis per nos de opportunae declarationis remedio sibi provideri desideret:

Circa quos praesens episcopus sequentia dubia proponit:

1. De residentia canonicorum:

§ 2. Primo siquidem, an praesupposita consuetudine, quod suae ecclesiae canonici possint ab ea longiori tempore, quam a Concilio Tridentino praescribitur, abesse, ipse episcopus talem usum seu consuetudinem ad praescriptum praedicti Concilii possit reducere:

2. An tempore vacationum possint omnes simul abesse:

Secundo, an tempore vacationis, canonicis eisdem concessae, possint omnes per id tempus sibi concessum ab ecclesia simul, an vero alii post alios abesse, ne servitium ecclesiae, tempore vacationis, notabiliter defraudetur:

3. An praesentes possint per substitutos satisfacere:

Tertio, an canonici praesentes, et non impediti, teneantur per se ipsos suis oneribus et officiis satisfacere, vel per substitutos:

4. An episcopus possit eos cogere ut in choro vocem extollant:

Quarto, an praedictus episcopus possit cogere canonicos in choro ut vocem extollant, maxime eos, qui culpabiles sunt, nec volunt cum aliis communicare in cantu:

5. An tempore functionum choralium possint canonici private celebrare missam.

Quinto, an dum celebratur missa solemnis sive conventualis, vel praedicatur, et horae canonicae in choro cantantur, possit aliquis canonicus private, celebrandi causa, a choro recedere, et nihilominus quotidianas distributiones lucrari:

6. An canonicus fabricae praepositus possit toto anno abesse.

Sexto, an canonicus fabricae administrationi deputatus, propter hanc causam toto anno ab Ecclesiae servitio eximatur, et nihilominus distributiones integre lucretur:

7. An pure laici sint a servitio sacro arcendi:

Septimo, an pueri in privatis missis, sacristiae et choro cum cottis intervenientes, debeant saltem ordines minores, vel primam tonsuram habere, et pure laicos ab huiusmodi ministerio arcere:

8. An canonici episcopum celebraturum associare debeant.

Octavo, se scire cupere an quoties cum cappa ad ecclesiam, ut divina officia celebret seu illis assistat, progreditur, canonici et capitulum eum a loco suae habitationis, quae parvo spatio ab ecclesia distat, in eundo et redeundo associare teneantur:

9. An ei in aliis ecclesiis celebranti possint adesse:

Nono, contingere posse ut ipse episcopus extra civitatem, in eius tamen suburbiis, pontificalia exerceat, proindeque dubitare an aliquos de capitulo, ut sibi assistant, remanentibus aliis in choro qui ad divina celebranda sufficiant, secum possit ducere:

10. An episcopus impeditus debeat suum vicarium ad capitulum deputare, et quinam locus vicarii in capitulo.

Decimo, si aliquando per dioecesim seu aliter in civitate impedito commoranti opus esset vicarium seu officialem generalem pro negotiis urgentibus tractandis ad capitulum destinari seu mitti; ubi, cum primo dicto vicario locus certus hactenus destinatus seu determinatus non fuerit, licet in processionibus praecedere soleat, quem locum obtinere deberet, pariter dubitare:

11. An a noviter provisis queat capitulum aliquid exigere

Undecimo, dubitare insuper an prohibere possit capitulo ne pro admittendis ad ecclesiam de aliqua dignitate, canonicatu vel beneficio noviter provisis, summa pecuniarum, vel chyrotecae, seu alia exigantur, prout hactenus exigi consueverunt:

12. An possit laicis ad processiones accedentibus certum locum designare

Duodecimo, an laicorum vexillum, et ministros saeculares locorum, qui ad processiones, quae per civitatem et loca dioecesis fiunt, confuse et sine ordine accedunt, possit debito loco constituere, et dictos laicos cogere ut ordinate et cum candelis procedant; vel potius, ut ad pro-

cessiones non accedant, compellere valeat:

Ad praedicta dubia respondet Pontifex: **§ 3.** Nos igitur precibus eiusdem Nonnii episcopi nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eiusque iustis petitionibus annuere volentes, ex voto venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super sacris ritibus et caeremoniis deputatorum, quibus praemissa dubia diligenter examinanda commisimus, harum serie declaramus:

Ad primum. Circa primum, ipsum episcopum posse talem usum et consuetudinem ad praescriptum Tridentini Concilii reducere:

Ad secundum. Circa secundum, non debere omnes canonicos et beneficiatos simul abesse tempore vacationis, sed alios post alios, ordine servato, ita ut ecclesia servitio non defraudetur:

Ad tertium. Circa tertium, canonicos per se ipsos servire ac sua munia exercere, non vero per substitutos, debere:

Ad quartum. Circa quartum, decere ut canonici voce non impediti alte canant in choro, coadiuvantes alios, et posse episcopum illos ad id faciendum hortari:

Ad quintum. Circa quintum, licitum esse canonicis, celebrandi causa, a choro recedere, nec ob id distributiones quotidianas perdere:

Ad sextum. Circa sextum, teneri canonicum, administrationi fabricae deputatum, ecclesiae inservire, sicut omnes alii canonici; et si id facere contemnat, mulctandum esse in amissione distributionum, sicut alios non servientes:

Ad septimum. Circa septimum, convenire praedictos pueros saltem primam tonsuram habere, dummodo per aetatem eiusdem tonsurae sint capaces:

Ad octavum. Circa octavum, canonicos et capitulum ad id teneri, dummodo distantia, prout praesupponitur, brevis sit:

Ad nonum. Circa nonum, inhaerendo decretis et resolutionibus alias in simili casu factis et S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum voto saepius dato, episcopum id posse declaramus:

Ad decimum. Circa decimum, vicario generali convenire locum super omnes capitulares, tam in congregationibus capitularibus et sessionibus, quam in processionibus, dummodo ibi canonici sacris vestibus parati non incedant:

Ad undecimum. Circa undecimum, episcopum id prohibere non posse, si pecuniae in utilitatem vel servitium ecclesiae, seu sacristiae vertantur; si vero vertantur in canonicorum seu aliorum privatam utilitatem, posse prohibere:

Ad duodecimum. Circa duodecimum, episcopum non posse cogere, sed hortari.

Alia dubia proposita: § 4. Praeterea alia etiam infrascripta dubia idem Nonnius episcopus nobis declaranda proposuit, videlicet: 1. De variis canonicorum abusibus: Primo statuta dictae ecclesiae cathedralis Egitaniensis, quae nec auctoritate apostolicà immo nec ordinarià approbata hucusque extiterant, incorrecta et inordinata esse, eorumque plurima in ipsius ecclesiae praeiudicium ac detrimentum tendere; canonicos circa divinorum celebrationem, quod sibi suavius et minus laboriosum esse poterat, ordinare; circa eorum absentias largius, quam par erat, disponere; mulctas sibi invicem saepe remittere, punctaque in horis, divinis officiis et ecclesiae servitio minimi valoris assignare et statuere; ordinem in choro servandum, qui omnino necessarius videbatur, praefigere differre, in aliisque praedictae ecclesiae servitium concernentibus, eorum arbitrio, et remisse inordinateque procedere.

2. De cessatione a munere beneficii. Secundo, uno ex eisdem statutis sancitum esse ut qui aliquam dignitatem, canonicatum, vel inferius beneficium obtinens ecclesiae per quadraginta annorum spatium inservierit, eo ipso emeritus, vulgo *iubilado,* censeatur, ad ulteriorisque temporis servitium non teneatur;

et nihilominus fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque, ac distributiones quotidianas, etiam extra civitatem et dioecesim integre percipiat; quod si ita, ut canonici volebant, intelligendum ac servandum esset, multi parum post tempus ab ecclesia recederent, illaque debitis, ob ministrorum subtractionem, frauderetur obsequiis, ac divinus cultus notabiliter minueretur.

3. De ultimarum voluntatum commutatione, inconsulta S. Ap.

Tertio, in eâdem ecclesia unam capellam, de Quebrada nuncupatam, a quodam episcopo, ut creditur, ab antiquo iam tempore, sub certis modo et forma, ac cum certo missarum aliorumque onerum numero institutam, et sic semper administratam a capitulo, cui dictae capellae administratio incumbit, nuper divisam, ac per duos capellanos distributam, eiusque onera et obligationes, absque nostra et Apostolicae Sedis auctoritate, divisas et separatas fuisse, quod episcopi testatoris voluntati et antiquae institutioni contrariatur, idque per capitulum, sine auctoritate praedicta, fieri non potuisse, cum ad solum Romanum Pontificem ultimarum voluntatum commutationem et interpretationem pertinere de iure constaret.

4. De capitularibus congregationibus tempore horarum et missae.

Quarto, necessarium esse prohibere canonicis ne ad capitulum congregari, seu capitulares congregationes habere possint, dum in ecclesia horae canonicae et missa maior celebrantur, observatâ hactenus in contrarium consuetudine non obstante.

5. De reis in exilium pellendis per censuras.

Quinto dubitare, an contra delinquentes in exilium, quando eorum crimina et excessus id postulant, condemnatos, ut loca exilio destinata petant, si exequutio realis vel personalis in eos fieri non potest, per censuras et earum aggravationem procedere, ac eos ab eorum parochiis et locis, ubi deliquerunt, arcere valeat.

Declaratio dubiorum.

§ 5. Nos item, quoad supradicta nobis proposita dubia, quae similiter venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus super Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus a nobis deputatis diligenter examinanda commisimus, harum serie declaramus:

Ad primum.

Quoad primum videlicet, licet satis per decretum Concilii Tridentini cap. XV session. XXIV *de Reformatione* provisum sit, posse tamen episcopum, si opus fuerit, nova statuta cum consilio capituli edere, et illa edita (referendo, in quibus differunt ab antiquis) ad congregationem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositam transmittere, ut ab ea examinentur et approbentur.

Ad secundum.

Quoad secundum, non videri interim aliquid super hoc innovandum, sed, cum casus particulares evenerint, posse episcopum eamdem congregationem consulere.

Ad tertium.

Quoad tertium, capitulo Egitaniensi non licuisse voluntatem testatoris, seu primam fundationem, inconsultâ S. Sede Apostolicâ, commutare vel alterare; et ideo censemus omnia in pristinum ad formam primae fundationis restituenda esse.

Ad quartum.

Quoad quartum, episcopum posse prohibere, iuxta aliam similem declarationem factam ab eadem Sacra Congregatione sub die XVII novembris MDC, in qua declaravit, non esse habendum capitulum dum missa seu horae canonicae in ecclesia celebrantur; idque etiam fuit decretum in Conciliis Basileensi, Coloniensi, Mediolanensi et aliis, ita ut canonici contravenientes in amissione quotidianarum distributionum, nisi adesset urgentissima causa vel maxima necessitas, puniantur.

Ad quintum.

Quoad vero quintum, non expedire aliud quam a Concilio statutum est.

Ad quaeque proposita dubia.

§ 6. Demum praedictus Nonnius Epi-

scopus reliqua alia etiam infradicenda dubia nobis declaranda proposuit; scilicet:

1. De valore punctationum absentiae a choro: Primo, ecclesiam praedictam Egitaniensem inter caeteras Portugalliae insignem esse, in eâque triginta praebendas et septem dignitates, ultra pontificalem, extare; canonicos vero circa eiusdem ecclesiae administrationem et servitium in aliquibus minus ordinate, ut praemissum est, procedere, multaque circa idem servitium reformatione indigere: cumque singulae praebendae ad valorem quingentorum ducatorum monetae illarum partium, ut plurimum, ascendant, omnesque earum redditus in distributionibus quotidianis consistant, ipsos canonicos ita easdem distributiones dividere, ut principalioribus horis et missae maiori minimi valoris puncta, scilicet unius, trium et sex quaternorum respective assignent, unde oriebatur ut ipsi canonici, cum parum amittant, eisdem horis et missae interesse negligant, segniterque circa ecclesiae praedictae servitium ob hanc rationem procedant, cum in aliis regni cathedralibus puncta per horas et missas secundum reddituum quantitatem sint assignata, distributionesque aequaliter, attentâ horae, missae et festi qualitate, dividantur.

2. De infideli thesaurarii administratione: Secundo, thesaurarium duo millia ducatorum, vel circa, fructus percipere, tenerique, ex creatione, duos vel tres pueros in sacristia pro eius ac missarum servitio, nec non sacristam ipsum solvere, eique competentem portionem seu salarium assignare; nihilominus tamen modernum thesaurarium nec dictos pueros conducere, nec sacristae honestam et congruam portionem solvere, nec alia sibi incumbentia onera adimplere; ex quo ecclesiae sordide et negligenter serviebatur, ipseque thesaurarius officii sui oblitus his incommodis providere differebat.

3. De distributionibus inter praesentes: Tertio, sibi declarari oportere, an tertiae partis fructuum dignitatum, canonicatuum, personatuum, portionum et officiorum ecclesiae cathedralis in distributiones conversae, seu convertendae, sic praesentes et interessentes comparticipes fieri debeant, ut et ad absentes per illos tres menses, quibus, vigore Concilii et statuti ecclesiae, canonici abesse possunt, huiusmodi distributiones ullo modo applicari, aut ad eos extendi possint.

4. De oppositionibus factis episcopo visitanti dioecesim: Quarto, in generali dioecesis praedictae visitatione plerumque contingere, ut dum episcopus vel eius visitatores eidem incumbunt officio, a delinquentibus, ad impunitatem consequendam, uti suspecti allegentur seu recusentur: cum vero iuxta leges seu consuetudinem Regni in inquisitione et cognitione criminum ulterius procedere nequeant, exinde oriri ut et delicta, pessimo exemplo, impunita saepe remaneant, et delinquentes, non sine scandalo, libere iuvant[1]: facultatem igitur sibi, ut huiusmodi frivolo impedimento a quavis persona quantumvis potente, ecclesiastica vel saeculari, opposito non obstante, ulterius inquirere et procedere quoad emendationem, correctionem et punitionem possit, concedi postulabat.

Responsio. § 7. Nos denique haec quoque supradicta dubia, quae venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacri Concilii Tridentini interpretibus mature discutienda et declaranda commisimus, per praesentes declaramus, videlicet:

Ad primum. Circa primum, debere episcopum, secundum ea quae proponuntur, tertiam partem fructuum dignitatum, canonicatuum, personatuum, portionum et officiorum cathedralis separare, ac in distributiones quotidianas convertere, ad praescriptum Concilii cap. III sess. XXI.

1 An *vadant* vel *vivat* pro *iuvant* legendum? (R. T.).

Ad secundum.

Circa secundum, si thesaurario, ut proponitur, id onus incumbit, utique, ut ille exacte satisfaciat, esse ab episcopo compellendum.

Ad tertium.

Circa tertium, huiusmodi tertiam partem, quae ad praescriptum Concilii eiusdem in distributiones quotidianas fuerit conversa, ab his tantum percipi debere, qui statis horis interfuerint, minimeque ad alios, etiam per tempus sibi concessum, absentes extendi posse.

Ad quartum.

Circa quartum, episcopum in visitatione uti suspectum allegari, seu recusari non posse.

Committitur episcopo ut haec observari iubeat.

§ 8. Quare eidem Nonnio moderno, et pro tempore existenti episcopo Egitaniensi, per praesentes committimus et mandamus, ac opportunam desuper facultatem concedimus, ut in omnibus et singulis dubiis supradictis iuxta declarationes nostras procedat, ac ab aliis, ad quos spectat et in futurum spectabit, procedi curet et faciat, contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiae Egitaniensis, et aliarum eiusdem dioecesis ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, usibus et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis, dictae ecclesiae Egitaniensi ac aliarum eiusdem dioecesis ecclesiarum canonicis, beneficiatis, rectoribus ac omnibus aliis tam ecclesiastica, quam temporali dignitate et auctoritate praefulgentibus, praefectis, magistratibus, ac aliis quibuslibet personis, et eorum cuilibet quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XXI maii MDCIII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 21 maii 1603, pontif. an. XII.

CCCXVI.

Aliae declarationes nonnullorum aliorum dubiorum ab eodem Egitaniensi episcopo propositorum [1].

Clemens Papa VIII
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Decet Romanum Pontificem in his, quae ad ecclesiarum omnium, praesertim cathedralium, optimum regimen et utiliora servitia pertinent, auctoritatem suam interponere, ac dubia quaecumque desuper emergentia opportunâ declaratione e medio tollere, ac alias desuper providere, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

Egitaniensis episcopus sequentia alia dubia proponit.

§ 1. Sane, cum, sicut venerabilis frater Nonnius episcopus Egitaniensis nobis exponi fecit, a nonnullis iam ab hinc retroactis annis, propter episcoporum Egitaniensium eius antecessorum ab ipsa ecclesia et dioecesi longam et continuatam absentiam, multi tam in ipsa cathedrali ecclesia, quam in eius dioecesi errores et abusus irrepserint, ac ex eorumdem praelatorum minus diligenti cura plurimae laudabiles ac piae consuetudines abierint, ac multa denique evellenda, nonnulla vero moderanda et reformanda

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

sint, ac in his apostolicam auctoritatem sibi praesto esse oporteat; ac propterea infrascripta dubia nobis proposuerit, et super illis per nos de opportunae declarationis remedio sibi provideri desideret:

Dubia:

§ 2. Primum siquidem, in oppido *de Abrantes* suae dioecesis duas existere parochiales ecclesias, quarum utriusque rectores et parochiani quod episcopus a sua ecclesia visitationem incipere debeat praetendebant; dubitare an visitationem ab ea ecclesia, quae sibi magis placuerit, posset incipere, dictarum duarum ecclesiarum seu earum rectorum et parochianorum praetensione non obstante:

Secundo, aliquos esse parochialium ecclesiarum rectores, qui vinum, hostias, paramenta et caetera ad celebrandum necessaria presbyteris in eorum parochia commorantibus, et in eorum ecclesiis celebrare volentibus, iuxta antiquam consuetudinem subministrare recusabant; dubitareque similiter an eos ad id opportunis remediis cogere posset:

Tertio, in ecclesiis parochialibus oppidi *de Castello bianco* suae dioecesis, duo tabernacula lignea in aëre pendentia, fere supra altaria ubi missae celebrantur, fabricata esse, in eisque rumores et strepitus fieri cum scandalo populi; ac proinde dubitare an possit ea ad formam non scandalosam et in eo regno solitam reduci facere:

Quarto, dubitare an possit prohibere ne commendator et praefectus *de Castello bianco* ac praefectus *de Abrantes* sedes apud altare capellae maioris portari faciant, ibique sedeant, adstantibus undique suis familiaribus divinis officiis interessentibus, cum scandalo populi, non obstante quacumque consuetudine pro dictis commendatore et praefectis in contrarium faciente:

Quinto, etiam dubitasse an pro statuendis legibus synodalibus seu dioecesanis, attenta aëris intemperie et sanitati ipsius episcopi nociva, in alium locum pro eiusdem episcopi salute commodiorem duos capitulares procuratores capituli et duos alios procuratores cleri ad se evocare posset; cumque nos ex voto venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super sacris ritibus deputatorum respondissemus episcopum id posse, dummodo dicti procuratores de capitulo, longiori tempore quam a Concilio praescripto, ab ecclessia non abessent, super eodem dubio apud nos instare fecit pro longioris temporis concessione, cum id a Concilio statutum pro statuendis legibus non sufficeret, in quibus determinandis diu non laborabatur[1], et omnia coram eisdem episcopo ac procuratoribus aliisque doctoribus exacte diligenterque discutiantur et examinentur, maxime cum dictae leges publicam dioecesis utilitatem respiciant:

Dubiorum resolutio.

§ 3. Nos igitur, precibus eiusdem Nonnii episcopi nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eiusque iustis petitionibus annuere volentes, ex voto eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super iisdem sacris ritibus et coeremoniis deputatorum, quibus praemissa dubia diligenter examinanda commisimus, harum serie declaramus:

Circa primum, episcopum posse visitationem incipere ab ea ecclesia, quae sibi magis placuerit, reservatis iuribus et sine praeiudicio praetensionis alterius ecclesiae.

Circa secundum, episcopum non posse cogere praedictos rectores, sed hortari et monere, et rectores recte facturos, si monitionibus et hortamentis episcopi pareant.

Circa tertium, episcopum posse id fa-

1 Fortasse legendum *laboraretur* vel potius *laboretur* (R. T.).

cere vel in generali visitatione, vel prout melius sibi videbitur.

Circa quartum, episcopum posse id facere, ad tollendum scandalum, vel in visitatione generali, vel prout melius sibi videbitur, maxime si sedes praedictae locantur in presbyterio, prout praesupponitur.

Circa quintum, tempus indefinitum non esse concedendum dictis canonicis, sed, attentis ultimo narratis, tempus sex mensium posse concedi.

Episcopus alia adhuc dubia proponit.

§ 4. Praeterea alia etiam infrascripta dubia idem Nonnius episcopus nobis declaranda proposuit, videlicet:

Primo, in oppido de Abrantes eam perniciosam corruptelam seu abusum vigere, ut qui hodie in una parochia vixit, si sequenti die seu quolibet tempore, ex causa qualibet, aut absque eà, ad aliam parochiam velit transire, in eademmet domo novam portam, seu novum caminum, aut focum mutando, eo ipso tantum ad quam velit parochiam mutatus censeatur; exindeque oriri ut rectores et parochi officium suum libere exercere, male viventes admonere et corrigere nequeant, decimaeque ac redditus ecclesiarum varias mutationes patiantur: dubitare igitur an huiusmodi mutationes prohibere possit.

Secundo, eamdem Egitaniensem dioecesim longam esse, amplamque continere provinciam, ac trecentas fere ecclesias, quae singulis annis visitari solebant; pro officio vero visitationis personas auctoritate, doctrinâ, prudentiâ et literis praestantes assumi; secretarii vero seu notarii visitationis munus etiam presbyteris vitâ, moribus et fidelitate probatis deferri debere; cum vero aliquae harum personarum ecclesias, seu alia beneficia residentiam requirentia habeant, a nobis humiliter postulabat, ut pro tribus vel quatuor ex praedictis personis per sex menses, dummodo extra Adventum et Quadragesimam, occupare posset, facultatem et opportunam licentiam concedere dignaremur.

Tertio, communitatem et magistratum Egitaniensis civitatis, ab antiquissimo tempore, ad ecclesiam B. Mariae de Açores, sex milliaribus vel circa distantem, singulis annis accedere consuevisse, vel ex voto illius civitatis facto, vel ex testamento cuiusdam mulieris, quae propterea eidem communitati certas possessiones seu praedia perpetuo legavit, ut omnium nunc viventium et maiorum memoria testabatur: cumque communitas eadem a pauco tempore citra ab huiusmodi voto seu testamenti observatione cessaverit, ac per eorum ad dictam ecclesiam non accessum devotio et concursus fidelium decreverit, quid agere aut exequi deberet in praemissis sibi petiit responderi.

Quarto, parochos complurium ecclesiarum eiusdem dioecesis ipsum episcopum saepe interpellare, ut eis contra molestias Regularium de opportuno remedio provideat, ex quo iidem Regulares parochianorum corpora ad suas ecclesias regulares, non vocatis et invitatis parochis, deferebant, ac insuper tertiam partem funeralium omnium, parochiae debitam, solvere recusabant ac usurpabant; a nobis igitur humiliter postulavit, ut dictos Regulares, cuiuscumque Ordinis sint, etiam Minores, ecclesiarum parochos vocare et invitare, et parochiae tertiam partem, seu id quod tenuerit consuetudo loci, solvere debere, declarare dignaremur: prout in supradictis omnibus et singulis dicti Nonnii episcopi petitionibus et consultationibus plenius continebatur.

Dubiorum resolutio.

§ 5. Nos circa haec quoque dubia, quae venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, super negotiis et consultationibus episcoporum et regularium deputatis, examinanda commisimus, ita per praesentes declaramus:

Circa primum, novae portae seu novi camini vel foci constructionem seu mutationem, ad hoc ut censeatur mutata parochia, notificari debere Ordinario et etiam antiquo parocho.

Circa secundum, concedimus per tres menses cuiuslibet anni.

Circa tertium, episcopum posse, etiam digna correctione adhibita, monere magistratum Egitaniensem ut, iuxta solitum seu obligationem, quolibet anno visitet ecclesiam sanctae Mariae de Açores, nisi pro parte eiusdem magistratus deducatur allegata dispensatio, vel aliud, per quod iure excusari possit.

Circa quartum, Regulares, cuiuscumque Ordinis sint, etiam Minores, ecclesiarum parochos vocare et invitare debere, priusquam personarum non regularium cadavera ad ecclesias suas regulares sepelienda deferant, et parochiae tertiam partem funeralium, seu id quod tenuerit consuetudo loci, solvere debere.

Facultatem episcopo committit Pontifex sic agendi.

§ 6. Quocirca eidem Nonnio moderno, et pro tempore existenti episcopo Egitaniensi, per praesentes committimus et mandamus, ac opportunam desuper facultatem concedimus, ut in omnibus et singulis dubiis supradictis iuxta declarationes nostras ad unguem procedat, ac ab aliis, ad quos spectat et in futurum spectabit, procedi curet et faciat: contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria tollit.

§ 7. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiae Egitaniensis, ac aliarum eiusdem dioecesis ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis Egitaniensis praedictae, ac aliarum quarumcumque ecclesiarum dioecesis praedictae canonicis, beneficiatis, rectoribus, curatis, presbyteris ac aliis, tam ecclesiasticâ quam temporali vel mundanâ dignitate fulgentibus, et auctoritate et potestate suffultis, eiusdem Egitaniensis, aliarumque civitatum, terrarum, oppidorum et locorum gubernatoribus, praefectis, magistratibus aliisque officialibus et ministris, ac aliis quibuslibet personis et eorum cuilibet, etiam motu proprio et consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium facientibus, seu alias quomodocumque disponentibus, concessis, confirmatis et invocatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIV maii MDCIII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 24 maii 1603, pontif. an. XII.

CCCXVII.

Approbatio confraternitatum sub invocatione sanctissimi Nominis Iesu, *in provinciis regni Perù institutarum et instituendarum, cum indulgentiarum elargitione* [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut accipimus, in diversis civitatibus, oppidis, castris, terris seu locis

1 Primaevam huiusmodi sodalitatis institutionem in regnis Hispaniarum, et eius ad alia loca extensionem, vide in Pii IV constit. XCV: *Iniunctum*, tom. VII, pag. 282.

Plures confraternitates sub SS. Nomine Iesu ereclae.

Perualibus in Indiis Occidentalibus existentibus, nonnulli christifideles earumdem partium quamplures utriusque sexus christifidelium confraternitates, ob maximam eorum devotionem quam erga sanctissimum Nomen Iesu gerunt, sub titulo seu invocatione eiusdem sanctissimi Nominis, in parochialibus vel aliis ecclesiis seu oratoriis ibidem existentibus, de licentia et auctoritate Ordinariorum ac alias canonice iam instituerint, et in futurum quamplures alias similiter instituere, sub eodem sanctissimo Nomine, intendant:

Dictarum confratribus Pontifex elargitur Indulgentias.

§ 1. Nos pro nostro pastorali officio cupientes, ut christifideles illarum partium omnibus diebus in diversis operibus piis atque exercitationibus divinis versentur, et quae ad excitandam pietatem, mores informandos et aeternam salutem procurandam pertinent; utque confratres huiusmodi eo maiora in dies suscipiant incrementa, quo uberius christifideles inde caelestium munera gratiarum consequi posse congnoverint: de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, supplicationibus quoque pro parte venerabilium fratrum episcoporum illarum provinciarum regni *del Perù* nobis humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui huiusmodi confraternitates sub invocatione sanctissimi Nominis Iesu iam institutas, et pro tempore canonice, ut praefertur, instituendas de caetero in perpetuum ingredientur, et in consortium earumdem confraternitatum describentur, die primo eorum ingressus et descriptionis, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam; ac, tam ipsis nunc et pro tempore describendis, quam iam in eisdem confraternitatibus descriptis confratribus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si pariter vere poenitentes et confessi, sacrâque communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin autem corde devote invocaverint, etiam plenariam.

Alias quoque indulgentias concedit visitantibus earum ecclesias.

§ 2. Nec non omnibus utriusque sexus christifidelibus etiam vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui ecclesias seu capellas, oratoria et altaria dictarum confraternitatum die festo Circumcisionis Domini nostri Iesu Christi a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem diei singulis annis devote respective visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint; quoad confratres earumdem confraternitatum, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus; quoad alios vero non confratres, viginti annos et totidem quadragenas de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis, in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Alias iterum confratribus designata hic opera peragentibus.

§ 3. Insuper eisdem confratribus similiter vere poenitentibus et confessis, sacràque communione refectis, qui ecclesias seu capellas, oratoria et altaria praedicta in primo[1] Pentecostes, Conceptionis et Assumptionis B. Mariae Virginis, ac Dominica in Albis, festis diebus, a primis vesperis, ut praefertur, etiam respective visitaverint et oraverint; quo die praedictorum aliquid egerint, viginti annos et totidem quadragenas, ut supra, relaxamus. Quoties vero praedicti confratres missis et aliis divinis officiis in dictis ecclesiis seu capellis, oratoriis et altaribus praedictis pro tempore celebrandis et recitandis, seu congregationibus publicis vel privatis earumdem confraternitatum

1 Subintellige: *die festo* (R. T.).

ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem cum inimicis propriis seu alterius composuerint vel componi fecerint seu procuraverint, necnon etiam qui corpora defunctorum, tam confratrum dictarum confraternitatum quam aliorum ad sepulcrum associaverint, vel quascumque per ipsas confraternitates processiones de licentia Ordinariorum faciendas, dictumque sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, tam in processionibus quam ad infirmos, aut alias ubicumque et quomodocumque pro tempore defertur, comitati fuerint, aut si ad hoc impediti, campanae ad id signo dato, semel *Orationem Dominicam* et *Salutationem Angelicam* dixerint, aut etiam quinquies Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam pro animabus defunctorum dictarum confraternitatum recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, aut ignorantes praecepta ea, quae ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum centum dies de iniunctis, seu alias ut supra relaxamus.

Quanto tempora sint valiturae.

§ 4. Praesentibus, pro dictis confratribus earumdem confraternitatum, perpetuis futuris temporibus, pro aliis vero non confratribus, ad viginti annos a die publicationis praesentium inchoandos, valituris.

Clausulae.

§ 5. Volumus autem quod si alias aliquibus ex dictis confraternitatibus iam erectis praemissa peragentibus aliquam aliam indulgentiam, perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duraturam, concesserimus, praesentes quoad illas confraternitates nullae sint.

Fides danda transumptis.

§ 6. Et quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca opportuna deferre, volumus et decernimus quod earumdem transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, ubique eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die trigesima iunii, millesimo sexcentesimo tertio, pontificatus nostri anno duodecimo.

Dat. die 30 iunii 1603, pontif. an. XII.

CCCXVIII.

Declaratio super iure conferendi beneficia collegiatae ecclesiae sancti Iacobi de Calaff *Vicensis dioecesis* [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis nostri muneris ratio exposcit, ut ad pacem et quietem inter ecclesiasticas personas, praesertim pontificali et alia dignitate praeditas, conservandam, ea, quae per nos statuta et ordinata fuerunt, ex quorum dubià interpretatione tranquillitatis et quietis effectus turbari posset, nostrae declarationis ministerio dilucidemus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Vicensis episcopus collationem ecclesiae S. Iacobi de Calaff ad se pertinere putat, attenta eiusdem ecclesiae reductione ad statum saecularem.

§ 1. Expositum siquidem nobis nuper fuit pro parte dilecti filii Francisci Ferran abbatis collegiatae et saecularis ecclesiae S. Vincentii de Cardona Urgellensis dioecesis, quod cum collegiata ecclesia sancti Iacobi de Calaff Vicensis dioecesis (quae, antequam nos ad supplicationem clarae memoriae Philippi II, Hispaniarum regis catholici, Ordinem canonicorum regularium S. Augustini in ecclesiis et monasteriis tunc eiusdem Ordinis, principatus Cathaloniae, illiusque statum et essentiam regularem in eisdem ecclesiis et

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

monasteriis perpetuo suppresserimus et extinxerimus, ipsasque ecclesias et monasteria ad statum et essentiam saecularem reduxerimus, prout in nostris desuper expeditis litteris plenius continetur, Ordinis praedicti existebat) a primodicta collegiata ecclesia S. Vincentii de Cardona dependens, seu illius membrum sit, et occurrente vacatione canonicatuum, praebendarum et aliorum officiorum dictae collegiate ecclesiae sancti Iacobi, semper ab immemorabili tempore citra, salvis tamen reservationibus et affectionibus apostolicis in mensibus locorum Ordinariis reservatis, ab abbate collegiatae ecclesiae S. Vincentii de Cardona, pro tempore existente, de illis disponi consueverit; nunc vero post reductionem ad saecularitatem huiusmodi, venerabilis frater episcopus Vicensis praetendat, collationem illorum in dictis mensibus Ordinarii ad se spectare: et propterea facile evenire possit, ut aliqua exinde controversia inter ipsum episcopum Vicensem et praedictum abbatem S. Vincentii de Cardona suboriatur; idcirco dictus Franciscus modernus abbas nobis humiliter supplicari fecit, ut super hoc de opportunae declarationis remedio providere, de benignitate apostolica, dignaremur.

Clemens declarat per suppressionem regularitatis nullum praeiudicium irrogatum fuisse abbati S. Vincentii de Cardona.

§ 2. Nos igitur omnem controversiae occasionem inter ecclesiasticas personas e medio tollere, et ius suum unicuique conservare volentes, praedictarum litterarum nostrarum tenorem praesentibus pro expresso habentes, ipsumque Franciscum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica, tenore praesentium, declaramus, prout alias etiam declaravimus, nostrae intentionis numquam fuisse aut esse per reductionem ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum et beneficiorum Ordinis et Principatus praedictorum ad saecularitatem, ab eisdem ecclesiis, monasteriis, dignitatibus et beneficiis, iurisdictiones, praerogativas, praeeminentias, privilegia, aliaque iura et concessiones auferre, sed regularitatem tantum in eis supprimere, illaque ad saecularitatem huiusmodi reducere, salvis semper in suo robore permanentibus iurisdictionibus, praerogativis, praeeminentiis, privilegiis et aliis supradictis; sic etiam nostrae mentis et intentionis non fuisse per reductionem ad saecularitatem collegiatae ecclesiae S. Iacobi de Calaff supradictae in aliquo praeiudicare iuri conferendi, quod ante dictam reductionem ad praedictum abbatem S. Vincentii de Cardona legitime spectabat.

Clausulae pro huiusce Constitutionis firmitate.

§ 3. Decernentes propterea dictum modernum et pro tempore existentem abbatem S. Vincentii de Cardona per episcopum Vicensem, seu quoscumque alios, praemissorum occasione, molestari, perturbari, inquietari vel impediri nullatenus posse; praesentesque litteras, etiam ex eo quod dictus episcopus seu alii quicumque in praemissis ius habere praetendentes ad hoc vocati et auditi non fuerint, et ex quavis alia causa, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari aut infringi, retractari, invalidari vel ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari nullo umquam tempore posse; sed illas semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere: sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et de-

legatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores designat.

§ 4. Quocirca dilectis filiis causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, ac nostro et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncio, per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi, vel alter eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dicti abbatis fuerint requisiti, solemniter publicantes, illique in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, illum praemissorum eorumdem effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes illum desuper per dictum episcopum Vicensem aut quoscumque alios quomodolibet indebite molestari; contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XV iulii MDCIII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 15 iulii 1603, pontif. an. XII.

CCCXIX.

Universitas et homines loci Rysch *partis territorii Lucernensis, Constantiensis dioecesis, eximuntur a solutione minorum decimarum rectori parochialis ecclesiae dicti loci*[1].

Venerabili fratri Ioanni episcopo Veglensi nostro et Apostolicae Sedis apud Helvetios nuncio

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad obviandum frequentibus litibus, quae ex solutione decimarum oriebantur,

§ 1. Expositum nobis nuper fuit, pro parte dilectorum filiorum universitatis et hominum loci *Rysch* partis territorii Lucernensis, dioecesis Constantiensis, quod, cum saepe inter dilectum filium rectorem parochialis ecclesiae dicti loci et eius parochianos, occasione decimarum, ut vocant, minorum, quas solvunt quolibet anno, quae decimae minores sunt ex fructibus arborum, raparum, canapis et lini, controversia et differentia oriri contigerit, et in futurum contingere possit, ex eo quod iam a centum annis circiter, ut asseritur, quaedam praedia, quae huiusmodi decimas persolvebant, ab illarum solutione redempta fuerunt, sed confusim, ac ex diuturnitate temporis, incuriâ rectorum pro tempore existentium, aut malitiâ possessorum dictorum bonorum, termini remoti fuerint, sicque distingui non possit, quae bona decimarum solutioni obnoxia, et quae ab illis exempta sint; homines dicti loci, ad evitandas huiusmodi lites et controversias, decimas huiusmodi redimere, et illarum loco, quae annuatim, distractis expensis, ad scuta quindecim monetae circiter ascendebant, redditum annuum scutorum triginta unius similium in quodam perpetuo censu

Communitas loci Rysch eas redimere curat.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

valoris in proprietate mille ducentorum quadraginta florenorum assignare intendant, si opportuna ad hoc eis nostra et Apostolicae Sedis licentia suffragetur.

Pontifex nuncio apostolico huiusmodi negocium committit.

§ 2. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eorum desiderio ac precibus benigne annuentes, et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus quatenus, veris existentibus praenarratis, et accedente parochi et alterius cuiuscumque in praemissis interesse habentis consensu, et factâ per dictos universitatem et homines aut alios, quorum intererit, assignatione dicti redditus annui scutorum triginta unius, aut solutis per eos florenis mille ducentis quadraginta illarum partium, quae in emptionem similis census, aut redditus perpetui, vel bonorum stabilium eidem parochiali ecclesiae utilium, arbitrio tuo unico contextu convertantur, universos et singulos eiusdem parochialis ecclesiae parochianos a solutione decimarum occasione fructuum arborum, raparum, canapis et lini et similium, auctoritate nostra apostolica, perpetuo liberes et eximas, ac liberos et exemptos deinceps fore decernas, ita quod ius exigendi huiusmodi decimas in laicos nullatenus transferatur.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Pauli Secundi, et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XVIII iulii MDCIII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 18 iulii 1603, pont. an. XII.

CCCXX.

Quando locorum Ordinarii regularibus licentiam possint impertiri novos conventus construendi [1].

Clemens Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Causae huiusce declarationis.

Quoniam ad institutam regularium locorum et personarum reformationem promovendam et conservandam maxime pertinet, ut in quibusque domibus et monasteriis is tantum numerus Religiosorum, qui commode ibidem ali possit, contineatur, ac eo pariter spectat ut in quibusque civitatibus et locis novae domus et monasteria, praesertim mendicantium, non erigantur, nisi in eisdem civitatibus et locis, aliarum domorum et monasteriorum in eis existentium habita ratione, commode sustentari posse dignoscatur:

Ordinarii licentiam Regularibus construendi novas domos concedere nequeunt, nisi constiterit eas posse sustentari.

§ 1. Hac igitur nos consideratione ducti, et in praemissis pro nostro pastorali munere opportune providere volentes, motu proprio, et ex certa nostra scientia ac matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, ex voto etiam venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium

1 Hanc facultatem, Sedi Apostolicae antea reservatam a Bonifacio VIII in cap. I de excessib. Praelat. in 6, Ordinariis postea concessit Concilium Trident. sess. XXV, cap. III.

super consultationibus et negociis Episcoporum et Regularium praepositorum, harum serie declaramus locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos conventus, cuiusque Mendicantium Ordinis, in civitatibus et locis eorum ordinariae iurisdictioni subiectis erigendos impertiri, nisi vocatis et auditis aliorum in eisdem civitatibus et locis existentium conventuum prioribus seu procuratoribus, et aliis interesse habentibus, et causâ servatis servandis cognitâ constiterit, in eisdem civitatibus et locis novos huiusmodi erigendos conventus, sine aliorum detrimento, commode substentari posse.

Regulares vero possunt appellare ad S. Sedem a sententiis Ordinariorum.

§ 2. Si vero ab eorum in huiusmodi causis sententiis ad nos et Apostolicam Sedem provocari et appellari contigerit, ipsos Ordinarios tamdiu erectionem novorum conventuum suspendere debere, quousque a nobis et Apostolica Sede in eâdem causâ pronunciatum extiterit, irritum nihilominus et inane decernentes quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Commissio Ordinariis hanc observandi Constitutionem.

§ 3. Quocirca universis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis per praesentes in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus ut praesentes nostras litteras observent et observari curent et faciant.

Non obstantibus quibuscumque.

§ 4. Non obstantibus quibusvis apostolicis ac in universalibus, provincialibus, synodalibus conciliis editis generalibus vel spiritualibus[1] constitutionibus et ordinationibus, ac quibuscumque statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogagamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 5. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXIII iulii MDCIII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 23 iulii 1603, pontif. an. XII.

CCCXXI.

Confirmatio decreti cardinalis Matthaei contra occultantes bona ad conventus Ordinis Minorum Reformatorum pertinentia.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem ea quae pro indemnitate et utilitate Ordinum illorumque monasteriorum seu conventuum per superiores provide facta sunt, ut inviolate observentur, apostolicae firmitatis robore communire.

Cardinalis Matthaeius suo decreto providet securitati rerum ad conventus Reformatorum spectantium.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius noster Hieronymus, tituli S. Pancratii, praesbyter cardinalis Matthaeius nuncupatus, totius Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia protector, pro omnium fratrum Reformatorum eiusdem Ordinis, nunc et pro tempore ubilibet existentium indemnitate, utilitate et prosperitate, infrascri-

1 Fortasse legendum *specialibus* (R. T.).

1 Nonnulla de fratribus Reformatis vide in Constitut. XV Clementis VII quae incipit: *Nuper*, tom. VI, pag. 96.

ptum decretum ediderit tenoris sequentis, videlicet:

Decreti tenor.

§ 2. Nos Hieronymus miseratione divinâ tituli S. Pancratii S. R. E. praesbyter cardinalis Matthaeius, totius Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia protector, corrector et gubernator, cupientes indemnitati, utilitati et prosperitati omnium fratrum strictioris observantiae Reformatorum nuncupatorum dicti Ordinis, nunc et pro tempore ubilibet existentium, ac in primis animarum saluti, quantum cum Domino possumus, consulere ac providere; praesentis decreti vigore, omnibus et singulis ministris provincialibus, aliisque tam praelatis quam subditis nostrae protectioni et gubernio concreditis, in virtute sanctae obedientiae praecipimus ac mandamus, ne deinceps quis illorum (cum contigerit monasterium seu conventum aliquem, pro reformatione introducenda, fratribus Reformatis, ut praefertur, de mandato superiorum effective concedi, tradi ac assignari, sive, antequam effective assignetur, de huiusmodi assignatione facienda notitiam quoquo modo habuerit) audeat vel praesumat, per se vel alium quomodolibet directe vel indirecte, sub quovis praetextu aut quaesito colore, detinere, auferre, abscondere, aut aliis sive intra sive extra Ordinem tradere, aut secum deferre quicquam attinens vel pertinens, quovis titulo, modo aut forma, ad publicam utilitatem, commoditatem et communitatem dictorum conventuum seu monasteriorum Reformatis concedendorum, eorumque ecclesias, choros, sacristias, dormitoria, valetudinaria, cellas, bibliothecas, refectoria, cellaria, coquinas illasve officinas, vel ad alicuius officii functionem, aut ad ipsorum conventuum seu monasteriorum suppellectilem, eleemosynas, scripturas vel libros spectans; nec, ad id efficiendum, consilium, auxilium vel favorem alicui, directe vel indirecte, ut praedicitur, ullo modo praebere. Qui secus fecerit, eo ipso omnibus officiis, dignitatibus et honoribus Ordinis, ac utrâque voce in perpetuum privatus existat, et pro qualitate delicti carceribus etiam mancipetur, ac in subsidium poena excommunicationis mulctetur. Et, ut nullus de praemissis ignorantiam praetendere valeat, sub eisdem poenis, omnibus et singulis provinciarum ministris seu commissariis expresse mandamus, ut, cum primum de huiusmodi nostro decreto transumptum habuerint, teneantur per omnes suarum provinciarum conventus illud cum effectu legi et publicari facere, ac de publicatione huiusmodi nos statim certiores reddere. Et ita decernimus, statuimus et ordinamus, non solum isto, sed et omni alio meliori modo, *etc.* In quorum fidem, *etc.*

Datum Romae in palatio nostro, die ultima mensis iunii MDCIII.

Apostolica confirmatione roboratur.

§ 3. Propterea nos, ut decretum praedictum deinceps observetur, providere volentes, praeinsertum decretum, cum omnibus et singulis in eo contentis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illique perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eo intervenerint, supplemus, ac ab omnibus et singulis ministris provincialibus, aliisque tam praelatis quam subditis dictae protectioni subiectis, sub poenis in praeinserto decreto contentis, perpetuo observari, ac in singulis capitulis provincialibus publicari debere praecipimus et mandamus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 5. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo dicti cardinalis protectoris, aut alterius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem, quae praesentibus haberetur, fides habeatur.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXIV iulii MDCIII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 24 iulii 1603, pontif. an. XII.

CCCXXII.

Declarat per avocationem causarum, quae occasione dotationis parochiarum pro Mauris ad fidem christianam conversis erectarum subortae sunt, huiusmodi parochiarum erectionem et dotationem non esse retardandam[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Erectas et dotatas in dioecesi Valentinensi a Greg. XIII parochias pro Mauris noviter conversis recenset;

§ 1. Aliàs ad nos perlato, quod felicis recordationis Gregorius Papa XIII praedecessor noster, iuxta prudentem et maturam consultationem a venerabili fratre archiepiscopo Valentinensi de ordine clarae memoriae Philippi II Hispaniarum regis catholici factam, ad instruendos in fide catholica eos, qui de genere Maomethanorum seu Moriscorum in dicto regno Valentiae christianam fidem receperant, nec satis firmi in ea fide manebant, diversas parochiales ecclesias in locis, in quibus dicti Morisci inhabitabant, erigendas mandaverat, seu erectiones a dicto archiepiscopo huiusmodi parochialium ecclesiarum factas confirmaverat, et pro earumdem de novo erectarum parochialium ecclesiarum dote, illarumque rectorum congrua sustentatione, nonnullas taxas super fructibus mensae archiepiscopalis, nec non dignitatum, canonicatuum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, et a nonnullis etiam particularibus dioecesis Valentinae personis, quae decimarum sive primitiarum dictorum locorum participes sunt, persolvendas imposuerat, prout in diversis eiusdem Gregorii praedecessoris litteris plenius continetur: nihilominus non deerant multi, quos in huiusmodi contributionem, iuxta dictam taxam, concurrere oportebat, qui contributionem ad eos pro rata decimarum vel primitiarum, quas percipiebant, spectantia[1], sub praetextu quod aliquae istarum parochialium erectarum, absque contributione praedicta, sufficientes centum librarum monetae illarum partium annuos redditus designatos habebant, licet alias numero quinquaginta[2] ex dictis parochialibus fructus ad summam centum librarum huiusmodi ascendentes non habere faterentur, facere recusabant: cumque id malo exemplo esset, ac in maximum earumdem parochialium rectorum praeiudicium vergeret, fructusque salutis animarum, quarum causâ tanta in earumdem parochialium ecclesiarum erectione et dotatione diligentia adhibita fuerat, consequutioni non modicum afferretur impedimentum; idcirco pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi III, Hispaniarum regis catholici, nobis humiliter supplicato, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur:

Commissamque nuncio apostolico exequutionem.

§ 2. Nos litterarum dicti Gregorii praedecessoris tenores et datas tunc pro expressis habentes, illasque confirmantes et approbantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, dilecto filio nostro et Apostolicae Sedis in regno Hispaniarum nuncio, per alias nostras in forma Brevis litteras dedimus in mandatis, quatenus per se, vel alium, seu alios, quos ad id duxisset deputandos, quoad quinquaginta quin-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Lege: *spectantem* (R. T.).

2 Fortasse legendum quinquaginta quinque, ut ex mox dicendis patebit (R. T.).

que parochiales ecclesias praedictas, quarum fructus ad summam praedictarum librarum centum non ascenderent, ad exequutionem taxae supradictae pro concurrenti quantitate eius summae, quae tunc deerat ad conficiendam summam librarum centum pro unaquaque ex dictis parochialibus ecclesiis, auctoritate apostolica procedi curaret et faceret; ac quoscumque illorum qui, iuxta litterarum dicti Gregorii dispositionem, in huiusmodi parochialium dotationem contribuere tenebantur, ad[1] contributionem debitam, et quae pro tempore deberetur taxae trinae ad illos spectantis pro concurrenti quantitate pariter, omni et quacumque appellatione remotâ, procedi curaret et faceret. Pro aliis vero parochialibus ecclesiis, quarum fructus, ut asserebant iidem qui contribuere tenebantur, ascendebant ad summam librarum centum, terminum unius anni illis ad docendum praemissa praefigi mandavimus, quo termino praefixo et elapso, si nihil quod relevaret deduceretur, exequutionem et exactionem taxae supradictae noluimus retardare[2]; voluimusque etiam ut interim non retardaretur exequutio quoad eos qui tunc taxam persolvebant; verum, si factâ liquidatione constitisset proprios fructus aliquarum ex dictis parochialibus libras centum excedere, respectu harum parochialium aliqua contributio non fieret: si vero fructus unâ cum taxae contributione dictam summam librarum centum excederent, tunc iidem fructus unâ cum taxae contributione ad dictas libras centum reducerentur. Nostrae enim intentionis erat ut illis parochialibus, quas sine huiusmodi taxae contributione redditum annuum centum librarum habere constaret, huiusmodi contributio minime fieri deberet; ex illarum tum[1] parochialium propriis fructibus, si qui essent, qui tunc, absque dictâ contributione, summam praedictam excederent, nihil prorsus ex eâdem summâ excedente, pro dotatione aliarum parochialium, detrahi voluimus; sed totum id quod dictam summam centum librarum excederet, cuiuslibet ex iisdemmet parochialibus ecclesiis beneficio cederet. Sicque in praemissis ab omnibus et singulis censeri, ac ita et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, ac etiam causarum Palatii Apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari: super quibus omnibus et singulis plenam et liberam eidem nuncio facultatem et auctoritatem concessimus, prout in eisdem litteris sub dat. die XIII septembris MDCI, pontificatus nostri anno X, desuper expeditis etiam plenius continetur[2].

§ 3. Cum autem postea per alias nostras litteras sub dat. die XXX aprilis MDCII, pontificatus nostri anno undecimo, expeditas[3], nos (qui aliâs, ante praedictarum litterarum expeditionem, ad supplicationem dilectorum filiorum dignitatum, canonicorum, praepositorumque ecclesiae Valentinae, ac aliorum litis consortium, causam et causas, quas supradicti habebant, habereque volebant et intendebant contra et adversus rectores ecclesiarum parochialium in dioecesi Valentina pro instructione Maurorum ad christianam fidem noviter conversorum erectarum et erigendarum, ac omnes alios interesse habentes super dotatione et as- Avocatasque ad se causas omnes inde exortas.

1 Edit. Main. legit *ac*, err., ut videtur, typ. (R. T.).

2 Fortasse legendum *retardari* (R. T.).

1 Videretur *autem* pro *tum* legendum (R. T.).

2 Praedictae literae non habentur in *Bullar.*; sed aliquid simile habetur in Const. datâ die XXVIII maii MDCII quam vide tom. X pag. 790 seqq. (R. T.)

3 Hae quoque literae desunt in *Bullario* (R. T.)

signatione reddituum dictarum parochialium, dilecto filio magistro Horatio Lancellotto capellano nostro et causarum Palatii Apostolici auditori audiendas, cognoscendas et terminandas per speciale nostrum rescriptum[1] commiseramus) opportune providere volentes ne aliqua lis, occasione praedictae commissionis causae seu causarum huiusmodi praedicto Horatio Lancellotto, ut praefertur, per nos factae, aut aliâ quâcumque de causâ super praemissis oriretur, supplicationibus eiusdem Philippi regis super hoc quoque nobis humiliter porrectis inclinati, causam et causas huiusmodi a praedicto Horatio et aliis quibusvis iudicibus ad nos harum serie avocaverimus, illasque, circumscriptis litteris nostris per dictum nuncium exequutioni demandandis, perpetuo extinxerimus, ac perpetuum super illis, tam praedictis dignitatibus, praepositis et canonicis, quam aliis quibuscumque silentium imposuerimus, prout in eisdem litteris pariter continetur:

Dubiaque inde nata;

§ 4. Cumque, sicut accepimus, ex illis verbis in ultimo dictis litteris nostris appositis, videlicet: *Circumscriptis litteris nostris* praedictis *per dictum nuncium exequutioni demandandis*, dilectus filius Sebastianus de Covarruvias, subexequutor a dicto nuncio in regno Valentiae deputatus, asserat priores litteras nostras supradictas, dicto nuncio directas, revocatas existere, ac ad exequutionem litterarum Gregorii praedecessoris, nullâ habitâ secundo dictarum litterarum nostrarum ratione, procedere curet:

Sed denique declarat hinc minime retardandam esse exequutionem litterarum super dotatione parochiarum.

§ 5. Nos volentes, ut par est, ut mandata nostra debitae exequutioni demandentur, singularum litterarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, harum serie declaramus per ultimo dictas litteras nostras, super extinctione dictarum causarum emanatas, anterioribus litteris praedictis nuncio nostro directis, super exequutione praedictae taxae emanatis, minime derogatum extitisse nec esse, aut censeri posse: quinimmo volumus atque auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus ut eaedem litterae nostrae primodictae, illarum formâ in omnibus et per omnia servatâ, a praedicto nuncio illiusque subexequutoribus, tam hactenus deputatis, quam deinceps deputandis quibuscumque, debitae exequutioni omnino demandentur.

Clausulae.

§ 6. Irritum nihilominus et inane decernentes quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariarum.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis, quae in prioribus litteris nostris praedictis voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die II augusti MDCIII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 2 augusti 1603, pontif. anno XII.

CCCXXIII.

Declarat praesules ecclesiasticos regni Poloniae, qui comitiis, consiliis et iudiciis regni ex munere senatorio interesse debent, suam sententiam dicere possint absque censurarum et irregularitatis incursu, etc. [1]

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae et Svetiae regi illustri,

Clemens Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Declaratio de qua in rubrica.

§ 1. Securitati conscientiae venerabilium fratrum archiepiscoporum et episcoporum, ac aliorum praelatorum ecclesiasti-

1 Huiusmodi quoque rescriptum exulat a *Bullario* (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

corum regnorum et dominiorum tuorum, qui pro eorum senatorio munere in senatu, comitiis, consiliis et iudiciis eorumdem regnorum interesse et sententiam dicere solent ac debent, opportune consulere cupientes, maiestatis tuae supplicationibus in hac parte nobis humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis archiepiscopis, episcopis et aliis praelatis praedictis, ut in eisdem senatu, comitiis, consiliis et iudiciis, quandocumque de rebus et negotiis bellicis et sententiis ac causis criminalibus tractabitur, eorum sententiam dicere libere et licite, sine aliquo conscientiae scrupulo, aut censurarum ecclesiasticarum et irregularitatis incursu, etiamsi inde aliquorum mors, aut membrorum mutilatio subsequatur, dummodo ipsimet sanguinis sententiam non ferant et a subscriptione sententiarum abstineant, nisi forsan ex officio huiusmodi etiam sententias subscribere teneantur, quo casu, ut illas etiam subscribere possint, auctoritate Apostolica tenore praesentium gratiose concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die IX augusti MDCIII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 9 augusti 1603, pontif. an. XII.

CCCXXIV.

Commissio nuncio apostolico apud Sigismundum Poloniae regem commoranti, ut unionem, apostolica auctoritate factam, ecclesiae metropolitanae Chioviensi de archimandria seu abbatia Pieczarensi dissolvat [1].

Venerabili fratri Claudio episcopo Regiensi apud charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Poloniae et Svetiae regem illustrem nostro et Apostolicae Sedis nuncio,

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Abbatia Pieczarensis unita fuerat mensae Chioviensi.

§ 1. Significavit nobis nuper charissimus in Christo filius noster Sigismundus Poloniae et Svetiae rex illustris, in proximis regni sui comitiis Ruthenos nuncios summâ contentione flagitasse, ut archimandriae, seu abbatiae Pieczarensis unio, quae aliàs apostolica nostra auctoritate, ipso Sigismundo rege petente, mensae archiepiscopali Chioviensi facta fuit, dissolveretur; ac veris patronis ius suum ad eamdem archimandriam seu abbatiam restitueretur; ab ipsisque Ruthenis nunciis demonstratum fuisse ius patronatus eiusdem archimandriae seu abbatiae non ad ipsum Sigismundum regem, sed ad certas illius ritus familias omnino pertinere; et ideo ipsum Sigismundum regem pro sui regni tranquillitate maxime cupere, ut unio praefata omnino dissolvatur.

Commissio de qua in rubrica.

§ 2. Nos igitur eiusdem Sigismundi regis petitionibus in praemissis annuere volentes, ac litterarum nostrarum super dictâ unione expeditarum aliarumque desuper confectarum scripturarum tenores praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus eiusdem Sigismundi regis super hoc nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut unionem dictae archimandriae seu abbatiae Pieczarensis praedictae mensae archiepiscopali Chioviensi seu ecclesiae metropolitanae Chioviensi auctoritate apostolicâ factam (datâ tamen eidem mensae seu ecclesiae Chioviensi aliquâ congruâ compensatione, arbitrio tuo, ab eodem Sigismundo rege assignandâ) eâdem auctoritate apostolicâ dissolvas, ac omnia in pristinum et eum

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium

in quo ante unionem praedictam erant, statum restituas, reponas et plenarie reintegres; super quibus tibi plenam et liberam facultatem concedimus et impertimur. Ipsum autem Sigismundum regem in Domino hortamur, ut, pro sua pietate et catholicae religionis zelo, curet ut ad archimandriam, seu abbatiam praefatam, nonnisi vir catholicus et pius, per eos, ad quos spectat, praesentetur et instituatur.

Contrariis non obstantibus. § 3. Non obstantibus praedictâ unione, aliisque praemissis, ac apostolicis constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Per praesentes autem non intendimus ius patronatus praedictum in aliquo approbare.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die IX augusti MDCIII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 9 augusti 1603, pontif. an. XII.

CCCXXV.

Declarat Congregationem fratrum Discalceatorum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo esse ex Ordinibus Mendicantium, eorumque gratiis omnibus perfrui [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Romanum Pontificem decet pacem et unitatem, maxime inter Dei ministros, omni sollicitudine tueri. Quamobrem aegre tulimus eos, quorum est evangelizare pacem et bona, et quibus a Domino saepe iubetur pacem et unitatem diligere, veritatem apertissimam perperam et sine fundamento impugnando, pacem non absque scandalo pusillorum scindere. Ad aures enim nostras pervenit, nonnullos religiosos in partibus Indiarum, non obstantibus habitu, regula, professione ac titulo a Summis Pontificibus praedecessoribus nostris et a nobis ac etiam ab universo populo christiano ubique dari solito dilectis filiis Reformatis Discalceatis Ordinis Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo, ausu temerario contendere, illos Carmelitas non esse, neque unum ex quatuor Ordinibus Mendicantibus. Nos, qui iustitiam et veritatem colere tenemur, huius rei, licet adeo esset manifesta, maiorem certitudinem (habitâ in nostrâ congregatione, super Reformatione et Visitatione Regularium constitutâ, maturâ deliberatione) nostrâ declaratione patefacere deliberavimus.

§ 1. Quocirca motu proprio, et ex certa scientia nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, Ordinem et Congregationem dilectorum filiorum Reformatorum Discalceatorum Ordinis Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo unum esse ex quatuor Ordinibus Mendicantibus; Ordinem scilicet Carmelitarum, cuius religiosi strictius regulam a bonae memoriae Alberto patriarcha Hierosolymitano habitantibus in Monte Carmelo traditam, a felicis recordationis Innocentio Papa IV praedecessore nostro confirmatam, profitentur et observant: Declarat Congregationem, de qua in rubrica, esse unum ex Ordinibus Mendicantibus;

§ 2. Ipsisque omnia, ad praedictum Ordinem tam de iure quam ex privilegiis attinentia, tamquam propria competere, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus; cui declarationi nostrae si quis contradicere praesumpserit, illum anathematis vinculo innodamus. Et iura omnia Mendicantium illi competere: Si quis contradixerit, excommunicatur.

§ 3. Et licet dicti religiosi, ut accepimus, evangelicae humilitatis aemulatores, consilium dominicum sectantes, infimum locum tam in processionibus quam congregationibus et aliis quibuscumque eventibus elegerint et eligant; nos tamen, qui, Domini vices gerentes in terris, omnium iura tueri tenemur, ipsos nullo modo de- Declarat etiam ei competere locum et praeeminentiam quae convenit Ordini Carmelitarum.

[1] De hac Congregat. vid. in eius Const. LXXVI *Pastoralis*, (in h. n. edit, LXXX) tom. X, pag 92.

cursu temporis, aut alio praescriptionis modo, locum et praeeminentiam aut aliam praerogativam Ordini Carmelitarum competentem perdere, in toto nec in parte, neque unquam in dubium revocari, ita ut quoties, quae per humilitatem praetermittunt, ob iustitiae ordinem repetere voluerint, propriâ auctoritate possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo statuimus, volumus et ordinamus.

Nec compelli posse ad processiones.

§ 4. Praeterea illos (licet ob aedificationem fidelium, maxime noviter ad fidem venientium, propriae quieti cedentes, ad processiones tam privatas quam generales exierint vel exeant, cum in strictiori clausurâ perpetuo, iuxta regulam, quam profitentur degant) ad processiones generales compelli numquam posse.

Clausulae.

§ 5. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Deputat executores.

§ 6. Quocirca venerabili fratri archiepiscopo Mexicanensi, necnon dilectis filiis decano et archidiacono ecclesiae Mexicanensis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum Religiosorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet, indebite molestari; contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria tollit.

§ 7. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eiusdem Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini, eiusque superioribus, religiosis et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis ac irritantibus, et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 8. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die xx augusti, millesimo sexcentesimo tertio, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 20 augusti 1603, pontif. an. XII

CCCXXVI.

Declaratio super oblatione incensi et osculo pacis in missae maioris celebratione gubernatori in temporalibus pro rege christianissimo in civitate Tullensi[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem lites et controversias, quae inter personas ecclesiasticas et saeculares oriri possunt, non solum e medio tollere, sed etiam, ut quies et tranquillitas conservetur, opportunâ declaratione illis obviare, prout in Domino salubriter conspicitur expedire.

Gubernator Tullensis incensum et pacis osculum post episcopum sibi dari praesumit.

§ 1. Expositum siquidem nobis nuper fuit, pro parte dilectorum filiorum decani et capituli cathedralis ecclesiae Tullensis, dilectum filium subpraefectum seu gubernatorem in temporalibus pro charissimo in Christo filio nostro Henrico Francorum rege christianissimo in civitate Tullensi, contra solitas, antiquas ac laudabiles ecclesiae Tullensis consuetudines, thus sive incensum, ac Evangelii textum et pacis osculum in missae maioris celebratione in dictâ ecclesiâ sibi post venerabilem fratrem episcopum Tullensem privatim danda seu offerenda esse contendere, sub eo praetextu quod nonnullae ecclesiae vicinae id, quod ipse gubernator petit, aliis similibus regiis gubernatoribus a paucis annis citra dederint seu obtulerint, et in eâdem expositione subiunctum, an id, quod gubernator praedictus postulat, praestare debeant.

Clemens servari solitum iubet.

§ 2. Nos pro nostri pastoralis muneris debito omnem in praemissis difficultatem tollere volentes, supplicationibus eorumdem decani et capituli nobis in hac parte humiliter porrectis inclinati, ex voto venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super sacris ritibus et caeremoniis deputatorum, quibus hoc negocium examinandum duximus, nihil circa praemissa innovari, et antiquas ac laudabiles praedictae ecclesiae consuetudines observari debere; ac ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, iudicari et definiri debere; irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium decernimus et declaramus.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Derogat contrariis.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die XXI augusti MDCIII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 21 augusti 1603, pontif. an. XII.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium

CCCXXVII.

Confirmatio unionis Militiarum Ss. Mauritii et Lazari, innovatioque hospitalis in locis S. Lazari, cum aliquorum indultorum declaratione[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem, in supremo militantis Ecclesiae solio et apostolicae potestatis plenitudine, immensâ Redemptoris nostri benignitate, constitutum, attente considerationis suae aciem in agri Proœmium.

1 De Militia Sancti Lazari, vide in constitutione XLIII Pii V: *Siculi*, tom. VII, pag. 516. Institutionem autem Militiae Sancti Mauritii a Duce Sabaudiae erectae, vide in constitut. VIII Gregorii XIII: *Christiani*, tom. VIII, pag. 16. Et utriusque Militiae unionem habes in eiusdem Gregorii constitut. X *Pro commissa*, tom. VIII pag. 21

dominici eius curae commissi circuitu vigilis pastoris more revolvere; ac inter caetera quid pro militiarum et hospitalium quorumlibet, praesertim sub regularibus institutis, ac suâ et Apostolicae Sedis protectione, ad eiusdem Redemptoris nostri gloriam, Ecclesiae praedictae exaltationem, fidei catholicae defensionem, illius hostium et aliorum infidelium iniurias propulsandas, simulque pietatis et charitatis opera exercenda institutorum, nec non personarum illis sub salutiferae Crucis signo adscriptarum, felici directione, profectibus et commoditatibus conferat, diligenter prospicere; ac praedecessorum suorum gesta ad id tendentia, ut firma et illibata persistant, nedum approbationis suae praesidio communire, sed eorum etiam aliqua, temporis successu ex apparentibus causis labefactata atque subrogata, pristino statui restituere, et alias in his providentiae suae partes favorabiliter interponere, prout militiarum et hospitalium huiusmodi qualitatibus, catholicorum quoque principum illis praefectorum insignibus erga Ecclesiam et Sedem praedictam meritis, ac rerum et temporum circumstantiis debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Pius IV militiam S. Lazari sub protectione Sedis Apostolicae recepit,

§ 1. Cum itaque aliàs ([1] postquam felicis recordationis Pius papa Quartus praedecessor noster hospitalitatem pauperum leprosorum S. Lazari Hierosolymitani, priscis quidem temporibus florentem et illustrem, sed tunc iniuriâ temporum non parum imminutam et quasi prolapsam, illiusque militiam, magnum magistrum, conventum, milites et personas, eorumque ecclesias, domos, hospitalia, praeceptorias, loca, membra, subditos, vassallos, colonos, animalia, praedia, res et bona quaecumque sub beati Petri, ac suâ, atque Sedis protectione susceperat;

Et privilegia omnia ei confirmavit;

§ 2. Omniaque et singula illis per diversos Romanos Pontifices praedecessores suos concessa privilegia, exemptiones et a iurisdictione Ordinariorum, libertates, immunitates et a contributione et solutione decimarum et onerum, facultates, praeeminentias, praerogativas, iurisdictiones, indulgentias, gratias et indulta spiritualia et temporalia benigne concessa et elargita, motu proprio, et ex certa eius scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine confirmaverat, approbaverat et innovaverat;

Deditque facultatem militibus retinendi pensiones, etiam post initum matrimonium.

§ 3. Ac novae etiam facultatis, pro singulis militibus ac presbyteris capellanis hospitalis et militiae huiusmodi tunc et pro tempore existentibus, unam vel plures pensiones annuas, usque ad summam quingentorum ducatorum auri de Camera novorum, super quibusvis fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus, emolumentis, distributionibus etiam quotidianis et rebus ecclesiasticis, sibi aliàs canonice reservatas seu reservandas, aut illarum loco fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, emolumenta, distributiones et res huiusmodi illis assignata et assignanda, usque ad summam praedictam, quoad viverent, etsi ipsi milites matrimonium, iuxta hospitalis et militiae huiusmodi instituta et stabilimenta, contraxissent, retinendi et percipiendi, concessione ampliaverat[1];)

Nonnulla recidit Pius V,

§ 4. Piae memoriae Pius Papa V, etiam praedecessor noster, quibusdam ex eis recisis ac eliminatis, ac aliàs[2] modo et formâ tunc expressis et praescriptis, per quasdam suas litteras sub data Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDLXVI[3], septimo kalendas februarii,

1 Haec parenth. clauditur in fine § 3 (R. T.).

1 Praedicta omnia continentur in Const. CX Pii IV *Inter assiduas*, quam vide in *Bull.* n. edit. tom. VII pag. 336 (R. T.).

2 Nescio an legendum non foret *al alia* (R. T.).

3 Sic habent omnes edit. At corrigendum videtur MDLXVII, qui fuit secundus annus pontif. Pii V, si tamen hic innuitur Const. Pii V *Sicuti*,

CCCXXVI.

Declaratio super oblatione incensi et osculo pacis in missae maioris celebratione gubernatori in temporalibus pro rege christianissimo in civitate Tullensi [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Decet Romanum Pontificem lites et controversias, quae inter personas ecclesiasticas et saeculares oriri possunt, non solum e medio tollere, sed etiam, ut quies et tranquillitas conservetur, opportunâ declaratione illis obviare, prout in Domino salubriter conspicitur expedire.

Gubernator Tullensis incensum et pacis osculum post episcopum sibi dari praesumit. § 1. Expositum siquidem nobis nuper fuit, pro parte dilectorum filiorum decani et capituli cathedralis ecclesiae Tullensis, dilectum filium subpraefectum seu gubernatorem in temporalibus pro charissimo in Christo filio nostro Henrico Francorum rege christianissimo in civitate Tullensi, contra solitas, antiquas ac laudabiles ecclesiae Tullensis consuetudines, thus sive incensum, ac Evangelii textum et pacis osculum in missae maioris celebratione in dictâ ecclesiâ sibi post venerabilem fratrem episcopum Tullensem privatim danda seu offerenda esse contendere, sub eo praetextu quod nonnullae ecclesiae vicinae id, quod ipse gubernator petit, aliis similibus regiis gubernatoribus a paucis annis citra dederint seu obtulerint, et in eâdem expositione subiunctum, an id, quod gubernator praedictus postulat, praestare debeant.

Clemens servari solitum iubet. § 2. Nos pro nostri pastoralis muneris debito omnem in praemissis difficultatem tollere volentes, supplicationibus eorumdem decani et capituli nobis in hac parte humiliter porrectis inclinati, ex voto venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super sacris ritibus et caeremoniis deputatorum, quibus hoc negocium examinandum duximus, nihil circa praemissa innovari, et antiquas ac laudabiles praedictae ecclesiae consuetudines observari debere; ac ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, iudicari et definiri debere; irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium decernimus et declaramus.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Derogat contrariis.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die XXI augusti MDCIII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 21 augusti 1603, pontif. an. XII.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium

CCCXXVII.

Confirmatio unionis Militiarum Ss. Mauritii et Lazari, innovatioque hospitalis in locis S. Lazari, cum aliquorum indultorum declaratione [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem, in supremo militantis Ecclesiae solio et apostolicae potestatis plenitudine, immensâ Redemptoris nostri benignitate, constitutum, attente considerationis suae aciem in agri Prooemium.

1 De Militia Sancti Lazari, vide in constitutione XLIII Pii V: *Siculi*, tom. VII, pag. 516. Institutionem autem Militiae Sancti Mauritii a Duce Sabaudiae erectae, vide in constitut. VIII Gregorii XIII: *Christiani*, tom. VIII, pag. 16. Et utriusque Militiae unionem habes in eiusdem Gregorii constitut. X *Pro commissa*, tom. VIII pag. 21

dominici eius curae commissi circuitu vigilis pastoris more revolvere; ac inter caetera quid pro militiarum et hospitalium quorumlibet, praesertim sub regularibus institutis, ac suâ et Apostolicae Sedis protectione, ad eiusdem Redemptoris nostri gloriam, Ecclesiae praedictae exaltationem, fidei catholicae defensionem, illius hostium et aliorum infidelium iniurias propulsandas, simulque pietatis et charitatis opera exercenda institutorum, nec non personarum illis sub salutiferae Crucis signo adscriptarum, felici directione, profectibus et commoditatibus conferat, diligenter prospicere; ac praedecessorum suorum gesta ad id tendentia, ut firma et illibata persistant, nedum approbationis suae praesidio communire, sed eorum etiam aliqua, temporis successu ex apparentibus causis labefactata atque subrogata, pristino statui restituere, et alias in his providentiae suae partes favorabiliter interponere, prout militiarum et hospitalium huiusmodi qualitatibus, catholicorum quoque principum illis praefectorum insignibus erga Ecclesiam et Sedem praedictam meritis, ac rerum et temporum circumstantiis debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Pius IV militiam S. Lazari sub protectione Sedis Apostolicae recepit,

§ 1. Cum itaque aliàs ([1] postquam felicis recordationis Pius papa Quartus praedecessor noster hospitalitatem pauperum leprosorum S. Lazari Hierosolymitani, priscis quidem temporibus florentem et illustrem, sed tunc iniuriâ temporum non parum imminutam et quasi prolapsam, illiusque militiam, magnum magistrum, conventum, milites et personas, eorumque ecclesias, domos, hospitalia, praeceptorias, loca, membra, subditos, vassallos, colonos, animalia, praedia, res et bona quaecumque sub beati Petri, ac suâ, atque Sedis protectione susceperat;

Et privilegia omnia ei confirmavit;

§ 2. Omniaque et singula illis per diversos Romanos Pontifices praedecessores suos concessa privilegia, exemptiones et a iurisdictione Ordinariorum, libertates, immunitates et a contributione et solutione decimarum et onerum, facultates, praeeminentias, praerogativas, iurisdictiones, indulgentias, gratias et indulta spiritualia et temporalia benigne concessa et elargita, motu proprio, et ex certa eius scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine confirmaverat, approbaverat et innovaverat;

Deditque facultatem militibus retinendi pensiones, etiam post initum matrimonium.

§ 3. Ac novae etiam facultatis, pro singulis militibus ac presbyteris capellanis hospitalis et militiae huiusmodi tunc et pro tempore existentibus, unam vel plures pensiones annuas, usque ad summam quingentorum ducatorum auri de Camera novorum, super quibusvis fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus, emolumentis, distributionibus etiam quotidianis et rebus ecclesiasticis, sibi aliàs canonice reservatas seu reservandas, aut illarum loco fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, emolumenta, distributiones et res huiusmodi illis assignata et assignanda, usque ad summam praedictam, quoad viverent, etsi ipsi milites matrimonium, iuxta hospitalis et militiae huiusmodi instituta et stabilimenta, contraxissent, retinendi et percipiendi, concessione ampliaverat[1];)

Nonnulla recidit Pius V,

§ 4. Piae memoriae Pius Papa V, etiam praedecessor noster, quibusdam ex eis recisis ac eliminatis, ac aliàs[2] modo et formâ tunc expressis et praescriptis, per quasdam suas litteras sub data Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDLXVI[3], septimo kalendas februarii,

1 Haec parenth. clauditur in fine § 3 (R. T.).

1 Praedicta omnia continentur in Const. CX Pii IV *Inter assiduas*, quam vide in *Bull.* n. edit. tom. VII pag. 336 (R. T.).

2 Nescio an legendum non foret *al alia* R. T.).

3 Sic habent omnes edit. At corrigendum videtur MDLXVII, qui fuit secundus annus pontif. Pii V, si tamen hic innuitur Const. Pii V *Sicuti*,

pontificatus sui anno secundo, approbaverit et innovaverit; quarum litterarum formam et tenorem hic de verbo ad verbum pro expressis et insertis plenarie haberi, et quandocumque, etiam ad partem, ad omnem simplicem requisitionem magni magistri, conventus, ac cuiuslibet militis, praeceptoris, et alterius interesse habentis, exprimi et extendi posse, et ubique, in iudicio et extra, fidem facere volumus, decernimus et mandamus:

Ac praecipue privilegium percipiendi pensiones per coniugatos.

§ 5. Postmodum autem idem Pius V, suâ perpetuâ constitutione quinto idus septembris, eiusdem pontificatus sui anno tertio editâ, quae incipit *Sacrosanctum*, inter alia revocaverit et aboleverit omnia et quaecumque privilegia, facultates, dispensationes et indulta eiusdem sancti Lazari, ac omnibus et singulis aliis hospitalibus, militiis, eorumque militibus, fratribus et personis, de pensionibus, fructibus et aliis rebus ecclesiasticis per ipsos milites obtinendis, percipiendis, ac etiam in alium vel alios transferendis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores suos, ac ipsummet Pium V et dictam Sedem, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, et pro fidei catholicae, aut dictae Sedis defensione, et quibusvis aliis causis quantumvis gravibus, urgentibus et onerosis, concessa et confirmata, ac etiam multiplicatis vicibus innovata; ita quod dicti milites, sive coniugati sive bigami, sive clerici aut presbyteri forent, nullas de caetero reciperent, sed eas solas, quas tunc habebant, citra facultatem ipsas transferendi, retinerent, et illae quoque per futurum contractum matrimonii extinctae censerentur;

Gregorius XIII

§ 6. Deinde vero rec. mem. Gregorius Papa XIII, similiter praedecessor noster, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, dictaeque fidei in Sabaudiae et Pedemontis regionibus defensionem, militiam sancti Mauritii martyris, sub regula Cisterciensi, cuius suprema sedes et conventus in loco ad id a bonae memoriae Emanuele Philiberto Sabaudiae duce, tunc in humanis agente, in ipsa regione Sabaudiae assignando et statuendo perpetuo esset, et in ea unum magistratum, magnum nuncupandum, supremam illius dignitatem pro uno magistro, cum militum et ministrorum numero sibi beneviso, ac mensa magistrali, officiis, iuribus, iurisdictionibus et insignibus consuetis, ad aliarum huiusmodi militiarum instar, per quasdam erexerit et instituerit; ac magistratum praedictum, a primaeva illius erectione huiusmodi tunc vacantem, praedicto Emmanueli Philiberto duci, eiusque successoribus Sabaudiae ducibus, qui duces pariter et magni magistri essent, concesserit et assignaverit;[1]

Sabaudiae duces renunciat perpetuos magistros militiae S. Mauritii.

Et utramque militiam unit.

§ 7. Et subinde (diligenti meditatione considerans sic de novo erectam et institutam militiam magnos procul dubio fructus, tali praesertim ductore, fidei praedictae allaturam esse, sed multo tamen maiores si aliis adiumentis et auxiliis fulcita et munita foret) militiam hospitalis sancti Lazari praedictam, tunc magistri regimine, et ex magna parte pristinis suis privilegiis, honoribus et praeeminentiis destitutam, cum eius magistratu, prioratibus, praeceptoriis, hospitalibus et aliis beneficiis regularibus, eorumque membris, grangiis, castris, villis, domibus, possessionibus, proprietatibus, fructibus et bonis tam mobilibus quam immobilibus ac semoventibus, iuribus et actionibus universis, necnon ecclesiis, capellis, terminis et pertinentiis quibuscumque ad

quae habetur in *Bull.* tom. VII pag. 516. At vero in illâ ipsâ Const. Pius V affirmat se aliam quoque de hac re edidisse in ipso statim sui pontificatus initio, et ideo forsan VII Kal. Febr. MDLVI, quae in *Bullario* non habetur (R. T.).

1 Nempe per Const. *Cristiani populi* iam cit. supra pag. 30 (R. T.).

illam spectantibus, quaecumque, qualiacumque et ubicumque forent, exceptis tamen iis quae in regno et dominiis tunc existentis Hispaniarum regis catholici consistebant, dictae militiae S. Mauritii (ita quod ipsa deinceps in perpetuum militia sanctorum Mauritii et Lazari nuncuparetur, ac praedictus Emmanuel Philibertus, et pro tempore existens Sabaudiae dux, et militiae sancti Lazari huiusmodi magister esset et appellaretur, necnon prioratus, praeceptoriae et alia beneficia eiusdem militiae sancti Lazari, et illa obtinentes, aliique milites, capellani et personae, curae, gubernio et iurisdictioni ipsius ducis et magni magistri, in omnibus et per omnia subessent, prout antea suberant, sibique tamquam membra capiti obedirent et obsequerentur) ac aliàs sub certis modo et forma, et cum facultatibus tunc expressis, ac onere quod idem Emanuel Philibertus, et pro tempore existens dux et magnus magister duas triremes militibus praedictis instructas pro Romani Pontificis pro tempore existentis dictaeque Sedis contra haereticos, piratas et alios illius hostes defensione continuo manutenere teneretur, per quasdam alias sub dat. Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, idibus novembris, pontificatus sui anno primo, perpetuo univerit, annexerit et incorporaverit[1];

Subiicitque duci Sabaudiae.

A militià vero S. Lazari beneficia omnia in regnis Hispaniar. existentia dis-iungens Rom. Pontificis collationi reservat.

§ 8. Ac per reliquas suas sub eàdem posteriori datà confectas litteras[2] statum[3], essentiam, dependentiam, et instituta omnia regularia dicti hospitalis sancti Lazari, in omnibus et quibuscumque prioratibus, magistratibus, praeceptoriis, hospitalibus, ecclesiis, capellis, et aliis beneficiis regularibus, necnon membris, grangiis, et locis eiusdem militiae sancti Lazari, et ab eà quomodocumque dependentibus, in regnis et dominiis praedicti Philippi regis consistentibus, et ab huiusmodi unione, ut praefertur, exceptis, sine praeiudicio illa obtinentium, etiam perpetuo suppresserit et extinxerit, ac ad statum saecularem omnino reduxerit; illaque omnia cum suis castris, villis, domibus, proprietatibus, rebus et bonis immobilibus et semoventibus, iuribus, actionibus et pertinentiis universis, ubicumque, ac cuiuscumque qualitatis, quantitatis, speciei, naturae et annui valoris existentibus, ab eodem hospitali sancti Lazari, eiusque et aliorum quorumcumque ipsius locorum dependentià, correctione, visitatione, auctoritate et dispositione, etiam per fundationem, privilegium, statutum inveteratum, praescriptamque consuetudinem, ac aliàs quomodocumque pertinentium, similiter perpetuo exemerit et liberaverit, sibique et dictae Sedi immediate subiecerit; eademque omnia, si tunc vacabant et quotiescumque et ubicumque in perpetuum vacarent, suae et romani Pontificis pro tempore existentis, ac eiusdem Sedis Apostolicae dispositioni dumtaxat specialiter et expresse reservaverit; inhibitione, ac irritanti, et aliis decretis desuper appositis, prout in singulis litteris et constitutione praedictis plenius continetur;

Causae confirmandi praemissa.

§ 9. Dicta autem militia sanctorum Mauritii et Lazari huiusmodi successoris regimine et directione multiplicata, et strenuorum militum cruce eiusdem Redemptoris Domini nostri signatorum numero, tamquam foecundo foetu, non parum adaucta ac propagata noscatur, et

1 Praedicta habentur in Const. *Pro commissa* sup. cit. (R. T.).

2 Reliquae hae litt. non sunt in *Bull.* (R. T.).

3 Perperam et contra rationem contextus edit. Main. leg. non *statum* sed *statuit*: n. lect. hab. in *Bull.* Ord. Ss. Mauritii et Lazarii; et infra § 11 iterum *status* et *essentiae* mentio occurrit (R. T.).

(si ecclesiae, hospitalia atque loca tamquam membra a suo capite, ut praefertur, divisa, distracta et saecularia effecta, ad ius et proprietatem militiae sanctorum Mauritii et Lazari huiusmodi reducerentur, aliaque infrascripta fierent et ordinarentur) sperandum omnino sit ut illa maiora in dies, tam in spiritualibus quam in temporalibus, suscipiat incrementa, illiusque magnus magister, milites et aliae personae eo promptius et ferventius ad egregiam et fidelem operam pro dictae Sedis Apostolicae et populorum illi subditorum defensione perpetuo navandam accendantur et animentur:

Ea itaque confirmat Clemens, firmà remanente Constitutione Pii Quinti de non obtinendis pensionibus per milites coniugatos.

§ 10. Nos de praemissis omnibus et singulis plenissime informati, tam Carolum Emanuelem ducem et magnum magistrum qui, praeter sui generis ex clarissimis imperatoribus deducti splendorem, et eximiae erga Ecclesiam et Sedem Apostolicam praedictam devotionis et fidei fervorem, non sine summa animi pietate et fortitudine ac flagranti tuendae et propagandae religionis catholicae zelo, gerere comprobatur, suorumque progenitorum exemplo antiquam illorum aestimationem ac perpetuam virtutis et gloriae haereditatem, quasi per manus traditam, feliciter conservare contendit, quam milites praedictos singulari nostrae benignitatis et munificentiae favore prosequi, ac aliàs praedictae Militiae sanctorum Mauritii et Lazari indemnitati, decori et ornamento consulere, dispendiisque occurrere volentes; his et aliis rationabilibus causis adducti (eumdem Carolum Emanuelem ducem et magnum magistrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes) motu proprio, non ad ipsius Caroli Emanuelis ducis et magni magistri, vel alicuius alterius pro eo nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera liberalitate et certa scientia nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula privilegia, exemptiones, immunitates, libertates, praeeminentias, praerogativas, facultates, iurisdictiones, indulgentias, gratias et indulta spiritualia et temporalia hospitalis sancti Lazari illiusque militiae magno magistro, conventui, prioribus, praeceptoribus, militibus, fratribus et personis, eorumque ecclesiis, domibus, hospitalibus, praeceptoriis, locis, membris, rebus et bonis per Pium Quintum, ac quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, dictamque Sedem Apostolicam, ut praefertur, vel aliàs quomodolibet, etiam per modum communicationis et extensionis, in genere vel in specie, concessa, approbata et innovata, nec non omnes et singulas litteras apostolicas desuper confectas, salvis tamen, quoad facultatem obtinendi pensiones, limitatione nostra infrascripta, et etiam aliis limitationibus, modificationibus, reductionibus, expressis et contentis in litteris Pii Quinti, praedecessoris huiusmodi, sub data praedicta VII kalendas februarii, pontificatus sui anno secundo, confectis praedictis, ac iuxta illarum formam, normam, continentiam et tenorem, quas hic pro plenarie, sufficienter, et de verbo ad verbum expressis, ac insertis haberi volumus, non tamen quoad ea, quae primo et secundo dictis[1] Gregorii praedecessoris, super militiae sancti Mauritii erectione et institutione, ac illi de militia sancti Lazari huiusmodi facta unione, necnon prae-

1 Sic habet *Bullarium* Ordinis Ss. Mauritii et Lazari, et quidem aptius, ut videtur, quam edit. Main. quae leg. *dicti* (R. T.).

dicti Emanuelis Philiberti, ac pro tempore existentis Sabaudiae ducis in magnum magistrum eiusdem militiae sanctorum Mauritii et Lazari constitutione et deputatione confectis, praesentibus litteris contrariantur, illorum omnium et singulorum, ac literarum huiusmodi tenores, formas, continentiam, causas, circumstantias et occasiones, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, apostolica auctoritate, tenore earumdem presentium, praesertim illas Pii V sub dicta data VII kalend. febr. an. II, perpetuo approbamus, confirmamus et perpetuâ roboris firmitate communimus, ac etiam de novo concedimus;

Restituit bona, praeceptorias, beneficia etc., etiam ea in dominiis regis Hispan. existentia quae dictus Gregorius XIII Rom. Pontificis dispositioni reservaverat,

§ 11. Ipsamque militiam sanctorum Lazari et Mauritii, necnon illius magnum magistrum, conventum priores, praeceptores, milites, fratres et personas, ac eorum ecclesias, domos, hospitalia, prioratus, praeceptorias, loca, membra, res et bona quaecumque, adversus quascumque illorum et cuiuslibet eorum revocationes, abrogationes, cassationes, annullationes, derogationes et alias contrarias dispositiones a dicto Pio Quinto praedecessore post eamdem diem kalendas februarii emanatas, et specialiter praedictam illius constitutionem, necnon status, essentiae, et insignium regularium hospitalis et militiae sancti Lazari huiusmodi, in prioratibus, magistratibus, praeceptoriis, hospitalibus, ecclesiis, capellis, et aliis beneficiis regularibus, necnon membris, grangiis, et locis dicti hospitalis, seu etiam militiae sancti Lazari, et ab illa vel ab illo dependentibus, in regnis et dominiis dicti Philippi regis consistentibus, et ab unione praedictâ exceptis, suppressionem et extinctionem, illorumque ad statum saecularem reductionem, et Romani Pontificis pro tempore existentis, dictaeque Sedis Apostolicae, liberae dispositioni reservationem, liberationem et subiectionem ab eisdem a dicto Gregorio praedecessore, ut praefertur, factas[1] litteras desuper confectas praedictas, et in eis contenta quaecumque, necnon in pristinum et eum, in quo antea quomodolibet erant, statum, usum, naturam, regimen, administrationem, possessionem et consuetudinem, in omnibus et per omnia, perinde ac si numquam emanassent (sine tamen praeiudicio modernorum possessorum eorumdem prioratuum, praeceptoriarum, hospitalium, ecclesiarum, capellarum, et aliorum sic ad saecularitatem reductorum), ita ut illa, cum primum per cessum, aut decessum ipsorum modernorum possessorum, vel aliàs quovis modo, aut quandocumque et ubicumque, etiam apud Sedem Apostolicam praedictam, vacaverint, eorumque res et bona, ad ius et proprietatem dictae militiae sanctorum Lazari et Mauritii eo ipso, absque aliqua declaratione vel citatione ac cuiusvis iudicis decreto seu ministerio ac spolii et attentatorum vitio, reducantur, atque ad illius magni magistri pro tempore existentis liberam et omnimodam dispositionem spectent et pertineant, et deinceps, ut ante suppressionem, extinctionem et reductionem huiusmodi, regi et gubernari et administrari[2] (exceptis dumtaxat praeceptoriis Capuae et Ephaenae, olim dicti hospitalis et militiae sancti Lazari, quae, iuxta posteriorum literarum Gregorii praedecessoris huiusmodi formam et continentiam, saeculares, et dictae Sedis dispositioni reservatae remaneant) auctoritate et tenore praedictis restituimus, reponimus et plenarie reintegramus;

adversus contrarias dispositiones,

et specialiter adversus constitutionem Pii V. *Sacrosanctum*,

nec non adversus suppressionem et reservationem Sedi Apostolicae a Gregorio XIII factas,

Et adversus dicti Greg. XIII litteras super hoc confectas.

§ 12. Ac unionem de militia sancti Lazari militiae sancti Mauritii huiusmodi,

[illegible]

1 Heic videtur *et* vel *per* interiiciendum (R. T.).

2 Hic fortasse supplendum *possint*, vel *valeant*, vel *censeantur* (R. T.).

ut praefertur, factam etiam ad hoc, ut nedum una alteri particulariter vel accessorie, sed ambae invicem aeque principaliter cum suis respective privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, praerogativis, praeeminentiis, facultatibus, iurisdictionibus honoribusque, favoribus, indulgentiis, indultis, concessionibus et gratiis quibuscumque perpetuo unitae, et, donec proprius atque determinatus locus pro sua sede conventuali a magno magistro stabilitus fuerit, illam in loco solitae residentiae dicti ducis et magni magistri haberi censeatur, ac pro tempore existens magnus magister, conventus, priores, praeceptores, milites, fratres et personae, etiam quod firmam et propriam sedem conventualem non habeant, ut praefertur, eorumque ecclesiae, domus, hospitalia, prioratus, praeceptoriae, loca, membra, res et bona illis omnibus et singulis eorumque usufructu, commodo et possessione uti, frui, potiri et gaudere possint et debeant, aeque[1] pariter absque ulla prorsus differentia et distinctione, in omnibus et per omnia, perinde ac si ab exordio institutionis hospitalis et militiae sancti Lazari et etiam dicta militia sancti Mauritii instituta, et ambae invicem et aeque principaliter, ac conformi regulâ, observantiâ, disciplinâ, eisdemque legibus et institutis unitae, ac privilegia, exemptiones, indulta et alia praemissa utrique militiae specifice et nominatim, iunctim, indistincte et expresse, concessa et elargita fuissent, eisdem auctoritate et tenore extendimus et ampliamus;

Militibus presbyteris limitat pensionum capacitatem.

§ 13. Facultatem tamen obtinendi pensiones militibus presbyteris et capellanis praedictis hospitalis et militiae praedictorum usque ad summam quingentorum ducatorum auri de Camera concessam, ad summam quadrigentorum ducatorum similium limitamus, reducimus et moderamur:

Clausulae.

§ 14. Decernentes praesentes literas et in eis contenta huiusmodi, etiam ex eo quod causae, propter quas emanarunt, coram locorum Ordinariis, etiam tamquam a Sede praedictâ delegatis, vel aliàs quomodolibet examinatae, iustificatae, verificatae et approbatae, ipsique Ordinarii ac prioratus, praeceptorias, hospitalia, ecclesias, capellas, et alia beneficia sub suppressione, extinctione et ad statum saecularem reductione, per dictum Gregorium praedecessorem factis praedictis, comprehensa, ut praefertur, ad praesens obtinentes, et quicumque alii quomodolibet interesse habentes ad id legitime vocati non fuerint, neque in praemissis consenserint, aut quovis alio, etiam enormis et enormissimae laesionis, capite vel praetextu, et ex aliâ causâ quantumvis legitimâ, urgenti et iuridicâ, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quocumque alio defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel in controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, aut adversus eas quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium impetrari, aut etiam motu simili concedi, nullo umquam tempore posse; neque sub quibusvis unionum, annexionum, incorporationum, suppressionum, extinctionum, dismembrationum et effectum non sortitarum, aliarumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, modificationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam a nobis, vel quibuscumque aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ac dictâ Sede, etiam in crastinum assumptionis eorumdem successorum nostrorum ad summum apostolatus apicem, vel aliàs motu,

1 Sic legitur in *Bull.* Ord. Ss. Mauritii et Lazari. edit. Main. hab. *equae*, quod vel *atque*, vel *eaeque* corrigi posset (R. T.)

scientiâ et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, et aliàs quomodocumque et qualitercumque pro tempore emanatis, quibuscumque formulis conceptae, ac aliàs et decretis irritantibus suffultae fuerint, ac si de eisdem praesentibus et earum toto tenore ac datâ specialis, specifica, expressa et de verbo ad verbum mentio fiat, comprehendi; sed tamquam in religionis fidei catholicae favorem, defensionem et propagationem concessa, semper et omnino ab illis excepta, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restituta, reposita et plenarie reintegrata, ac de novo, etiam sub quacumque posteriori, etiam novâ datâ, per praedictum Carolum Emanuelem et pro tempore existentem ducem et magnum magistrum eligendâ, concessa, validaque et efficacia fore et esse, ac suos plenarios et integros effectus sortiri, et vim validi et efficacis contractus inter Nos et dictam Sedem ex unâ, ac praedictum Carolum Emanuelem ducem et magnum magistrum ac Conventum praedictos ex alterâ partibus rite initi, stipulati, ac etiam utrinque iurati habere et perpetuo obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat et pro tempore spectabit inviolabiliter observari;

§ 15. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac praedictos cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Sedis Apostolicae nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quavis causâ et instantiâ iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores deputat § 16. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Taurinensi et Tarentasiensi archiepiscopis, ac dilecto filio causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte pro tempore existentium ducis et magni magistri, ac conventus, priorum, praeceptorum, et militum praedictorum, seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praesentes, et in eis contenta huiusmodi, ab omnibus ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, ac singulos, quos ipsae literae concernunt, illis pacifice frui et gaudere, non permittentes ipsos vel eorum quempiam desuper quomodolibet molestari; contradictores quoslibet et rebelles, per censuras et poenas ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias, aliaque opportuna remedia iuris et facti, appellatione postpositâ, compescendo, necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 17. Non obstantibus praemissis, et Obstantia tollit.
similis memoriae Bonifacii Pape VIII etiam predecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis[1] ultra unam dietam a fine suae dioecesis ad iudicium avocetur, seu ne iudices ab Apostolicâ Sede praedictâ deputati extra civitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere audeant vel praesumant, et in Concilio generali editâ de duabus dietis, et Latera

1 Subintellige [illegible] *ultra* [illegible]

nensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac nostrâ, quatenus opus sit, de unionibus committendis, ad partes vocatis interesse habentibus, ac exprimendo vero annuo valore, secundum communem aestimationem, tam beneficiorum uniendorum, quam illorum quibus uniuntur, necnon Pii V huiusmodi, per quam inter alia voluit gratias huiusmodi suis non valere temporibus, et quod sibi licere non est passus, id suis successoribus indicavit, necnon Sixti praedecessorum huiusmodi super habitu et tonsurâ clericalibus per obtinentes pensiones, aliasque res ecclesiasticas ultra certam tunc expressam summam, deferendis, et praefatâ constitutione Pii Quinti sub dat. v idus septembris, anno tertio sui pontificatus, cuius tenorem, formam et continentiam de verbo ad verbum hic pro plene et sufficienter expresso[1] haberi volumus, cui etiam in specie pro hac vice tantum derogamus, et omnino derogatum esse volumus et mandamus, aliisque apostolicis, ac in provincialibus, synodalibus et universalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon regnorum, dominiorum praedictorum, ac etiam ecclesiarum et locorum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus etiam quantumvis longissimo tempore observatis, ac legibus etiam municipalibus et pragmaticis, aliisque sanctionibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus, et aliis decretis, per praedictos et quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos, et dictam Sedem, et motu, scientiâ, et potestatis plenitudine praedictis, etiam consistorialiter in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; necnon omnibus illis, quae singuli praedecessores praedicti, in suis quisque litteris, voluerunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque; aut si Ordinariis, aut aliis praedictis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§ 18. Volumus autem quod idem Carolus Emmanuel, ac pro tempore existens dux et magnus magister, duas triremes militibus praedictis instructas pro Romani Pontificis pro tempore existentis contra haereticos, et piratas, ac alios illius hostes defensione, iuxta litterarum Gregorii praedecessoris huiusmodi formam, manutenere teneatur;

Transumptis danda fides

§ 19. Quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici, et sigillo ipsius militiae sanctorum Lazari et Mauritii, seu illius pro tempore existentis magni magistri, ac alterius personae in dignitate ecclesiastica

1 Edit. Main. hab. *expressum*, erronee, ut patet (R. T.).

constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae ipsis praesentibus originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die IX septembris MDCIII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 9 septem. 1603, an. XII.

CCCXXVIII.

Institutio duorum monasteriorum pro monachis reformatis Ordinis sancti Basilii in regnis Hispaniarum, cum facultate recipiendi novitios et nova loca, ac praefinitio constitutionum dictae reformationis.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Altissimi dispositione, cuius inscrutabili providentiâ ordinationem suscipiunt universa, ad apostolicae dignitatis apicem, licet immeriti, sublimati, ad ea solliciti semper intendimus, per quae Religiosorum statui, paci et tranquillitati opportune consulitur. In his vero, quae ad primitivae sanctorum Patrum religionis institutorum regulae observantiam, aliquatenus collapsam seu perturbatam, in pristinum restituendam pertinent, auctoritatem nostram libenter interponimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Gregorius XIII eremos del Tardon et de Galliguillos univit in Congregationem.

§ 1. Sane, cum felicis recordationis Gregorius XIII praedecessor noster duo eremitoria, alterum eremi *del Tardon* Cordubensis, alterum Vallis *de Galliguillos* Hispalensis dioecesis, ambo fundata a Matthaeo quodam de la Fuente de Almiruete, Toletanae dioecesis (qui cum quibusdam sociis Deo placere et sanctorum Patrum, in solitudinibus errantium, vivendi institutum imitari cupientibus ad illa se receperat, ibique omnes divinae dediti contemplationi, proprio labore victum parantes, pauperem vitam ducebant, vilibusque et asperrimis vestibus corpus domantes, neque eleemosynas petierunt, neque oblata receperunt) in monasteria Ordinis sancti Basilii magni erexisset;

Et subdidit generali congregationi Hispano-Italicae.

§ 2. Ac illa cum alio monasterio sanctae Mariae de Oviedo Giennensis dioecesis a felicis recordationis Pio IV prius erecto, in unam provinciam sancti Basilii Hispaniarum nuncupandam, necnon aliis monasteriis in Hispaniarum regnis in posterum construendis (ut de facto in regnis Castellae et in Boetica regione postea erecta fuere) univisset, atque sub obedientia futuri abbatis monachorum in Italia existentium generalis incorporasset, aliaque plurima statuisset, prout in litteris ab ipso datis anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, octavo kal. Julii, pontificatus sui anno sexto, plenius continetur;[1]

Inde ortae contentiones,

§ 3. Cumque ex dictâ unione multae contentiones inter dictae provinciae monachos super modo vivendi exortae fuissent, propterea quod omnia alia monasteria, illis duobus a dicto Matthaeo fundatis unita, ex eleemosynis (licet nonnulla partim ex ipsis, partim ex industriâ) vicitarent;

Quae componi non poterant.

§ 4. Multisque ad tales contentiones sedandas visitatoribus et reformatoribus apostolicis per nuncios nostros missis, nullus unquam eas omnino sedaverit, neque dictum institutum sancti Basilii, de laborando manibus et non petendis eleemosynis, in aliis monasteriis potuerit omnino introducere;

Monasterium a dicto de Galliguillos a primo instituto defecerat.

§ 5. Cum immo in uno illorum duorum de Valle de Galliguillos nuncupato, mutatis ad illud aliorum monasteriorum

1 Huiusmodi litterae non habentur in *Bull.* (R. T.).

monachis et praelatis, necnon suffragiis monachorum laicorum, qui illa fundaverant, in universum sublatis pro magnâ parte, quidam ex dictis visitatoribus fecerit defervere;

Hoc vero cautum in monasterio *del Tardon* litteris Clementis VIII.

§ 6. Quod idem in alio del Tardon contigisset, nisi divino auxilio et piorum monachorum industriâ tueretur, sicut hodie nostris ad id litteris anno MDXCIX, die XIII decembris, pontificatus nostri anno octavo datis (quibus sub excommunicationis et aliis poenis, ne dicti monasterii institutum de labore manuum impediri, neque monachi ad illud necessarii ab ipso auferri seu alii introduci possint, interdiximus) inviolabiliter tuetur et conservatur[1];

Cordubensis episcopus alia eiusdem generis monasteria condit.

§ 7. Cum praeterea ultimus ex dictis reformatoribus, a nostris nunciis missis, episcopus Cordubensis non solum dictum institutum, sed et reliquam monasticam disciplinam magnâ ex parte in aliis monasteriis labefactatam, necnon multos pios monachos, qui illam, quantum commode possint, optabant restituere, comperisset; non solum dictum monasterium del Tardon, quod regulis S. Basilii magis semper adhaesit, sed et alia duo assignavit, in quae se reciperent, qui quasdam ab ipso conditas strictiores, quam antea, constitutiones voluissent observare:

Card. S. Severinae Constitutiones pro iis efformat.

§ 8. Quae quidem constitutiones cum bonae memoriae Julio Antonio cardinali S. Severinae nuncupato, pro tunc eiusdem Ordinis apud nos et Apostolicam Sedem protectori, minime probarentur, iisdem recisis, alias novas constituit, quas a nobis et Apostolica Sede petiit confirmari, sicut de facto confirmavimus, prout ex nostris litteris ad id datis, die undecimâ februarii MDCII, pontificatus nostri anno undecimo, latius apparebit:

Idem Clemens earum exequutionem episcopo Giennensi commisit.

§ 9. Quarum exequutionem, cum multis aliis potestatibus et facultatibus, venerabili fratri nostro Sanctio episcopo Giennensi commisimus, prout etiam in litteris ad ipsum eâdem die datis plenius continetur[1]:

Ex iis nonnullas moderari monachi petunt.

§ 10. Postea vero, cum ipse episcopus, sicut ex illius litteris accepimus, super dictis constitutionibus exequendis cum monachis multis dictae provinciae tractasset, fere omnes iisdem contradixere, atque de aliquibus principalioribus (praecipue qua parte monachis laicis suffragia et praecedentiae locorum concedebantur, quaque vestitum ex *sajal*, et excalceatos pedes in aliquibus domibus deferri, necnon eleemosynas petere, confessiones saecularium audire, et verbum Dei extra proprias ecclesias omnes praedicare prohibebantur), super quibus a nobis dispensari, et contraria constitui, ac super aliis omnibus facultatem dispensandi dicto episcopo committi postularunt:

Clemens reducit eas ad verum regulae S. Basilii institutum.

§ 11. Nos igitur attendentes eos monachos, qui talia petunt, nullatenus in vocatione monachalis regulae sancti Basilii, qua vocati sunt, velle permanere, sed sub dictae regulae monachalis professione Mendicantium institutum sequi, et ita in alienam segetem (cum dominus non miserit eos) falcem mittere desiderare; cupientesque, atque nostrâ paternâ pastoralique curâ affectantes, sancti Basilii regulam cum suo laudabili de labore manuum instituto in suâ propriâ et primitivâ sanctorum Patrum observantiâ stabiliri et perpetuo conservari, peritorum in hac parte virorum usi operâ, dictas constitutiones iterum satis mature examinavimus, easdemque non ad Mendicantium, ut petebatur, sed ad verum regulae sancti Basilii vitae contemplativae et monachalis laborisque manuum institutum (quatenus his temporibus

1 Hae literae quoque a *Bull.* desunt (R. T.).

1 Has literas et praedictas sub die undecimâ Febr. 1602 in *M. Bull.* non reperimus (R. T.).

nostris Occidentis regionibus et Ecclesiae latinae moribus congruit) contemperavimus, reduximus et emendavimus;

Monasteria del Tardon et Galliguillos designat pro monachis reformatis.

§ 12. Et in primis, ut tandem dictis contentionibus super modo vivendi ex supradictâ unione exortis[1] finem imponamus, dicta duo monasteria sancti Basilii eremi del Tardon, ac etiam sancti Antonii Vallis de Galliguillos, a supradicto Matthaeo cum tali de labore manuum instituto, et cum multis, immo fere omnibus monachis laicis, iuxta primaevum sancti Basilii institutum, fundata, in monasteria[2] reformationis, et verae, ut praediximus, regulae observantiam deputamus, constituimus et separamus;

Et pro iis sequentes condit Constitutiones.

§ 13. Ad quae se recipiant omnes quotquot in dictâ provinciâ monachi, zelo Dei et Spiritu Sancto ducti, tanti patriarchae praecepta et instituta desiderant observare. Quae iuxta sequentes constitutiones iubemus in omnibus et per omnia practicari.

Constitutiones Reformationis.

Sacrosancti Concilii Tridentini de Regularium Reformatione vestigiis inhaerentes, ut monachi sancti Basilii ad regulam, quam professi sunt, vitam instituant et componant, atque in primis, quae ad suae professionis perfectionem, veluti obedientiae, paupertatis et castitatis ac alia suae Religionis peculiaria vota et praecepta, necnon ad communem vitam, victum et vestitum, concernentia fideliter observent; in primis declaramus divi Basilii institutum monachale esse, et non solum cum caeteris in tribus substantialibus votis convenire, sed etiam peculiaria praecepta suam essentiam concernentia quaedam habere; quorum praecipua duo sunt, alterum in oratione, alterum in manuum laboribus ad necessaria comparanda exercitatio, quibus etiam alia accedunt ad communem vitam, victum et vestitum concernentia: de quorum omnium et singulorum reformatione agendum est.

CAP. I.

De vita communi.

Quoniam autem finis praecepti charitas est, praecipimus ut omnes monachi in praesenti reformatione, charitatem et communem consimilemque vitam in omnibus observent iuxta regulam, quam professi sunt, et monastica instituta, tam in oratione, choro et labore, quam in cibis, vestimentis, calceamentis, et reliquâ regularis disciplinae observantiâ. Unusquisque tamen iuxta officium et vocationem suam, in ordinem ad unam consimilem perfectissimamque communitatem et charitatem.

CAP. II.

De numero monachorum.

Quae quidem vita communis et regularis observantia ut rectius et strictius inter multos possit observari, volumus ut omnes conventus numerosam monachorum multitudinem habere procurent, nec in unoquoque monasterio minor vigintiquatuor monachorum numerus haberi possit. Cum autem tempore divi Basilii paucissimi fuissent sacerdotes, immo fere omnes laici exstiterint, excepto abbate qui etiam aliquando laicus fuisse reperitur, et ita omnes communiter psallerent, quod nostris temporibus, propter maiorem intelligendi nunc latinam, quam tunc graecam linguam, difficultatem, maioremque officii Romani in choro prolixitatem, fieri non potest, mediam et nostris temporibus congruentiorem vitam

1 Edit. Main. hab. *exortas* (R. T.).
2 Edit. Main. err. hab. *monasterio* (R. T.).

sequentes, licet maiorem et principaliorem partem monachorum ex laicis esse velimus, prout per praesentes volumus et ordinamus, sufficientes tamen choristas et sacerdotes ad chori et divinorum officiorum ministeria haberi permittimus, ut ita alii aliorum operâ adiuventur. Choristae quidem, qui magis in choro et spiritualibus occupantur, a laboribus non quidem omnino, sed pro chori et necessarii cultus divini frequentatione, praelati arbitrio, aliquantulum relevandi, laicos in spiritualibus adiuvabunt; laici vero, qui magis a choro et spiritualibus relevantur, manuum operibus et laboribus plus dediti, choristas fratres in temporalibus pro parte etiam adiuvabunt; atque ita in charitate alter alterius onera portantes, legem Domini adimplebunt.

CAP. III.

De oratione et choro.

Omnes vero, tam laici quam choristae, mediâ nocte ad confitendum Domino surgent, quo tempore matutinum officium cum laudibus choristae recitabunt: diluculo vero, in ipso diei crepusculo, vel paulo ante, maxime hyemis tempore, omnes tam laici quam choristae per singulos dies pariter ad orationem consurgent, et in choro congregati per dimidiam saltem horam orationem mentalem habebunt, ut primi animi motus Domino consecrentur, et in ipsius obsequium omnes diei dirigantur actiones; oratione expletà, dum choristae recitant Primam, laici Missam audiant, quam Tertia a choristis recitanda sequatur, cui etiam laici omnes, iuxta divi Basilii praeceptum, interesse debent; et his finitis, unusquisque ad opus suum exibit. Choristae vero statutis ab Ecclesià temporibus ad chorum Romanum Officium, et reliquas horas canonicas, semper clare, distincte et devote recitaturi accedent, quas nec omnes, nec illarum quamlibet cantabunt, exceptis diebus festivis, quibus ab opere in religione cessari solet; idque minime cantu figurato, seu aliquo alio arte addiscendo, sed modestâ parique voce aliquantum elatiori cantare consuescent. Tempore autem Completorii omnes iterum et laici et choristae in choro congregabuntur, quo finito, per dimidiam saltem horam iterum orationem habebunt, in qua conscientiam suam quisque examinabit. Reliquis vero orationis temporibus laici, ubicumque fuerint, ibidem orabunt. Missae vero solum similiter festivis diebus regulariter cantabuntur, reliquis tamen omni cum devotione celebrentur; quod ut sacerdotes melius faciant, eosdem, a matutino tempore usque ad prandium solummodo, a manuum laboribus excusamus. Ne autem contra sanctum Basilium ob psalmodiae simulationem et officii prolixitatem labor manuum aliquatenus fugiatur, in choro nihil aliud recitari volumus, quam quod ex Breviario Romano sacerdotes communiter ex praecepto extra chorum tenentur recitare, quod ob dicti laboris rationem apostolicâ benignitate indulgemus.

CAP. IV.

De labore manuum.

« Quaerendi victus solertia (ut verba sancti Basilii, de *Institutionibus Monachorum* sermone primo, referamus) his, qui in huiusmodi vitae genere degunt, an[1] maxime conveniens iudicanda est, quae praescripta est ab Apostolo, nimirum, ut manibus laborantes panem suum

1 Legendum potius videtur *quam maxime*, vel *ea maxime* (R. T.).

honeste manducent». Ex quo, et aliis dicti Patris locis, declaramus monachos sancti Basilii ex peculiari suae regulae instituto ad victum manibus propriis parandum, saltem in communi, teneri. Atque ita iuxta praesentis reformationis statuta iubemus observari in illis artibus, quas etiam sanctus Basilius concedit, praecipue quae intra domum exerceri possunt, velut texendi, plectendi, suendi, sarciendi, ac aliis secundum locorum et temporum exigentiam. Cum autem sanctus Basilius agriculturam, quia eâ facilissime res ad usum necessariae haberi possunt, concedat, modo ea neque a vicinis neque ab accolis tumultus afferat aut turbas, nos eamdem ad frumentum, vinum vel oleum et caeteros agri fructus comparandos permittimus. Monachos tamen in Domino exhortamur ut dictas sancti Basilii conditiones, circa vicinorum et accolarum tumultus et turbas atque monachorum distractiones, observent, et, quantum fieri possit, intra domum se exerceant, ut ita vere, ut aiunt, recollecti dici possint.

CAP. V.

De esu carnium.

Esum carnium non omnino prohibemus; siquidem nec S. Basilius expresse prohibet. Quia tamen illas ad condimentum tantummodo videtur concedere, nos easdem diebus dominicis, et tertiis et quintis feriis, non ad gustum oblectandum, sed vires et valetudinem conservandum, extra Adventum, Quadragesimam et dies ab Ecclesiâ prohibitos, ibique semel in die tantummodo in meridianâ comestione permittimus. Poterit tamen superior ex causâ circa dierum rationem cum particularibus dispensare; nullo tamen modo cum omnibus in communi.

CAP. VI.

De vestitu, calceamento et zona.

Praecipimus quoque ut omnes monachi, tam choristae quam laici, eodem vestitu et habitu induantur, omnesque similibus calceis ex vili corio confectis, pedibus undequaque coopertis, calceati incedant. Quoniam tamen forma habitus a divo Basilio expressa non reperitur, ne amplius possit variari, definimus quod debent in primis gestare tunicam clausam, zonâ pelliceâ sive ex corio nigro praecinctam, a collo ad talos usque dimissam; cuius fimbriae, sexdecim, manicae vero, qua latiores, trium palmorum circuitum non excedant. Insuper caputium sive cuculla, quae caput contegat, et ad collum cum patientiâ, sive scapulari, sarciatur et adunetur; quae patientia duorum tantum palmorum latitudine, a fronte et a tergo defluens, priusquam tunica per quatuor digitos finiatur; a fronte tamen, sive ante pectus, ex caputio super scapulari pars nulla pendeat, a tergo vero in solitâ punctâ eat. Deinde mantum sine collari, plicis, vel elegantiâ ante collum ligatum; cuius longitudo priusquam scapulare per quatuor digitos finiatur. Materia autem totius supradicti exterioris vestitus sit vilis, crassa et omnium infima, ut iubet divus Basilius. Declaramus tamen laneam esse debere, qualis in Hispania reperitur quae ibidem vocatur *sajal*, ex quo necessario confici iubemus. Cum vero idem sanctus Pater vestitum alium ad forensem ostentationem, alium ad domesticum usum partum, itemque ad diurnum alium, alium ad nocturnum tempus distributum, monachos habere expresse prohibeat; nos, iuxta ipsius mentem, omne a supra expresso diversum exterioris vestimenti genus, quale est illud, quod apud Benedictinos cuculla, et Hispane *cogulla* vo

cari solet, quae regulae sancti Basilii manifeste contrariat[1], seu aliam quamvis formam vel materiam omnimode prohibemus.

CAP. VII.

De vitandis his quae possunt institutum impedire.

Cum divi Basilii institutum monasticum sit, quicquid ipsius quietem et tranquillitatem impedire potest aut perturbare, veluti eleemosynas petere, confessiones saecularium audire, verbum Dei populo praedicare, collegia ad philosophiam, vel theologiam, seu alias scientias addiscendas habere, seu religiosos ad universitates, studiorum causâ, mittere omnino prohibemus, ne istarum rerum studio dediti laudabile manuum laboris institutum deserant. Poterunt tamen sacerdotes, sive choristae, in suis monasteriis necessarios conscientiae ad se gubernandum casus, et Sacrae Scripturae interpretationem addiscere. Quorum unus a laboribus liber studio vacabit, ut quotidie per dimidiae saltem horae spatium religiosos omnes de praeceptis Domini, et ad salutis animae, virtutisque progressum et perfectionem necessaria ex Sacra Scriptura pro conscientiae instructione possit (ut necessario debebit) edocere, necnon festivis diebus, pro praelati arbitrio, currentia Evangelii loca in suis ecclesiis, et non extra, declarare. Ne tamen advenientium ad monasterium fidelium necessitati vel devotioni charitatem et consolationem denegemus, unum tantum in quovis monasterio, qui saecularium confessiones audiat, permittimus.

CAP. VIII.

De situ et fundatione monasteriorum.

Mandamus quoque quod monasteria non propius ab oppidis, quam per duo milliaria, neque cum minori quam viginti quatuor monachorum numero denuo fundentur; et quod in unoquoque perpetua sit filiatio; neque ex uno ad aliud monasterium monachi mutari possint, nisi ad praelaturas seu novas fundationes, vel si forte alicuius delicta et subsequens scandalum, aut diuturna et gravis, dummodo dolus non subsit, infirmitas aliud postulaverit.

CAP. IX.

De receptione novitiorum.

Poterit unusquisque abbas, de consensu sui capituli, novitios, servatâ Concilii Tridentini et aliarum apostolicarum sanctionum formâ, ad habitum et professionem admittere; ita tamen ut in eorum receptione declaretur quisnam in choristam vel in laicum monachum recipiatur. Si quis autem in laicum receptus, sive professus, postea, vel ex superioris licentiâ, vel aliàs quomodolibet, sacris initietur, tam ipse ordinatus quam superior, qui talem licentiam dederit, perpetuam ab ordinibus suspensionem et vocis activae et passivae privationem non aliter, quam per Sedem Apostolicam, dispensandi[1] ipso facto incurrant, aliis poenis arbitrio superiorum infligendis. Volumus tamen quod monachi laici, qui vigintiquinque aetatis et quartum professionis annum adimpleverint, eamdem vocem activam habeant, ac si in sacris fuissent ordinati, passivam quoque in his omnibus officiis ac muneribus, quibus spiritualis iurisdictio necessario (velut abbatum, priorum, novitiorum magistri et similium) annexa non est. In diffinitores vero, sive consiliarios, semper dimidia pars ex laicis, reliqui ex sacerdotibus eligantur. Capitula autem, tam

1 Edit. Main. hab. *contrariant* (R. T.).

1 Leg. *dispensandas* vel *dispensandam* (R. T.).

provincialia (in quibus ad minus viginti monachi congregari debent, non quidem per antiquitatem, sed per aliorum suffragia eligendi), quam conventualia, taliter celebrentur ut semper maior pars, vel saltem aequalis, suffragium ferentium sit ex laicis; et aliter factum nullius sit momenti. Circa locum autem et alias praecedentias, volumus sacerdotes omnibus praeferri; inter laicos vero et choristas, etiam decanos, extra chorum et alia cultus divini ministeria, nulla sit differentia, sed unusquisque secundum suae professionis antiquitatem praeferatur.

CAP. X.

De constitutionibus faciendis et approbandis.

Concedimus etiam praedictis monachis reformatis ut ad praesentium exequutionem et declarationem, nec non ad divi Basilii regulae observantiam, constitutiones concernentes et alias quascumque, ad commodiorem et feliciorem ipsorum in virtute et religione progressum, constituere, mutare et innovare, ac declarare libere et licite possint; dummodo praesentibus, vel reliquo divi Basilii instituto seu regulae, sacro Concilio Tridentino, seu apostolicis aliis sanctionibus, contraria non sint, easdemque exequutioni statim mandare, ita tamen ut illas saltem intra quinquennium a Sede Apostolica faciant confirmari.

Hucusque Constitutiones Reformationis.

Confirmatio praedictarum Constitutionum.

§ 14. Quas constitutiones, regulas et statuta, seu reformationem et regulae S. Basilii innovationem, interpretationem et dispensationem, motu proprio, et ad nullius petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, et de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium confirmamus, statuimus et ordinamus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper, quomodolibet intervenerunt, in illis supplemus.

Poena excommunicationis huiusmodi reformationem impedientibus comminata.

§ 15. Desiderantesque illas sic practicari, recipi et introduci, omnibus et singulis dicti Ordinis monachis, seu aliis quibuscumque personis ecclesiasticis seu saecularibus, quacumque dignitate fulgentibus, sub excommunicationis poena, prohibemus ne illarum introductionem, seu dictae reformationis augmentationem et propagationem, directe vel indirecte prohibere, retardare, seu quocumque modo impedire, vel monachos, seu monachum aliquem volentem illam acceptare, dissuadere audeant vel praesumant.

Episcopo Giennensi demandata exequutio.

§ 16. Quapropter venerabili fratri nostro Sanctio episcopo Giennensi (eoque deficiente, dilecto filio nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio) per praesentes mandamus, quatenus ipse infra duos menses, a die praesentationis harum literarum computandos, dictam reformationem in omnibus dictae provinciae monasteriis faciat publicari, atque illos monachos, qui illam acceptare voluerint, ad illa duo monasteria del Tardon et S. Antonii vallis de Galliguillos recipi et reduci; si qui autem in illis inveniantur, quibus reformatio minus placeat, ad alia non reformata transire:

Capitulum provinciale cogendum.

§ 17. Deinde capitulum provinciale monachorum reformatorum in monasterio S. Basilii eremi del Tardon celebrari, in quo ipse per se, vel, si negociis praepeditus fuerit, per alium probum et religiosum virum praesideat, et visitatorem provincialem, diffinitores, monasteriorum abbates et reliquos dictae Congregationis reformatae officiales, ex ipsis et per ipsos reformatos libere et sine ullà

personarum restrictione eligi faciat, necnon de omnibus aliis ad felicem reformationis progressum tractari.

Eoque peracto, episcopi et nuncii delegatio expiret.

§ 18. Quo primo dictae Congregationis reformatae capitulo finito, omnem eiusdem episcopi seu nuncii potestatem, iurisdictionem, seu superintendentiam circa dictos reformatos volumus expirare;

Reformati subsunt soli abbati generali congregationis Hispanico-Italicae.

§ 19. Eosdemque abbati dicti Ordinis generali taliter subiacere ut ipse per se, non vero per alium, nisi forte ex eâdem Congregatione reformatâ monachum, possit illos tam in capite quam in membris visitare, corrigere et emendare; non vero in aliquo contra supradictam reformationem, seu constitutiones ab ipsis faciendas et Sede Apostolica approbandas, in communi vel cum aliquo particulari dispensare, vel quidquam aliud mutare, seu innovare; neque monachos reformatos a suis monasteriis ad alia, quacumque de causa, auferre, seu alios ab ipsis etiam ad breve tempus recipi facere, vel aliud quidquam ordinare seu statuere, in quo ipsos possit perturbare seu quomodolibet inquietare.

Possunt tamen Romae habere procuratorem.

§ 20. Poteruntque dicti monachi reformati procuratorem ad Romanam Curiam eligere, et ibidem pro dictae Congregationis negociis tractandis, quam diu voluerint, habere.

Qui reformationi nomen dare nolunt distinctis superioribus subsint.

§ 21. Alios autem in Hispaniis existentes monachos, qui dictam reformationem acceptare, et ad dicta duo monasteria transire noluerint, permittimus iuxta illorum antiquum vivendi modum in aliis eorum monasteriis cum suis distinctis superioribus permanere; quos tamen ulterius crescere seu aliquos novitios aut nova loca recipere prohibemus. Decernentes irritum et inane si secus ab ipsis fuerit attentatum;

Sed solum reformata monasteria possint novitios recipere.

§ 22. Solummodoque dicta duo monasteria, cum aliis ab eorum monachis reformatis denuo iuxta praesentem reformationem fundandis, volumus novitios recipere, augeri, et augmentari.

Derogatio contrariorum.

§ 23. Non obstantibus quibusvis iuris communis impedimentis vel inhabilitatibus, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciae praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini, eiusque abbati generali, necnon dictae provinciae, eiusque superioribus et monachis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac clausulis et decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 24. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem fides habeatur, quae praesentibus ipsis haberetur si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Tusculi sub annulo Piscatoris, die XXIII septembris MDCIII; pontificatus nostri, anno XII.

Dat. die 23 sept. 1603. an. pontif. XII.

CCCXXIX.

Definitio habitus fratrum Praedicatorum Ordinis S. Dominici, et fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis pastoralis muneris debito, religiosorum hominum, qui, contemptis illecebris saeculi, divinis se ob-

sequiis manciparunt, quieti et tranquillitati praecipuâ quadam et singulari solicitudine providere tenemur, ut, iis omnibus sublatis, quae illorum in via Domini progressum retardare possunt, maiori alacritate divinis laudibus persolvendis et Christi fidelium saluti promovendae incumbant.

Controversias exortas inter utrumque Ordinem occasione vestis albae;

§ 1. Aliàs siquidem (cum inter dilectos filios fratres Ordinis Praedicatorum sancti Dominici, et fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini de habitus albi delatione, quo ita consimiles viderentur, ut, si absque veste superiori nigrâ incedant, vix alter ab altero discerni queat, controversiae non sine ipsorum fratrum perturbatione et laicorum offensione saepius ortae fuissent) nonnullae Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, praesertim vero felicis recordationis Alexandri Papae Quarti constitutiones super eâ prodierunt[1].

Ac praecipue in Hispania et Portugallia;

§ 2. Et nuper, eâdem pene controversiâ in regnis Portugalliae et Algarbiorum insurgente, ac fratribus sancti Dominici de praeiudicio ab Ordine S. Augustini, ipsum habitum et etiam extra claustra deferente, sibi illato conquerentibus;

Clemens suis litteris tollere curaverat.

§ 3. Nos eiusdem Alexandri et aliorum Romanorum Pontificum privilegia desuper concessa per literas nostras sub datum Romae apud S. Petrum, die XII martii MDXCVII, servari mandavimus, prout in illis continetur[2].

Augustiniani albam vestem suo ordini conformem esse contendunt.

§ 4. Verum, quia, sequutâ ipsarum litterarum promulgatione, dilectus filius noster Antonius tituli S. Mariae Transtyberim presbyter cardinalis Saulius protector, dilectus filius magister Franciscus Pereira assistens pro ultramontanis provinciis eiusdem Ordinis S. Augustini, nobis nomine praedicti Ordinis S. Augustini exposuerunt neque per nostrorum praedictorum praedecessorum constitutiones, neque per huiusmodi nostras litteras suis fratribus interdici amictum proprio instituto congruentem, et ab ineunte fere Ordine gestari solitum, atque etiam ab eo, quo fratres S. Dominici utuntur, si uterque Ordo intra suos limites consistat, valde dissimilem; ac, exhibitis sui Ordinis constitutionibus et iuribus, nuper nobis humiliter supplicarunt, ut huic tam diutinae quaestioni et molestiae auctoritate nostrâ apostolicâ finem tandem imponere de benignitate apostolicâ dignaremur;

Quod idem asserunt iudices ad hoc a Pontifice delegati.

§ 5. Propterea nos iussimus utriusque Ordinis privilegia, constitutiones ac statuta per dilectos filios nostrae[1] visitationi et reformationi Apostolicae praefectos diligentius examinari, partiumque ipsarum iura et praetensiones audiri, ac maturius ponderari; qui reformatores, auditis magistro Ferdinando de Castro, procuratore provinciae Portugalliae Ordinis Praedicatorum, ac supradicto Francisco, et constitutionibus aliisque iuribus utrinque deductis, nobis retulerunt comperisse, vestes albas, tamquam interiores, per amborum Ordinum fratres, ex propriis institutis, deferri posse, neque ullam inde oriri confusionem, si superiorem illam nigram, qua inter se optime distinguuntur, singuli iuxta proprias institutiones gestarent.

Clemens designat habitum utriusque Ordini proprium.

§ 6. Nos controversiae huiusmodi perpetuum silentium imponere, et utriusque Ordinis praedictorum, ex quibus in Ecclesiâ Dei uberes in dies fructus

1 De habitu fratrum Eremitarum ordinis S. Augustini duae leguntur Alex. IV in *Bullar.* Constit. nempe XVI et XXIX, tom. III pag. 616 et 635 h. n. edit. Sed aliae quae hic innuuntur Alex. IV super controversiâ, de qua nunc agitur, desunt (R. T.).

2 Has quoque Clem. VIII litteras in *Bullar.* reperire non est (R. T.).

1 Forsam legendum est *nostros* (R. T.).

prodire solent, quieti prospicere volentes; motu proprio, non ad dictorum fratrum aut aliorum instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, harum serie statuimus et ordinamus, ut perpetuis futuris temporibus dicti fratres Praedicatores sancti Dominici cum cappâ nigrâ, fratres vero Eremitae S. Augustini cum tunicâ etiam nigrâ, ad instar propriarum constitutionum (non solum in dictis regnis, sed ubique locorum) tam in propriis conventibus et ecclesiis eos actus exerceant, in quibus habitum nigrum constitutiones iubent adhiberi, praecipue vero in ecclesiâ, dum confessiones audiunt, conciones seu lectiones ad populum habent, quam extra claustra in quibuscumque actionibus et functionibus, etiam in itinere et ad praedia, licet urbibus, oppidis aut monasteriis viciniora, animi[1] gratiâ accedentes, semper incedere debeant et teneantur. Ac propterea in virtute sanctae obedientiae sub indignationis nostrae poenâ eisdem utriusque Ordinis fratribus districtius inhibemus ne absque habitu nigro, utrique Ordini constituto ac propriae professionis protestativo, etiam dum in conventibus et ecclesiis supradictas actiones exercent, neque extra claustra, praeterquam in aedibus et viridariis praediorum suorum, ullo unquam tempore, aut quovis praetextu patenter deambulare; et ulterius dictorum Ordinum superioribus et fratribus universis et singulis sub excommunicationis latae sententiae poenâ eo ipso incurrendâ mandamus, ne deinceps in perpetuum super hoc litem aut molestiam aliquam, superiores nimirum et fratres Ordinis Praedicatorum superioribus et fratribus Ordinis Eremitarum, nec vicissim superiores et fratres Ordinis Eremitarum ipsis superioribus et fratribus Ordinis Praedicatorum huiusmodi, inferre audeant seu praesumant.

Poenas decernit contra inobedientes.

Partibus perpetuum indicit silentium.

§ 7. Nos enim quamcumque litem super hoc motam ad nos harum serie avocamus, illamque penitus extinguimus, ac utrique parti per hanc nostram constitutionem perpetuum silentium imponimus, ac impositum esse volumus et declaramus.

Clausulae pro huius Constitutionis firmitate.

§ 8. Ac praesentes literas nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu, ex eo quod dicti Fratres ad hoc vocati non fuerint, notari, impugnari, invalidari aut ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari. Sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, nec non irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Exequutores deputat.

§ 9. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, et aliis locorum Ordinariis, ac dilecto filio causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel per alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum fratrum, seu alicuius eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ omnia et singula praemissa inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias,

1 Nempe *relaxandi*. Forcell. ad h. v. (R. T.)

censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria tollit.

§ 10. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac utriusque Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum, eisdem Ordinibus, aut cuicumque illorum concessis, confirmatis et approbatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 11. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, etc.

Dat. Tusculi sub annulo Piscatoris die II octobris MDCIII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 2 octobris 1603, pontif. an. XII.

CCCXXX.

Fratres Tertii Ordinis sancti Francisci regni Franciae subiiciuntur ministro generali Ordinis sancti Francisci de Observantiâ, et commissario generali ultramontanae familiae praedicti Ordinis, nec non commissario generali nationali Franciae[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ex iniuncto nobis pastoralis muneris debito Religiosorum quorumcumque statui prospere dirigendo libenter prospicimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Declaratio de qua in rubrica.

§ 1. Volentes igitur prospero statui et felici regimini fratrum Tertii Ordinis sancti Francisci in regno Franciae existentium, quantum in Domino possumus, opportune prospicere; motu proprio, et ex certâ nostrâ scientiâ, ac merâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, universos fratres dicti Tertii Ordinis sancti Francisci regni Franciae, eorumque conventus, seu domos, quoscumque, dilecto filio ministro generali Ordinis S. Francisci de Observantiâ, ac commissario generali ultramontanae familiae praedicti Ordinis, nec non commissario generali nationali Franciae, quem praedictus minister generalis vel commissarius generalis pro tempore deputaverit, qui, ut accepimus, in ipsorum ministri et commissarii generalis absentiâ septem provincias dicti Ordinis Minorum de Observantiâ regni Franciae gubernare solet, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo subiicimus; ipsisque ministro ac commissario generalibus ultramontanae familiae, necnon commissario generali nationali Franciae respective, ut eorum singuli per se, vel alios sui Ordinis fratres ad hoc idoneos ab eis respective deputandos, domos et conventus, ac fratres Tertii Ordinis S. Francisci supradictos, tam in capite quam in membris, visitare, corrigere, reformare et castigare, necnon electionem ministri provincialis, ut infra faciendam, servatâ formâ decretorum Concilii Tridentini, facere et confirmare possint, facultatem concedimus et impertimur.

Provincialis ab ipsis fratribus eligendus.

§ 2. Praeterea, cum modo praedicti Tertii Ordinis fratres ministrum provincialem[1] non habeant, volumus et eâdem auctoritate statuimus et ordinamus, quod fratres praedicti Tertii Ordinis, seu eorum conventuum superiores et alii vocales, in unum congregentur, iussu dicti ministri generalis Ordinis sancti Francisci de Observantiâ, seu commissarii

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Err. edit. Main. hab. *provincialium* (R. T.).

nationalis Franciae, et ex se ipsis unum ministrum provincialem per vota secreta eligant, qui, sic electus, ab eodem ministro generali vel commissario nationali Franciae, aut alio, qui eorum nomine huiusmodi electioni praefuerit, confirmari debeat, ac omnibus privilegiis, facultatibus et auctoritate super omnes dicti Tertii Ordinis conventus et fratres regni Franciae, quibus alii ministri provinciales aliarum provinciarum Tertii Ordinis sancti Francisci huiusmodi ubilibet existentium frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, sine aliquâ differentiâ frui et gaudere possit et debeat, prout ei ad hoc nominatim facultatem concedimus et impertimur.

Prius tamen petendus visitator;

§ 3. Volumus etiam quod singulis bienniis seu trienniis iidem fratres vocales Tertii Ordinis praedicti Capitulum provinciale celebrent, ante cuius celebrationem tunc existens minister eorum provincialis teneatur a dicto generali ministro fratrum de Observantiâ, vel a commissario generali ultramontanae familiae, seu a commissario generali nationali Franciae eiusdem Ordinis de Observantiâ, visitatorem petere, qui eorum provinciam visitet, et electionem novi ministri provincialis, ut supra, faciat et confirmet.

Qui nisi post duos menses accesserit, capitulum provinciale cogatur.

§ 4. Verum, si huiusmodi visitator intra duos aut tres menses ad summum non accesserit, supradicti fratres Tertii Ordinis ad celebrationem capituli et electionem novi ministri provincialis absque interventu dicti visitatoris procedere valeant; de qua electione visitatorem postea accedentem, qui eam confirmare teneatur, certiorem facere debeant. Sed si post factam huiusmodi electionem, et dictis superioribus notificatam, electio praedicta intra sex menses ab eis confirmata vel infirmata non fuerit, ipsa electio apostolicâ auctoritate censeatur confirmata eo ipso.

Clausulae.

§ 5. Decernentes sic et non aliter perpetuo observari debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Tertii ordinis S. Francisci, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini, illiusque superioribus et personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Tusculi sub annulo Piscatoris die II octobris MDCIII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 2 octobris 1603, pontif. an. XII.

CCCXXXI.

Confirmatio litterarum Sixti V super officio sanitatis civitatis Anconitanae.

Dilectis filiis antianis ac communitati et hominibus civitatis nostrae Anconitanae,

Clemens Papa VIII.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Sincerae fidei et devotionis affectus, quem erga nos et Apostolicam Sedem geritis comprobamini, nos inducit ut ea quae a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus vobis concessa sunt, ut perpetuo firma et illibata persistant, apostolicae confirmationis robore muniamus.

Refert Sixti V litteras.

§ 1. Alias siquidem a felicis record. Sixto Papa V praedecessore nostro ema-

narunt litterae vobis directae tenoris subsequentis, videlicet: *a tergo*, Dilectis filiis antianis ac communitati et hominibus civitatis nostrae Anconitanae: *intus vero*, Sixtus Papa V. Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. Fidei ac devotionis vestrae sinceritas, qua semper hanc Apostolicam Sedem coluistis, promeretur, ut ea quae legitime ad vos, vestramque communitatem spectant, et aliquando, temporum iniuriâ, praeter et contra libertates consuetudinesque vestras sublata fuerunt, vobis restitui, ac in iuribus et libertatibus vobis competentibus, et per dictam Sedem respective concessis, manuteneri ac defendi, necnon in illis reintegrari curemus. Sane, per dilectos filios comitem Ioannem Baptistam quondam Hieronymi de Ferrettis utriusque iuris doctorem, ac egregios viros Franciscum Todinum et Iulium etiam de Ferrettis cives et oratores vestros ad nos dictamque Sedem destinatos, nobis exponi fecistis, quod ab immemorabili tempore officium sanitatis dictae nostrae civitatis per illius cives originarios, ac officiales suos (ad hoc per eos pro arbitrio eligi, deputari et amoveri consuetos) regi et gubernari, nec non administrari consueverat, et, pro eiusdem officii libero et commodiori exercitio, vos communitatemque vestram duo loca in arsenali portus dictae civitatis, duae *Navettae* nuncupatae[1], ubi naves collocare, mercesque extraneas de sanitate suspectas tempore debito expurgare, habere et possidere consueveratis, quae annis retroactis, dum pro subventione eiusdem Sedis scutum unum pro centenario super datiis mercium, et aliarum rerum dictae civitatis imponeretur, a vobis vestrâque communitate huiusmodi de facto sublata fuerunt; supplicarique nobis curastis, ut de opportuno remedio providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur in hac nostrâ ad summi apostolatus apicem assumptione perpendentes civitatibus nostris, potissimum maritimis, pro illarum civiumque suorum conservatione, circa sanitatis regimen praecipue providendum esse, idque commodius et salubrius, quam per illarummet cives, fieri non posse, et propterea, sublato iam per nos dicto subsidio unius scuti pro centenario, vos, vestramque communitatem amplioribus gratiis decorare, et quod suum est cuique tribuere, necnon quae de facto processerunt, ad pristinum statum restituere volentes, dictum sanitatis officium in eumdem statum, in quo ante impositionem praedictam quomodolibet erat, plenarie reintegramus et reponimus, illiusque liberum exercitium per vos et ministros vestros praedictos, iuxta consuetum usum antiquum, faciendum, unà cum omnibus et singulis honoribus, oneribus, emolumentis, etiam ad[1] dictam impositionem haberi et possideri ac uti consuetis, et in specie dicta duo loca, seu duas navettas, pro eiusdem officii servitio et usu, vobis et communitati vestrae huiusmodi, pro dicti officii pro tempore praefectis, prout sunt et se habent, aut esse et se habere possunt et hactenus consueverunt, concedimus et assignamus; vosque et communitatem vestram huiusmodi in vestrâ antiquâ possessione reponimus, restituimus et plenarie reintegramus. Sicque et non aliter per quoscumque iudices et commissarios, etiam S. R. E. cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter

1 Sic edit. Main.; forsan legend. *duas* etc. R. T.

1 Fortasse legendum *ante*, vel *usque ad* (R. T.

vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Quocirca venerabilibus fratribus Anconitano et Asculano ac Maceratensi episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando ac quoties opus fuerit, et pro parte vestrâ fuerint requisiti, seu unus eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, vobisque et deputatis vestris in praemissis omnibus et singulis efficacis defensionis praesidio assistentes, vos auctoritate nostrâ eisdem praesentibus litteris, ac omnibus et singulis in eis contentis pacifici[1] frui et gaudere faciant, non permittentes vos aut deputatos vestros seu vestrum aliquem contra praesentium tenorem, etiam per gubernatorem pro tempore, ac omnes dictae civitatis officiales et ministros, quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles, etiamsi episcopali vel maiori praefulgeant dignitate, per quascumque censuras et poenas compescendo[2], ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, legatis, vicelegatis, gubernatoribus, auditoribus, commissariis, et aliis quibusvis personis ac locis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio, quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXII iunii MDLXXXV, pontificatus nostri anno primo[1].

Petita confirmatio.

§ 2. Cum autem, sicut nobis nuper exponi fecistis, vos, pro maiori praeinsertarum litterarum validitate, cupiatis, illas apostolicae nostrae confirmationis robore communiri; nobis propterea humiliter supplicari fecistis ut in praemissis vobis indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio de qua in rubrica.

§ 3. Nos igitur vos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertas litteras, omniaque et singula in illis contenta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, easque perpetuo validas et efficaces existere et fore, ac suos plenarios et integros effectus sor-

1 Legendum *pacifice*, ut infra et alibi (R. T.).
2 Visa fuit addenda vox *compescendo* (R. T.).

1 Praedicta Const. in *Bullario* sub pontificatu Sixti V non habebatur (R. T.).

tiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari debere decernimus et declaramus.

Exequutores designati.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus Anconitano, Asculano et Maceratensi episcopis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel per alium, seu alios, praeinsertas ac praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte vestrâ fuerint requisiti, seu unus eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, vobisque et deputatis vestris in praemissis omnibus et singulis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ vos praemissorum et singulorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes vos aut deputatos vestros, seu vestrum aliquem contra praeinsertarum, ac praesentium tenorem, etiam per gubernatorem pro tempore existentem, ac omnes dictae civitatis officiales et ministros, quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari: contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae civitatis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, nec non omnibus illis, quae dictus Sixtus praedecessor in suis litteris praedictis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die XXV octobris MDCIII, pont. nostri anno XII.

Dat. die 25 octobr. 1603, an. pont. XII.

CCCXXXII.

Confirmatio et declaratio capituli de affrancandis bonis precariatis monasterii sancti Silvestri Terrae Nonantulae, pro duce Mutinae[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Romani Pontificis dignitati maxime convenit non solum pacta et conventiones inter ipsum et Sedem Apostolicam ex unâ, ac principes viros ex alterâ partibus inita servare, sed, cum opus est, concessiones et gratias, in ipsis conventionibus factas, nominatim confirmare et declarare, prout occasio postulat, et ipse aliâs in Domino conspicit expedire.

In tractatu initum inter cardinalem Aldobrandinum et Caesarem Estensem.

§ 1. Cum itaque inter alia capitula conventionum inter dilectum filium nostrum Petrum S. Nicolai in Carcere diaconum cardinalem Aldobrandinum nuncupatum, nostrum, secundum carnem, ex fratre germano nepotem, tunc supremum moderatorem exercitus ecclesiastici pro recuperatione civitatis et ducatus Ferrariensis comparati, ac etiam, prout nunc quoque existit, negotiorum S. R. E. ac totius Status ecclesiastici generalem superintendentem, nostro et apostolicae Sedis nomine ex unâ, ac bonae memoriae Lucretiam, Urbini ducissam, procuratorio nomine dilecti filii nobilis viri Caesaris Estensis Mutinae ac Regii ducis, ex aliâ partibus, super restitutione civitatis et ducatus Ferrariensis, nobis et eidem Sedi tunc factâ, initarum, infrascriptum capitulum initum et conventum fuerit, videlicet:

Conventum fuit ut expedirentur literae apostolicae super bonis precariatis monasterii Nonantulani.

§ 2. *Che per li beni precariati della Badia di Nonantola Sua Santità si degni di concedere alla città di Modena, ed a quei di Nonantola una Bolla gra-*

1 Ex regest. in Secret. Brev.

ziosa, conforme alla Bonifaciana, o almeno conceda di poterli appropriare con liberarli dalla della Badia a cinque per cento del valore di essi, da stimarsi da' periti;

Possidentibus bona dicti monasterii in emphyteusim conceditur facultas ea affrancandi soluto pretio, a peritis designando:

§ 3. Cumque nos, sequutâ dictae civitatis Ferrariensis recuperatione, capitula omnia praedicta, de fratrum nostrorum consilio et assensu, perpetuo confirmaverimus et approbaverimus; nunc vero dictus Caesar dux cupiat super dicto capitulo speciales nostras literas expediri: nos praemissa, ut par est, observare, ipsumque Caesarem ducem opportunis favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac merâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis civibus et incolis Mutinensibus, et terrae Nonantulae, earumque comitatuum et districtuum, qui possessiones, villas, praedia et quaevis alia bona stabilia in civitate Mutinae, aut terrâ Nonantulae, vel in earum comitatibus et districtibus, aut alibi ubicumque existentia sub nomine precarii seu precariatus vel emphytheusis sive alterius similis contractus titulo comprehensa, seu cadentia, et ut[1] alia sibi et eorum antecessoribus, universalibus vel singularibus, sub precariatus vel emphyheusis sive alterius similis contractus sit[2], ut praefertur, a monasterio sancti Sylvestri de Nonantula, Ordinis sancti Benedicti, nullius dioecesis, eiusque abbatibus vel commendatariis, aut aliis praesidentibus, administratoribus, seu reservatariis, necnon priore et conventu, coniunctim vel divisim, concessa habent et possident, seu deinceps habuerint et possederint, ut[1] eadem bona, quandocumque ipsis precarii seu precariatus vel emphytheusis sive alterius similis contractus titulo possidentibus videbitur et placuerit, ante tamen finitum tempus huiusmodi concessionum, quacumque praescriptione etiam contrariâ non obstante, a iure proprietatis et directi dominii eiusdem monasterii illiusque mensae tam abbatialis, quam conventualis, solutis pro eis in numeratâ pecuniâ ad rationem scutorum quinque pro quolibet centenario valoris in proprietate eorumdem bonorum per peritum vel peritos communiter eligendos aestimandorum, liberare et affrancare, illaque sibi ipsis, necnon filiis ac haeredibus et successoribus suis quibuscumque in infinitum, appropriare et pleno iure acquirere, et super his quaecumque instrumenta necessaria et opportuna celebrare, libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus;

Et superiores monasterii conveniendi pro eligendis peritis;

§ 4. Ac, in huiusmodi concessionis et indulti exequutionem, potestatem facimus singulis precarii seu precariatus vel emphytheusis sive alterius similis contractus titulo bona praedicta possidentibus, qui eadem bona pro tempore affrancare et liberare voluerint, dilectos filios abbatem vel commendatarium, aut administratorem, seu reservatarium, aut alium praesidentem nunc et pro tempore existentem praedicti monasterii, vel, si sua specia-

1 Probabiliter legendum *ut et*, scilicet: *sicuti etiam alia*... (R. T.).

2 Fortasse mendose impressum fuit *sit* pro *tit.* scilicet *titulo* (R. T.).

1 Particulam *ut* interiiciendam iudicavimus tamquam necessario requisitam a verbis sequentibus in fine § *concedimus et indulgemus* (R. T.)

liter intersit, illius priorem et conventum, aut ibidem vicarium, aliumve agentem seu agentes, etiamsi dictus abbas seu commendatarius, administrator, reservatarius, aliusve praesidens, S. R. E. cardinalis fuerit, propterea adeundi, ac, ubi ad eorum notitiam etiam extraiudicialiter deduxerint, seu deduci fecerint, se bona, de quibus agitur, affrancare et liberare velle, de perito seu peritis eorumdem bonorum aestimatoribus conveniendi, ac in eventum discordiae, unum seu plures hinc inde pro qualibet parte circa hoc deputandos nominandi;

Et etiam eos in iudicio cogendi;

§ 5. Declarantes, abbatem seu commendatarium, aut administratorem, seu reservatarium, aut alium praesidentem, vel vicarium, aliumve agentem seu agentes praedictos, pro eorum et praedicti monasterii parte, ad similem, unius videlicet vel plurium peritorum nominationem et conventionem de illis, cum eisdem bona praedicta precarii seu precariatus vel emphytheusis sive alterius similis contractus titulo possidentibus, faciendam teneri, et efficaciter obligatos existere; immo etiam invitos ad hoc, omnibus iuris et facti remediis opportunis, cogi et compelli posse;

Et necessaria instrumenta conficiendi.

§ 6. Factà autem deinceps ab huiusmodi periti vel peritis aestimatione et illius relatione, pecuniae ex pretio affrancationis (ad eam quae dicta est rationem, videlicet quinque pro quolibet centenario) provenientes, seu solvendae in monetà Mutinensi, si bona praedicta in civitate Mutinensi vel terrà Nonantulae aut in earum comitatibus et districtibus sita fuerint, aliàs in monetà Bononiensi, penes publicum campsorem seu nummularium in civitate Bononiensi, communiter approbandum per singulos dicta bona precarii seu precariatus vel emphytheusis sive alterius similis contractus titulo possidentes, absque tamen cuiusque eorum damno, respectu differentiae utriusque huiusmodi monetae, deponi debeant: volentes et eàdem auctoritate etiam perpetuo statuentes quod huiusmodi pecuniis, per praedictos bona praedicta precarii seu precariatus vel emphytheusis sive alterius similis contractus titulo possidentes, hoc pacto solutis, ac in deposito existentibus, statim atque ipsi fidem vel attestationem aut cedulam talis solutionis et depositi abbati, seu commendatario, aut administratori, seu reservatario, aut alteri praesidenti, vel, si sua specialiter intersit, priori, et conventui, aut vicario, seu agenti, vel agentibus praedictis exhibuerint, ad confectionem unius vel plurium instrumentorum publicorum, et super singulis affrancationibus pro tempore faciendis, utrinque procedi, ac in eisdem clausulae, obligationes, renunciationes et decreta necessaria et opportuna, ac aliàs solita et consueta, apponi et adhiberi possint, et etiam debeant; bonaque, de quorum liberatione et affrancatione agetur, eo ipso, realiter et de facto, penitus et omnino liberata et affrancata, ac singulis dicta bona praecarii seu precariatus, vel emphytheusis, sive alterius similis contractus titulo possidentibus, necnon eorum filiis, haeredibus, et successoribus praedictis, appropriata, applicata et acquisita sint et esse censeantur, ac ad illos pleno iure spectent et pertineant. Si autem abbas vel commendatarius, aut administrator, seu reservatarius, aut alius praesidens, vel alii pro monasterio agentes praedicti, confectioni huiusmodi instrumentorum intervenire, ac eisdem consentire noluerint; tunc et eo casu singulae cedulae pecuniarum, per singulos dicta bona precarii vel precariatus vel emphytheusis sive alterius similis contractus titulo possidentes, solvendarum, et ut supra deponendarum, vim, formam, effectum et

auctoritatem talium instrumentorum obtineant, ipsasque liberationes et affrancationes sufficienter arguant, ac illas etiam absque aliâ attestatione et alterius probationis adminiculo, tam in iudicio quam extra illud, ac aliàs ubicumque, plene et concludenter probent in omnibus et per omnia, perinde ac si eadem instrumenta rite et recte utrinque confecta et stipulata forent.

Pecuniae ex huiusmodi affrancatione provenientes omnino a superioribus monasterii investiendae;

§ 7. Caeterum partes erunt nunc et pro tempore existentis abbatis, seu commendatarii, aut administratoris, seu reservatarii, aut alterius praesidentis dicti monasterii, ubi et quoties pecuniae, ex pretio huiusmodi affrancationum provenientes ac in deposito existentes, ad summam quingentorum scutorum, habitâ ratione ad valorem ac aestimationem dictae monetae Mutinensis seu Bononiensis, ut praefertur, ascenderint vel illam excesserint, procurare ut eaedem pecuniae in emptionem aliquorum bonorum stabilium in illis partibus, vel tot locorum Montium non vacabilium, hîc in Urbe pro dicto monasterio sancti Sylvestri de Nonantula, quanto citius convertantur et investiantur; prout eidem abbati, administratori, seu reservatario, aut alteri praesidenti dicti monasterii, ut dictas pecunias in emptionem dictorum bonorum stabilium, vel locorum Montium non vacabilium, ut praefertur, unico contextu convertant et investiant, et interim inde illas, sub poenâ privationis abbatiae, administrationis, seu reservationis, ac praesidentiae, ipso facto, absque aliâ declaratione, incurrendâ, non amoveant nisi ad hunc effectum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, praecipimus et mandamus, et nihilominus ad illorum restitutionem de suo proprio teneantur et ad id cogi possint ac debeant; singuli vero, qui huiusmodi bona pro tempore affrancaverint, ad verificationem, quod pecuniae, per ipsos solutae et in deposito relictae seu dimissae, in emptionem bonorum stabilium, aut locorum Montium pro dicto monasterio, seu alium illius usum aut utilitatem deinceps cesserint et conversae fuerint, nullatenus teneantur; minusque ipsi eorumque filii haeredes et successores, ac ius vel causam ab eisdem habentes in infinitum, propterea, aut ex quovis alio praetextu, a quoquam desuper, ullo umquam tempore molestari, inquietari, aut aliàs quomodolibet impediri possint: sed totum onus conversionis et investiturae huiusmodi pecuniarum ad abbatem, vel commendatarium, aut administratorem, vel reservatarium, aut alium praesidentem praedictum solummodo pertineat; ita ut statim ubi eaedem pecuniae depositatae fuerint, illarum periculum penes ipsum versetur, eiusque coscientia ex tunc circa hoc onerata pariter et gravata remaneat, et singuli, praedicta bona precarii seu precariatus vel emphyteusis sive alterius similis contractus titulo possidentes, ad nihil aliud teneantur neque obligati sint; quinimmo singulas affrancationes et liberationes huiusmodi bonorum, ex nunc prout ex tunc, postquam, ut praefertur, vigore et in exequutione praesentium factae fuerint, et e contra, dictâ auctoritate etiam perpetuo approbamus et confirmamus, ac perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robore communimus.

At vero ipsi francatores securi maneant ab omni molestia.

Clausulae

§ 8. Decernentes illas omnes et earum singulas perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore spectabit firmiter observari debere in omnibus et per omnia, perinde ac si super singulis bonis huiusmodi cum expressione denominationum, situationum, confinium, qualitatum, quantitatum, verique et annui valoris eorumdem, necnon

etiam nominum et cognominum singulorum dicta bona precarii seu precariatus, vel emphytheusis sive alterius similis contractus titulo possidentium, aliorumque necessariorum, specialis licentia et particulare eisdem possidentibus indultum ad praemissa omnia et singula a nobis dictâque Sede concessum et obtentum fuisset.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 9. Praesentes quoque litteras de subreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae aut quovis alio defectu notari, impugnari aut infringi, retractari, invalidari, aut in ius vel controversiam revocari, seu adversus illas quodcumque iuris vel facti, aut gratiae remedium impetrari nullatenus posse, quin etiam illas vim realis, validi et efficacis ac utrinque iuramento vallati contractus pactique, et solemnis conventionis, prout revera est, habere, et, ut tales, in considerationem, et favorabilem pro dictis emphytheusis exequutionem cadere.

Clausula sublatâ, etc.

§ 10. Sicque, et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Sedis nuncios, necnon Palatii Apostolici causarum auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique et in quavis instantiâ iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores designati.

§ 11. Quocirca venerabilibus fratribus Mutinensi et Regiensi episcopis, ac dilecto filio causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi, quando et quoties opus fuerit, solemniter publicantes, atque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostrâ, praemissa omnia et singula suum plenarium effectum consequi et obtinere, ac per eos ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter ac inconcusse perpetuo observari: contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantium derogatio.

§ 12. Non obstantibus fel. record. Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dictis, dummodo ultra tres dictas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, ac Pauli II et aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibuscumque pactis et conditionibus, etiam iuramento vallatis, de quibus in investiturarum instrumentis, ac etiam monasterii et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem monasterio et Ordini, eorumque superioribus et personis, necnon abbati, seu commendatario, aut administratori, vel reservatario, aut alio praesidenti, ac conventui praedictis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis, quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 13. Caeterum, quantum attinet ad bona ea civitatum Mutinae et terrae No-

nantulae illarumque comitatus et districtus existentia, salvis praemissis, declaramus, praesentes litteras in illis dumtaxat bonis, extra loca praedicta existentibus locum habere, et quoad illa tantummodo civibus, incolis et personis supradictis suffragari debere, quae nimirum per eos, tempore initorum capitulorum et conventionum inter Petrum cardinalem et Caesarem ducem praedictos, acquisita et possessa reperiebantur, aut etiam post capitulationem ipsam, seb ab aliis civibus incolis et personis civitatis Mutinae terraeque Nonantulae eorumque comitatuum et districtuum cum effectu acquisita fuerint: quo vero ad illa bona, extra loca praedicta existentia, quae per dictos cives, incolas et personas post capitulationem praedictam ab exteris acquisita fuerunt, ipsas praesentes litteras effectum minime sortiri debere decernimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum annulo Piscatoris, die XXX octobr. MDCIII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 30 octobr. 1603, an. pont. XII.

CCCXXXIII.

Translatio oneris missarum ex piorum dispositionibus in monasteriis monialium sub regimine fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ existentium celebrandarum ad loca eorumdem fratrum.

Clemens Papa VIII,

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex debito pastoralis officii, cui disponente Domino, meritis licet imparibus, praesidemus, ad ea libenter intendimus, quae ad Regularium personarum statum et quietem, ac spiritualem consolationem pertinere dignoscimus.

Causae faciendae translationis.

§ 1. Sane, sicut accepimus, cum in totius Italiae, caeterisque cismontanis regionibus, et praesertim in Gallia cisalpina, plurima sanctimonialium monasteria (sub cura, regimine et correctione dilectorum filiorum fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum) reperiantur, quibus quamplurima missarum onera ex diversis piorum dispositionibus et legatis incumbunt, quae cum per fratres eiusdem Ordinis in ecclesiis monialium celebrari soleant, hinc fit ut non solum ecclesiae fratrum debito servitio destitutae saepius remaneant, sed fratres ipsi exinde per civitates cum saecularium scandalo vagandi, necnon cum eisdem sanctimonialibus magis frequenter, et crebrius quam deceat, conversandi occasionem sumant;

Translatio de qua in rubricâ.

§ 2. Quibus omnibus, quantum cum Domino possumus, occurrere volentes, ex venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Congregationis episcoporum et regularium voto, onera huiusmodi missarum ab ecclesiis singulis monialium in ecclesias fratrum eiusdem Ordinis, in locis eisdem respective existentibus, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, transferimus.

Moniales tamen non teneantur solvere nisi eleemosynam manualem.

§ 3. Volumus tamen, ut remaneant ipsis monasteriis monialium omnes annuae perpetuae seu temporales praestationes, legata, redditus ac bona quaecumque, pro dictis oneribus data seu relicta, aut imposterum relinquenda, ita ut moniales non teneantur ullo umquam tempore solvere fratribus, nec ipsi fratres recipere possint pro celebratione missarum, nisi id quod dari solet pro regionis et cuiusque loci more et consuetudine pro eleemosynâ unius vel plurium respective missarum.

Numerus missarum in monialium ecclesiis diebus singulis celebrandarum.

§ 4. Volumusque etiam ut pro monialium servitio in monasteriis, in quibus numerum octuaginta excedunt, missae duae in diebus feriatis, tres vero in diebus

dominicis et festivis; et in monasteriis, in quibus minor quinquaginta monialium numerus existat, missa una in diebus feriatis, duae vero dominicis et festivis, per fratres eiusdem Ordinis celebrari debeant; reliquas vero missas ex dispositionibus et legatis praedictis monialibus quomodolibet incumbentes, in ecclesiis fratrum in futurum, perpetuis futuris temporibus, assignatâ et traditâ, ut supra, ipsis fratribus debitâ eleemosynâ, per eosdem celebrari volumus, non obstantibus testatorum, legantium aut aliàs disponentium voluntatibus, quas ad hunc effectum specialiter commutamus.

Quibus de causis tantummodo licitum sit fratribus ad monasteria monialium accedere.

§ 5. Praecipientes nihilominus eisdem fratribus, sub privationis vocis activae et passivae perpetuaeque inhabilitatis poenâ, ne ad monasteria monialium (praeterquam ad celebrandas missas praedictas, de superiorum licentiâ, et in diebus festivitatum monasteriorum huiusmodi, vel tempore receptionis et professionis novitiarum, sive obitus alicuius monialis pro funere et officio, ut moris est, peragendo) ullo modo et sub quovis praetextu vel colore accedere audeant, sive presumant; prohibentesque ministro generali et aliis eorum superioribus, ne huiusmodi licentias concedere possint, nisi ad effectum praedictum, et in caeteris firmo remanente decreto congregationis S. R. E. cardinalium super negociis regularium praepositae, quo prohibetur ne regulares accedant ad monasteria monialium sine speciali licentiâ eiusdem congregationis; et eisdem etiam superioribus mandantes ne, ad missas celebrandas et alia praedicta adimplenda, nisi fratres provectae aetatis et probatae vitae mittant.

Moniales occasione huiusce translationis molestari nequeunt ab Ordinariis.

§ 6. Decernentes monasteria monialium, praedictâ occasione translationis huiusmodi missarum, per locorum Ordinarios, aut alios quoscumque, molestari vel perturbari nullatenus posse.

Clausulae.

§ 7. Praesentesque litteras, et in eis contenta quaecumque, nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, seu quovis alio defectu notari posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores designati

§ 8. Quocirca dilectis filiis curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, ac locorum Ordinariis per praesentes districte praecipimus et mandamus ut ipsi, vel alter eorum per se, vel alium, seu alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum fratrum vel alicuius eorum fuerint requisiti, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ eosdem fratres praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari: contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

[illegible]

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et determinationibus apostolicis, et quorumvis monasteriorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem monasteriis, et illorum Ordinibus in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus

omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII novembris, millesimo sexcentesimo tertio, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 8 novembris 1603, pontif. an. XII.

CCCXXXIV.

Forma observanda a fratribus Minoribus Ordinis sancti Francisci strictioris Observantiae super receptione novitiorum.

Custodi cum voto duorum guardianorum et duorum discretorum liceat novitios recipere.

Sanctissimus D. N. D. Clemens Papa Octavus supplicationi fratrum reformatorum Ordinis Minorum de Observantià sancti Francisci inclinatus, bonum propositum cuiusque ad ipsam reformatorum Religionem transire, in eàque Altissimo famulari cupientis, fovere volens;

§ 1. Custodi eiusdem Ordinis, cum unanimi duorum guardianorum et dictorum discretorum cuiuscumque custodiae voto, plenam potestatem facit recipiendi et admittendi ad habitum sui instituti novitios quovis tempore, etiam extra capitulum. Non obstantibus decretis generalibus Sanctitatis suae eo de genere editis, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque:

Examinatis prius illorum qualitatibus.

§ 2. Ita tamen ut prius examinentur diligenter, per ipsos custodem, guardianos et discretos, recipiendorum et admittendorum qualitates, iuxta Ordinis regulam, decreta et constitutiones apostolicas;

Et de ipsis in futuro capitulo referre teneatur.

§ 3. Et custos, sub poenà privationis vocis activae et passivae, teneatur in proximo tunc futuro capitulo custodiali, vel, eius loco, congregatione etiam custodiali singulis annis habendâ, referre quot acceperit novitios, ac illorum qualitates, et in quibus monasteriis recepti commorentur, et approbationem et confirmationem receptionis et admissionis ante professionis emissionem obtinere, aliàs supradicta omnia ex nunc prout ex tunc irrita esse voluit et huius decreti auctoritate declaravit.

Datum Romae die dominico XXIII novembris MDCIII.

Dat. die 23 novembris 1603, pontif. an. XII.

CCCXXXV.

Commissio Ordinariis locorum Indiarum Occidentalium eorumque in spiritualibus officialibus, ut tollant abusum parochorum, qui eleemosynam duplo, aut aliquà parte maiorem, ab iis qui sepeliuntur in ecclesiis regularium exigunt, quam ab iis, qui in propriis ecclesiis saecularium sepeliuntur[1].

Clemens Papa VIII

Universis et singulis venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis in partibus Indiarum Occidentalium existentibus, ac dilectis filiis eorum officialibus, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Perlatum est ad nos, non sine animi nostri molestiâ, in istis partibus Indiarum Occidentalium quemdam inolevisse abusum, ut parochi, seu rectores ecclesiarum parochialium, eleemosynam duplo seu aliquâ parte maiorem ab iis qui in ecclesiis fratrum Ordinis sancti Francisci de Observantià sepeliuntur, — Refert abusum de quo in rubrica.

1 Ex regest. in Secret. Brev.

quam ab iis qui in ipsis parochialibus ecclesiis, pro eorum iuribus exigere, seu extorquere consueverint, in eorum animarum perniciem et scandalum plurimorum.

Cammissio. § 2. Nos igitur, qui pro nostrâ pastorali curâ et sollicitudine abusus quoscumque inter personas ecclesiasticas tolerare non debemus, praemissis, quantum in Domino possumus, occurrere cupientes, decreto etiam sancti Gregorii Papae (quo vetuit, ne pro ecclesiasticâ sepulturâ quidquam peti aut exigi possit, sed tantummodo a sponte dantibus eleemosynâ pro ecclesiae luminaribus recipi valeat) inhaerentes, ex voto etiam venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, super consultationibus et negociis Episcoporum et Regularium deputatorum; vobis et cuicumque vestrum per praesentes committimus et mandamus, ut omnino provideatis ne diutius huiusmodi abusus in vestris civitatibus et dioecesibus toleretur, ac auctoritate etiam nostrâ apostolicâ decernatis, ne parochi, pro sepulturâ christifidelium in ecclesiis quibuscumque regularium faciendâ, quicquam petere vel exigere possint, sed a sponte dantibus eam tantum eleemosynam recipere valeant, quae pro sepulturis, quae in propriis aut aliorum clericorum saecularium ecclesiis fiunt, recipi potest; contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo;

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus praemissis, et quibusvis praetensis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides. Quia vero difficile foret praesentes litteras ad singula loca, ad quae opus esset, deferri, volumus et praesentium auctoritate decernimus, ut earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem, in iudicio et extra, fides ubique habeatur, quae eisdem praesentibus haberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae aqud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XVII novembris millesimo sexcentesimo tertio, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 17 novembris 1603, pontif. an. XII.

CCCXXXVI.

In idem argumentum.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Fratres minores de Observantia abusum, de quo supra, referunt. Expositum nobis nuper fuit, pro parte dilectorum filiorum Matthaei de Recalde vicecommissarii, necnon provincialium totius Ordinis fratrum S. Francisci de Observantiâ Indiarum Occidentalium, quod rectores parochialium ecclesiarum Indiarum iam pridem hunc abusum introduxerunt, videlicet, quod eleemosynas duplo maiores ab iis qui in ecclesiis domorum eiusdem Ordinis S. Francisci de Observantiâ, quam qui in parochialibus huiusmodi sepeliuntur, exigere praesumpserunt, et, ut dicitur, in hoc Ordinariorum suorum, qui partem eleemosynarum huiusmodi percipiunt, consilio et assensu nitantur.

Damnumque sibi inde provenit. § 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, plerique christifideles in dictarum domorum ecclesiis, ob difficultatem ius adeo onerosum persolvendi, sepelire se facere non possint, quo fit ut ecclesiae huiusmodi mortuorum sepulturis et consequenter eleemosynis, in dies fieri consuetis, propemodum priventur

Tollique petunt.

§ 2. Idcirco, pro parte eorumdem Matthaei vicecommissarii et provincialium, nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Clemens maiorem eleemosynam recipi prohibet sub poena excommunicationis.

§ 3. Nos igitur huiusmodi abusus omnino tollere, atque dicti Ordinis commoditatibus et propagationi, quantum cum Domino possumus, prospicere cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex voto venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super consultationibus et negociis Episcoporum et Regularium deputatorum, omnibus et singulis parochialium ecclesiarum universarum Indiarum Occidentalium rectoribus, nunc et pro tempore existentibus, harum serie interdicimus et prohibemus, ne, sub excommunicationis maioris latae sententiae poenâ, a qua nonnisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint, ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus maiorem eleemosynam ab iis, qui in dictis domorum, quam qui in parochialibus ecclesiis huiusmodi sepeliuntur, quovis praetextu, aut occasione, etiam de consilio, consensu, seu mandato suorum Ordinariorum, exigere debeant seu praesumant.

Derogat obstantibus.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiarum, domorum, et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem ecclesiis, domibus et Ordini, earumque rectoribus, superioribus et fratribus, ac quibusvis aliis personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 5. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII ianuarii millesimo sexcentesimo quarto, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 28 ianuarii 1604, pontif. an. XII.

CCCXXXVII.

Committitur nuncio Sabaudiae, ut prohibeat, ne in locis Pinerolii, et aliis circumvicinis, parentes imposterum filios nutricibus haereticis educandos tradant[1].

Venerabili fratri Paulo episcopo Bovinensi nostro et Apostolicae Sedis apud dilectum filium nobilem virum Carolum Emanuelem Sabaudiae ducem nuncio,

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Catholici nutricibus haereticis filios committebant.

§ 1. Perlatum est ad nos, non sine animi nostri molestiâ, in oppido Pinerolii et aliis locis convicinis a nonnullis proprios filios infantulos, cum primum in lucem editi et a baptismatis fonte levati sunt, ad mulieres haereticas, in proximis vallibus haeresis labe infectis habitantes, lactandos mitti, indeque, ut plurimum evenire, quod ipsi infantes apud dictas haereticas nutrices educati, quorum aliqui usque ad aetatem septem vel octo annorum apud ipsas nutrices remanent, illa-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

rum etiam haereticis moribus imbuantur, et dubium esse ne simul cum lacte (quod non solum in sanguinem, sed in naturam pueri quodammodo convertitur) haeresis quoque venenum ebibant.

Commissio de qua in rubrica.

§ 2. Nos itaque, pro nostro pastorali munere, huic malo, quantum cum Domino possumus, occurrere volentes, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut sub excommunicationis et aliis arbitrio tuo imponendis poenis, auctoritate nostrâ apostolicâ, in praedictis Pinerolii et convicinis, aliisque quibuscumque locis tuae legationis, prohibeas, ne parentes imposterum filios nutricibus, quae revera catolicae non sint et in catholicorum locis non habitent, alendos tradant, ita ut eiusmodi abusus omnino tollatur: qua in re omnem abs te diligentiam adhiberi cupimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XVIII februarii MDCIV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 18 februarii 1604, pontif. an XIII.

CCCXXXVIII.

Declaratio quod monachi Congregationis Beatae Mariae Fuliensis sancti Bernardi Cisterciensis Ordinis, qui ad aliam religionem transierint, ad eamdem iterum nequaquam absque Sedis Apostolicae licentiâ recipiantur[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pro nostro pastorali munere ad ea libenter intendimus per quae religiosorum quieti opportune consulitur.

Monachi Fulienses, qui ad alios Ordines transierant, ad suam Congregationem revertebantur.

§ 1. Sane, cum, sicut accepimus, nonnulli ex monachis olim in congregatione Fuliensi Ordinis sancti Bernardi professi, qui ex illâ ad alias Religiones, etiam de superiorum licentiâ, transierunt, iterum in eamdem congregationem Fuliensem reverti procurent, qui, si iterum reciperentur (ex eo quod extra illam diversa regularia instituta et diversam vivendi formam servarunt, sed etiam ex eo quod licentius, quam religiosos dictae congregationis decet, vitam duxerunt) ipsius congregationis quietem facile, sicuti in aliis expertum est, perturbare possent;

Huiusmodi regressum fieri vetat Pontifex absque Sedis Apostolicae licentia.

§ 2. Nos huic malo, quantum cum Domino possumus, occurrere volentes, motu proprio et ex certâ nostrâ scientiâ, ac merâ deliberatione, harum serie statuimus et ordinamus, eos religiosos in dictâ congregatione hactenus, aut imposterum professos, qui ex quacumque causâ, etiam de superiorum licentiâ, ex eâdem Congregatione ad aliam quamcumque Religionem hactenus transiverunt, vel imposterum transiverint, in eamdem congretionem per quoscumque illius superiores, aut etiam per capitulum generale, iterum recipi et admitti nullatenus posse, nisi expressam nostram et Apostolicae Sedis specialemque facultatem ad eorum matrem redeundi habuerint; irritumque decernimus et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 3. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eiusdem congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fid. iubet

§ 4. Volumus autem ut praesentium

1 Institutionem huius congregationis vide in Const. XLIV. Sixti V, *Religiosos*, tom. VIII, pagina 700.

transumptis, etiam impressis, manu generalis et sigillo eiusdem congregationis, aut alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem fides ubique habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die XVII martii MDCIV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 17 martii 1604, pontif. anno XIII.

CCCXXXIX [1].

Congregationem sanctorum Vitoni et Hydulphi, Ordinis sancti Benedicti, erigit, ad instar Congregationis Cassinensis, eique eiusdem Congregationis Cassinensis privilegia communicat [2].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Quantum ex monasteriis pie institutis et recte administratis in Ecclesiâ Dei splendoris atque utilitatis oriatur perpendentes, id unum ex debito pastoralis officii praestare cupimus, ut vetus et regularis disciplina, ubi collapsa est, restauretur, et constantius, ubi conservata est, perseveret; ac regulares personae ad regulae, quam professae sunt, praescriptum vitam suam instituant et componant.

Episcopus Virdunensis reformationem in hanc Congregationem induxit.

§ 1. Cui rei aliàs, sicuti accepimus, cum venerabilis frater noster Henricus episcopus Verdunensis diligenter incumberet superioribus annis, divini Numinis providentiâ ac curâ et diligentiâ dicti Henrici episcopi, in sancti Vitoni Virdunensis (quod unitum est mensae episcopali Virdunensi) et sancti Hydulphi loci mediani, monasterii Tullensis, seu nullius dioecesis (quod ipse Henricus episcopus, ex concessione et dispensatione apostolicâ, in commendam ad sui vitam obtinet), Ordinis sancti Benedicti monasteriis reformatio observantiae regularis, iuxta instituta et constitutiones Congregationis Montis Cassinensis, introducta fuit, ac monachi utriusque monasterii huiusmodi etiam sponte acceptaverunt, omnibusque huiusmodi institutis et constitutionibus hactenus sese exacte conformaverunt et in futurum conformare intendunt. Cum autem credibile non sit, huiusmodi reformationem fore diuturnam, nisi annuis visitationibus excolatur, quae tamen fieri non possunt, nisi inter illos aliqua Congregatio, in qua superiores deputentur, qui huiusmodi munera et alia ad observantiam et reformationem conservandam necessaria subeant, instituatur; pro parte Henrici episcopi ac dilectorum filiorum priorum et conventuum dictorum monasteriorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus Congregationem dictorum duorum monasteriorum erigere, instituere, aliàsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Causae efformandi Congregationem ex duobus hisce monasteriis.

Erectio Congregationis, de qua in rubrica.

§ 2. Nos igitur, pium ac numquam satis laudandum propositum Henrici episcopi ac priorum et conventuum praedictorum plurimum in Domino commendantes, ac eos et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex sententiâ reformationi praefectorum, quibus hoc universum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Haec Constitutio refertur etiam a Margarino in *Bullario Cassinensi* tom. II, pag. 644.

negotium diligenter examinandum et nobis referendum commisimus, Congregationem perpetuam dictorum monasteriorum sancti Vitoni et sancti Hydulphi, ad instar Congregationis Cassinensis, seu sanctae Iustinae de Padua, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, erigimus et instituimus; ita ut generale capitulum, et ab eo electi praesides vel visitatores, eamdem habeant auctoritatem in dictae Congregationis monasteria praedicta ac regulares in eis commorantes, quam alii praesides ac visitatores in dictâ Congregatione Montis Cassinensis, seu sanctae Iustinae de Padua, teneanturque suae Congregationis monasteria frequenter visitare, et illorum reformationi incumbere, et ea observare quae in sacris canonibus et Concilio Tridentino sunt decreta.

Et facultatum concessio eius praesidibus.

Communicatio indulgentiarum et privilegiorum, quibus fruitur Congregatio Cassinensis.

§ 3. Necnon eidem Congregationi, per praesentes sic erectae et institutae, omnia et singula privilegia, gratias, indulgentias, immunitates, exemptiones, libertates, favores et indulta praedictae Congregationi Montis Cassinensis, seu sanctae Iustinae, illiusque singulis monasteriis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem Apostolicam, aut aliàs quomodolibet concessa et in futurum concedenda, eisdem auctoritate et tenore, concedimus et impertimur; ac omnibus et singulis dictorum duorum monasteriorum personis, ac praesidentibus et visitatoribus, ut illis uti, potiri et gaudere, necnon quaecumque alia monasteria illarum partium, quorum conventus et monachi regularis disciplinae observantiam seu reformationem acceptare, illamque subire voluerint, eidem Congregationi per praesentes erectae aggregare, illisque omnia et singula privilegia, gratias, indulgentias, immunitates, exemptiones, libertates, favores et indulta eis concessa et concedenda communicare libere et licite valeant, indulgemus.

Praesidi data facultas dispensandi a legibus, statutis cum iis, qui ad officia eligendi sunt.

§ 4. Et quamvis etiam, sicut accepimus, quodam statuto eiusdem Congregationis caveatur, et expresse prohibeatur, ne quis ad aliquem gradum superioritatis assumi possit, nisi completo septennio post sacerdotium in Congregatione susceptum, aut ad curam novitiorum, nisi completo novennio, neque illi, qui sacerdotes ad Congregationem venerint, nisi decimo sexto, et decimo octavo anno respective in Congregatione completo, et nemo in priorem aut abbatem promoveri possit, nisi quinquennio in decanatu aut prioratu respective laudabiliter vixerit; nihilominus, quia nulli vel saltem pauci adhuc sunt iuxta dictum statutum qualificati, et difficile est ut in futurum semper reperiantur, praesidenti futuro Congregationis, per praesentes erectae huiusmodi, ac successoribus suis, super huiusmodi statuto dispensandi, quoties necesse erit, facultatem tribuimus et potestatem.

Clausulae ad huiusce constitutionis firmitatem.

§ 5. Sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane decernimus quidquid secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores designati.

§ 6. Quocirca dilectis filiis, causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori ac decano ecclesiae Virdunensis et praeposito ecclesiae collegiatae sancti Deodati Tullensis, seu nullius dioecesis, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, solemniter publicantes, faciant, auctoritate nostrâ praemissâ, omnia observari; contradictores quoslibet et rebelles et praemissis non obtemperantes per sententias,

censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et Concilii generalis de duabus dietis, dummodo quis vigore praesentium ad iudicium ultra tres dietas non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedictis et aliis dicti Ordinis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis: quibus omnibus, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub ann. Piscatoris, die VII aprilis MDCIV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 7 aprilis 1604, pontif. an. XIII.

CCCXL [1].

Terram Campli in civitatem, et ecclesiam parochialem beatae Mariae in cathedralem erigit, et perpetuo cum Hortensi unit [2].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Legitur etiam in UGHELLI, *Italia Sacra*, edit. venet., tom. VI, fol. 778.

Clemens episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Utilitas erectionum ecclesiarum.

Pro excellenti praeeminentiâ Sedis Apostolicae, in qua post beatum Petrum apostolorum principem, quamquam imparibus meritis, pari tamen auctoritate constituti sumus, dignum, quin potius debitum arbitramur, in irriguo militantis Ecclesiae agro novas episcopales sedes ecclesiasque plantare, ut per huiusmodi novas plantationes populorum devotio augeatur, animarum salus semotis litium dispendiis subsequatur, et humilia loca dignioribus titulis decorentur, ac illarum habitatores et incolae honorati praesulis assistentiâ et regimine suffulti, votivis et prosperis successibus gratulentur, ipsarum quoque ecclesiarum statui, etiam per ministerium unionis accomodae [1], prout illarum utilitas [2] ac locorum et temporum qualitas exigit, efficaciter provideatur.

Causae faciendae erectionis.

§ 1. Sane, cum aliàs inter dilectos filios, universitatem et homines terrae Campli Aprutinae et Montis-Alti dioeceseon ex unâ, necnon communitatem et homines Aprutinenses ex alterâ partibus, plures diversaeque differentiae et controversiae vigerent, ac ex illis multa in dies scandala orirentur; ipsique universitas et homines Camplenses terram huiusmodi in tribus oppidis, videlicet Campli et Nucellae, ac Castri novi, consistentem, et unico generali vocabulo Camplum nuncupatam (quae, inter alias qualitates requisitas, etiam districtum et comitatum circiter viginti duarum villarum, ac totidem parochias habet, et in qua una sub invocatione beatae Mariae de Platea [3] nuncupatae, et

1 Edit. Ughelli legit *accomode* (R. T.).

2 Tam edit. Main. quam Ughelli habet *utilitatis*, sed fortasse legendum *utilitas* (R. T.).

3 Haec verba *de Platea* perperam omisit Main., at habentur apud Ughelli (R. T.).

tres aliae collegiatae, ac una parochia lis sancti Salvatoris, et duodecim sine curâ ecclesiae, necnon quinque tam virorum quam mulierum monasteria, et unum hospitale peregrinorum, pluresque laicorum confraternitates esse noscuntur), in civitatem, ipsam vero ecclesiam beatae Mariae (in qua duodecim canonicatus et sex praebendae, necnon sexdecim perpetuae capellaniae, seu perpetua simplicia beneficia ecclesiastica, cum sacrario omnibus ad divini cultus usum necessariis referto, instituta reperiuntur) in cathedralem ecclesiam erigi summopere desiderarent, et desuper Romano Pontifici tunc existenti humiliter supplicassent, communitas vero et homines Aprutinenses praedicti, ac etiam dilecti filii capitulum et clerus, necnon tunc episcopus Aprutinensis contradicerent; ac propterea negotium erectionis huiusmodi per tunc existentem Romanum pontificem ad congregationem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super rebus consistorialibus deputatorum remissum, ibidemque pluries spatio quatuordecim annorum tractatum et diligenter discussum, ac tandem per eosdem cardinales nobis relatum fuisset, eorumdem universitatis et hominum Camplensium votis annuendum fore:

Novae dioecesis Camplensis extensio.

§ 2. Nos, habitâ super his cum praedictis et aliis eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus venerabilibus fratribus nostris maturâ deliberatione, de illorum consilio et assensu, ac Apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, eam dictae terrae partem, quae Campli et Castri novi oppida continet, necnon villas Campaguelani, Morcii, Ficherii, Floriani, Molviani, Galliani, Paterni, Fesinani[1], Campigliae, Massariorum, Garrani, Collicelli, Roiani, Venalii, Garruffi, Guzzani[2] et Biffari ab Aprutinensi, etiam si venerabilis fratris nostri moderni episcopi Aprutinensis, cuius indemnitati aliunde provisum fuit, ad hoc non accedat assensus; alteram vero eiusdem terrae partem, in qua dictum oppidum Nucellae consistit, ac villas seu loca Battagliae, Palanae, Ancherani, Camerae, Ripaecandoni, Paduli, Castiglioni et Pennae, Floriani, cum illarum districtibus, territoriis, clericis, personis, ecclesiis, monasteriis, prioratibus, piis locis et beneficiis ecclesiasticis cum curâ, et sine curâ saecularibus, ac quorumvis Ordinum et militiarum regularibus, a[1] Montis Alti episcopatibus et dioecesibus[2], in quibus illa respective consistebant, venerabilis fratris nostri moderni episcopi Montis Alti expresse ad hoc accedente consensu, perpetuo dismembramus et separamus; illaque, sic dismembrata et separata, ab omni et quacumque iurisdictione, superioritate, correctione, visitatione et potestate nunc et pro tempore existentium episcoporum, ac dilectorum filiorum capitulorum Aprutinensis et Montis Alti, eorumque vicariorum, ac quorumcumque aliorum Ordinariorum, etiam inferiorum, necnon solutione quorumcumque iurium seu decimarum et quarteriarum episcopis et capitulis praedictis, ac illorum singulis, ratione iurisdictionis et superioritatis praedictarum, respective debitorum[3], ac per ipsos et eorum quemlibet percipi solitorum, penitus etiam perpetuo eximimus et totaliter liberamus; ipsamque terram Campli in civitatem Camplensem nuncupandam, et ecclesiam beatae Mariae hu-

Erectio terrae in civitatem et collegiatae ecclesiae in cathedralem

1 Ughelli habet. *Cesinani* (R. T.).
2 Id. legit Guazzani (R. T.).

1 Tam Main. quam Ughelli legunt *ac*, sed erronee, ut patet (R. T.).
2 Nempe ab episcopatu et dioecesi Montis Alti, et ab espiscopatu et dioecesi Aprutinensi praedictis (R. T.).
3 Ughelli habet *debitarum*, nempe *decimarum*, sed inepte, nam paulo post scribit *solitorum*, nempe *iurium* (R. T.).

iusmodi in cathedralem ecclesiam cum dignitate, sede, mensâ et aliis insignibus episcopalibus, necnon omnibus et singulis privilegiis, honoribus et iuribus debitis et consuetis pro uno episcopo Camplensi nuncupando, qui in eâdem ecclesiâ Camplensi resideat, et iurisdictionem episcopalem, omniaque et singula alia, quae ordinis, iurisdictionis et cuiuscumque alterius muneris episcopalis sunt, habeat et exerceat (sine praeiudicio praetensionum et iurium abbatiae saecularis et collegiatae ecclesiae sanctorum Mariani et Iacobi de Camplo, sed illis semper salvis), similiter perpetuo erigimus et instituimus.

Assignatio cleri et populi.

§ 3. Ac ipsi ecclesiae, sic in cathedralem erectae, terram Campli praefatam in civitatem, ut praefertur, erectam, pro civitate; illiusque incolas et habitatores, pro civibus; et villas, territoria, districtum et comitatum huiusmodi, pro dioecesi; necnon ecclesiasticos, pro clero; et saeculares personas in civitate et dioecesi Camplensi huiusmodi degentes, pro populo pariter perpetuo concedimus et assignamus.

Dos episcopo constituta.

§ 4. Necnon praedictae mensae episcopali Camplensi pro eius dote quadringentos ducatos monetae metropolitanae, per eosdem communitatem et homines Camplenses super eorum bonis stabilibus publico perpetuae donationis instrumento assignatos, ultra domum satis amplam et commodam similiter ab eis pro futuri episcopi Camplensis habitatione perpetuo donatam, ac alios fructus, redditus et proventus illi debitos, itidem perpetuo applicamus et appropriamus.

Privilegiorum concessio.

§ 5. Insuper ecclesiam, sic in cathedralem erectam, ac pro tempore existentem episcopum dictae Apostolicae Sedi immediate, civitatem vero et dioecesim Camplensem, earumque clerum et populum huiusmodi eidem episcopo Camplensi pro tempore existenti mediate subiicimus. Nec non capitulo, clero, civitati et dioecesi Camplensi, illarumque civibus, incolis et habitatoribus, ut omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, gratiis, favoribus et indultis (quibus alii episcopi et aliarum cathedralium ecclesiarum capitula, aliaeque civitates et dioeceses, ac earum clerus, incolae et habitatores, in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum) uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant, similiter perpetuo indulgemus.

Unio Camplensis cum Hortensi ecclesià.

§ 6. Insuper attendentes, fructus, redditus et proventus mensae episcopalis Camplensis huiusmodi tenuiores esse, quam ut pro tempore existens episcopus Camplensis iuxta pontificalis dignitatis exigentiam sustentari valeat; ac Hortensem[1], cui venerabilis frater noster Alexander episcopus Hortensis praeesse dignoscitur, et praefatam Camplensem ecclesiam, per unum episcopum commode regi et gubernari posse; his et certis[2] causis adducti, Camplensem, a primaevà illius erectione huiusmodi apud dictam Sedem vacantem, de cuius provisione nullus praeter nos hac vice (pro eo quod nos dudum provisiones ecclesiarum omnium, apud Sedem eamdem tunc vacantium et in antea vacaturarum, dispositioni et ordinationi nostrae reservavimus, ac decrevimus ex tunc irritum et inane quidquid secus super his per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari) se intromittere potuerit sive possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis; et Hortensem ecclesiam huiusmodi, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, invicem, ita ut ambae ecclesiae huiusmodi

1 Ughelli hic et infra semper legit *Hortonensem* (R. T.).

2 Id. addit *aliis* (R. T.).

deinceps perpetuis futuris temporibus per unum episcopum Camplensem et Hortensem nuncupandum regantur, pariter perpetuo unimus, annectimus et incorporamus.

Cura Camplensis Ecclesiae episcopo Hortensi commissa.

§ 7. Et nihilominus eidem ecclesiae Camplensi de personâ dicti Alexandri episcopi dictâ auctoritate providemus, ipsumque illi in episcopum praeficimus et pastorem[1], curam et administrationem eiusdem ecclesiae Camplensis sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ita quod per hoc dictae ecclesiae Hortensi praesse non desinat, sed illius ac eiusdem ecclesiae Camplensis verus episcopus et praesul existat.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiarum praedictarum, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis quomodolibet concessis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum ac dicti instrumenti tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur et insererentur, necnon terrae, oppidorum, villarum, locorum, territoriorum, districtuum, comitatus et aliorum praemissorum veriores qualitates, confines, denominationes, nuncupationes et vocabula, aliaque in praemissis, et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna, praesentibus pro plene et sufficienter insertis et expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque; firmâ[1] spe fiduciâque conceptis, quod, gratiâ Domini praefato Alexandro episcopo assistente propitiâ, dicta ecclesia Camplensis sub suo felici regimine regetur utiliter, et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa.

Utriusque ecclesiae onera sustinenda.

§ 9. Volumus autem quod, propter unionem et annexionem et incorporationem, praedictae ecclesiae Hortensis et Camplensis huiusmodi in spiritualibus et temporalibus detrimenta non sustineant, sed earum congrue supportentur onera consueta;

Si dissolutio fiat, Camplensis ecclesiae dos augenda.

§ 10. Quodque, in eventum dissolutionis dictae unionis, communitas et homines Camplenses praefati teneantur augere dotem dictae episcopalis mensae Camplensis usque ad annuum valorem mille scutorum, iuxta dispositionem decretorum Concilii Tridentini; aliàs terra Camplensis ac villae, territoria, districtus et comitatus huiusmodi, ut praefertur dismembrata, ad pristinum eum, in quo ante erectionem et dismembrationem huiusmodi erant, statum revertantur.

Exhortatio ad episcopum ut suo muneri satisfaciat.

§ 11. Quocirca eidem Alexandro episcopo per apostolica scripta mandamus, quatenus onus curae et administrationis dictae ecclesiae Camplensis sic exercere studeat solicite, fideliter et prudenter, quod exinde sperati fructus proveniant, et suae bonae famae odor ex suis laudabilibus actibus latius diffundatur[2], ac dicta ecclesia Camplensis gubernatori provido, et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ipseque Alexander episcopus, praeter aeternae retributionis prae-

1 Sic. leg. Ughelli; perperam vero edit. Main. habet *pastoralem*, nam hâc lectione positâ, vel coniunctio *et* redundat, vel poste alegendum foret *committimus* pro *committendo* (R. T.).

1 Edit. Main. habet. firmâque, sed aptius Ughelli legit *firmâ* (R. T.).

2 Tum edit. Main. tum Ughelli leg. *diffundantur*: erronee, ut patet (R. T.).

mium, nostram ac dictae Sedis Apostolicae benedictionem et gratiam, exinde uberius consequi mereatur.

Clausulae poenales.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae dismembrationis, separationis, exemptionis, liberationis, erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, subiectionis, indulti, unionis, annexionis, incorporationis, provisionis, praefectionis, derogationis, voluntatis et mandati, infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCIV, idibus maii, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 13 maii 1604, pontif. ann. XIII.

CCCXLI.

Iniunctâ Philippi III Hispaniarum regi lege restituendi bona ab ecclesiis a Philippo II alienata ex concessione a Gregorii XIII obreptitie obtentâ, eiusdem Philippi II anima a censuris absolvitur[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Gregorius XIII Philippo II regi pro classe contra christianae fidei hostes comparanda concessit ut nonnulla oppida, arces, etc. ad ecclesias, monasteria pertinentia, in proprios usus converteret.

§ 1. Cum aliàs felicis recordationis Gregorius Papa XIII, praedecessor noster, accepisset, clarae memoriae Philippum Hispaniarum regem catholicum immensos et fere intolerabiles sumptus pro christianae reipublicae fideique defensione continuo facere, et ingentem ac validam classem quotannis contra Turcas instruere, magnosque in Belgio exercitus adversus haereticos alere, atque hisce tot tamque gravibus expensis proprium aerarium non sufficere, ideoque maioribus ei subsidiis opus esse; idem Gregorius praedecessor, considerans huiusmodi sumptuum atque expensarum causas ad conservationem quoque regnorum dicti Philippi regis pertinere, et non modo laicis, verum etiam clericis universis eidem regi subditis communes esse, licet iam ob praedictas et alias causas clero regnorum Hispaniarum per Sedem Apostolicam nonnulla subsidia, videlicet quadrigentorum et viginti millium ducatorum et solutionis primae decimae, imposita, et eidem Philippo regi, ut dictas expensas facilius ferre possit, assignata essent; ipseque Philippus rex a personis saecularibus dictorum regnorum diversa adiumenta quaereret, ut quadraginta suae ordinariae, et sexaginta ecclesiasticae classis triremes, sicut ex propriâ obligatione, in foedere tunc contra Turcas inito factâ, tenebatur, commodius instrueret: tamen, advertens admodum convenire ut personae ecclesiasticae Hispaniarum, ultra subsidia supradicta, adhuc partem aliquam bonorum ecclesiasticorum iurisdictionalium (quo minori fieri posset ecclesiarum dispendio) eidem Philippo regi in eius subventionem conferrent, exemplo recolendae memoriae Clementis VII et Pauli III, ac Iulii etiam III, Romanorum Pontificum, suorum et nostrorum praedecessorum, qui alienandi bona iurisdictionalia militiarum, et personarum regularium in dictis regnis existentium, ad summas tunc expressas, inclytae memoriae Carolo V Romanorum imperatori, eiusdem Philippi regis genitori, per diversas eorum litteras facultatem concesserant, adductus; motu eius proprio, eidem Philippo regi ut per se, vel alium seu alios ad id per eum toties quoties et quandocumque sibi videretur deputandum seu deputandos, tot oppida, arces, fortalitia, villas, terras et loca,

1. Ex Regest. in Secret. Brev.

quot valorem annuum quadraginta millium ducatorum auri largorum, secundum communem aestimationem, non excederent, ad quascumque cathedrales, etiam metropolitanas ac primatiales, collegiatas, necnon parochiales ecclesias ac monasteria, tam virorum quam mulierum, prioratusque, praepositura, capitula, conventus, dignitates etiam conventuales, ac maiores et principales administrationes et officia, caeteraque beneficia ecclesiastica et loca, cum curâ et sine curâ, saecularia et sancti Benedicti, sancti Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, sancti Hieronimi, ac quorumcumque aliorum Ordinum regularia, eorumque conventuales mensas in temporalibus pleno iure, quocumque titulo, causâ seu occasione, et quovis modo spectantia et pertinentia, in dictis Hispaniarum regnis consistentia, cum suis vassallis, et tam civilibus quam criminalibus iurisdictionibus, nec non mero et mixto imperio, fructibusque, redditibus et proventibus, obventionibus et emolumentis quibuscumque, omnibusque aliis iuribus et pertinentiis in praedictis, et circa ea, et illorum occasione quomodolibet competentibus, spectantibus ac pertinentibus, ab eisdem ecclesiis, monasteriis, prioratibus, praepositurís, capitulis, conventibus, dignitatibus, officiis, mensis, ordinibus et locis, (postquam aequivalentem recompensam annuorum fructuum, reddituum et proventuum eorumdem oppidorum, arcium, fortalitiorum, villarum, terrarum et locorum, ex communi aestimatione quinque annorum ex tunc proxime praeteritorum computando, in tot bonis immobilibus, et aliis rebus seu redditibus suis, tutis et securis, super quo ipsius Philippi regis conscientiam oneravit, realiter et cum effectu assignavisset) perpetuo, sine consensu praesulum, abbatum, abbatissarum, priorum, praepositorum, rectorum, conventuum, capitulorum et aliarum personarum ea obtinentium, dismembrandi et separandi, ipsaque oppida, arces, fortalitia, villas et loca cum illorum omnium vassallis, iurisdictionibus, mero et mixto imperio, fructibus, redditibus, proventibus, obventionibus, emolumentis ac iuribus, et pertinentiis praedictis, sibi appropriandi, applicandi et incorporandi, ac eorum fructus, redditus, proventus et emolumenta, pariter sine consensu praedictorum praesulum, abbatum, abbatissarum, priorum, praepositorum, rectorum, conventuum, capitulorum et aliarum personarum ea obtinentium, etiam perpetuo, per se, vel alium, seu alios, ab eo pro tempore deputatum seu deputatos, percipiendi, exigendi et levandi, ac in suos usus et utilitatem convertendi, plenam et liberam licentiam, ac omnimodam facultatem et potestatem, apostolicâ auctoritate concessit et elargitus fuit:

Data tamen prius compensatione.

§ 2. Ac ex tunc, prout ex eo tempore postquam idem Philippus rex aequivalentem recompensam huiusmodi eisdem ecclesiis, monasteriis, prioratibus, praepositurís, capitulis, conventibus, dignitatibus, officiis, mensis, ordinibus et locis, ut praefertur, assignavisset, et e contra, oppida, arces, fortalitia, villas, terras et loca praedicta, cum vassallis, iurisdictionibus, meroque et mixto imperio, ac fructibus, redditibus, proventibus, obventionibus, emolumentis, ac iuribus et pertinentiis suis, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo dismembravit, et separavit, ac eidem Philippo regi, ita quod de illis omnibus, tamquam de suis propriis bonis, libere et licite disponere, et facere, ac illis uti, necnon oppida, arces, fortalitia, villas, terras et loca praedicta, cum illorum vassallis, iurisdictionibus, mero et mixto imperio, ac fructibus, redditibus, proventibus, obventionibus, emolumentis ac iuribus et pertinentiis, in quoscumque,

Haud ea vendere etiam posset.

quos ipse Philippus rex voluisset, quocumque titulo, etiam perpetuae alienationis, venditionis et concessionis, pro pretio seu pretiis reperibili aut reperibilibus, et aliàs sibi benevisis, in praedictum effectum et ad communem ipsius christianae religionis salutem convertendis, transferre, alienare, concedere et assignare, ac pretium seu pretia inde proveniens et provenientia recipere, et in usum praedictum convertere (ita tamen quod bona ecclesiastica monasteriorum, prioratuum, praepositurarum, dignitatum et aliorum supradictorum, quae tempore separationis et alienationis, vigore dictae facultatis faciendae, essent vacantes, aut pastore carerent, nullatenus separarentur neque alienarentur, donec suos pastores, abbates et rectores habuissent) libere et licite valeret, dictà auctoritate perpetuo applicavit, appropriavit et incorporavit, ac dismembrata, appropriata, applicata et incorporata esse voluit, decrevit et declaravit;

Dictasque faciendas appropriationes et venditiones tam quam factas approbavit.

§ 3. Et pro potiori cautelà, alienationes, venditiones, translationes, concessiones et assignationes, omniaque et singula alia supradicta, per Philippum regem, et ab eo deputandum seu deputandos praedictos, vigore dictae facultatis, de oppidis, arcibus, fortalitiis, villis, terris et locis, ac aliis praemissis faciendas, ex tunc pariter, prout ex eo tempore postquam facta forent, et e contra, eàdem auctoritate approbavit et confirmavit, ac approbata et confirmata esse voluit; supplens omnes et singulos praemissos tam iuris quam facti, et quarumcumque solemnitatum, in alienationibus bonorum ecclesiasticorum observari debitarum, defectus, si qui forsan intervenissent in eisdem; ac decernens dismembrationem, separationem, appropriationem, applicationem, incorporationem, necnon alienationes, venditiones, translationes, concessiones et assignationes, ac omnia et singula alia, quae in vim dictae facultatis, ut praefertur, fieri contigisset, perpetuà roboris firmitate subsistere, suosque plenarios effectus sortiri, ac per episcopos, archiepiscopos, primates, abbates, priores, abbatissas, priorissas, praepositos, capitula, conventus et alios quoscumque supradictos, caeterosque alios, ad quos ea quovis modo pertinerent et pertinere possent, perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari debere, perinde ac si ab eodem Gregorio praedecessore, et Apostolicà Sede, pro eiusdem Sedis urgentissimis necessitatibus, cum solemnitatibus a iure requisitis et aliis necessariis, dismembrata, separata, appropriata, applicata, incorporata, alienata, vendita et translata fuissent; necnon tam illa, quam eiusdem Gregorii praedecessoris litteras desuper expeditas, ex quavis causà, de nullitatis, aut subreptionis et obreptionis vitio, seu intentionis ipsius Gregorii praedecessoris defectu, notari vel impugnari, ac episcopos, archiepiscopos, primates, abbates, priores, praepositos, capitula, conventus et alios praedictos a praemissis et aliis eorum vigore faciendis, quovis etiam enormissimae laesionis praetextu, aut ex quacumque alià, etiam iustissimà causà, quomolibet appellare seu reclamare, ac illis aliqua privilegia, etiam per dictam Sedem, sub quacumque formà et verborum expressione concessa seu concedenda, ad hoc ut dismembrationem, separationem, applicationem, appropriationem, incorporationem, alienationes, venditiones, translationes, concessiones et assignationes huiusmodi, aliaque per ipsum Philippum regem et ab eo deputandum seu deputandos pro tempore facta, ex quavis causà seu occasione, etiam enormissimae laesionis huiusmodi, aut non servatarum solemnitatum a iure requisitarum, annullare, invalidare et retractare seu impu-

gnare valerent, suffragari non posse; ac aliàs, prout in eiusdem Gregorii praedecessoris litteris desuper in forma Brevis sub datum die VI aprilis MDLXXIV pontificatus sui, anno II expeditis, latius continetur[1].

Philippus rex nonnulla ex iis alienavit et vendidit tertiis personis, acceptis aliis stabilibus, vel pretio, nonnulla sibi appropriavit vel subiecit, nonnulla etiam ipsis reliquit ecclesiis accepto aequivalenti pretio.

§ 4. Quarum litterarum vigore, sicut accepimus, dictus Philippus rex nonnulla ex castris, fortalitiis, villis, terris et locis iurisdictionalibus huiusmodi, ad quasdam cathedrales, etiam metropolitanas ac primatiales, collegiatas, et parochiales ecclesias, ac ad monasteria tam virorum quam mulierum, prioratus, praepósituras, capitula, conventus, dignitates etiam conventuales, ac maiores et principales administrationes et officia, caeteraque beneficia ecclesiastica, in eisdem regnis Hispaniarum consistentia, respective spectantibus, cum suis iurisdictionibus, et cum mero et mixto imperio, fructibusque et redditibus, proventibus, obventionibus, emolumentis, iuribus et pertinentiis quibuscumque, ab eisdem ecclesiis, monasteriis, prioratibus, praepósituris, capitulis, conventibus, dignitatibus, officiis ac beneficiis, eorumque mensis, ordinibus et locis respective (assignatâ prius cuilibet eorum pro ratione reddituum annuorum, ex castris, fortalitiis, villis, terris et locis, ad illa respective spectantibus, iuxta aestimationem praedictam percipi solitorum, aequivalenti et tutissimà in eisdem dioecesibus consistenti aliorum reddituum annuorum recompensà) dismembravit; ac ex illis quaedam, nimirum titulo permutationis, in tertias personas transtulit, pro quibus, seu quorum loco, alia bona stabilia (prout a duce Medinae-Coeli, in permutationem oppidorum Utrellae et Almanez, quasdam salinas, quas regiae coronae incorporavit) recepit; quaedam vero aliis similiter tertiis personis, pretio convento, in perpetuum vendidit et alienavit (horum autem sic, ut praefertur, venditorum et alienatorum redditus annui ad summam novem millium et quingentorum circiter ducatorum, ut accepimus, ascendunt); quaedam alia coronae suae regali simpliciter incorporavit; quaedam vero (a quorum universitatibus certas pecuniarum summas recepit, nonnullis eisdem concessis privilegiis) eidem coronae suae immediate subiecit; reliqua, quorum universitates ne in alios transferrentur certam pecuniarum quantitatem Philippo regi persolverunt, seu praedia vel alia bona stabilia loco pecuniarum eidem regi assignarunt, sub eisdem ecclesiis seu monasteriis, vel prioratibus, aut aliis beneficiis ecclesiasticis, ad quae pertinebant, dimisit; prout in diversis instrumentis et documentis, ac aliis scripturis publicis, regiisque diplomatibus, super praemissis confectis et expeditis, plenius dicitur contineri.

Postea vero scrupulis ductus testamento decrevit cuique ecclesiae sua bona restitui

§ 5. Cum autem, sicut etiam accepimus, postea idem Philippus rex, considerans forsitan, ex eo quod Gregorio praedecessori expositum non fuerat, pridem recolendae memoriae Pium Papam V, etiam praedecessorem nostrum, ipsimet Philippo regi facultatem concessisse alienandi similia bona iurisdictionalia, ad ecclesias, monasteria, et beneficia ecclesiastica regnorum Hispaniarum, de consensu tamen praesulum, et aliorum monasteria et beneficia huiusmodi obtinentium, et assignatâ eisdem ecclesiis, monasteriis et beneficiis, ad quae ipsa bona iurisdictionalia pertinerent, duplici recompensâ illorum annui valoris; et etiam ex eo quod etiam eidem Gregorio praedecessori forsan praesuppositum fuerat, redditus bonorum iurisdictionalium, ad ecclesias, monasteria et beneficia praedicta pertinentes, valorem annuum quadraginta millium

1 Litterae praedictae non habentur in *Bull.* (R. T.).

scutorum praedictorum longe excedere, cum tamen, ut postea compertum fuerat, ad illorum valorem vix ascenderent, his de causis facultatem, sibi ad hoc a praedicto Gregorio praedecessore concessam, subreptionis vitio subiacere; et tum ex praedictis causis, tum etiam ex eo quod ipse Philippus rex formam dictae facultatis non servasset, et pecunias, ex venditionibus et alienationibus praedictis receptas, in usus expressos non convertisset, conscientiae stimulis agitatus, in eius ultimo testamento, seu codicillis, duas clausulas apposuerit, per quas disposuit ut aliqua ratio seu forma iniretur restituendi ecclesiis, monasteriis et aliis huiusmodi beneficiis ecclesiasticis dictorum regnorum, oppida, castra, fortalitia, villas, terras et loca supradicta ab eis in vim facultatis apostolicae dismembrata et alienata;

Philippus III prudentibus viris rem examinandam committit.

§ 6. Et propterea charissimus in Christo filius noster Philippus III Hispaniarum rex catholicus, eiusdem Philippi II filius et successor, considerans negocium hoc maximi momenti existere, congregationem gravissimorum scientiâ et probitate virorum, ut negocium praedictum mature considerarent, et ipsi referrent nominatim deputaverit;

Qui Philippi secundi mentem exequutioni demandari non posse putant.

§ 7. Cumque in dictâ congregatione maturo consilio consideratum fuerit, causas, propter quas dictus Gregorius praedecessor facultatem supradictam concessit, tam necessarias et utiles christianae reipublicae et eas quidem verissimas fuisse et esse, ac venditiones et alienationes praedictas, auctoritate apostolicâ, et sub fide publicâ sine dolo et fraude, datâque ecclesiis, monasteriis et beneficiis huiusmodi recompensâ, iuxta formam litterarum dicti Gregorii praedecessoris factas fuisse, et, si nunc venditiones huiusmodi rescinderentur, inde profecto maximae in Hispaniarum regnis perturbationes orirentur; quandoquidem emptores, qui bonâ fide oppida, castra et loca iurisdictionalia praedicta emerant, in illis, tamquam proprii domini, maximas impensas et melioramenta ecclesiarum, monasteriorum, domorum et arcium fecerunt, terras emerunt, molendina et aquaeductus, aliaque opera sumptuosa contraxerunt; quae omnia, cum omnibus damnis et interesse, quae passi fuerunt, quae ad inaestimabilem pecuniarum summam ascenderent, illis de iure refici et restitui oporteret, iuxta obligationes a praedicto Philippo II rege in vim dictarum Gregorii litterarum factas; unde infinitae lites, differentiae, molestiae et perturbationes in praedictis regnis suscitarentur; praeterquamquod id exequutioni difficillime demandari posset ob resistentiam emptorum, quibus invitis, sine iniuriâ, ius et dominium, iusto titulo et bonâ fide per viam contractus acquisitum, adimi non posset: consideratum praeterea fuit, ipsum Philippum III regem huismodi restitutionem, hoc praesertim tempore, facere non posse, cum sua regna et patrimonium regale ob alias expensas, quas eiusdem christianae reipublicae et fidei catholicae causâ facere coactus fuit, valde exhausta sint:

Philippus III petit suae et patris conscientiae consuli.

§ 8. Quare ipse Philippus III rex cupiens tum suae, tum Philippi II eius genitoris saluti consulere, nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Clemens iubet quid faciendum.

§ 9. Nos igitur, qui eiusdem Philippi III regis summam pietatem, religionem, eximia in omnes suorum regnorum ecclesias et personas ecclesiasticas, atque adeo in universam christianam rempublicam, merita nota et perspecta habemus: propterea illius piis votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illumque amplioribus in dies favoribus et gratiis prosequi volentes, ac praedictarum Gregorii praedecessoris litterarum et quorumcum-

que instrumentorum, contractuum et aliarum scripturarum super permutationibus, venditionibus et alienationibus quorumcumque castrorum, oppidorum, arcium, fortalitiorum, villarum, terrarum et locorum supradictorum, per praedictum Philippum II, ut praemittitur, factis celebratorum et confectorum tenores, eorumdemque castrorum, oppidorum, arcium, fortalitiorum, villarum, terrarum et locorum, ecclesiarumque, monasteriorum, prioratuum, praepositurarum, capitulorum, conventuum, dignitatum, officiorum, mensarum, ordinum et locorum ecclesiasticorum, ad quae respective pertinebant, denominationes, titulos, iura, vocabula, situationes, confines, qualitates, dioeceses et veros etiam annuos valores, caeteraque necessaria praesentibus pro expressis habentes, ipsius Philippi III regis supplicationibus inclinati, ac ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, volumus et harum serie decernimus, ut idem Philippus III rex, ut [1] suae ac Philippi II eius genitoris saluti consulat, quoad praemissa teneatur, ea quidem oppida, castra, arces, fortalitia, villas, terra et loca ex supradictis, quae coronae suorum regnorum dictus Philippus II rex simpliciter incorporavit, nec non ea etiam, quorum universitates, ne in alias personas alienarentur, certâ pecuniarum quantitate ipsi Philippo II persolutâ, seu forsan, loco pecuniarum, bonis aliquibus stabilibus ipsi Philippo II regi assignatis, ab illo quaedam privilegia obtinuerunt, et suae coronae regali immediate subiecta fuerunt (salvis ipsis universitatibus et integris remanentibus quibuscumque privilegiis, gratiis et indultis per dictum Philippum II eisdem universitatibus propterea concessis), ecclesiis, monasteriis, prioratibus, praeposituris, capitulis, conventibus, dignitatibus, officiis, mensis, ordinibus et locis ecclesiasticis, ad quae respective antea pertinebant, cum illorum vassallis, iurisdictionibus, ac mero et mixto imperio, fructibusque, redditibus, proventibus, obventionibus, emolumentis ac iuribus et pertinentiis suis quibuscumque, omnino restituere et reintegrare teneatur et debeat; et ab eisdem ecclesiis, monasteriis, prioratibus, praeposituris, capitulis, conventibus, dignitatibus, officiis, mensis, ordinibus et locis bona, quae dictus Philippus II illis pro recompensâ assignavit, recipere sibique restitui facere possit: quo vero ad ea oppida, castra, arces, fortalitia, villas, terras et loca ex praedictis, quae per dictum Philippum II in alios titulo permutationis translata fuerunt, pro quibus nimirum ipsi Philippo II regi alia bona (videlicet quaedam salinae in permutationem oppidorum Utrellae et Almanez a duce Medinae Coeli) assignata fuerunt, ipse Philippus III teneatur ecclesiis, monasteriis, prioratibus, praeposituris, capitulis, conventibus, dignitatibus, officiis, mensis, ordinibus et locis ecclesiasticis, ad quae respective spectabant, vel eademmet bona et praesertim salinas praedictas, quae ipse Philippus II habuit, assignare; et eo casu ab eisdem ecclesiis, monasteriis et aliis beneficiis supradictis bona, quae illi pro recompensâ a praedicto Philippo II rege data fuerunt, recipere et sibi restitui facere possit; seu, si ipse Philippus III rex praemissa facere non potuerit, teneatur saltem et debeat, ultra bona per Philippum II pro aequivalenti recompensâ ecclesiis, monasteriis et aliis beneficiis ecclesiasticis praedictis concessa, alia bona, iuxta declarationem a nostro et apostolicae Sedis nuncio apud ipsum Philippum III residente faciendam, assignare

Nempe decernit bona huiusmodi vel regio aerario addicta, vel ab ecclesiis in compensationem accepta ecclesiis, monasteriis, etc. restitui.

Pro iis vero, quae in laicorum manus titulo permutationis devenere, primos dominos compensare.

[1] Partic. *ut* opus esse arbitrati sumus (R. T.).

illis autem universitatibus et locis, quae dicto Philippo II pecunias, seu bona stabilia, ad effectum quod non venderentur, tribuerunt, et sub eisdem ecclesiis, monasteriis et beneficiis ecclesiasticis remanserunt, ipse Philippus III rex teneatur aliquam recompensam, arbitrio eiusdem nuncii, pariter assignare: ubi vero praemissa adimpleverit, ex nunc prout ex tunc, et e contra, quo ad ea oppida, castra, arces, fortalitia, villas, terras et loca ex praedictis, quae venditionis titulo per dictum Philippum II perpetuo realiter et cum effectu vendita et alienata fuerunt, ut praefertur, venditiones et alienationes huiusmodi perpetuo validas et firmas remanere volumus, easque et instrumenta seu alias scripturas desuper confectas, et in eis contenta et inde sequuta quaecumque, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Tandem quoad ea, quae vendita fuerunt, sanatoriam concedit.

§ 10. Ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, et quarumcumque solemnitatum in alienationibus bonorum ecclesiasticorum observari debitarum, etiam substantialium, aliosque defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus; ac venditiones et alienationes huiusmodi, ac instrumenta desuper celebrata, et in eis contenta, et inde sequuta quaecumque, perpetuo valida, firma et efficacia fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; ac per archiepiscopos, primates, episcopos, abbates, priores, abbatissas, priorissas, praepositos, capitula, conventus et alios quoscumque supradictos ad quos spectat, perpetuis futuris temporibus, inviolabiliter observari debere; nec ab ipsis, aut quibusvis aliis, quavis auctoritate fungentibus et functuris, etiam praetextu testamenti, seu codicillorum, aut alterius ultimae voluntatis praedicti Philippi II, super illorum restitutione faciendâ, aut quavis aliâ occasione, rescindi, retractari, annullari, aut de ipsarum venditionum validitate quomodolibet opponi nullatenus posse; praesentes quoque litteras de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae defectu, notari vel impugnari, aut adversus illas quodcumque gratiae vel iustitiae remedium impetrari minime posse.

Defectus supplet.

§ 11. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ac etiam nuncios Apostolicae Sedis, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Clausula sublata.

12. Ipsum vero Philippum III regem a quacumque restitutione oppidorum, castrorum, arcium, fortalitiorum, villarum, terrarum et locorum venditorum et alienatorum praedictorum, ecclesiis, monasteriis, prioratibus, praepositūris, mensis, capitulis, conventibus et locis ecclesiasticis quibuscumque, ad quae spectabant et pertinebant, faciendâ, aut aliquâ ulteriori recompensâ illis assignandâ, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, penitus absolvimus et liberamus, ac absolutum et liberum existere et fore declaramus; voluntatemque praedicti Philippi II, quoad haec, specialiter et expresse commutamus.

Absolvit Philippum regem a quacumque ulteriori restitutione.

§ 13. Eiusdem autem Philippi II regis animam, quantum divinae bonitati placuerit, a quibuscumque censuris et poenis ecclesiasticis, per eum, occasione venditionum et alienationum ac permutationum et incorporationum supradictarum (etiam ex eo quod, ut praemissum est,

Philippi II animam a censuris liberat.

praedicto Gregorio praedecessori suppositum fuerit, redditus bonorum iurisdictionalium supradictorum summam annuam quadraginta millium ducatorum longe excedere, cum postea compertum extiterit omnes in simul ad praedictam summam non ascendere; vel etiam ex eo, quod ipsi Gregorio praedecessori expositum non fuerit, pridem recolendae memoriae Pium Papam V, etiam praedecessorem nostrum, aliam facultatem alienandi bona iurisdictionalia, de consensu tamen praesulum et aliorum possessorum ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, praepositurarum et beneficiorum ecclesiasticorum, ad quae pertinebant, et assignatâ recompensâ dupli valoris annui reddituum eorumdem bonorum iurisdictionalium, concessisse), aut aliàs quomodolibet forsan incursis, gratiose pariter absolvimus et liberamus.

Exequutores deputat.

§ 14. Quocirca venerabilibus fratribus Dominico archiepiscopo Sypontino, moderno et pro tempore existenti nostro et et Apostolicae Sedis apud ipsum Philippum III regem nuncio, et Palentino et Vallisoletano episcopis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Philippi III regis, aut aliorum quorumcumque in praemissis interesse habentium, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ omnia et singula praemissa debitae exequutioni demandari; ipsumque Philippum III regem, aliosque interesse habentes praedictos, eorumdem praemissorum effectu respective pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoscumque, eisque auxilium, consilium, vel favorem publice vel occulte, directe, vel indirecte quomodolibet praestantes, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogat obstantibus.

§ 15. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, et Symmachi, Pauli II, Pauli III et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus et bonis ecclesiasticis, nisi sub certâ formâ, non alienandis; nec non apostolicis ac in synodalibus et provincialibus et quibusvis aliis conciliis editis specialibus vel generabilibus constitutionibus et ordinationibus, nec non ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, praepositurarum, capitulorum, conventuum, dignitatum, officiorum, mensarum, ordinum et locorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis, monasteriis, prioratibus, ordinibus, locis et aliis supradictis, eorumque superioribus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis ac irritantibus, et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, aut consistorialiter, et de consilio et assensu venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, aut ad instantiam imperatoris, regum, reginarum et aliarum illustrium personarum, etiam pro remuneratione laborum, aut in vim pacti et

initi contractus inter ipsos et Sedem praedictam, aut aliàs quomodolibet, concessis, confirmatis, approbatis et innovatis, etiam disponentibus oppida, arces, fortalitia, villas, loca et alia bona praedicta ab ipsis ecclesiis, monasteriis et aliis supradictis dismembrari et separari non posse, et illorum dismembrationes, separationes et alienationes, etiam per Romanos Pontifices et alios pro tempore factas, nullius roboris vel momenti esse et fore, et eisdem privilegiis, indultis, concessionibus et litteris, nonnisi certis in eis expressis modo et formâ observatis, ac toto illorum tenore de verbo ad verbum inserto, derogari non posse, et aliter factam eorum derogationem nemini suffragari; quodque oppida, arces, fortalitia, villae et loca, et alia bona dismembrata et separata huiusmodi, ecclesiis, monasteriis, ordinibus et locis, et aliis praedictis, relicta aut donata fuerint, et testamentariis dispositionibus, aut codicillis, seu ultimis voluntatibus, aut aliis contractibus, caveatur expresse, quod illa in alterius, quam ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, praepositurarum, capitulorum, conventuum, dignitatum et aliorum praedictorum, usus et utilitatem converti, seu aliter alienari nequeant, et in eventum huiusmodi alienationis alteri certo pio loco ex dictorum contractuum seu ultimarum voluntatum dispositione applicari debeant: quibus omnibus, illorum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, specialiter et expresse derogamus, caeterisque[1] contrariis quibuscumque: aut si episcopis, archiepiscopis, primatibus, prioribus, abbatibus, abbatissis, priorissis, praepositis, capitulis, conventibus et aliis supradictis ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXVIII maii MDCIV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 28 maii 1604, pontif. an. XIII.

CCCXLII.

Quod protonotarii apostolici titulares in regnis Castellae et Legionis cedere debeant locum digniorem officialibus episcopi, dignitatibus et canonicis cathedralium[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem suae declarationis ministerio providere, ne inter ecclesiasticas personas ulla controversiae occasio relinquatur, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Prooemium.

§ 1. Cum igitur, sicut ad nos perlatum est, in regno Castellae et Legionis nonnulli adsint nostri et Apostolicae Sedis notarii, protonotarii nuncupati, ex Apostolicae Sedis gratiâ speciali creati, non tamen de numero nostrorum et eiusdem Sedis notariorum, participantium vocatorum; cumque ii, licet sine praebendâ, vel aliquâ ecclesiasticâ dignitate reperiantur, nihilominus non solum canonicis et aliis praebendatis, ac etiam dignitates obtinentibus, verum etiam ipsismet episcoporum officialibus praecedere Protonotarii titulares canonicis, etc. praecedere praetendebant

1 Vocem *caeterisque* nos adiecimus (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

praetendant, et exinde quandoque controversiae occasio oriatur:

Declaratio de qua in rubrica.

§ 2. Nos huic incommodo, ut par est, occurrere cupientes, ex voto venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super sacris ritibus et coeremoniis deputatorum, quibus hoc negotium examinandum et nobis referendum commisimus, harum serie declaramus ipsos Apostolicae Sedis notarios titulares, et non de collegio, nec numero participantium praedictorum, tam in sessionibus in ecclesiâ, quam in processionibus, debere cedere locum digniorem officialibus episcopi ac dignitates obtinentibus, et canonicis ecclesiarum cathedralium, prout in libro coeremoniali praedictorum declaratur.

Clausulae.

§ 3. Sicque, et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac eosdem S. R. E. cardinales iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Exequutorum designatio.

§ 4. Quocirca dilectis filiis causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, ac Toletano et Vallisoletano officialibus per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte canonicorum, dignitatum et aliorum predictorum fuerint requisiti, praesentes litteras[1] solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos praemissorum omnium et singularum effectu pacifice frui et gaudere: non permittentes eos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, quibusvis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XXVIII maii MDCIV, Pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 28 maii 1604, an. pontif. XIII.

[1] Haec verba *praesentes litteras* omisit Main. (R. T.).

CCCXLIII.

Declaratur non licere laicis, dum divina officia in ecclesiâ Compostellanâ celebrantur, inter canonicos et alios praebendatos ac ministros in choro vel presbyterio stare, neque magistratibus et iudicibus laicis dignitatum sedes vel canonicorum stalla occupare[1].

Clemens Papa VIII.
ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Romanum decet Pontificem in his auctoritatem suam interponere, per quae congrua tum ecclesiasticis, tum laicalibus personis loca in ecclesiâ constituantur.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

ita ut omnis inter illas confusionis occasio removeatur.

Declaratio de qua in rubrica.

§ 1. Cum igitur in Ecclesiâ Dei alia ministrorum in divinis inservientium, alia populi divina audientis, loca esse debeant, nos supplicationibus dilectorum filiorum decani et capituli ecclesiae Compostellanae nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac ex voto venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super sacris ritibus et coeremoniis deputatorum, harum serie declaramus, non licere neque permitti debere laicis, dum divina officia in ecclesiâ praedictâ Compostellanâ celebrantur, inter canonicos et alios in ecclesiâ praebendatos ac ministros in choro vel presbyterio stare vel sedere, neque licere magistratibus aut iudicibus laicis proprias dignitatum sedes aut canonicorum stalla in choro praedicto, aut presbyterio, occupare, etiamsi aliquando id eis permissum fuerit, necnon id ipsum non solum in ecclesiâ metropolitanâ Compostellanensi, sed etiam in processionibus et in aliis ecclesiis, ad quas ire seu assistere capitulum et canonicos praedictae ecclesiae Compostellanensis contigerit, observandum esse.

Clausulae.

§ 2. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Exequutores designati.

§ 3. Quocirca dilectis filiis cantori ecclesiae Compostellanae ac nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio, ac causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum decani et capituli fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Compostellanae et aliarum ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXXI mai MDCIV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 31 maii 1604, pontif. an. XIII.

CCCXLIV.

Decreta nonnulla pro manutentione aggerum fluminis Rhodani, pro iurisdi-

ctione consulum politiae, et de militibus praesidiariis Avenionensibus[1].

Dilecto filio nostro et Apostolicae Sedis in civitate Avenionensi Vice-legato

Clemens Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Assignatio nonnullorum redditiuum pro manutentione aggerum.

§ 1. Dilectorum filiorum syndicorum et consilii, ac communitatis, et hominum civitatis nostrae Avenionensis sublevationi et commodis, quantum cum Domino possumus, pro nostrà paternà in illos charitate prospicere cupientes, ac supplicationibus eorum nomine per dilectum filium Laurentium Dreperium U. I. D. assessorem, et eorum apud nos oratorem, nobis humiliter porrectis inclinati, tibi, de cuius fide, prudentià et integritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus et mandamus, ut pro manutentione et restauratione aggerum fluminis Rhodani, et ad obviandum alluvionibus, quas in agrum Avenionensem quandoque facere solet, eisdem communitati et hominibus facultatem exigendi gabellam duorum iuliorum pro singulo equo eorum, per quos navigia, mercibus quibuscumque onusta, averso flumine trahuntur, dummodo pecunias inde redigendas in restaurationem et reparationem aggerum praedictorum fideliter converti faciant, auctoritate nostrà apostolicà concedas: necnon eisdem communitati et hominibus auctoritatem locandi piscationem piscium copporum nuncupatorum in dicto flumine Rhodani, quam, ut asserunt, pridem habebant, sed novissime in favorem Camerae nostrae Apostolicae tu locasti, restituas, quatenus tamen eadem Camera nostra ultra redditum annuum duodecim scutorum exinde non amittat.

Consulum iurisdictio super politia circa res ad victum spectantes.

§ 2. Praeterea, cum ad eosdem communitatem et homines administratio et iurisdictio politiae circa res ad victum spectantes usque ad poenam quatuor scutorum auri in auro spectet, ordinationes superestantium ipsius politiae consulum aut magistrorum victualiae, ad commodum populi eiusdem civitatis faciendas, diligenter observari cures et facias, illisque concessionem iurisdictionis dictae politiae, auctoritate apostolicà eis factam, conserves, ac, ubi opus fuerit, eisdem faveas et assistas, ac opportunum favorem et auxilium efficaciter praestes.

Milites praesidiarii non debent esse incolae Avenionenses.

§ 3. Demum, quia non intendimus, quod milites praesidiarii civitatis praedictae esse possint ex incolis eiusdem civitatis, propterea volumus et ordinamus ut eàdem auctoritate nostrà prohibeas, ne aliquis ex iis qui domicilium in eàdem civitate contraxerunt, etiamsi sint nationis italicae, nec ullus penitus ex civibus Avenionensibus, in milites praesidiarios huiusmodi adscribi possint: super quibus omnibus et singulis plenam et amplam tribuimus facultatem.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim de rebus Camerae nostrae non alienandis, necnon eiusdem Camerae, et dictae civitatis Avenionensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicà, vel quavis firmitate alià roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XIX iunii MDCIV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 19 iunii 1604, pontif. an. XIII.

CCCXLV.

Suppressio nonnullarum ecclesiarum, capellarum et prioratuum ducatus Sabaudiae et principatus Pedemontium, et applicatio ac unio ipsorum militiae Ss. Mauritii et Lazari[1].

Clemens episcopus
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Ordines Militares pro defensione fidei catholicae instituti.

Superni dispositione consilii in supereminenti apostolicae dignitatis speculâ, meritis licet imparibus, constituti, circa militiarum quarumlibet (ad catholicorum principum instantiam per praedecessores nostros Romanos Pontifices pro fidei catholicae defensione adversus continuas infidelium vexationes institutarum) salubrem directionem et profectum, ac praeceptoriarum aliorumque beneficiorum suorum propagationem, iuxta pastoralis officii debitum sollicite vigilantes, nonnunquam aliqua beneficia ecclesiastica saecularia et regularia supprimimus, et illorum loco praeceptorias militiarum huiusmodi pro illarum fratribus militibus, qui bella Domini exercituum pro sanctae fidei suae defensione strenue gerant, ad eiusdem orthodoxae fidei conservationem et augmentum, ac ipsarum militiarum decorem et venustatem erigimus, aliàsque disponimus, prout a nobis nobilium principum vota exposcunt, ac rerum et temporum personarumque qualitate pensatâ conspicimus in Domino salubriter expedire.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Carolus Emmanuel, haereticis ad catholicam fidem adductis,

§ 1. Sane, pro parte dilecti nobilis viri Caroli Emmanuelis Sabaudiae ducis et Pedemontium principis, qui etiam militiae sanctorum Mauritii et Lazari sub regulâ sancti Augustini institutae magister apostolicâ auctoritate deputatus existit, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipse provide et pie considerans, aliàs clarae memoriae Emmanuelem Philibertum genitorem suum, ac etiam semetipsum, ad Dei laudem dictaeque fidei exaltationem ac christianorum commodum plura beneficia, loca et bona ecclesiastica e faucibus haereticorum, qui illa detinebant, vindicasse, nec non regiones et populos haereticâ labe infectos ad verae fidei catholicae cognitionem et S. R. E. ac Sedis Apostolicae obedientiam reduxisse, ac, ut in eâ continerentur, verbi Dei praedicatores, parochos et alios idoneos operarios ibidem introduxisse, illisque et de proprietatibus et bonis dictae militiae providisse, ac eam in curam in dies peramplius invigilare; hincque eidem militiae compensationem aliquam a Sede Apostolicâ, loco bonorum sic distractorum, merito impendi debere. Si igitur in[1] beatae Mariae Consolationis nuncupatae cuius quinquaginta, ac sancti Andreae Taurinensis cuius sexaginta, et sancti Christophori cuius centum, ac sanctae Fidei Vercellensis cuius quadraginta, necnon sancti Iacobi de Moncalerio cuius septuaginta, ac sancti Laurentii de Pinarolio cuius centum et viginti, ac sancti Germani de Bra cuius sexaginta, ac sanctae Mariae de Sepulchro cuius quinquaginta, necnon eiusdem sancti Iacobi de Cherio cuius centum, et sancti Laurentii de Carpes, aliàs de Sivillano[2], Taurinensis cuius

Beneficia ecclesiastica hic expressa.

1 Nempe. *in beatae Mariae* et reliquis, quae postea enumerantur, *ecclesiis seu capellis* etc. ut dicitur in medio columnae seq. (R. T.).

2 *Bullarium* Ord. Ss. Mauritii et Lazari habet *de Saviliano* (R. T.).

septuaginta, ac sancti Benigni de Cuneo cuius sexaginta, et sancti Marci de Clavesio[1] Iporregiensis[2] et Vercellensis dioeceseon[3] respective cuius sexaginta, ac sancti Secundi de Turre rubeâ Astensis cuius quinquaginta, necnon sanctae Mariae de Neyve Albensis cuius centum et decem, et eiusdem sanctae Mariae de Virgis nuncupatae cuius sexaginta, et sancti Gervasii de Hospello[4], ac de Gordolon, aliàs Lantosca, cuius centem et decem, necnon sanctissimae Trinitatis de Tenda Vintimiliensis cuius sexaginta, et sancti Antonii de Chirasco[5] Taurinensis cuius quinquaginta, ecclesiis, seu capellis, praeposituris, aut aliàs nuncupatis; necnon in de[6] Allos vicariae Barcellonettae cuius[7], et seu eiusdem vicariae, aliàs de Molar, Ebredunensis cuius centum et decem, et de Lemens supra Camberiacum Granopolitanensis[8] ac de Allonda cuius quinquaginta, necnon de Ugina Tharentasiensis[9] cuius quinquaginta, et sanctae Mariae de Evion, Gebennensis, seu alterius, cuius quinquaginta, ac sanctae Helenae locorum, seu oppidorum, vel terrarum prioratibus sancti Benedicti, seu aliorum Ordinum, Maurianensis, dioeceseon respective, cuius ultimodicti, et illis forsan annexorum respective etiam quinquaginta[1] ducatorum[2] auri de Camera fructus, redditus et proventus, secundum communem aestimationem, valorem annuum non excedunt, ut idem Carolus Emmanuel dux asserit, cum primum per cessum etiam ex causâ permutationis, vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem vel amissionem illas et illos obtinentium, aut aliàs quibusvis modis, et[3] ipsorum prioratuum commendis cessantibus, vacare contigerit, nomina, tituli et denominationes ecclesiarum, seu capellarum, ac prioratuum huiusmodi, necnon in ipsis prioratibus, eorumque ecclesiis, aedificiis, membris et pertinentiis quibuscumque sancti Benedicti, et[4] seu alii Ordines quorum existunt, omnis status, natura, essentia, et dependentia[5] regulares perpetuo supprimerentur et extinguerentur, ac ecclesiae, seu capellae, et prioratus huiusmodi sic suppressi (sine tamen illos et illas ad praesens quomodolibet obtinentium praeiudicio) ex nunc, prout ex tunc, et e contra, in totidem praeceptorias dictae militiae, ad aliarum illius praeceptoriarum instar (de quibus tam hac primâ vice, quam deinceps, illarum vacatione etiam apud dictam Sedem occurrente, per pro

Cum primum quomodolibet vacaverint,

1 *Bull.* Ord. cit. legit *de Clavasio* (R. T.).

2 Id. habet *Ipporegiensis* loco *Eporediensis* (R. T.).

3 Edit. Main. habet *dioeces.* breviatum, *Bullarium* Ord. praedicti scribit *dioecesis*, sed melius legitur *dioeceseon* sicut paulo post (R. T.).

4 Id. habet *de Sospello* (R. T.).

5 Id. legit *de Cherasco* (R. T.).

6 Tum edit. Main. tum *Bull.* Ord. praecit. legunt *inde Allos*, sed erronee, ut puto; nam sensus est: *necnon in de Allos, de Lemens*, et reliquis qui postea enumerantur, *prioratibus* (R. T.).

7 Sic legitur tum apud Main. tum in *Bull.* Ord. praedicti; an mendum aliquod irrepserit, iudicet prudens lector (R. T.).

8 *Bull.* Ord. praedicti legit *Grationopolitanensis* (R. T.).

9 Id. *Bull.* habet *Tarantasiensis* (R. T.).

1 Sic legit *Bull.* Ord. praecit., profecto melius quam edit. Main. quae habet: *cuius ultimodicti, illis forsan annex. respective, et quinquaginta ducatorum;* cuius lectionis sensum divinare fortasse non est. Caeterum etiam prior illa lectio forsan eget aliquâ emendatione, ut legatur *et illi* (nempe loco vel prioratui sanctae Helenae ultimo dicto) pro *et illis*. Huius contextus explicationem, require, si lubet, per alium similem qui infra legitur pag. 93 (R. T.).

2 Huc tandem referuntur omnes adiectivi numerales antedicti ab initio periodi *Si igitur* (R. T.).

3 *Bull.* Ord. praecit. habet *etiam* (R. T.).

4 Id. omittit partic. *et*: fortasse legendum: *seu aliorum Ordinum;* vel intelligendum: *et seu alii* sint *Ordines quorum existunt* (R. T.).

5 Id. legit *dependentiae*, sed erronee (R. T.).

tempore existentem magnum eiusdem militiae magistrum[1], iuxta illius statuta et stabilimenta, provideri et disponi debeat) erigerentur et instituerentur, illaeque, sic erectae, eidem militiae etiam perpetuo unirentur, annecterentur, incorporarentur, applicarentur et appropriarentur, ex hoc profecto dictae militiae, quae potissimum adversus infideles instituta est, decori, suorumque militum imposterum subventioni opportune consuleretur.

Petit militiae sanctorum Mauritii et Lazari uniri.

§ 2. Quare pro parte dicti Caroli Emmanuelis ducis et magistri nobis fuit humiliter supplicatum, ut in ecclesiis, seu capellis, et prioratibus huiusmodi, nomina, titulos, denominationes, ordines, omnemque statum, essentiam et dependentiam regulares perpetuo supprimere et extinguere, ac eas in totidem praeceptorias erigere et instituere, illasque eidem militiae unire, annectere, incorporare, applicare et appropriare, aliàsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Petitioni annuit Clemens.

§ 3. Nos igitur (qui dudum inter alia voluimus, quod, petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum aestimationem praedictam, et[2] beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset; quique nuper certa privilegia, concessiones, indulta, indulgentias, praeeminentias, facultates et gratias alias eidem militiae et illius magistro pro tempore existenti a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa, ac etiam unionem[3] militiae sancti Mauritii huiusmodi confirmavimus et approbavimus, ac de novo concessimus et univimus, prout in nostris sub annulo piscatoris desuper confectis literis plenius continetur) eidem militiae, ut onera sibi incumbentia decentius imposterum supportare possit, pro singulari catholicae fidei zelo et sincerâ erga hanc Sanctam Sedem observantiâ et devotione, quibus tam ipsius Caroli Emmanuelis ducis progenitores quam etiam ipsemet Carolus Emmanuel emicuerunt, providere volentes, ipsumque Carolum Emmanuelem ducem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac dictarum litterarum, et aliarum unionum dictae militiae hactenus factarum tenores, et[1] fructuum, reddituum et proventuum dictae militiae veros annuos valores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, in ecclesiis, seu capellis, quae sine curâ sunt, ac[2] qui etiam curâ et conventu carent, ac illi et ecclesiae seu capellae huiusmodi personalem residentiam non requirunt, prioratibus praedictis, cum primum illas et illos per cessum, etiam ex causâ permutationis, etiam in manibus Romani Pontificis pro tempore existentis, vel decessum, seu privationem, aut quamvis aliam dimissionem vel amissionem illas et illos quomodolibet obtinentium, simul vel successive (etiam in

Et beneficia in ecclesiis et prioratibus praedictis existentia,

Cum primum vacent.

1 Addimus *magistrum* ex praecit. *Bull.* Ord. in quo vicissim deest *magnum* (R. T.).

2 *Bull.* Ord. praecit. legit *etiam*; fortasse legendum: *illorum, et etiam* (R. T.).

3 Nescio annon foret legendum: *unionem de militiâ sancti Lazari militiae sancti Mauritii* de qua unione vide supra Constit. CCCXXVII eiusdem Clem. VIII pag. 30 (R. T.).

1 Partic. *et* nobis visa fuit adiungenda (R. T.).

2 Nempe: *ac in prioratibus praedictis qui etiam curâ carent, ac tum illi* (prioratus) *tum ecclesiae personalem residentiam non requirunt* (R. T.).

aliquo ex mensibus, in quibus vacantium beneficiorum ecclesiasticorum dispositio nobis, aut Romano Pontifici pro tempore existenti, et dictae Sedi, per constitutiones apostolicas, seu cancellariae apostolicae regulas nunc editas et pro tempore edendas, reservata extiterit seu fuerit, aut ordinariis collatoribus per easdem similes constitutiones, aut regulas, seu literas alternativarum, vel alia privilegia et indulta apostolica concessis hactenus et imposterum concedendis[1], aut iure ordinario vel aliàs, competentibus et competituris[2]) vacare contigerit; etiamsi actu nunc, praemissis aut aliis quibusvis modis et ex illos et illas obtinentium vel quorumvis aliorum personis, vacent, et dispositioni apostolicae, ut praefertur, vel ex eo, quod dicti obtinentes nostri, seu quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum, aut S. R. E. cardinalium, etiam viventium, et in dictâ Curiâ praesentium, familiares, continui commensales, aut dictae Sedis notarii, iurium et proventuum eidem Camerae debitorum collectores, vel unici subcollectores[3], aut quicumque Romanae Curiae et dictae Sedis officiales praesentes et futuri quocumque nomine nuncupati, seu ex quavis aliâ causâ specialiter, vel aliàs generaliter reservati, seu ex generali reservatione apostolicâ affecti existant; super eis quoque[4] inter aliquos lis (cuius statum etiam praesentibus haberi volumus pro expresso) pendeat indecisa, nomina, titulos et denominationes ecclesiarum seu capellarum, ac prioratuum, necnon in ipsis prioratibus, eorumque ecclesiis, aedificiis, membris et pertinentiis quibuscumque S. Benedicti, et seu aliorum[1] Ordinum, quorum existant, ut praefertur, omnemque statum, naturam, essentiam et dependentiam regulares, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo supprimimus et extinguimus; ac ecclesias seu capellas, et prioratus huiusmodi (sine tamen illas et illos ad praesens quomodolibet obtinentium praeiudicio) ex nunc, prout ex tunc, et e contra, in totidem praeceptorias dictae militiae, ad aliarum illius praeceptoriarum instar, de quibus, tam a primaevâ earum erectione, quam deinceps illarum vacatione, etiam apud[2] Sedem pro tempore occurrente, per pro tempore existentem magnum magistrum ipsius militiae, iuxta illius statuta et stabilimenta, provideri et disponi debeat, eisdem auctoritate et tenore, etiam perpetuo erigimus et instituimus; illasque, sic erectas et institutas, eidem militiae (ita quod liceat futuris pro tempore existentibus praeceptoriarum erectarum huiusmodi praeceptoribus per se, vel alium, seu alios, eius et ipsarum praeceptoriarum nominibus, postquam suppressio et erectio huiusmodi suum sortitae fuerint effectum, nec antea, corporalem possessionem propriâ auctoritate libere apprehendere et retinere, necnon illarum fructus, redditus et proventus percipere, exigere, levare et in suos, ac earumdem praeceptoriarum usus

Etiamsi reservata,

Supprimit,

Et in praeceptorias erigit,

Et militiae praedictae annectit

1 Sic utraque editio: sed videretur potius legendum: *concessa hactenus et imposterum concedenda* (R. T.).

2 Nempe: *mensibus, qui (aut iure ordinario vel aliàs quomodocumque) competunt et competere possunt* personis praedictis (R. T.).

3 Sic legimus cum *Bull.* Ord. praecitati; edit. Main. habet *subcollectoris*, sed erronee, ut videtur (R. T.).

4 Nempe: *et etiamsi super eis lis pendeat indecisa*: vide similes formas infra pag. 93 col. 2 (R. T.).

1 Edit. Main. legit *alium Ordinum*; *Bullarium* Ss. Mauritii et Lazari legit: *alios Ordines*: nos corrigendum esse, ut in textu, arbitrati sumus, vel: *et seu alii sint Ordines quorum existant*, ut diximus supra, pag. 83, col. 2, nota 4 (R. T.)

2 Id. *Bull.* Ord. S. Mauritii legit *apud dictam Sedem* (R. T.)

et utilitatem convertere, Ordinariorum locorum, vel quorumvis aliorum licentiâ minime requisitâ), auctoritate et tenore praedictis, similiter perpetuo unimus, annectimus, incorporamus, applicamus et appropriamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, sub quibusvis similium vel dissimilium suppressionum, extinctionum, unionum, annexionum et incorporationum perpetuarum suum effectum non sortitarum, et aliarum gratiarum revocationibus, limitationibus modificationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam a nobis, vel quibuscumque aliis Romanis Pontificibus etiam praedecessoribus nostris, ac dictâ Sede, etiam in crastinum assumptionis eorumdem successorum nostrorum ad summi apostolatus apicem, vel aliàs etiam motu proprio, et consistorialiter, ac aliàs quomodocumque et qualitercumque pro tempore emanatis, quibuscumque formulis conceptae ac etiam decretis irritantibus suffultae fuerint, etsi de eisdem praesentibus, et earum toto tenore ac datâ, specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum mentio fiat, minime comprehendi, sed, tamquam in religionis et fidei catholicae defensionem et propagationem concessa, semper et omnino ab illis excepta, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restituta, reposita et plenarie reintegrata, ac de novo, sub quacumque posteriori novâque datâ per praedictum Carolum Emmanuelem ac pro tempore ducem et magistrum eligendâ, concessa, validaque et efficacia fore et esse, ac suos plenarios et integros effectus sortiri debere; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputat executores.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Taurinensi, et Montis Regalis ac Astensis episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Caroli Emmanuelis, et pro tempore existentis Sabaudiae ducis et militiae huiusmodi magistri, fuerint requisiti, solemniter pubblicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ militiam et illius praeceptores praefatos, postquam suppressio et erectio huiusmodi suum sortitae fuerint effectum, ut praefertur, possessione[1] ecclesiarum, seu capellarum, ac prioratuum annexorum eorumdem, omnibusque et singulis aliis praemissis perpetuo pacifice frui et gaudere. Non permittentes eorum quempiam per quoscumque desuper quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, ac alia iuris et facti remedia opportuna, appellatione posposità, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogat contrariis.

§ 6. Non obstantibus priori voluntate nostrâ praedictâ, et Lateranensis Concilii[2] celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, etiam illa qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim nisi in certis casibus, et in illis ultra unam dietam[3] a fine suae dioecesis ad iudi-

1 Sic *Bull.* Ord.; Main. leg. *possessiones* (R. T.).

2 Addendum, ex cit. *Bull.* Ordinis, *novissime* (R. T.).

3 Edit. Main. hanc vocem *dietam* omittit (R. T.).

cium evocetur, seu ne iudices a Sede praedictâ deputati contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere praesumant, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non prioratus et Ordinum praedictorum ac monasteriorum, a quibus dicti prioratus dependent, iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem praedictam, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis irritantibus quoque, et aliis decretis, quomodolibet concessis, approbatis et etiam iteratis vicibus innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, caeterisque[1] contrariis quibuscumque: aut si aliqui[2], super provisionibus seu commendis sibi faciendis de prioratibus ac huiusmodi, speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus, generales dictae Sedis vel legatorum eius literas impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum; quas quidem literas et processus habitos per easdem, et inde sequuta quaecumque, ad ecclesias seu capellas et prioratus huiusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assequutionem prioratuum vel beneficiorum aliorum, praeiudicium generari; et quibuslibet aliis privilegiis[1], indulgentiis et litteris apostolicis specialibus vel generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis. Proviso quod ecclesiae seu capellae et prioratus huiusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis, sed eorum congrue supportentur onera consueta.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum absolutionis, suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, unionis, annexionis, incorporationis, applicationis, appropriationis, decreti, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Clausulae poenales.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo quarto, XVII calendas iulii, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 15 iunii 1604, pontif. an. XIII.

---

1 Vocem *caeterisque*, quae in utràque edit. deest, nos addimus, vel ad minus particula *et* supplenda foret (R. T.).

2 Nempe: *non obstante etiam si aliqui* etc.

1 Nempe: iterum *non obstantibus quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis* etc. (R. T.).

CCCXLVI.

Missalis Romani a Pio V editi iterata restitutio et approbatio[1].

Clemens Papa VIII,

ad futuram rei memoriam.

Idem ubique ritus in missae sacrificio servandus.

Cum sanctissimum Eucharistiae sacramentum, quo nos Christus Dominus sacri sui corporis participes efficit, atque apud nos usque ad consummationem saeculi permanere decrevit, maximum sit omnium Sacramentorum, illudque in sacro missae sacrificio pro peccatis totius populi Deo Patri offeratur; sane omnino conveniens est ut qui omnes unum sumus in suo corpore, quod est Ecclesia, et de uno corpore Christi participamus, unâ et eâdem illud sacrificium celebrandi ratione, uniusque officii et ritus observatione in hoc ineffabili et tremendo sacrificio utamur.

Pius V missale romanum emendari et imprimi curat.

§ 1. Quod cum Romani Pontifices praedecessores nostri semper optarint, atque in hoc diu multumque desudarint, tum in primis felicis recordationis Pius Papa V Missale Romanum ex decreto sacri Concilii Tridentini ad veterem et emendatiorem normam restitui, Romaeque imprimi curavit.

Nonnulli postmodum in illud errores irrepserant.

§ 2. Qui etsi multis propositis poenis severissime caverit, ne quid illi vel adderetur, vel ullâ ratione demeretur, tamen progressu temporis, sive typographorum, sive aliorum temeritas et audacia effecit, ut his superioribus annis multi in ea, quae excudebantur missalia, errores irrepserint, quibus vetustissima illa Sacrorum Bibliorum versio, quae etiam ante sancti Hieronymi tempora celebris habita est in Ecclesiâ, et ex qua omnes fere missarum introitus et quae dicuntur gradualia et offertoria accepta sunt, omnino sublata est; epistolarum et evangeliorum textus, qui hucusque in missarum solemniis lectus est, multis in locis perturbatus; ipsis evangeliis diversas et prorsus insolita praefixa initia; plurima denique passim pro arbitrio immutata sint: cuius rei praetextus fuisse videtur, ut omnia ad praescriptum Sacrorum Bibliorum vulgatae editionis revocarentur, quasi id alicui propriâ auctoritate, atque Apostolicâ Sede inconsultâ, facere licitum sit.

Clemens illud corrigi mandat.

§ 3. Quod nos animadvertentes, pro nostrâ pastorali solicitudine, qua omnibus in rebus, et praecipue in sanctae Ecclesiae ritibus, optimam eamque veterem normam studemus tueri et conservare, primodicta Missalia impressa sub ipso Pio V edita integre ex omnibus prohiberi et abrogari, eorumque usum in celebratione missae interdici iussimus, nisi ad praescriptum exemplum emendarentur; deinde mandavimus nonnullis venerabilis fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, in sacris litteris versatis et ecclesiasticae antiquitatis peritis, ut curam Missale ad pristinam et quam maxime emendatam formam restituendi susciperent, qui pro suâ erga nos fide, et in Romanam Ecclesiam pietate et studio, adhibitis etiam aliis rerum ecclesiasticarum peritis et eruditis sapientibus viris, et veteribus missalibus aliisque praeterea libris, qui ad eam rem opportuni videbantur, accurate perquisitis et diligenter inspectis, Missale Romanum suae integritati restituere, ac ipsius Pii V, et eorum qui ab eo delecti fuerant, laborem et diligentiam confirmare et comprobare curarunt. Verum in eo munere peragendo factum est, ut nonnulla, ex diligenti librorum antiquorum collatione, in meliorem formam redacta,

1 Missalis reformationem vide in Pii V Constitut. CXLVII *Quo primum* (in h. n. edit. CLXVI, tom. VII, pag. 839).

et in regulis et rubricis aliqua uberius et clarius expressa sint; quae tamen, ex illorum principiis et fundamentis quasi deducta, illorum sensum imitari potius et supplere, quam aliquid novi afferre videntur.

Emendatumque imprimi iubet.

§ 4. Missale itaque, quod idem Pius V ediderat, sic recognitum in nostrâ typographiâ Vaticanâ quam emendatissime imprimi, et ad communem utilitatem publicari iussimus.

Typographis poenas indicit illud imprimentibus non servatis iis, quae hic praescribuntur.

§ 5. Ut autem illius usus, in omnibus christiani orbis partibus, perpetuis futuris temporibus conservetur, ipsum missale in almâ Urbe nostrâ in eâdem typographiâ tantum, et non alibi, imprimi posse decernimus. Extra Urbem vero iuxta exemplar in dictâ typographiâ nunc editum, et non aliter, hac lege imprimi posse permittimus, ut nimirum typographis quibuscumque, illud imprimere volentibus, id facere liceat, requisitâ tamen prius et in scriptis obtentâ dilectorum filiorum inquisitorum haereticae pravitatis, in iis locis in quibus fuerint, ubi vero non fuerint, Ordinariorum locorum licentiâ. Alioquin, si absque huiusmodi licentiâ dictum missale sub quacumque formâ de caetero ipsi imprimere, aut bibliopolae vendere praesumpserint, typographi et bibliopolae, extra Statum nostrum ecclesiasticum existentes, excommunicationis latae sententiae, a qua nisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant; in almâ vero Urbe, ac reliquo Statu Ecclesiastico commorantes, quingentorum ducatorum auri de Camerâ, ac amissionis librorum et typorum omnium, Camerae praedictae applicandorum, poenas, absque aliâ declaratione, irremissibiliter incurrant eo ipso.

Caveturque ne aliter impressa missalia usu recipiantur.

§ 6. Et nihilominus eorumdem missalium, per eos de caetero absque huiusmodi licentiâ imprimendorum, aut vendendorum, usum ubique locorum et gentium, sub eisdem poenis, perpetuo interdicimus et prohibemus.

Poenae contra inquisitores et Ordinarios sancitae has leges non servantes.

§ 7. Ipsi autem inquisitores seu Ordinarii locorum, antequam huiusmodi licentiam concedant, missalia ab ipsis typographis imprimenda, et postquam impressa fuerint, cum hoc missali, auctoritate nostrâ recognito et nunc impresso, diligentissime conferant, nec in illis aliquid addi vel detrahi permittant, nec in praemissis praetextu incuriae typographorum, aut non factae per correctores, vel alios ab ipsis forsan deputandos, diligentiae, se aliquo modo excusare, quodque in infrascriptas poenas non incurrerint allegare valeant; et in ipsâ licentiâ originali de collatione factâ, et quod omnino concordent, manu propriâ attestentur, cuius licentiae copia initio vel in calce cuiusque missalis semper imprimatur. Quod si secus fecerint, inquisitores videlicet, privationis suorum officiorum, ac inhabilitatis ad illa et alia imposterum obtinenda; antistites autem et Ordinarii locorum, suspensionis a divinis ac interdicti ab ingressu ecclesiae; eorum vero vicarii, privationis similiter officiorum et beneficiorum suorum, et inhabilitatis ad illa et alia imposterum obtinenda; ac praeterea excommunicationis, absque aliâ declaratione, ut praefertur, poenas incurrant eo ipso.

Quae prohibita non sunt, vendi adhuc et retineri permittit.

§ 8. Caeterum pauperum ecclesiarum, clericorum et personarum ecclesiasticarum, ac typographorum et bibliopolarum quorumcumque indemnitatis, ex benignitate apostolicâ, rationem habentes, eisdem missalia hactenus impressa penes se habentibus (iis dumtaxat exceptis, quae auctoritate nostrâ, ut supradictum est, interdicta et abrogata fuerunt), ut ea retinere et illis uti, eaque vendere respective possint, similiter permittimus et indulgemus.

Obstantia tollit.

§ 9. Non obstantibus licentiis, indultis et privilegiis quibuscumque, typographis hactenus per nos, seu Romanos Pontifices praedecessores nostros, missale praedictum Pii V imprimendi concessis, quae per praesentes expresse revocamus, et revocata esse volumus, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis generalibus vel specialibus in contrarium praemissorum quomodocumque concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda esset, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 10. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si essent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die VII iulii MDCIV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 7 iulii 1604, pont. an. XIII.

CCCXLVII.

Erectio collegii Clementini de Urbe.

Clemens episcopus
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Clemens initio sui pontificatus scholas puerorum visitari curat.

§ 1. Ubi primum ad summi apostolatus apicem divina clementia, nullis nostris meritis, sed solâ misericordiae suae dignatione nos evexit, eminentiori animi curâ de morum tam ecclesiasticorum, quam saecularium personarum reformatione in Urbe nostrâ instituendâ serio cogitari coepimus, delectisque aliquot Romanae Curiae praelatis, morum gravitate rerumque usu et experientiâ praeditis, qui reformationi huiusmodi praeessent, eos statim scholas omnes adolescentium et puerorum dictae Urbis perlustrare, et quae in illis educandis erudiendisque ratio ibi servaretur, quae disciplina adhiberetur, sedulo inquirere et ad nos deinde referre praecepimus. Ex quo sane non absque animi moerore deprehendimus eam aetatem (quae ad vitia et voluptates sequenda prona est, nisi severiori disciplinâ cohibeatur et ad pietatem et religionem informetur) in scholis ipsis, sublatâ, imo vero dissolutâ disciplinâ, seposito Domini timore, corruptam, nihil ut plurimum, vel sane parum in bonis moribus et litterariis exercitationibus proficere. Quamobrem illius statui intimo sensu condolentes decrevimus omnino in ipsâ Urbe locum situ et amplitudine opportunum ad puerorum et adolescentium nobilium tam indigenarum quam exterorum quorumcumque receptionem et educationem primo quoque tempore destinare, illisque spectatae pietatis et doctrinae viros, qui nullo quaestu temporali sed solo Dei obsequio et animarum beneficio ducti pueros et adolescentes ipsos aeque in pietatis et religionis studiis ac scientiarum disciplinis erudirent, praeficere. Et nobis attentius animo revolventibus, quibus ea provincia cum fructu et utilitate praecipue demandari posset, occurrerunt peropportune dilecti filii Clerici regulares Congregationis Somaschae, educationi iuventutis ex professo et peculiari instituto vacare soliti; multisque experti documentis, eos in pluribus Italiae civitatibus et locis egregiam in eo munere operam multis iam annis cum laude et publicâ commoditate impendisse, et praesertim in civitate Venetiarum

Collegium pro pueris nobilibus statuit erigere.

Illudque clericis regularibus de Somascha committere.

binis illius puerorum seminariis, alteri videlicet ecclesiastici in exequutionem Concilii Tridentini, alteri vero laici ordinis, pro sollicitudine et impensâ Reipublicae Venetae erectis, cum summo iuventutis bono et ipsius Congregationis commendatione praefuisse et adhuc praeesse, illos idoneos iudicavimus quos ad onus hoc grave et arduum assumeremus. Hincque primo inducti institutionem et fundationem dictae Congregationis, sub anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, apostolicâ auctoritate approbavimus et confirmavimus, eamque amplis decretis et privilegiis ornavimus; deinde vero, de anno eiusdem Domini millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, dictis praelatis videlicet aedes in Urbe ad hoc nostrum coeptum capaces et opportunas sub pensione annuâ conducere, ac puerorum et adolescentium in eis recipiendorum curam Clericis dictae Congregationis committere curarent iniunximus, simulque summam mille scutorum monetae, ex quibus pensio huiusmodi solveretur, et aedes ipsae suppellectilibus ad domesticos usus necessariis instruerentur, ex chirographo nostro donavimus.

Cuius institutionem approbavit.

Ædem pro collegio in platea Sciarrae conduci, puerosque ibi collocari studet.

Fueruntque hoc pacto aedes eorum de Iacobatiis in plateâ Sciarrae dictae Urbis sub pensione annuâ trecentorum et octoginta scutorum similium conductae, ac in eis habitatio Clericorum et puerorum praedictorum ad instar collegii primum constituta. Verum, crescente in dies inibi convictorum numero, necesse fuit etiam numerum magistrorum, praefectorum et famulorum augere; ob quod cum[1] nec dictae aedes eos amplius commode capere, nec solae pensiones menstruae, ab eisdem convictoribus pendi solitae, ad graves sumptus, tam pro eorum ac magistrorum et praefectorum praedictorum sustentatione, quam dictarum aedium locatione, et aliàs diversimode iugiter subeundos sufficere possent; nos palatium de Popilis nuncupatum, in plateâ Nicosiâ ad flumen Tyberim iuxta suos fines situm, et subhastationi ex decreto Curiae suppositum, a dilecto filio Camerae nostrae Apostolicae commissario generali, eiusdem Camerae nomine, pretio undecim mille scutorum similium, viâ subhastationis huiusmodi emi, et deinde pro instituendo ibidem Collegio *Clementino* nuncupando, pro usu et habitatione saecularium[1] et convictorum in eo introducendorum, per dilectum filium nostrum Paulum Emilium tituli sancti Marcelli (tunc, pro dilecto etiam filio nostro Petro sancti Nicolai in carcere diacono cardinali, Aldobrandino nuncupato, S. R. E. camerario, et nostro secundum carnem ex fratre nepote, qui Sedis Apostolicae de latere Legati munere in regno Franciae, pro gravissimo componendae inter principes christianos pacis negocio, detinebatur, eiusdem S. R. E. vice-camerarium) ex simili chirographo nostro perpetuo et irrevocabiliter donari iussimus et seu donavimus, prout in nostris super confirmatione huiusmodi confectis litteris, ac ipso chirographo et publicae donationis huiusmodi instrumento plenius continetur. Inde sublatâ aliquantulum ipsius collegii angustiâ, compositoque illius statu in meliorem statum, et numerus convictorum ibi dietim augeri conspectus, et res dicti collegii facilius et prosperius magnâ animi nostri delectatione progredi visa fuit. Quapropter non obscuris argumentis Deum optimum maximum huic nostrae, qualiscumque est, instituendae iuventutis sollicitudini favere ac coeptis[2] nostris adesse deprehendentes, ipsi uni[3] operi

Ampliori domo emptâ collegium Clementinum in eâ instituit.

1 Mendose edit. Main. habet *tum* (R. T.).

1 Forsan legendum *scholarium* (R. T.).
2 Err. edit. Main. leg. *acceptis nostris* (R. T.).
3 Fortasse legendum *tui*, ubi legitur *uni* (R. T.).

sedulo nobis insistendum, et, ut quanto citius perficiatur, indefesso studio elaborandum, illique de opportunis reddituum et proventuum annuorum subsidiis, quibus eius quotidiana onera facilius perferri possint, providendum esse existimavimus; fore, confidentes, ut qui nobis in eo suscipiendo promovendoque auctor fautorque extitit, idem in eo perficiendo conservandoque propitius adiutor esse debeat.

Emptionem domus, erectionem collegii, caeteraque omnia rata habet et confirmat.

§ 2. Nos igitur (qui dudum inter alia voluimus, statuimus et ordinavimus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset) omnium et singulorum chirographorum instrumentorum praedictorum, ac quarumcumque litterarum vel aliarum scripturarum super praemissis et earum singulis, publice vel privatim, aut aliàs quomodolibet confectarum et emanatarum, ac in eis contentorum et inde sequutorum quorumcumque tenores, ac palatii huiusmodi veriores situationes, confines, vocabula, denominationes, qualitates, circumstantias, quantitates, et veros etiam annuos valores praesentibus pro expressis habentes, donationes praedictas et instrumenta desuper confecta et omnia in eis contenta, perpetuo approbantes et confirmantes, rataque, grata et accepta habentes, et, quatenus opus sit, innovantes, omnes et singulos iuris et facti ac solemnitatum, quantumvis substantialium, aliosque defectus, si qui intervenerint in eisdem (etiamsi tales sint vel fuerint, qui in generali sermone non comprehendantur, sed notà et explicatione speciali indigeant) supplentes, ac singulares personas Congregationis huiusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad alicuius desuper nobis oblatae petitionis instantiam, sed de certâ scientiâ meràque deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, in aedibus dicti palatii unum Collegium, Clementinum nuncupandum, cum capellà, oratorio, refectorio, mensâ communi, sigillo, bibliothecâ, archivio, caeterisque collegialibus insigniis ac membris et officinis necessariis pro perpetuis receptione, usu et habitatione quorumcumque puerorum et adolescentium nobilium, seu de nobili genere procreatorum, tam ex Urbe et totâ reliquâ Italiâ, quam ex caeteris quibuscumque christiani orbis regionibus et provinciis oriundorum, inibi propriis eorum expensis, solutâ quolibet mense octo scutorum aut aliquâ aliâ pro rerum et temporum qualitate competenti pensione, educandorum, sub perpetuis curâ, disciplinâ, gubernio et administratione dictorum Clericorum, et aliorum quorumcumque saecularium vel regularium, per protectorem ipsius collegii pro tempore existentem pro libero et absoluto ipsius voluntatis arbitrio ponendorum et amovendorum, qui collegiales eiusdem collegii non solum in bonis moribus et pietatis christianae studiis instruere, sed etiam grammaticam, rethoricam, logicam, physicam aliasque humaniores et liberales disciplinas docere debeant et teneantur, dictà auctoritate, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus; illique sic erecto et instituto, pro perpetuis eiusdem collegii rectoris et collegialium suorum pro tempore existentium residentià, usu et habitatione, dictum palatium cum omnibus et singulis illius aedificiis, structuris, situ, ambitu, iuribus, pertinentiis et dependentiis quibuscumque, ultra mille scuta ad emptionem suppellectilium a nobis, ut praefertur, donata, seu ipsa suppellectilia et alia

Et Clericis de Somascha committit.

mobilia quaecumque ex eis empta, et quoad ipsum palatium, sub omnibus et singulis decretis, declarationibus, subrogationibus, obligationibus, pactis, conditionibus, firmationibus, cautelis et clausulis et aliis chirographo et instrumento huiusmodi contentis et appositis, et aliâs desuper necessariis et opportunis, de novo, pro potiori cautelâ, auctoritate et tenore praemissis, etiam perpetuo et irrevocabiliter donamus et concedimus.

Ei unit monasterium S. Angeli de Lanulis;

§ 3. Praeterea eidem collegio pro congruâ et competenti eius dote seu dotis subsidio, onerumque illi incumbentium faciliori et commodiori supportatione, monasterium S. Angeli de Lanulis S. Benedicti, seu alterius Ordinis, nullius dioecesis provinciae Urbinatensis, quod bonae memoriae Hieronymus tituli S. Pancratii presbyter cardinalis Matthaeius nuncupatus in commendam ad sui vitam, ex concessione et dispositione apostolicâ, dum viveret obtinebat, et quod conventu caret, cuiusque et illi forsan annexi[1] fructus, redditus et proventus trecentorum ducatorum de Camerâ secundum communem existimationem valorem annuum, ut accepimus, non excedunt, commendâ praedictâ per obitum dicti Hieronymi cardinalis nuper apud Sedem apostolicam defuncti cessante, adhuc eo, quo ante commendam ipsam vacabat, vel aliâs quovis modo, et ex cuiuscumque personâ, seu per liberam cessionem cuiusvis de illius regimine et administratione in Romanâ Curiâ vel extra eam etiam coram notario publico et testibus sponte factam, vacans; etiamsi tanto tempore vacaverit, quod eius provisio, iuxta Lateranensis statuta Concilii aut alias canonicas sanctiones, ad Sedem praedictam legitime devoluta existat, illaque ex quavis causa ad Sedem eamdem specialiter vel generaliter pertineat, ac de illo consistorialiter disponi consueverit seu debeat, super eo quoque[1], ac regimine et administratione praedictis, inter aliquos lis, seu illarum possessio vel quasi molestia (cuius litis statum, verumque et ultimum dicti monasterii vacationis modum, etiamsi ex illo quaevis etiam generalis reservatio, etiam in corpore iuris clausa, resultet, etiam praesentibus haberi volumus pro expresso) pendeat indecisa (dummodo tempore datae praesentium eidem monasterio de abbate provisum[2], aut illud alteri commendatum canonice non existat), cum annexis huiusmodi; necnon ecclesiam S. Caesarei de Urbe in viâ, ad portam Appiam S. Sebastiani nuncupatam tendente, sitam, quae nuper in suis structuris et aedificiis vetustate consumptis et ruinam minantibus, sumptu nostro instauratam ornatamque, ac quae dilecto filio nostro Silvestro eiusdem S. Caesarei diacono cardinali, nostro secundum carnem pronepoti, pro denominatione sui cardinalatus concessa extitit, cum omnibus et singulis suis aedificiis, domibus, aedibus, bonis, proprietatibus, villis, terris, agris, possessionibus, fundis, pratis, pascuis, silvis, hortis, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus, emolumentis, iurisdictionibus, membris annexis, pertinentiis suis universis, in quibusvis rebus consistentibus et undecumque provenientibus; vineam quoque dictae ecclesiae sancti Caesarei contiguam, et in viâ praedictâ iuxta alios suos veriores confines sitam, ac per nos etiam nuper a dilectis filiis haeredibus Camilli Crescentii civis romani, dum vixit, pretio bis mille et quingentorum scutorum emptam, eâdem auctoritate et

Nec non ecclesiam S. Caesarei de Urbe,

Et vineam prope dictam ecclesiam positam

1 Forsan legendum *annexorum* ut supra pag. 83 (R. T.)

1 Nempe subintellige: *et quoque etiamsi super eo . . . . . lis et possessio pendeat indecisa* vide supra pag. 85 (R. T.).

2 Subintellige *non fuerit* vel *non existat* (R. T

tenore unimus, annectimus, incorporamus, applicamus et assignamus: ita quod liceat rectori et collegialibus dicti collegii, nunc et pro tempore existentibus, corporalem, realem et actualem illorum omnium et singulorum possessionem per se, vel alium, seu alios, eorum ac dicti collegii nominibus propriâ auctoritate, etiam absque iudicis mandato vel decreto, ac sine spolii et attentatorum vitio, ex nunc apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta ex eis provenientia quaecumque percipere, exigere, levare, recuperare, locareque et arrendare, ac in communem dicti collegii usum et utilitatem convertere; nec non monasterium sancti Angeli et ecclesiam sancti Caesarei praedictam in spiritualibus et temporalibus regere et administrare, eisdemque S. Caesarei et ipsius monasterii ecclesiis, per quoscumque presbyteros saeculares, vel, de superiorum suorum licentiâ, cuiusvis Ordinis regulares idoneos, inibi iuxta statuta a protectore seu rectore dicti collegii praescribenda ponendos et amovendos, in divinis, prout eis videbitur, et eorum arbitrio (sic tamen ut ad aliquod onus, seu servitium in ecclesiâ S. Caesarei, seu pro illâ subeundum vel praestandum, praeterquam ad dictam ecclesiam S. Caesarei illiusque aedificia in debito et decenti statu conservandum ac sarta tecta tenendum, minime teneantur, nec ad id cogi aut compelli valeant) deserviri facere, ac reliquiarum ibidem pro tempore existentium curam et administrationem perpetuo habere; ipsius S. Caesarei diaconi seu presbyteri cardinalis, ac Ordinariorum locorum, et vicarii dictae Urbis, necnon superiorum dicti Ordinis, et quorumvis aliorum licentiâ seu consensu minime requisitis; neque deinceps dictus Sylvester cardinalis, nec quicumque alius in dictam ecclesiam S. Caesarei pro denominatione seu titulo sui cardinalatus pro tempore assignari contigerit, per se, vel alium, seu alios in regimine et administratione et gubernio dictae ecclesiae S. Caesarei, ac illius bonorum, fructuum, reddituum, proventuum, iurium, actionum, rerum, pertinentiarum, sacrarum reliquiarum, ornamentorum et suppellectilium quorumcumque, quovis praetextu, colore vel ingenio, se se ingerere seu intromittere, vel altaria, aut quidquam aliud ibidem immutare, aut reliquias ipsas alio transferre, vel aliquam iurisdictionem et superioritatem, seu iurisdictionis seu superioritatis, ac tam[1] in ipsam ecclesiam S. Caesarei, illiusque presbyteros et ministros pro tempore existentes, exercere, sed tantummodo ipse diaconus seu presbyter cardinalis S. Caesarei pro tempore existens ad eamdem ecclesiam S. Caesarei, in illius festivitatis et stationis, ac aliis quibuscumque diebus accedere, ac missis et vesperis ibi assistere, ac illas, si ei libuerit, celebrare possit. Praeterea omnes et quascumque alias uniones de dictâ ecclesiâ S. Caesarei, illiusque iuribus, rebus, bonis, dependentiis, annexis et pertinentiis praedictis cuicumque alteri ecclesiae, vel capitulo, aut mensae capitulari, ac vel aliàs quomodocumque et qualitercumque forsan factas, ac sub quibuscumque clausulis et verborum formis atque expressionibus conceptas, similiter perpetuo, paribus auctoritate et tenore, revocamus, cassamus, annullamus, et dissolvimus.

Cum omni iure, etc.

Praedicta omnia a quacumque superioritate et onere liberat

§ 4. Insuper ipsum collegium illiusque pro tempore existentes rectorem, scholares, capellanos, oeconomos, officiales, ministros et personas, ac tam collegii quam monasterii et ecclesiae S. Caesarei, aliorumque illis annexorum et membro-

[1] Sic legit edit. Main.; sed legendum potius videtur *et superioritatis actum* (R. T.).

rum, bona mobilia et immobilia, praesentia et futura, cuiuscumque qualitatis, generis et speciei existentia ab omni et quacumque pro tempore existentium eiusdem S. Caesarei diaconorum seu presbyterorum cardinalium, ac dictae Urbis gubernatoris, senatoris, conservatorum, reformatorum, ac nostri et Romani Pontificis, pro tempore existentis, in eàdem Urbe et illius districtu in spiritualibus vicarii, necnon causarum Camerae Apostolicae generalis auditoris, ac quorumcumque nostrorum et dictae Sedis de latere legatorum, ac archiepiscoporum, episcoporum, etiam tamquam eiusdem Sedis delegatorum, eorumque locatenentium, vicesgerentium, vicariorum, officialium, iudicum, necnon superiorum dicti Ordinis, ac quarumcumque aliarum personarum ubilibet constitutarum, ac quavis auctoritate et dignitate, tam ecclesiasticà quam mundanà, etiam cardinalatus honore fulgentium, visitatione, correctione, iurisdictione, dominio, superioritate et potestate, necnon annatarum, quindenniorum, communium, minutorum et aliorum iurium et servitiorum, dictae Camerae, et quibusvis, etiam eiusdem S. R. E. cardinalibus, et dictae curiae officialibus, et in annatis, quindenniis, communibus, minutis ac iuribus praedictis participantium[1] eorumque collegiis, ratione praedictarum et quarumcumque aliarum unionum, applicationum et concessionum eidem collegio de praedicto et quibuscumque aliis monasteriis, hospitalibus, ecclesiis, beneficiis, rebusque et bonis ecclesiasticis hactenus, et deinceps quomodolibet debitorum, et tam per[2] ipsum collegium in propriis suis bonis et rebus praesentibus et futuris, quam illius ratione rectores, scholares, capellanos, oeconomos, officiales et ministros praedictos, ac cum eis contrahentes, a quorumcumque pedagiorum, datiorum, vectigalium, gabellarum, angariarum, bullettinorum, taliarum, custodiarum, taxarum equorum, tam vivorum quam mortuorum, collectarum, praebendarum, ponderum, portarum, molendinorum farinae, trium pro centenario, ac quatuor iuliorum pro quolibet vegete vini solvi solitorum, ac quorumcumque aliorum similium vel dissimilium onerum et gravaminum, tam ordinariorum quam extraordinariorum, et realium, personalium et mixtorum, quibuscumque nominibus et vocabulis nuncupatorum, etiam hic de necessitate exprimendorum, per nos, et quoscumque alios Romanos Pontifices, praedecessores et successores nostros, ac Sedem et Cameram praedictas, ipsiusque Sedis legatos, vicelegatos, gubernatores, commissarios et quoscumque alios quavis auctoritate et potestate fungentes, et etiam ad instar cameralium, etiam ratione Ripettae, dohanae terrae et etiam grassiae nuncupatae Urbis praedictae, etiam pro ortodoxae fidei defensione, ac Status S. R. E. conservatione, divinique cultus augmento, necnon basilicae Principis Apostolorum fabricà, cruciatà sanctà, et expeditione contra infideles et rebelles, necnon ecclesiarum, murorum, pontium, viarum et stratarum constructione, et restauratione aquarum fontium, et fluminum deductione, pauperumque subventione, necnon Sedis et Camerae praedictarum necessitatibus, et ex quibuscumque aliis cogitatis, inexcogitatis, etiam quantumvis maximis, urgentissimis et privilegiatis causis, etiam Sedis et Camerae earumdem, ac quarumcumque provinciarum conducendorum, ac etiam cum ad dictam Urbem conductorum, et in eà existentium, et pro eodem collegio in

1 Videretur legendum *participantibus* (R. T.).
2 Videtur legendum: *tam per se ipsum collegium* (R. T.).

magnâ sive parvâ quantitate, tam in barchis quam in magazinis, et aliàs ubilibet emendorum cuiuscumque generis, quantitatis, qualitatis, valoris et speciei fuerint, exactione, solutione, praestatione et contributione, necnon quorumcumque aliorum, etiam iuxta Concilii Tridentini decreta ubilibet institutorum et instituendorum collegiorum, et piorum locorum subventione, auctoritate et tenore praedictis, pariter perpetuo eximimus et liberamus; ac sub beati Petri et dictae Sedis, atque nostrae, ac pro tempore existentis Romani Pontificis, protectione et inviolabili conservatione suscipimus, nobisque et eidem Sedi immediate subiicimus; et exemptionem, liberationem, susceptionem huiusmodi in quocumque foro et tribunali, ac dictâ Camerà, etiam respective cuiuscumque solutionis illi faciendae, semper favorabiliter censeri debere, et de illis in quacumque causâ, lite et controversiâ eam interpretationem extensivam habendam esse, quae pro aliâ quantumvis piâ et privilegiatâ, ad pios usus destinatâ et applicatâ causâ fieri posset, declaramus.

Caeterorum Urbis collegiorum privilegia ei concedit.

§ 5. Ipsi quoque collegio ac illius rectori, scholaribus, capellanis, oeconomis, officialibus, ministris et personis, ut omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, praerogativis, antelationibus, praeeminentiis, concessionibus, indultis, favoribus, caeterisque gratiis universis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus alia collegia et pia loca in dictâ Urbe instituta, illorumque rectores, scholares, capellani, oeconomi, officiales, ministri et personae, de iure, usu, consuetudine, privilegio vel aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed aeque principaliter et pariformiter, in omnibus et per omnia, uti, frui, potiri et gaudere, nec non tam ipsi quam eorum coloni, arrendatarii, livellarii, conductores et emphiteutae praedicti vinum, triticum, ordeum, legumina, blada, frumenta et cuiusvis generis fruges et grana ex quibuscumque proprietatibus, possessionibus et bonis dicti collegii, illiusque membrorum et annexorum quorumcumque, provenientia de quibuscumque provinciis, terris et locis, nobis, et Romanae Ecclesiae, mediate vel immediate subiectis, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ, et absque alicuius pecuniae vel alterius rei solutione et praestatione perpetuo faciendâ, aut censurae vel poenae incursu, extrahere aut extrahi facere, ac ad dictum collegium pro illius usu conducere, et etiam illa in dictâ Urbe illiusque districtu, nec non universo Statu ecclesiastico vendere, distrahere et de illis ad eorum libitum disponere, libere et licite valeant, eisdem auctoritate et tenore similiter perpetuo indulgemus.

Illiusque colonis, etc., libertatem dat fruges asportandi, vendendi, etc. absque ullo onere.

Inhibet quibuscumque ministris ne illos audeant perturbare.

§ 6. Districtius quoque in virtute sanctae obedientiae inhibemus legatis, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, vicelegatis, locatenentibus, vicariis, iudicibus et aliis praedictis eiusdem S. R. E. camerario, et dictae Camerae thesaurario, clericis, praesidentibus, commissario, nec non annonae praefectis, ac pedagiorum, datiorum, vectigalium, gabellarum, angariarum, bullettinorum, decimarum, talearum, taxarum et aliorum onerum ac subsidiorum praedictorum appaltatoribus, dohaneriis, vice-dohaneriis, exactoribus, datiariis et quibusvis aliis personis cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae existentibus, ac quacumque auctoritate et potestate fungentibus, ne quorumcumque privilegiorum, indultorum eis sub quibusvis tenoribus et formis concessorum et concedendorum, seu etiam annonae, seu abundantiae, aut cuiusvis necessitatis,

vel quovis alio praetextu, collegium illiusque rectorem, scholares, capellanos, oeconomos et ministros, ac personas huiusmodi, seu eorum aliquem super praemissis quomodolibet molestare, perturbare, vel inquietare audeant seu praesumant.

Cardinalem protectorem ei assignat ex familia Aldobrandinorum seligendum.

§ 7. Ut autem ipsius collegii Clementini bono regimini, gubernio et conservationi opportune consulatur, dictum Petrum cardinalem, et, eo vitâ functo, alium eiusdem Romanae Ecclesiae cardinalem ex nostrâ familiâ aut parentelâ, vel, in eius defectum, quemcumque alium ex eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, quem praelatus, si adsit, vel laicus primogenitus de familiâ seu parentelâ nostrâ praedictâ, vel, iis omnibus deficientibus, rector et scholares praedicti, seu eorum maior pars duxerit eligendum, eiusdem collegii Clementini, illiusque personarum, rerum, bonorum, iurium et privilegiorum protectorem, defensorem et conservatorem, ac iudicem ordinarium, cuius consilio et ope omnia supradicta, et quaecumque alia in eis et circa ea necessaria et opportuna statuantur et ordinentur, sic tamen ut cum primum aliquis de familiâ et parentelâ ad cardinalatus honorem assumptus fuerit, statim et eo ipso dicti collegii protector sit et esse censeatur, et alter cardinalis externus, in protectorem, ut supra, electus, a munere et officio protectoris huiusmodi vacet, constituimus et deputamus.

Cui dat facultatem ministros deputandi; statuta condendi et immutandi,

§ 8. Necnon eidem Petro cardinali ac pro tempore existenti, protectori collegii Clementini huiusmodi, illius rectorem, capellanos, oeconomos, officiales, advocatos, protectores, caeterosque ministros pro libero et absoluto eius voluntatis arbitrio deputandi et amovendi, ac loco amovendorum alios sufficiendi, necnon quaecumque statuta, ordinationes, capitula et decreta ad eiusdem collegii Clementini, illiusque personarum, rerum et bonorum spiritualium et temporalium curam, regimen et gubernium, directionem, administrationem, ac scholarium praedictorum receptionem, admissionem, aetatem, qualitatem, victum, amictum, instructionem, disciplinam, ac studii cursum pertinentia, licita tamen et honesta ac sacris canonibus et dicti concilii decretis non contraria (quae eo ipso apostolicâ auctoritate confirmata et approbata sint, et esse censeantur, ac ab omnibus, ad quos pro tempore spectabit, etiam sub poenis in contravenientes statuendis observari debeant) faciendi et edendi; et illa, quoties pro eorum et temporum qualitate, seu aliàs expediens videbitur, immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi et etiam alia ex integro condendi, omnesque et singulas lites, causas et differentias, tam civiles, quam criminales et mixtas, dictum collegium Clementinum illiusque res et bona ac personas quomodolibet concernentia, tam active quam passive, etiam contra alia collegia et pia loca, et aeque vel magis privilegiata, eorumque res, bona, personas, vel e converso, ac ultro citroque ad invicem vel aliàs quomodolibet motas et movendas, ac etiam per appellationem, et in quacumque instantiâ, coram quibusvis iudicibus introductas, indecisas, ac pendentes, etiam illas ab ipsis iudicibus avocando, per se vel eius vice-protectorem, aut alium, seu alios, quos ad hoc duxerit deputandos, etiam summarie, simpliciter et de plano, et sine strepitu ac figurâ iudicii, sed solâ facti veritate inspectâ, ac etiam manu regiâ, cum omnibus et singulis suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negotio principali, etiam privative, quoad omnes et singulos alios iudices ordinarios et delegatos eorumque curias et tribunalia ecclesiastica vel saecularia,

Causas ad collegium spectantes cognoscendi

audiendi, cognoscendi et fine debito terminandi; necnon quoscumque interesse habentes, tam in dictâ curiâ quam extra eam, etiam per edictum publicum, constito sibi summarie de non tuto accessu, citandi, et quibusvis aliis eiusdem curiae iudicibus et personis, quibus et quoties opus fuerit, sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis, de quibus sibi videbitur, inhibendi, et in eventum non paritionis ad declarationem incursus sententiarum, censurarum et poenarum huiusmodi procedendi, ac sententias desuper ferendas debitae exequutioni demandandi, seu demandari faciendi, contradictores quoslibet et rebelles per similes sententias, censuras et poenas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, compescendo, ac etiam auxilium brachii saecularis ad hoc invocando; necnon quaecumque dubia, difficultates, si quae praemissorum occasione quomodolibet oriri contigerit, declarandi et interpretandi, omniaque et singula in eisdem praemissis, et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, dicendi, gerendi, exercendi et exequendi, etiam omni et quacumque appellatione remotâ, plenam, liberam et omnimodam facultatem et auctoritatem pariter perpetuo tribuimus et elargimur.

Clausulas ad huiusce constitutionis perpetuam firmitatem apponit.

§ 9. Decernentes praesentes literas, ac in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod superiores dicti Ordinis, et quicumque alii in praemissis quomodolibet interesse habentes vel habere praetendentes, illis non consenserint, ad eaque vocati et causae propter quas haec omnia facta fuerint, coram dictae Urbis vicario et locorum Ordinariis, etiam tamquam a Sede apostolicâ delegatis, vel alibi, examinatae, verificatae non fuerint, neque in eis quaecumque solemnitates, et alia de iure, vel consuetudine, vel privilegio, seu iuxta statuta, ordinationes et constitutiones Urbis et Camerae praedictae, aut aliàs quomodolibet requisita, et in similibus necessaria intervenerint, seu etiam enormis et enormissimae laesionis, aut alio quovis praetextu, seu aliàs ex quibusvis causis quantumvis legitimis et iuridicis, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, in ius vel controversiam vocari, ad terminos iuris reduci, vel adversus illas quodcumque iuris vel facti remedium impetrari nullatenus umquam posse; neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum ac unionum, applicationum, etiam effectum suum plenarium nondum sortitarum, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per nos vel alios Romanos Pontifices successores nostros, etiam in crastinum assumptionis successorum nostrorum ad huiusmodi apostolatus apicem, sub quibuscumque verborum expressionibus et formis, etiam motu et potestatis plenitudine similibus, pro tempore factis, comprehendi, sed tamquam pro fundatione et seu pro dotatione dicti collegii Clementini ad bonarum artium cultum instituti concessas, semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum, in quo antea quomodolibet erant statum, restituta, reposita et plenarie reintegrata, ac de novo, et sub datâ per protectorem, rectorem et scholares pro tempore existentes praedictos quandocumque eligendâ, de novo concessa fore et esse, suumque plenarium effectum sortiri et obtinere; nec quemquam ad easdem praesentes litteras in Camerâ praedictâ, iuxta constitutionem piae memoriae Pii Papae IV praedecessoris nostri desuper editam, aut aliàs quomodolibet praesentandum, insinuandum et registrari faciendum teneri, neque illas propterea irritas esse, sed omnino valere

et suffragare, perinde ac si constitutio praedicta vel alia contraria minime emanasset, seu iuxta eamdem constitutionem in dictâ Camerâ praesentatae, insinuatae et registratae fuissent; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputat

§ 10. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostiensi, et Portuensi episcopis, ac dilecto filio causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori per apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes literas, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte protectoris, rectoris et collegialium praedictorum, aut aliorum in praemissis interesse habentium, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque firmiter observari, ac illos praemissis omnibus ac singulis pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari: contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria tollit

§ 11. Non obstantibus priori voluntate ac ordinatione huiusmodi, ac nostrâ de non tollendo iure quaesito, ac Lateranensis et aliorum generalium conciliorum novissime celebratorum uniones perpetuas (nisi in casibus a iure permissis) fieri, et beneficia unius dioecesis cum aliis beneficiis, ecclesiis, collegiis vel locis alterius dioecesis uniri prohibentium, ac praedicti Pii praedecessoris de gratiis interesse Camerae praedictae concernentibus intra certum tunc expressum tempus in dictâ Camerâ registrandis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem vel dioecesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices, a Sede praedictâ deputati, extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas commmittere quoquo modo audeant seu praesumant, et de duabus dietis in concilio generali editâ, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et sinodalibus universalibusque conciliis editis, specialibus et generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon Camerae, Urbis, civitatum, provinciarium, locorum, ecclesiarum, monasteriorum et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, legibus etiam municipalibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis, illis, necnon sancti Caesarei diacono seu presbytero cardinali pro tempore existenti, ac legatis, archiepiscopis, episcopis, ordinariis, vice-legatis, locatenentibus, vicariis, officialibus, iudicibus, camerario, gubernatori, auditori, senatori, conservatoribus, praesidentibus, clericis, thesaurariis, commissariis, ap

paltatoribus, dohaneriis, datiariis, praefectis, exactoribus et aliis praedictis, necnon ipsius monasterii et Ordinis superioribus, conventibus, et dilectis filiis populo romano, caeterisque personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, in genere vel in specie, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et Sedem huiusmodi, etiam motu, scientiâ ac potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, etiam ad imperatoris, regum, reginarum, ducum et aliorum principum instantiam, vel aliorum contemplatione aut intuitu, seu aliâs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, etiam contra exemptos, concessis, approbatis et innovatis; etiamsi in eis caveatur expresse, quod illis, etiam vigore implicitae derogationis latissime extendendae ultra quam in supplicatione desuper signatâ expressum fuerit per quascumque literas apostolicas, etiam quasvis clausulas generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores et insolitas, ac etiam irritantia et alia decreta sub quacumque verborum expressione in se continentes nullatenus derogari, neque derogatum censeri possit, nisi illorum tenore de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, inserto, ac huiusmodi derogationes consistorialiter, ac de eiusdem S. R. E. cardinalium consilio, ac cum expressione causarum in huiusmodi privilegiis et indultis ac desuper confectis literis expressarum factae, et per trinas literas eumdem tenorem in se continentes tribus distinctis vicibus iis, quorum interest, legitime intimatae et insinuatae fuerint, ac tunc demum ipsorum interesse habentium ad id expressus accesserit assensus, et aliter factae derogationes nemini suffragentur. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis mentio habenda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice specialiter et expresse derogamus, ac sufficienter derogatum esse decernimus, et contrariis quibuscumque: aut si camerario, thesaurario, clericis, praesidentibus, dohaneriis et aliis praedictis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Onera monasterii ferri vult.

§ 13. Volumus autem quod, propter unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi, dictum monasterium in spiritualibus non laedatur, et in temporalibus detrimenta non sustineat, sed illius congrue supportentur onera consueta.

Clausulae poenales.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, erectionis et institutionis, donationis, concessionis, unionis, annexionis, incorporationis, applicationis, assignationis, revocationis, cassationis, annullationis, dissolutionis, exemptionis, liberationis, susceptionis, subiectionis, declarationis, indulti, inhibitionis, constitutionis, deputationis, tributionis, elargitionis, mandati, derogationis, decretorum et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo quarto, nonis iulii, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 7 iulii 1604, an. pontif. XIII.

CCCXLVIII.

Suppressio prioratus S. Iacobi oppidi de Fixa cum erectione collegii Societatis Iesu [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Laboriosam et indefessam operam, quam Societas Iesu in militantis Ecclesiae agro excolendo, *etc.*, expedire.

§ 1. Dudum siquidem omnes prioratus, caeteraque beneficia ecclesiastica saecularia, et quorumvis ordinum regularia, apud Sedem apostolicam, *etc.*, reservavimus. Decernentes, *etc.*, attentare.

Causae supprimendi monasterii et erigendi in eo collegii.

§ 2. Cum itaque postmodum prioratus sancti Iacobi oppidi de Fixa, aliàs *de la Flèche*, Ordinis sancti Augustini canonicorum regularium, Andegavensis dioecesis, per liberam resignationem dilecti filii Petri Pillochet, nuper ipsius prioratus prioris, de illo, quem tunc obtinebat, in manibus nostris sponte factam, et per nos admissam, apud Sedem, *etc.*, ad praesens nullusque de illo praeter nos, *etc.*, supradictis; et[2], sicut charissimus in Christo filius noster Henricus Francorum rex christianissimus nobis nuper exponi fecit ipsius prioratus (qui conventualis et electivus existit, ac in quo tres dumtaxat canonici regulares Ordinem huiusmodi inibi professi remanserunt) situs, aedes et aedificia pro instituendo ibidem collegio Societatis Iesu valde apta et commoda existant: si (tribus canonicis praefatis inde ad monasterium translatis[3] sancti Ioannis Mollinensis, Ordinis et dioecesis praefatorum, quod competenti canonicorum pro cultu divino in eius ecclesiâ, uti convenit, peragendo destitutum reperitur, cuiusque abbas et conventus, dilecti filii, illos recipere parati existunt) translatus titulus et denominatio prioratus huiusmodi, ac in eo dictus Ordo, illiusque status, essentia et dependentia regulares perpetuo supprimerentur et extinguerentur, ac in situ, aedibus et aedificiis praefatis unum collegium eiusdem Societatis etiam perpetuo erigeretur et institueretur, aliaque infrascripta fierent, ex hoc profecto religiosorum ipsius Societatis in piis et laudabilibus officiis, ministeriis et exercitiis exequendis commoditati, necnon iuventutis[1] dicti oppidi et finitimorum locorum in fide, pietate, bonis moribus, scientiis et disciplinis, caeterisque christiano nomine dignis virtutibus instructioni et aedificationi, et publicae utilitati et saluti plurimum consuleretur.

Henrici regis Galliae preces.

§ 3. Quare idem Henricus rex (asserens prioratus huiusmodi, et illi forsan annexorum fructus, redditus et proventus viginti quatuor ducatorum auri de Camerâ, secundum communem aestimationem, valorem annuum non excedere) nobis humiliter suplicare fecit, quatenus praemissis et aliis infrascriptis annuere, ac desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Erectio collegii, de quo in rubrica.

§ 4. Nos igitur (qui dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum aestimationem prefatam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, idemque observaretur in quibusvis suppresionibus et perpetuis concessionibus de quibuscumque fructibus et bonis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Scilicet *cumque*, nam prima periodus § 2 prosequitur (R. T.).

3 Hanc vocem *translatis*, certo necessariam, nos addendam esse duximus: vide infra § 6 (R. T.)

1 Edit. Main. habet *iuventus*, sed contextus requirit *iuventutis* (R. T.)

paltatoribus, dohaneriis, datiariis, praefectis, exactoribus et aliis praedictis, necnon ipsius monasterii et Ordinis superioribus, conventibus, et dilectis filiis populo romano, caeterisque personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, in genere vel in specie, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et Sedem huiusmodi, etiam motu, scientiâ ac potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, etiam ad imperatoris, regum, reginarum, ducum et aliorum principum instantiam, vel aliorum contemplatione aut intuitu, seu aliâs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, etiam contra exemptos, concessis, approbatis et innovatis; etiamsi in eis caveatur expresse, quod illis, etiam vigore implicitae derogationis latissime extendendae ultra quam in supplicatione desuper signatâ expressum fuerit per quascumque literas apostolicas, etiam quasvis clausulas generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores et insolitas, ac etiam irritantia et alia decreta sub quacumque verborum expressione in se continentes nullatenus derogari, neque derogatum censeri possit, nisi illorum tenore de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, inserto, ac huiusmodi derogationes consistorialiter, ac de eiusdem S. R. E. cardinalium consilio, ac cum expressione causarum in huiusmodi privilegiis et indultis ac desuper confectis literis expressarum factae, et per trinas literas eumdem tenorem in se continentes tribus distinctis vicibus iis, quorum interest, legitime intimatae et insinuatae fuerint, ac tunc demum ipsorum interesse habentium ad id expressus accesserit assensus, et aliter factae derogationes nemini suffragentur. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis mentio habenda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice specialiter et expresse derogamus, ac sufficienter derogatum esse decernimus, et contrariis quibuscumque: aut si camerario, thesaurario, clericis, praesidentibus, dohaneriis et aliis praedictis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§ 13. Volumus autem quod, propter unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi, dictum monasterium in spiritualibus non laedatur, et in temporalibus detrimenta non sustineat, sed illius congrue supportentur onera consueta. *Onera monasterii ferri vult.*

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, erectionis et institutionis, donationis, concessionis, unionis, annexionis, incorporationis, applicationis, assignationis, revocationis, cassationis, annullationis, dissolutionis, exemptionis, liberationis, susceptionis, subiectionis, declarationis, indulti, inhibitionis, constitutionis, deputationis, tributionis, elargitionis, mandati, derogationis, decretorum et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. *Clausulae poenales.*

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo quarto, nonis iulii, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 7 iulii 1604, an. pontif. XIII.

CCCXLVIII.

Suppressio prioratus S. Iacobi oppidi de Fixa cum erectione collegii Societatis Iesu [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Laboriosam et indefessam operam, quam Societas Iesu in militantis Ecclesiae agro excolendo, *etc.*, expedire.

§ 1. Dudum siquidem omnes prioratus, caeteraque beneficia ecclesiastica saecularia, et quorumvis ordinum regularia, apud Sedem apostolicam, *etc.*, reservavimus. Decernentes, *etc.*, attentare.

Causae supprimendi monasterii et erigendi in eo collegii.

§ 2. Cum itaque postmodum prioratus sancti Iacobi oppidi de Fixa, aliàs *de la Flêche*, Ordinis sancti Augustini canonicorum regularium, Andegavensis dioecesis, per liberam resignationem dilecti filii Petri Pillochet, nuper ipsius prioratus prioris, de illo, quem tunc obtinebat, in manibus nostris sponte factam, et per nos admissam, apud Sedem, *etc.*, ad praesens nullusque de illo praeter nos, *etc.*, supradictis; et[2], sicut charissimus in Christo filius noster Henricus Francorum rex christianissimus nobis nuper exponi fecit ipsius prioratus (qui conventualis et electivus existit, ac in quo tres dumtaxat canonici regulares Ordinem huiusmodi inibi professi remanserunt) situs, aedes et aedificia pro instituendo ibidem collegio Societatis Iesu valde apta et commoda existant: si (tribus canonicis praefatis inde ad monasterium translatis[3] sancti Ioannis Mollinensis, Ordinis et dioecesis praefatorum, quod competenti canonicorum pro cultu divino in eius ecclesiâ, uti convenit, peragendo destitutum reperitur, cuiusque abbas et conventus, dilecti filii, illos recipere parati existunt) translatus titulus et denominatio prioratus huiusmodi, ac in eo dictus Ordo, illiusque status, essentia et dependentia regulares perpetuo supprimerentur et extinguerentur, ac in situ, aedibus et aedificiis praefatis unum collegium eiusdem Societatis etiam perpetuo erigeretur et institueretur, aliaque infrascripta fierent, ex hoc profecto religiosorum ipsius Societatis in piis et laudabilibus officiis, ministeriis et exercitiis exequendis commoditati, necnon iuventutis[1] dicti oppidi et finitimorum locorum in fide, pietate, bonis moribus, scientiis et disciplinis, caeterisque christiano nomine dignis virtutibus instructioni et aedificationi, et publicae utilitati et saluti plurimum consuleretur.

Henrici regis Galliae preces.

§ 3. Quare idem Henricus rex (asserens prioratus huiusmodi, et illi forsan annexorum fructus, redditus et proventus viginti quatuor ducatorum auri de Camerâ, secundum communem aestimationem, valorem annuum non excedere) nobis humiliter suplicare fecit, quatenus praemissis et aliis infrascriptis annuere, ac desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Erectio collegii, de quo in rubrica.

§ 4. Nos igitur (qui dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum aestimationem prefatam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, idemque observaretur in quibusvis suppresionibus et perpetuis concessionibus de quibuscumque fructibus et bonis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Scilicet *cumque*, nam prima periodus § 2 prosequitur (R. T.).

3 Hanc vocem *translatis*, certo necessariam, nos addendam esse duximus: vide infra § 6 (R. T.)

1 Edit. Main. habet *iuventus*, sed contextus requirit *iuventutis* (R. T.)

ecclesiasticis) huiusmodi supplicationibus inclinati, in dicto prioratu, cui cura animarum parochianorum non imminet (sive praemisso, sive, *etc.*, factam, aut assequutionem, *etc.*, vacet, etiamsi tanto tempore, *etc.* devoluta, ipseque prioratus dispositioni apostolicae specialiter, vel aliàs, *etc.*, existat, ac inter aliquos lis indecisa, dummodo, *etc.*, pertineat[1] nomen, titulum et denominationem prioris et dignitatis prioratus, necnon Ordinem sancti Augustini praefatum, illiusque statum, essentiam et dependentiam regulares, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo supprimimus et extinguimus, ac in istius prioratus sic suppressi situ, ambitu, aedibus et aedificiis ac adhaerentiis unum collegium clericorum seu presbyterorum dictae Societatis per unum rectorem iuxta eiusdem Societatis institutum regendum, gubernandum et administrandum, cum omnibus privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, praerogativis, favoribus, indultis caeterisque gratiis, tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus alia eiusdem Societatis collegia, illorumque rectores, clerici, presbyteri, saecolares[2], collegiales et personae, de iure vel consuetudine, seu ex privilegio vel aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, auctoritate et tenore praefatis, etiam perpetuo erigimus et instituimus;

Cui bona omnia monasterii adiudicantur.

§ 5. Illique, sic erecto et instituto, pro eius dote, ac futurorum illius rectoris et collegialium usu, habitatione, substentatione et commoditatibus, onerumque ipsis incumbentium supportatione, situm, aedes et aedificia suppressi prioratus huiusmodi, cum illius ecclesià, claustris, refectorio, dormitorio, ambitu, circuitu, necnon omnibus et singulis suis membris annexis, villis, praediis, possessionibus, terris, agris, fundis, vineis, censibus, iurisdictionibus, silvis, paschulis, hortis, pratis, decimis, fructibus, redditibus et proventibus, iuribus, actionibus, obventionibus, emolumentis et pertinentiis universis, caeterisque mobilibus, immobilibus et semoventibus, ac etiam feudalibus et allodialibus bonis, tam intus quam extra dictum oppidum ubilibet constitutis, eorumque proprietate et dominio, ac sacris, profanis et communibus suppellectilibus ad dictum prioratum suppressum, eiusque conventum et ecclesiam, etiam ex imperatorum, regum, reginarum, ducum, principum vel aliorum utriusque sexus fidelium fundatione, dotatione, donatione, largitione, vel aliàs quocumque iure, titulo et causâ pertinentibus, cuiuscumque qualitatis, quantitatis, pretii, vel valoris sint, ac in quibuscumque rebus, etiam rei vocabulo latissime sumpto, consistant, etiamsi intuitu et contemplatione dicti Ordinis sancti Augustini illiusque religiosorum, et quamdiu ipsi ibidem permanserint, donata, relicta, erogata et elargita fuerint (ita quod liceat pro tempore existentibus rectori et collegialibus praefatis per se, vel alium, seu alios, eorum et ipsius collegii nominibus, corporalem illorum omnium possessionem propriâ auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, ac fructus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque inde provenientia percipere, colligere, exigere, levare, arrendare, locare, dislocare, ac, oneribus suppressi prioratus huiusmodi in spiritualibus debite supportatis, in suos dictique collegii communes usus, utilitatem et necessitates convertere, dioecesani loci nunc et pro tempore existentis licentià desuper minime requisità) eisdem auctoritate et tenore similiter perpetuo concedimus, assignamus, applicamus et appropriamus.

Cum omnibus iuribus annexis.

1 Similes form. vide sup. pag. 93 § 3 (R. T.).
2 Sic leg. Main.; at fors. leg. *scholares* (R. T.).

Onera prioratus in ministeria Soc. Iesu commutantur.

§ 6. Omnia vero prioratus eiusdem suppressi, et illius ecclesiae onera spiritualia in solita dictae Societatis ministeria et exercitia commutamus; praefatosque tres canonicos regulares suppressi prioratus huiusmodi, de illo eiusque aedibus et aedificiis praefatis, ad dictum monasterium (ita ut inibi ad illius canonicorum deficentium loca et canonicales portiones, aliaque iura et emolumenta recipi et admitti, ac sincerâ in Domino charitate tractari debeant in omnibus et per omnia, perinde ac si ordinem praefatum ibidem ab initio professi fuissent) auctoritate et tenore similibus transferimus.

Clausulae pro perpetua huiusce constitutionis firmitate.

§ 7. Decernentes praesentes litteras (etiam ex eo quod causae, propter quas praemissa fiunt vel facta sunt, coram loci Ordinario, etiam tamquam a dictâ Sede delegato, vel aliàs, examinatae, verificatae et iustificatae, ac abbas et conventus monasterii, vel alterius regularis loci, a quo suppressus prioratus huiusmodi forsan dependebat, dictique Ordinis superiores et quicumque alii interesse habentes, vel praetendentes, ad hoc vocati non fuerint, nec praemissis consenserint, vel aliàs ex quocumque alio capite vel causâ quantumvis iuridicâ, et legitimâ) de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, invalidari, in ius vel controversiam vocari, ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus eas quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari nullatenus umquam posse; neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per nos, seu alios quoscumque Romanos pontifices successores nostros, dictamque Sedem, etiam in crastinum assumptionis ipsorum successorum ad summi apostolatus apicem, vel aliàs etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, etiam consistorialiter, et de apostolicae potestatis plenitudine quandocumque pro tempore faciendis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ, per rectorem et collegiales praefatos quandocumque eligendâ, concessas, ac semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque ab omnibus censeri, atque ita, et non aliàs per quoscumque iudices, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et vice-legatos ac dictae Sedis nuncios (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) ubique iudicari et definiri debere; necnon quoad suppressionem, extinctionem, concessionem, assignationem et applicationem praefatas, prout est, si attentatum forsan est, hactenus vel imposterum, quo vero ad alia praemissa ex nunc, irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§ 8. Non obstantibus priori voluntate nostrâ praefatâ, et Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri, et aliis apostolicis constitutionibus, necnon prioratus suppressi, et Ordinis ac monasteriorum praefatorum, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis, illis eorumque abbatibus, superioribus, conventibus et personis, sub

quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu et scientiâ similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet, concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales[1] idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque[2] contrariis quibuscumque; aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de prioratibus huiusmodi speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictae Sedis, aut legatorum eius, litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem, ac inde sequuta quaecumque, ad dictum prioratum suppressum volumus non extendi (sed nullum per hoc eis, quoad assequutionem prioratuum vel beneficiorum aliorum, praeiudicium generari); et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli, *etc.*[1] incursurum.

Datum Romae apud sanctum Marcum, anno incarnationis Dominicae MDCIV, VI idus iulii[2], pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 10 iulii 1604, an. XIII.

CCCXLIX.

Confirmatio transactionis initae inter communitatem Avenionensem et ministros regis christianissimi super signo seu bullo apponendo pannis sericis per Galliae regnum transvehendis ibique vendendis[3].

Clemens Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Quae ad nostrorum subditorum utilitatem cedere dignoscuntur, ea libenter approbamus, ac apostolicae confirmationis robore communimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Galliae ministri sericas merces in Statu Avenionensi confectas regio addicebant.

§ 1. Nuper siquidem dilectorum filiorum consulum et communitatis civitatis nostrae Avenionensis nomine, per dilectum filium Laurentium Dreperium V. I. D. illorum assessorem, et apud nos oratorem, nobis expositum fuit, quod, cum a multis annis, deficiente fere omni alio commercio, et eàdem civitate, tam per apostolicas concessiones, quam per alios varios modos, ars conficiendi pannos sericos vix retenta esset, nihilominus, a quibusdam annis citra, eidem etiam arti

1 Edit. Main. habet *generalis* (R. T.).

2 Vocem *caeterisque* de more addimus (R. T.).

1 Nempe hic omittuntur clausulae poenales, quarum formulam habes in Const. praeced. § 14, pag. 98 (R. T.).

2 Mendose Main. in textu legit *idus iulii;* ad marg. autem 10 *iulii*; itaque coniecturaliter corrigimus VI *idus iulii* (R. T.).

3 Ex Regest. in Secret. Brev.

magnum allatum est detrimentum ex eo quod ministri regni Galliae ingressum pannorum sericorum, in praedictà nostrà civitate confectorum, in dictum regnum prohibitum asserentes, quotiescumque illos intra ditionem Gallicam reperiebant, tamquam forenses et extraneos regio fisco addicebant, in vim quarumdam regiarum constitutionum, quibus cautum asserebant, non licere pannos sericos forenses per Galliae regnum transvehere, nec venales deferre, quin prius Lugdunum delati extitissent, ibique quoddam symbolum seu bullum accepissent, cuius medio postmodum per totum Galliae regnum transvehi et vendi tuto et libere valerent; et alio etiam praetextu merces praedictas in poenam dictarum constitutionum incidisse dicebant, quod scilicet materia, seu seta, qua praedicti serici panni pro maiori parte confecti erant, ipsarum rigori subiaceret, et cum setae ex Italià et Hispanià in praedictam civitatem transportari nequeant, nisi per provincias eiusdem regni, ideo Lugdunum transvehendas esse, antequam in pannos transmutarentur; et licet praefata civitas adversus praedicta multa opponeret, non minus propterea dictam vexationem patiebatur: unde post multos magnosque sumptus in huiusmodi lite collatos, et post magnam ex mercium confiscationibus iacturam, nihil magis expedire visum fuit, quam vel setas et pannos Lugdunum transportare cum intolerabilium sumptuum onere, vel nullos omnino pannos sericos conficere, et sic artem sericam, ab annis infinitis retentam, cum tertià parte habitatorum et incolarum amittere.

Quod maximum huiusmodi arti et commercio damnum afferebat.

§ 2. Quapropter rem saepe aliàs et per viginti annos, aut circa, frustra tentatam aggressi, cum redemptoribus et ministris regiis tractare coeperunt de praedicto signo seu bullo, in civitate Lugdunensi imponi solito, in praedictà nostrà civitate Avenionensi imponendo cum solutione iurium regio redemptori seu appaltatori ratione dicti bulli debitorum; et tandem super praemissis, praesentibus[1] dilecto filio nostro Carolo S. R. E. presbytero cardinali de Comitibus nuncupato, tunc in eàdem civitate vice legato, necnon in toto Statu praedicto legationis Avenionensis gubernatore generali, ac reservato nostro et Apostolicae Sedis beneplacito, inter consules praedictae civitatis, ac appaltatores praedictos transactio inita, ac nobis nuper exhibita fuit, per quam Avenionensibus datur facultas, ut, dictis regiis constitutionibus non obstantibus, merces sericas in quascumque Galliae partes deferre et vendere possint, ita ut, licet praedicto appaltatori, medio cuiusdam institoris, iura praedicti bulli solvantur (cuius ope panni serici praedictae civitatis per totum Galliae regnum, ac si Lugduni impositum esset, deferri ac vendi possunt); nihilominus tamen omnis iurisdictionis auctoritas, et causarum inde provenientium decisio, nec non et confiscationis iura ad nostros iustitiae ministros Cameraeque nostrae Apostolicae fiscum spectent et pertineant; ac praedictus etiam institor pro exigendo dicti bulli seu signi iure, praestito prius iuramento de fideliter exercendo in manibus praefati vice-legati, litteras ab eodem super hoc obtinere teneatur, nullam ex se nisi privati hominis causam habens, prout in dictà transactione, cuius tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, plenius dicitur contineri.

Consules Avenionenses transactionem cum dictis ministris ineunt.

§ 3. Cum autem consules et communitas praedicti novissime nobis humiliter supplicari fecissent ut transactionem praedictam approbare dignaremur, contra vero quia ex certis ipsius transactionis capitibus, ac ex quorumdam proclamatum, auctoritate praefati vice-legati facto

1 At melius legeretur *Praesente* (R. T.)

rum, tenore, et praecipue ex consignatione quadam mercium in civitate nostrâ Cavallicensi, vulgo busellum nuncupatâ, stabilitâ) dilecti etiam filii comitativi comitatus nostri Venayssini, se gravatos esse praetendentes (licet prius coram praedicto vice-legato adversus praedictam transactionem et proclamata se opposuissent, et ipse vice-legatus causam et partes ad nos ratione praemissorum remiserit), per eorum agentes et procuratores annullationem et cassationem dictae transactionis humiliter petiissent: nos, auditis saepius in contradictorio partibus, tandem utrorumque utilitati consulere volentes, et praedictos consules communitatemque et homines civitatis nostrae Avenionensis a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, et ad effectum ut praedicta ars serici in eâdem civitate pro solatio populi et subditorum nostrorum, praesertim pauperum, sustentatione retineatur et augeatur, transactionem praedictam, omniaque in eâ contenta et inde sequuta quaecumque, praedicti tunc vicelegati, aut eius auditoris auctoritate et assensu legitime munitam [1], auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus; ab ipsâ tamen transactione, eiusque et proclamatum praedictorum vinculis, comitatum Venayssinum universum ac eius incolas et personas quascumque penitus eximimus et liberamus, ac exemptos et liberos esse volumus et mandamus, eosque in eodem, in quo ante tempus transactionis et proclamatum praedictorum statu [1], restituimus, reponimus et plenarie reintegramus; ita ut nec ratione setarum, tam in dicto comitatu, quam aliunde provenientium, nec ratione pannorum sericorum, cuiuscumque conditionis existant, aliquid solvere aut dare praedicto appaltatori teneantur, et ideo praedictam Cavallicensem consignationem, busellum vocatam, eximi praecipimus et mandamus; illamque in territorium Avenionense, si ita praedictis consulibus et communitati cum interventu vicelegati videbitur, transferimus.

Clemens tamen eam confirmat.

Sed ab ea comitatum Venayssinum excipit.

§ 4. Volumus praeterea ut in eâ parte pannorum sericorum, seu sarcinarum eorumdem, in qua insignia et arma dictae civitatis apponi solent, nostra quoque et successorum nostrorum Romanorum Pontificum, eo quo decet loco, apponantur; utque praedictae transactionis, aut aliarum similium, confirmatio a nobis, successoribusque nostris praedictis, per dictos consules et communitatem de triennio in triennium petatur; ita quod, si elapso triennio huiusmodi, absque novâ nostrâ confirmatione, iura praedicti bulli exigantur, tales exigentes et consilium eiusdem civitatis in poenam scutorum decem millium auri, Camerae nostrae Apostolicae applicandorum, ipso facto incurrant.

Pannis sericis pontificia arma vult apponi.

Et confirmationem transactionis quolibet triennio peti.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Obstantia tollit.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XIV iulii, MDCIV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 14 iulii 1604, pontif. an. XIII.

1 Edit. Main. habet *munita* (R. T.).

1 Erronee legebatur *in eodem, in quo... statum*, quod corrigi etiam posset *in eumdem, in quo... erant, statum* (R. T.).

CCCL.

Fratribus Ordinis Cruciferorum ambitus dignitatum et officiarum eiusdem ordinis interdicitur[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Ambitus in Ecclesia valde perniciosus

Quoniam nemo debet sibi assumere honorem, nisi vocatus a Deo tamquam Aaron, et a regularis vitae instituto valde alienum est ut religiosi viri (quos honorum et dignitatum gradus sanctitate vitae ac aliis religiosis virtutibus potius promereri, quam appetere, eosque gradus, cum ad eos assumuntur, obedienter suscipere, susceptosque humiliter administrare decet), mendicatis saecularium praesertim personarum studiis, ad eos sibi aditum patefacere contendant, unde magna in Ecclesià Dei pernicies adferri solet: nos qui pro muneris nostri debito in hoc potissimum laborare non desistimus, ut ecclesiastica regularisque disciplina pristino candore restituatur, huic malo opportunum remedium adhibendum censuimus.

Inter Cruciferos irrepserat.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, quidam in Ordine congregationis Cruciferorum, professionis et regulae quam professi sunt penitus immemores, nimiàque dignitatum et officiorum ecclesiasticorum in dictà Congregatione consequendorum ambitione ducti, pro iis consequendis ecclesiasticorum et saecularium principum studia requirant, et a S. R. E. cardinalibus aliisque praelatis commendatitias litteras, aliosque favores et gratias expetant, quibus adiuti, quos ipsi ex se promeruisse minime confidunt, gradus et dignitates in eàdem Congregatione consequi valeant, sicque eiusdem Congregationis quietem, non sine animarum suarum periculo, perturbent;

Pontifex favores ad dignitates obtinendas quaerentes,

§ 2. Nos malum hoc ab eodem Ordine et Congregatione, cuius prosperum regimen et incrementum ad Ecclesiae sanctae utilitatem sinceris exoptamus affectibus, pro nostrà pastorali sollicitudine propellere summopere cupientes, motu proprio, et ex certà nostrà scientià, ac de apostolicae potestatis plenitudine, eos omnes et singulos fratres dicti Ordinis et Congregationis cuiuscumque status, gradus, conditionis, praeeminentiae, qualitatis et dignitatis existentes, qui de caetero, ad praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones et alia officia dicti Ordinis et Congregationis assequenda intenti, ad principum et praelatorum ac aliarum quarumcumque personarum, tam saecularium, quam ecclesiasticarum, de gremio dictae Congregationis non existentium, etiam cardinalatus honore, ac quacumque saeculari dignitate et excellentià, etiam imperiali, regali et ducali fulgentium, favores recurrerint, vel etiam pactis, pollicitationibus aliisque, viis directe vel indirecte, palam vel occulte, ad praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones et alia officia praedicta obtinenda aspiraverint, vel aliis minus legittimis et honestis rationibus ea obtinere quaesiverint, aut etiam sponte oblatis et minime conquisitis usi fuerint, illorumque complices et fautores, ad quascumque praelaturas, dignitates et officia, gradusque, honores, administrationes et munera in ipsà Congregatione obtinenda perpetuo inhabiles declaramus, ac obtentis per eos praelaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus et officiis huiusmodi eo ipso privamus, ac privatos voce tam activà quam passivà carere decernimus et declaramus.

Vel sponte oblatas favore saecularium acceptantes, ad easdem reddit inhabiles

[1] De hoc Ordine vide in Constitut. Urbani III cui initium *Cum antecessor* tom. III, pag. 46.

Poenas eligentibus dictos ambientes infligit.

§ 3. Atque in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae poenâ, omnibus dicti Ordinis et Congregationis fratribus superioribusque et praelatis, quocumque titulo nuncupatis, etiam priori generali, praesentibus et futuris, praecipimus districteque mandamus, ne quempiam ullo tempore precibus, litteris vel favoribus adducti, vel aliàs ad instantiam, seu requisitionem, vel contemplationem principum, vel praelatorum, aut aliorum quorumcumque, tam saecularium, quam ecclesiasticorum, extra dictum gremium existentium, etiam cardinalium, imperatoris, regum, ducum, ad cuiusvis generis praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones et officia praedictae Congregationis promovere, vel poenas aliquas remittere audeant vel praesumant.

Electiones factas irritat.

§ 4. Decernentes electiones et promotiones ad monasteria, seu prioratus, vel officia dicti Ordinis et Congregationis contra praesentium dispositionem, quod absit, quandocumque faciendas, et pro tempore obtentas, nullas prorsus invalidasque fore et esse, nullisque viribus subsistere; ac omnes et singulos, in praemissis delinquentes, nullâ aliâ monitione praecedente, et absque processu desuper habendo, sententias et poenas praemissas irremissibiliter eo ipso incurrere, et ad illas sententias et poenas praemissas damnabiliter incurrisse legitime probandum, et omnino convincendum, solas praemissarum personarum instantias, preces et favores, etiam oretenus porrectas, plenam, indubiam et sufficientem in iudicio et extra fidem facere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri;

Clausulas apponit.

§ 5. Et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, et S. R. E. cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 6. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac Ordinis et Congregationis huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, et[1] contrariis quibuscumque; aut si praedictis fratribus, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Praesentes in capitulo generali legi mandat.

§ 7. Ut autem harum litterarum notitia ad omnes dicti Ordinis et Congregationis fratres facilius deveniat, volumus illas in generali capitulo dictae Congregationis publice legi, illasque in dicto capitulo lectas sic arctare, ac si legitime unicuique intimatae fuissent, illarumque exemplis, etiam impressis, manu scribae dicti capituli vel notarii publici subscriptis, et sigillo prioris generalis ipsius Congregationis, vel alterius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, obsignatis, eamdem prorsus fidem haberi, quae praesentibus haberetur, si eaedem exhiberentur.

Datum Romae apud S. Marcum, sub

1 Particulam *et* nos adiecimus (R. T.).

annulo Piscatoris die XXIII iulii, MDCIV, pontificatus nostri, anno XIII.

Dat. die 23 iulii 1604, pontif. an. XIII.

CCCLI [1].

Confirmatio declarationis litterarum Pauli III, quibus castra Ursuriae et S. Vincentii Parentinae dioecesis a superioritate et dominio nuncii Venetiarum et quorumvis aliorum eximuntur, et episcopo Parentino tantum necnon Romano Pontifici pro tempore existenti et Apostolicae Sedi immediate subiiciuntur [2].

Venerabili fratri episcopo Parentino

Clemens Papa VII.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Castra Ursuriae et S. Vincentii ab immemorabili sub sola episcopi Parentinensis et Sedis Apostolicae iurisdictione fuere.

§ 1. Cum, sicut nobis nuper exponi fecisti, Ursuriae [3] et, quod ad praesens in feudum retinetur, S. Vincentii [4] castra tuae dioecesis Parentinae iam tunc a tempore, quod eius initii hominum memoria non habetur, ad mensam episcopalem Parentinam pertinuerint, nec, ab eodem tempore citra, nostri aut Sedis Apostolicae in civitate Venetiarum, etiam cum potestate legati de latere, nuncii, seu quivis alii superiores, in eisdem castris aliquem actum superioritatis exercuerint, seu de illorum causis, tam primae, quam secundae, aut ulterioris instantiae, se intromiserint; sed castra praedicta et eorum universitates sub episcopi Parentini pro tempore existentis et post eum immediate Romani Pontificis et dictae Sedis protectione continuo remanserint et perseveraverint; ac ultra episcopos Parentinos, qui pro tempore fuerunt, neminem alium, quam Romanum Pontificem pro tempore existentem ac Sedem eamdem recognoverint; et propterea ab omni iurisdictione, superioritate, dominio et potestate quorumcumque aliorum exempta, ac soli Romano Pontifici ac Sedi praedictae post eumdem episcopum subiecta esse dignoscantur (quam quidem superioritatem felicis recordationis Paulus Papa III praedecessor noster, per suas in formâ Brevis desuper expeditas litteras, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, confirmavit, ipsaque castra episcopo Parentino ac Romano Pontifici et Sedi huiusmodi tantum subiecta remansisse et remanere decrevit et declaravit [1]);

Quod confirmavit Paulus Tertius.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, firmiora sint ea quae Sedis praedictae patrocinio muniuntur, cupiasque iurisdictionem praedictam per nos confirmari; nobisque propterea humiliter supplicari feceris ut tibi et ecclesiae tuae praedictae in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Idem iterum confirmari petit Episcopus.

§ 3. Nos igitur, qui pro nostri pastoralis officii munere singularum ecclesiarum et praesertim cathedralium indemnitati, quantum cum Domino possumus, libenter consulimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, iurisdictionem et superioritatem praedictam, ac litteras dicti

Confirmat Clemens.

1 Ex regest. in Secret. Brev.

2 De Parentio (vulgo *Parenzo*) Istriae civitate vide Ughelli, *Italia sacra*, tom. V, pag. 394 seq. (R. T.).

3 Ughelli hic et infra semper legit *Ursariae* (R. T).

4 De castro S. Vincentii, ipsiusque ad mensam episcopalem Parentinam pertinentiâ, extat diploma Clem. VII die XI kal. Febr. 1524, quod in *Bull.* non reperitur, sed videre illud est apud Ughelli ibid. pag. 412 (R. T).

1 Praedictae litterae Pauli III non habentur in *Bullario*; sed extant apud Ughelli loc. cit. pag. 416, sub datâ 30 iunii 1542, et in earum principio eiusdem fere tenoris sunt, qui ante parenthesim heic supra legitur (R. T.).

Pauli praedecessoris, cum omnibus et singulis in illis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus; ipsaque castra, ut prius, ab omni iurisdictione, superioritate, dominio et potestate eiusdem Sedis in dictâ civitate Venetiarum nuncii, ac quorumcumque aliorum, praeterquam tui et nostri, ac pro tempore existentis episcopi Parentini et Romani Pontificis ac dictae Sedis, exempta, tibique, et nobis et dictae Sedi dumtaxat subiecta remansisse et remanere, auctoritate et tenore praedictis, decernimus et declaramus.

Obstantia tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon facultatibus et indultis, nuncio praedicto in dictâ civitate Venetiarum nunc et pro tempore existenti concessis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die XXVII iulii MDCIV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 27 iulii 1604, pontif. an. XIII.

CCCLII.

Episcopis Herbipolensibus conceditur facultas tres canonicatus pro theologis a Iulio Papa III reservatos conferendi doctoribus iuris canonici[1].

Venerabili fratri Iulio episcopo Herbipolensi

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium

Exigunt tuae fraternitatis merita ut votis tuis, quantum cum Domino possumus, libenter annuamus.

Iulius III tres canonicatus, qui hic recensentur, collationi episcopi Herbipolensis reservavit.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Iulio Papae III praedecessori nostro, pro parte bonae memoriae episcopi Herbipolensis tunc existentis, exposito, quod, si unus et una sancti Ioannis evangelistae novi monasterii intra, et unus ac una sancti Ioannis in Haugiis, nec non reliquus et reliqua sancti Burchardi trans pontem, extra muros civitatis Herbipolensis saecularium et collegiatarum ecclesiarum canonicatus et praebendae, quos primo simul vel successive vacare contigisset, tunc et etiam quoties deinceps vacassent, tribus clericis saecularibus in theologiâ doctoribus (qui, illos pro tempore obtinentes, in Herbipolensi ac praedictis et aliis quibuscumque civitatis et dioecesis Herbipolensis ecclesiis clero sermones facere, ac populo verbum Dei praedicare, ac lectiones in theologiâ legere tenerentur) conferendi, dicti tunc et pro tempore existentis episcopi Herbipolensis collationi et dispositioni reservati et ad hoc deputati fuissent, ex hoc profecto in civitate et dioecesi praedictis animarum saluti per amplius consultum fuisset, et ne ibidem luterana et aliae damnatae haereses, quemadmodum in aliis Germaniae partibus invaluerant, invalescerent obviaretur[1], et, si quae excitari cepissent, facilius extirparentur; ac pro parte dicti episcopi eidem Iulio praedecessori nostro humiliter supplicato, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaretur: ipse Iulius praedecessor huiusmodi supplicationibus inclinatus, unum et unam sancti Ioannis evangelistae novi monasterii intra, ac alium et aliam sancti Ioannis in Haugiis, necnon reliquum et reliquam sancti Burchardi trans pontem, extra muros civitatis[2] Her-

1 Ex regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. habet *invaluissent, obviari*; locus mendosus esse, et emendatione aliquâ indigere, nobis visus fuit (R. T.).

2 Edit. Main. habet *extra muros Herbipo-*

bipolensis ecclesiarum praedictarum canonicatus et praebendas, quos[1] (quibusvis, tam iuxta concordata nationis Germaniae cum Sede Apostolicâ inita apostolicis, quam ordinariis mensibus nuncupatis) primo, simul vel successive, per cessum vel decessum seu quamvis aliam dimissionem illos obtinentium, aut aliàs quovis modo extra Romanam Curiam vacare contigisset, etiamsi dispositioni apostolicae specialiter, vel ex quavis causâ (praeterquam ratione vacationis illorum apud Sedem Apostolicam, aut familiaritatis continuae et[2] commensalitatis ipsius Iulii praedecessoris, aut alicuius S. R. E. cardinalis viventis, cuius consensus requirendus foret) generaliter reservati, aut ex generali reservatione apostolicà affecti fuissent, tunc et etiam quoties deinceps perpetuis futuris temporibus vacavissent, tribus clericis saecularibus dictae nationis Germanicae in theologià doctoribus catholicis in aliqua approbatâ universitate studii generalis cum rigore examinis promotis (qui, illos pro tempore obtinentes, iuxta providam desuper per dictum tunc et pro tempore existentem episcopum Herbipolensem faciendam ordinationem, tam in Herbipolensi et praedictis, quam aliis quibuscumque dictarum civitatis et dioecesis Herbipolensis ecclesiis clero sermones facere, et populo verbum Dei praedicare, ac, in locis ad hoc congruis et convenientibus per ipsum tunc et pro tempore existentem episcopum Herbipolensem designandis, lectiones in theologià legere tenerentur) cum plenitudine iuris canonici conferendos[3] praedicti tunc et pro tempore existentis episcopi Herbipolensis collationi et dispositioni (dummodo dilectorum filiorum sancti Ioannis novi Monasterii, et sancti Ioannis in Haugiis, ac sancti Burchardi ecclesiarum praedictarum capitulorum, ad quos ipsarum ecclesiarum canonicatuum et praebendarum collatio, provisio et quaevis alia omnimoda dispositio de antiquâ et approbatâ eatenusque pacifice observatâ consuetudine, spectare asserebatur, quoad canonicatus et praebendas in mensibus ordinariis huiusmodi vacaturos, ad hoc expressus accederet assensus) auctoritate apostolicâ perpetuo reservavit et ad hoc deputavit; districtius inhibens eisdem capitulis, ne ipsi ulterius aliquibus, ac praedicto tunc et pro tempore existenti episcopo Herbipolensi, ne ipse canonicatus et praebendas, ut praefertur, reservatos, aliis quam personis ut supra qualificatis conferre, et de illis providere quoquo modo praesumerent; ac decernens ex tunc eosdem canonicatus et praebendas, ut praefertur, reservatos et pro clericis doctoribus praedictis deputatos, tam eà primâ vice, quam etiam quoties deinceps perpetuis futuris temporibus extra dictam Curiam vacarent[1] (etiam illarum commendis cessantibus, si commendati, ac unionibus dissolutis, si uniti, ac commendae et uniones huiusmodi de tunc apud Sedem praedictam vacantes[2] factae fuissent), sub quibusvis gratiis, expectativis, specialibus vel generalibus, aut etiam mensalibus reservationibus, primariis precibus, nominationibus, et nominandi ac etiam nominatis conferendi mandatis, facultatibus, indultis, collationibus, provisionibus, commendis et quibusvis aliis dispositionibus, etiam per ipsum Iulium praedecessorem et Sedem praedictam, aut eius legatos de latere, etiam motu

Ut tribus theologis conferrentur.

Cum inhibitione illos aliis conferendi.

len. ecclesiarum praedictarum: ideoque *Herbipolensium* foret legendum; sed satius nobis visum fuit addere hanc vocem *civitatis* (R. T.).

1 Turbatissime edit. Main. legit *quos cum*; vel legendum *quos*, vel *quum eos* (R. T.).

2 Particulam *et* nos adiecimus (R. T.).

3 Perperam edit. Main. leg. *conferendi* (R. T.).

1 Addere h. v. *vacarent* necess. visum f. (R. T.)

2 Sic videtur legend.; edit. Main. leg. *vacantibus* (R. T.).

proprio, quibusvis personis, etiam dicti Iulii praedecessoris et successorum suorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium antiquis et descriptis familiaribus, continuis commensalibus, et quibusvis praedictae Sedis et Romanae Curiae officialibus, etiam officia sua actu exercentibus, ac aliis quibuscumque personis, cuiuscumque etiam dignitatis, status, ordinis, conditionis vel praeminentiae existentibus (aliter quam, ut praefertur, qualificatis), sub quacumque formâ et expressione verborum, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus et insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis, etiam imperatoris, regum, ducum et aliorum principum contemplatione, vel intuitu, concessis eatenus, et imposterum concedendis, nullatenus comprehendi, nec comprehensos censeri, nec illorum praetextu acceptari, aut de illis cuiquam provideri posse quoquo modo; sed ipsum tunc et pro tempore existentem episcopum Herbipolensem de illis providere debere personis, ut praefertur, qualificatis, in omnibus et per omnia; perinde ac si gratiae expectativae speciales vel generales, aut etiam mensales reservationes, primariae preces, nominationes, mandata, facultates, indulta, collationes, provisiones, commendae et aliae dispositiones huiusmodi a dicto Iulio praedecessore et Sede praedictâ, ac eius legatis, ac etiam de latere, nullatenus emanassent, nec apparerent; nec per quascumque litteras eiusdem Sedis vel legatorum eius litteris dicti Iulii ullatenus[1] censeri derogatum; nec[2] acceptationes, collationes, provisiones, commendas et quasvis alias dispositiones de illis, etiam quibusvis personis (aliter quam, ut praefertur, qualificatis), etiam per dictum Iulium praedecessorem et Sedem praedictam, aut legatos huiusmodi pro tempore factas et faciendas, nullius roboris, vel momenti existere, nullumque per eas ius alicui quaeri, vel etiam coloratum titulum possidendi tribui posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii apostolici auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter interpretandi definiendi et iudicandi facultate et auctoritate) interpretari, definiri et iudicari debere; nec non irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, etiam per dictum Iulium praedecessorem et Sedem praedictam et eius legatos etiam de latere, ac nuncios, scienter vel ignoranter, contigisset attentari; ac aliàs prout in eiusdem Iulii praedecessoris litteris in forma Brevis sub datâ die XX iunii MDLIV pontificatus sui anno quinto, desuper expeditis, plenius continetur[1].

§ 2. Cum autem, sicut pro parte tuâ nobis nuper expositum fuit, ex collegio a te fundato multi theologiae doctores in dies prodeant, paucissimi vero iuris canonici periti in istis partibus reperiantur, quorum tamen opera ecclesiis videtur non modo utilis, sed etiam necessaria, quod tu in ecclesiâ tuâ potissimum experiris; propterea, ut subditos ecclesiae tuae ad iuris canonici studium invitare possis, cupis supradictos canonicatus et praebendas, non solum tribus sacrae theologiae, sed etiam totidem canonici iuris doctoribus, prout magis expedire iudicaveris, libere conferre posse. Quare nobis humiliter supplicari fecisti, ut super hoc tibi indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Episcopus petit concedi sibi, ut eos conferre queat etiam doctoribus iuris canonici.

§ 3. Nos igitur praedictarum Iulii praedecessoris literarum tenorem, ac si de verbo ad verbum insereretur, praesentibus [illegible]

1 Edit. Main. habet *nec... nullatenus* (R. T.).
2 Leg. *et*, nam postea seq. *nullius rob.* (R. T.).

1 Praedictas literas Iulii III in *Bull.* ne requiras (R. T.).

pro expresso habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, ac successoribus tuis ecclesiae Herbipolensis praesulibus, ut, succedente praedictorum trium canonicatuum et praebendarum, pro magistris in sacrâ theologiâ a praedicto Iulio praedecessore reservatorum et deputatorum, vacatione, illos non solum magistris in theologiâ, sed etiam doctoribus in iure canonico, catholicis tamen, et servatâ in reliquis earumdem Iulii praedecessoris litterarum formâ, libere conferre et de illis providere valeatis (perinde ac si iidem tres canonicatus et praebendae, non solum pro magistris in theologiâ, sed etiam pro doctoribus in iure canonico ab eodem Iulio praedecessore nominatim reservati et deputati fuissent), auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, facultatem concedimus, et indulgemus.

Ita ut collationes huiusmodi eamdem vim habeant.

§ 4. Atque collationes, et provisiones de dictis canonicatibus et praebendis pro tempore vacantibus, doctoribus in iure canonico per te, aut successores tuos praedictos pro tempore faciendas, camdem vim et robur obtinere, quam, si magistris in theologiâ iuxta dictarum Iulii praedecessoris litterarum seriem collocati fuissent, obtinerent.

Clausulae.

§ 5. Nec a quoquam quovis praetextu impugnari ullatenus posse; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores (sublatâ eis, et eorum quilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari, et definiri debere; ac irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, quae dictus Iulius praedecessor in suis litteris voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XXXI iulii MDCIV pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 31 iulii 1604, pontif. an. XIII.

CCCLIII.

Reductio ad viam iuris litterarum facultatis obligandi fructus mensarum magistralium militarium S. Iacobi de Spatha, de Alcantara et Calatrava, clarae memoriae Philippo II regi catholico olim concessae[1].

Clemens Papa VIII,
Ad futuram rei memoriam.

Philippus II obrationes, quae hic indicantur, petierat dari sibi facultatem hypotecandi fructus mensarum magistralium militarum de Spatha, etc.

Aliàs pro parte clarae memoriae Philippi II Hispaniarum regis catholici nobis exposito, quod, cum ipse occasione bellorum, quae annis tunc praeteritis etiam in Belgii, sive inferioris Germaniae, provinciis, ac novissime in Franciae regno sustinuerat, et tunc sustinebat, maximos sumptus fecisset, eosque tunc quoque facere non destiterat, et propterea aes alienum ad ingentem summam ascendens contrahere coactus fuisset, et iis qui in praemissis sibi praesto fuerant et pecuniam crediderant, ut par erat, satisfacere, eorumque indemnitati prospicere cuperet, cumque[2] etiam, pro conscientiae suae exoneratione et securitate, ingravescente praesertim tunc aetate, nonnulla legata facere, et onera imponere et pro aeris praedicti solutione et legatorum atque onerum praemissorum satisfactione atque exequutione, de omnibus et singulis fru-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Vox ista *cumque* redundare videtur; nam contextus fere istiusmodi est *Aliàs... exposito, quod (cum ipse... cuperet) etiam... desiderabat; ac propterea nobis... supplicato, ut... dignaremur nos*, etc., ut sequitur in § 2 (R. T.)

ctibus, redditibus et proventibus ac iuribus, obventionibus et emolumentis universis mensarum magistralium militiarum sancti Iacobi de Spatha, Ordinis sancti Augustini, nec non de Alcantara et Calatrava, Ordinis Cisterciensis (quae coronis regnorum Castellae et Legionis sive aliorum regnorum Hispaniarum apostolicâ auctoritate perpetuo unita erant, et quarum militiarum ipse Philippus, tamquam dictorum regnorum rex, perpetuus administrator eâdem auctoritate apostolicâ deputatus existebat), tam vitâ illius durante, quam post obitum illius decurrendis, omni viâ, modo et iure, quibus melius et efficacius potuisset, disponere, nec non, pro eiusdem aeris alieni integrali solutione, et legatorum atque onerum omnimodâ satisfactione atque exequutione, eorum pariter fructus, redditus et proventus, ac iura, obventiones et emolumenta universa dictarum mensarum, ut praefertur, decurrendos et decurrenda, specialiter et expresse applicare, obligare et hypothecare desiderabat[1]; ac propterea nobis eiusdem Philippi regis nomine humiliter supplicato, ut super praemissis opportunam facultatem illi concedere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Concesserat Clemens.

§ 2. Nos, illum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eidem Philippo regi, ut, quandocumque illi visum fuisset et placuisset, per viam cuiuscumque dispositionis, tam inter vivos, quam ex causâ mortis, seu alterius cuiuscumque (etiam in mortis articulo quomodocumque faciendae) declarationis, de omnibus et singulis fructibus, redditibus et proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis quibuscumque mensarum magistralium trium militiarum praedictarum, etiam post obitum ipsius Philippi regis decurrendis, pro solutione aeris alieni praedicti, et usque ad totalem illius solutionem et integram praedictorum legatorum satisfactionem (circa cuius quidem aeris alieni verificationem et liquidationem, creditorumque graduationem, seu prioritatem, soli verbo et simplici declarationi per ipsum Philippum regem, si ipse vivus id declaravisset, vel per eos, quibus ipse Philippus rex pariter in mortis etiam articulo id mandavisset, vel ad quos iura et administratio praemissorum legitime delata fuisset, vel qui aliàs ad eam per iudicem deputarentur quocumque modo faciendae standum esset[1]), omni meliori et efficaciori modo disponere[2], eosdemque fructus, redditus et proventus, ac iura, obventiones et emolumenta universa pro integrali eiusdem aeris alieni solutione et creditorum satisfactione perpetuo applicare, obbligare et hypothecare, adeo ut dispositio huiusmodi eiusdem Philippi in dictis Hispaniarum regnis militiarumque administrationibus successores ita arctaret et afficeret, ut quaecumque pro dicti aeris alieni solutione per ipsum Philippum regem disposita fuissent, ea exequi et adimplere, et applicationi, obligationi et hypothecae praedictis stare omnino teneantur, necnon praemissa[3],

2 Stante particulâ *cumque*, de qua in notâ praecedenti, opus forsan esset legere *desideraret*; at vero contextus defectivus evaderet, nam coniunctio *quod*, ab initio huius § 1 posita, suo necessario obiecto careret; ideoque retinenda emendatio quam in nota precedenti innuimus (R. T.).

1 Edit. Main. habet *quocumque facienda;* sed certo aliquid deest; utrum recte emendaverimus iudicet prudens lector (R. T.).

2 Subintellige *libere et licite posset et valeret, facultatem concessimus,* prout infra legitur in fine § seq., nam eo usque oratio manet suspensa (R. T.).

3 Locus mendosus est, sed non facilis de faciendâ emendatione coniectura; fortasse legendum *tenerentur, et non contra praemissa* . . . (R. T.).

directe vel indirecte, per se vel alios, venire, vel quovis quaesito colore, vel praetextu se se opponere auderent, aut praesumerent;

Itant dicti fructus hypothecati remanerent etiam post Philippi obitum.

§ 3. Necnon eidem Philippo regi, etiam ut omnia et quaecumque sibi beneplacita seu visa, omni et quocumque meliori et efficaciori modo ac viâ facere, relinquere et imponere, et, pro illorum satisfactione et exequutione, de supradictis omnibus fructibus, redditibus et proventibus, ac iuribus, obventionibus et emolumentis quibuscumque trium mensarum magistralium militiarum praedictarum, etiam post obitum illius decurrendis, ad favorem cuiuscumque personae, tam ecclesiasticae quam saecularis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium, aliorum piorum locorum, tam saecularium quam cuiusvis Ordinis, etiam militaris, et Congregationis, etiam mendicantium, ac cuiuscumque instituti regularium et universitatum, etiam studiorum generalium, ac collegiorum et seminariorum, per viam similiter cuiuscumque dispositionis, tam inter vivos quam ex causâ mortis, et alterius cuiuscumque (etiam in mortis articulo faciendae) declarationis, disponere; eosdemque fructus, redditus et proventus ac iura, obventiones et emolumenta universa, pro praedictâ legatorum atque onerum satisfactione, et usque ad illorum omnimodam exequutionem, similiter applicare, obligare et hypothecare libere et licite posset et valeret, auctoritate apostolicâ facultatem concessimus.

Et etiamsi ille ex aliis pecuniis aes alienum et legata persolvisset.

§ 4. Et nihilominus, si idem Philippus rex huiusmodi aes alienum declaravisset, legata fecisset et onera imposuisset, et tamen de dictis fructibus, redditibus et proventibus, ac iuribus, obventionibus, et emolumentis, vel in toto vel in aliquâ parte minime disposuisset, nec eos aut ea applicavisset, obligavisset et hypothecavisset, ut praefertur, voluimus, disposuimus, atque decrevimus, ut ipsi in praedictis regnis militiarumque administrationibus successores, pro praedictâ aeris alieni solutione, et pro omnium legatorum praedictorum satisfactione et exequutione integrali, perpetuo obligati essent et esse censerentur: quodque etiam praedicti omnes fructus, redditus et proventus, ac iura, obventiones et emolumenta universa, similiter applicata, obligata et hypothecata perpetuo remanerent et remanere deberent, donec praedicti, tam creditores quam legatarii, atque ii, in quorum favorem onera praedicta componerentur, integre satisfacti fuissent, prout auctoritate apostolicâ ex tunc specialiter et expresse applicavimus, obbligavimus et hypothecavimus, ac applicatos, obligatos et hypothecatos esse decrevimus: dantes eidem Philippo regi omnimodam auctoritatem et facultatem praedictos creditores, legatarios, et eos ad quorum favorem praedicta onera imponerentur, in possessionem praedictorum omnium fructuum, redditum et proventuum, ac iurium, obventionum et emolumentorum universorum, etiam praeveniendo mortis articulum, etiam per viam constituti ponendi; qui omnes eosdem fructus, redditus et proventus, ac iura, obventiones et emolumenta universa, a quibuscumque personis ecclesiasticis et saecularibus, ac cuiusvis Ordinis et praedictarum militiarum et instituti regularibus, nec non ecclesiis, capellis, monasteriis, hospitalibus et aliis piis locis et conventibus, tam saecularibus, quam regularibus, etiam post obitum ipsius Philippi regis decurrendos, usque ad integralem ipsorum satisfactionem et exequutionem, absque vitio spolii et attentatorum, ac etiam absque ipsius Philippi regis in dictis regnis miltiarumque administrationibus successorum vel aliorum quorumcumque licentiâ, consensu, aut scitu, exigere, levare

Additis amplissimis facultatibus.

et percipere, ac in dicti aeris alieni solutionem et legatorum satisfactionem, onerumque executionem convertere libere et licite possent et valerent; ac suspendentes, quoad hunc effectum tantum, quatenus opus esset, etiam pro efficaciori remedio et praemissorum omnium validitate et firmitate, toto hoc tempore, trium mensarum magistralium praedictarum unionem coronis dictorum regnorum, ut praefertur, auctoritate apostolicâ factam; ita ut, quousque praemissa adimpleta et exequutioni demandata non fuissent, praedicti fructus, redditus et proventus, ac iura, obventiones et emolumenta universa, in alios, quam in praefatos usus, etiam per praedictos, dicti Philippi in dictis regnis militiarumque administrationibus successores quoscumque, aliquo modo, viâ, iure, causâ, seu quovis quaesito colore et praetextu converti minime possent et deberent: postquam autem praemissa omnia adimpleta et executioni demandata fuissent, ipsius Philippi successores praedicti in aliquo ulterius obligati non essent nec esse censerentur; nec non dicti fructus, redditus et proventus, ac iura, obventiones et emolumenta quaecumque ab huiusmodi applicatione, obligatione et hypothecâ praedictis prorsus libera et exempta remanerent, nec non praedicta unio, ac quaecumque alia, in pristinum, atque eum, in quo antea fuerant, et tunc erant, statum redirent et reverterentur eo ipso; ac praedicti ipsius Philippi in dictis regnis et administrationibus successores de fructibus, redditibus et proventibus, ac iuribus, obventionibus et emolumentis universis praedictis (iuxta tamen earumdem militiarum statuta ac stabilimenta, necnon secundum facultates ipsis auctoritate apostolicâ concessas tantum, et non ultra), in omnibus et per omnia disponere, illlosque et illa, sicut prius, exigere et percipere, ac in ipsorum usus et utilitatem convertere simili modo libere et licite possent et valerent:

Ita tamen, ut cessantibus concessionis causis, omnia pristino statui restituerentur, necessariis ad hoc appositis clausulis.

§ 4. Necnon mandantes, in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis nostrae, et, in subsidium, excommunicationis maioris latae sententiae poenis, eiusdem Philippi in dictis regnis militiarumque administrationibus successoribus, et aliis quibuscumque ad quos quomodolibet spectaret, ut, donec praemissa modo et formâ per ipsum Philippum regem declarandis, seu aliàs, ut praefertur, adimpleta et executioni demandata fuissent, in executione et perceptione dictorum fructuum, redditnum et proventuum, ac iurium, obventionum et emolumentorum quorumcumque nullatenus se intromitterent, nec creditores, legatarios, ac alios in quorum favorem onera praedicta imponerentur, seu alios quoscumque ab ipsis causam habituros aliquo modo perturbare, molestare, inquietare, vel aliàs impedire auderent seu praesumerent; ac decernentes nostras desuper in formâ Brevis confectas litteras de subreptionis vel obreptionis vitio seu intentionis nostrae defectu ex quavis causâ et occasione, aut quovis praetextu seu quovis quaesito colore, notari, seu impugnari, aut ad viam iuris reduci non posse neque debere; ac ita in omnibus et singulis praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii apostolici auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere; ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; prout in nostris in huiusmodi formâ Brevis sub datâ die v maii MDXCIII pontificatus nostri anno secundo confectis litteris plenius continetur [1].

Quibus de causis administratio harum militiarum concessa Hispaniarum regibus.

1 Sub hac datâ habetur quidem in *Bullario*

§ 5. Cum autem felicis recordationis Adrianus Papa VI praedecessor noster, eâ potissimum de causâ coronis regnorum Castellae et Legionis sive aliorum regnorum Hispaniarum administrationem magistratuum trium supradictarum militiarum sancti Iacobi de Spatha, Alcantarae et Calatravae perpetuo univerit et incorporaverit, ut nimirum clarae memoriae Carolus V Romanorum tunc imperator et Hispaniarum rex, eiusque in dictis regnis successores cum eorumdem magistratuum redditibus, introitibus atque proventibus maiores vires, in catholicâ fide tuendâ, haeresibus extirpandis et christianae religionis hostibus reprimendis et debellandis haberent[1]; et licet idem Carolus imperator a clarae memoriae Clemente Papa VII etiam praedecessore nostro, qui unionem praedictam confirmaverat, facultatem obtinuisset redditus, introitus atque proventus dictorum magistratuum pro solutione suorum debitorum ad decennium, seu aliàs certum tunc expressum tempus, obligandi[2], eaque facultas per similis memoriae Paulum Papam III similiter praedecessorem nostrum confirmata extitisset[3], nihilominus supradictus Philippus II rex de eisdem redditibus, introitibus atque proventibus libere semper disposuit[4], ac pro solutione aeris alieni, tum dicti Caroli imperatoris, tum etiam inclitae memoriae Ferdinandi et Elisabethae regum catholicorum, et aliarum regalium personarum defunctarum, applicavit quosdam annuos redditus viginti millium circiter ducatorum liberos ad eius dispositionem supra dictis magistratuum redditibus, introitibus atque proventibus remanentibus;

Damna ex supradicto indulto promanantia.

§ 6. Cumque, sicut etiam accepimus, charissimus in Christo filius noster Philippus III Hispaniarum rex catholicus, qui, pro summo eius christianae religionis zelo, in illâ tuendâ et defendendâ suorum maiorum vestigia sectari non desinit, gravissimos eâ de causâ sumptus assidue facere cogatur, et propterea redditus dictorum magistratuum ipsi ad eum, ad quem destinati sunt, finem potissimum necessarii sint; et si iuxta tenorem praedictarum nostrarum litterarum fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta mensarum magistralium huiusmodi praedicti Philippi II debitis, legatis et oneribus persolvendis usque ad finalem eorum solutionem et satisfactionem obnoxia et obligata remanerent, idem fere esset, ac si ab eisdem mensis magistralibus perpetuo dismembrata extitissent, nec deinceps, ullo quasi tempore in usus praedictos, ad quos destinata fuerant converti possent:

Clemens dictam suam concessionem ad terminos iuris reducit.

§ 7. Nos, considerantes ipsum Philippum III regem pro suâ in dictum Philippum II eius parentem optimum pietate aliunde curaturum, ut creditoribus dicti Philippi eius genitoris, ac legatis et oneribus ab eo relictis cumulate satisfiat, scientesque ipsum Philippum III post dictum Philippi II eius genitoris obitum ultra sex decies centena millia nummorum aureorum diversis eiusdem Philippi II genitoris sui creditoribus persolvisse; ac praeterea in animo habere assignationem cautam et securam annui redditus viginti millium ducatorum monetae dictorum regnorum creditoribus dicti Philippi regis eius genitoris, ac pro solvendis legatis et aliis oneribus ab eo relictis, initio anni

una Clementis VIII Constitutio ad ipsum Philippum II spectans, sed ista de qua hic agitur non habetur (R. T.).

1 Vide super hoc Const. IV Hadriani VI, in tom. VI *Bullarii* h. n. edit. pag. 13 (R. T.).

2 Praedicta duo diplomata Clementis VII exulant a *Bull.* (R. T.).

3 Ista quoque Pauli III Const. deest (R. T.).

4 Forsan legendum *disposuerit* et paulo post *applicaverit* (R. T.).

MDCV incipiendam, et usque ad integram eorum satisfactionem decurrendam, facere: ac attendentes etiam nimium supradictis mensis magistralibus damnum et praeiudicium ex illarum fructuum, reddituum, proventuum et aliorum supradictorum tam longâ et perpetuâ quodammodo obbligatione provenire posse: idcirco supradictis et aliis rationabilibus causis animum nostrum moventibus, motu proprio, et ex certâ nostrâ scientiâ, ac maturâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, supradictas nostras litteras et omnia in eis contenta, salvis tamen remanentibus quibuscumque obbligationibus et hypothecis, per dictum Philippum II regem in vim supradictarum litterarum de huiusmodi redditibus, introitibus atque proventibus, nec non fructibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis dictarum mensarum magistralium nominatim et in specie factis, quibus aliquo modo per praesentes praeiudicare non intendimus, quoad caeteros creditores, qui aliàs dicti Philippi II regis fidem sequuti fuerunt, necnon quoad legata in quacumque ultimâ sive aliâ dispositione relicta, et alia onera per dictum Philippum regem, non tamen super fructibus, iuribus, obventionibus et emolumentis dictarum mensarum magistralium vigore dictarum litterarum specialiter et expresse imposita, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, ad terminos iuris reducimus.

Clausulae. § 8. Decernentes praesentes litteras, etiam ex eo quod quicumque interesse habentes seu praetendentes vocati et auditi non fuerint, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel aliquo quocumque defectu notari, impugnari, redargui, aut in ius vel controversiam vocari nullatenus posse: sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 9. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ de non tollendo iure quaesito, ac supradictis litteris nostris, ac quibusvis aliis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac irritantibus, et aliis decretis in illis appositis, nec non quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die IV augusti MDCIV pontificatus nostri anno XIII[1].

Dat. die 4 august. 1604, pontif. an. XIII.

CCCLIV.

Absolutio et venia generalis pro conversis a Iudaismo ad fidem christianam, iisque qui ab iis descendunt in locis regi Portugalliae subiectis[2].

Clemens Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Proœmium. Postulat a nobis officii pastoralis ratio, ut dominico gregi invigilantes non solum assiduâ illum custodiâ tueamur, sed omni etiam studio curemus, ut christifideles, qui callidissimi daemonis arte

1 Edit. Main. tum in textu, tum ad marginem legit die 4 augusti 1603, pontif anno XII, quo posito debuisset haec Constitutio antea referri, ad pag. 26; at cum in iusto ordine hic refertur inter constitutiones ann. 1604, ideo maluimus supponere errorem typographicum in numeris hic irrepsisse, et emendavimus ut supra (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

decepti a recto veritatis tramite recesserunt, pravis erroribus relictis, in viam salutis redeant et ad ovile Christi primo quoque tempore reducantur.

Cum nonnulli in iudaismum relapsis;

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, in Portugalliae et Algarbiorum regnis, ac provinciis, dominiis et locis charissimo in Chisto filio nostro Philippo Portugalliae et Algarbiorum regi catholico, et eorumdem regnorum coronae subiectis, post editas a felicis recordationis Clemente VII, et deinde a Paulo III romanis pontificibus praedecessoribus nostris litteras[1] super generali veniâ et absolutione per eosdem praedecessores omnibus et singulis utriusque sexus ex hebraicâ perfidiâ ad Christi fidem conversis, eorumque filiis et descendentibus, ex regnis praefatis Portugalliae et Algarbiorum oriundis, ac in eis degentibus, forensibus, exteris et alienigenis super apostasiâ a fide, haeresibus et aliis quibuscumque criminibus, excessibus et delictis contra catholicam fidem per eos commissis, modo et formâ in eisdem litteris contentis attributâ et concessâ, nonnulli ex genere huiusmodi oriundi hebraicam perfidiam rursus sectari, aliaque contra fidem catholicam crimina et delicta committere non dubitaverint in Dei offensam, christifidelium scandalum et suarum perniciem animarum;

Philippus rex indultus ag. petit.

§ 2. Cumque ii omnes (tum quia graves contra haec delicta perpetrantes poenae sunt inflictae, ac per tribunal Inquisitionis haereticae pravitatis eorumdem regnorum adversus delinquentes severe et absque remissione exequutioni demandantur, tum quia omnem ulterioris veniae spem sibi praeclusam esse existimant) in deterius prolabantur, et peccata quotidie peccatis cumulent, unde graviora, non solum eisdem regnis et dominiis, sed aliis damna inferri possent, nisi huic malo salutari et benigno aliquo remedio quam primum occurratur, immo, si eisdem novae alterius et generalis remissionis obtinendae ratio proponatur, procul dubio sperandum est brevi fore, ut hi omnes ad cor reversi saniora consilia suscipiant, et ad eadem regna, cultu catholicae fidei retento, sub eiusdem Philippi regis, id summopere desiderantis et a nobis exposcentis ac enixe postulantis, obedientiâ revertantur;

Clemens absolutionem, et veniam concedit, de quibus in rubrica.

§ 3. Idcirco nos eius vestigiis inhaerentes, *Qui miserator et longanimis, et multum misericors est*, quique interdum eo consilio dissimulat peccata hominum, ut resipiscant et salutarem poenitentiam amplectantur, ac gravissimis etiam causis ad fidei catholicae conservationem, et dictorum regnorum tranquillitatem pertinentibus, atque eorumdem praedecessorum nostrorum exemplo adducti, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, omnes et singulos utriusque sexus de huiusmodi genere, quovis modo ex dictis regnis et dominiis oriundos, qui sive in eisdem regnis et dominiis nunc degant, sive ab illis iam recesserint, et in quacumque mundi parte, tam in terris christianorum quam etiam in locis infidelium et haereticorum aliorumque christianae et catholicae fidei hostium, commercii seu negotiationis vel quacumque aliâ causâ, commorantur, dummodo tamen habitum et nomen christianorum retineant, et pro christianis se gerant (alioquin si constiterit eos habitum et nomen christianorum, ubicumque commorati fuerint, non retinuisse, et pro christianis se non gessisse, sed palam et publice a fide christianâ apostatasse, in hisce nostris litteris comprehensi minime sint, et praesenti gratiâ perfrui minime

1 Litterae Clem. VII huiusmodi non leguntur in *Bull.*; habetur autem Const. super hac re Pauli III quam videre est in tom. VI, h. n. edit., pag. 205 (R. T.)

valeant) etiamsi eorum aliqui ex dictis regnis et dominiis coronae Portugalliae occasione praedictorum delictorum, seu metu poenarum in eos, qui haec delicta committunt, inflictarum aut aliâ quavis de causâ recesserint, et ex dictis regnis exules fuerint, necnon etiam alios quoscumque noviter conversos, et de huiusmodi hebraeorum, ut praefertur, genere procreatos, vel ab eis quovis modo originem trahentes, etiam forenses, exteros et alienigenas, in praedictis tamen Portugalliae et Algarbiorum regnis, aliisque provinciis, dominiis et locis eidem Philippo regi et coronae Portugalliae praefatis subiectis commorantes, ac in illis domicilium vel habitationem quovis modo habentes, aut illorum filios, nepotes et descendentes, quoad praesentes, videlicet in regnis et dominiis, ex nunc prout ex tunc, cum primum praesentes litterae in eisdem regnis et dominiis modo et formâ infrascriptis publicatae fuerint; quo vero ad absentes, ex nunc pariter prout ex tunc, cum primum ad regna et dominia praefata, in illis de caetero mansuri, reversi fuerint, dummodo illi scilicet qui in Italiâ, Galliâ, Germaniâ et aliis Europae regionibus, provinciis et locis quibuscumque commorantur, intra annum; qui vero extra Europam, intra biennium ad summum, a die publicationis praesentium in eisdem regnis et dominiis faciendae computandum, ad regna et dominia praefata revertantur, cuiuscumque illi status, gradus, ordinis et conditionis fuerint, tam laici quam clerici, etiam in sacris Ordinibus constituti, saeculares, vel cuiusvis Ordinis etiam militaris regulares, et in quacumque dignitate constituti fuerint, etiamsi praesentes in dictis regnis et dominiis, usque in diem praedictae publicationis, aut ab illis absentes etiam deinceps, supradictis respective annis durantibus, in regnis et dominiis praefatis vel extra illa pro haereticis habiti, et ut tales declarati, ac pro talibus accusati, inquisiti, diffamati publice vel occulte extiterint, ac etiamsi eorum aliqui iudicialiter abiuraverint, nec non etiam carcerati, non tamen ex causâ secundi lapsus, vel sub cautionibus relaxati reperiantur (et etiamsi contra illos sit lata sententia cum bonorum confiscatione, dummodo talis sententia non sit publicata et exequutioni demandata, et dummodo etiam ipsi carcerati vel sub cautionibus relaxati, qui de haeresi vel apostasiâ a fide condemnati fuerint, aut confessi vel convicti extiterint, abiurationem coram Inquisitoribus haereticae pravitatis dictorum regnorum, ac illorum notario, et duobus saltem testibus in illorum tribunali facere teneantur, qua abiuratione factâ, etiam absque aliquâ publicâ poenitentiâ per eos faciendâ, relaxari, et praesenti gratiâ, etiam quoad remissionem poenarum temporalium et bonorum, ut praefertur, gaudere debeant) ab omnibus et singulis per eosdem hactenus, et quoad absentes deinceps dictis annis respective durantibus, perpetratis, etiam haereses, et ab eâdem fide apostasias[1], et alios quoscumque impios errores redolentibus, caeterisque quantumvis gravibus, gravissimis, enormibus et enormissimis, ac aliâs qualificatis peccatis, criminibus, delictis et excessibus huiusmodi, etiamsi illa sub generali expressione non venirent, et specialem notam requirerent, nec non a quibusvis excommunicationum, suspensionum, interdictorum et aliis ecclesiasticis, temporalibus, corporalibus, etiam capitalibus sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, et a quibuscumque contra haereticam pravitatem Inquisitoribus praemissorum et aliâ quavis

1 Sic habet edit. Main. nisi quis malit legere *apostasiam* R. T.

occasione vel causâ latis et promulgatis, etiamsi in illis per plures annos insorduerint, et eorum absolutio nobis et apostolicae Sedi per quascumque constitutiones apostolicas, ac etiam per litteras die Coenae Domini legi solitas, specialiter vel aliàs quomodolibet generaliter reservata existat, quorum omnium et singulorum qualitates, quantitates et circumstantias etiam aggravantes pro expressis haberi volumus, ab haereticae videlicet pravitatis huiusmodi in foro civili, criminali et contentioso, ut praefertur, penitus et plenarie; in foro autem conscientiae, tam a praedictis, quam a reliquis etiam criminibus, aliisque excessibus haereticam pravitatem huiusmodi minime redolentibus, ex nunc prout ex tunc, postquam, ut infra dicetur, sacramentaliter confessi fuerint, ac haereses et apostasias a fide in eàdem sacramentali confessione anathematizaverint et detestati fuerint, iniunctis poenitentiis salutaribus, et illis quae de iure fuerint iniungenda, et e contra, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, gratiose absolvimus et liberamus; ac huiusmodi sententias, censuras et poenas illis, et cuilibet eorum remittimus et condonamus; ac illis universis et singulis generalem a praemissis omnibus et quibuscumque peccatis, excessibus, criminibus et delictis, veniam, absolutionem et remissionem concedimus et impertimur. Nec non eosdem carceratos et alios detentos, ac etiam exules, a carceribus et exiliis, quibus occasione criminum haeresis et apostasiae huiusmodi detenti et condemnati existunt, ac quoad absentes in futurum dictis annis respective durantibus extiterint, relaxamus, liberamus ac liberos dimittimus, ac relaxari, liberari ac liberos dimitti mandamus, necnon omnem infamiae maculam sive notam contra eos praemissorum occasione tam ex propriis, quam ex parentum, consanguineorum et affinium culpis et aliàs quovis modo insurgentes, ab eis penitus et omnino abstergimus et abolemus, et ulterius bonorum confiscationes hactenus factas (quorum tamen possessio pro eodem fisco apprehensa non fuerit), necnon processus contra eos formatos et sententias latas, non tamen publicatas, et exequutioni demandatas, ac quoad absentes dictis annis respective durantibus formandas et ferendas, etiam quoad bona, quorum possessio per fiscum apprehensa non fuerit, necnon informationes et alia quaecumque acta, et gesta ordinaria et extraordinaria, in iudicio et extra, contra eos hactenus facta, et quoad absentes eisdem annis, ut praefertur, respective durantibus facienda, quorum omnium tenores, status et merita similiter haberi volumus pro expressis, cassamus, irritamus, abolemus et annullamus, atque cassa, irrita, abolita et annullata fore et esse decernimus, ipsaque bona sic confiscata et confiscanda, si, ut dictum est, illorum possessio per fiscum apprehensa non fuerit, illis, quibus fuerint confiscata, remittimus, donamus et restituimus: illos tamen ad dignitates, beneficia et officia tam ecclesiastica, quam temporalia obtinenda dispensare aut habilitare per praesentes nullo modo intendimus.

A quibuscumque poenis et infamia liberat.

Non tamen beneficiorum ecclesiasticorum capaces reddit.

§ 4. Praeterea illorum conscientiarum securitati consulere volentes, universis et singulis confessoribus in praefatis regnis et dominiis existentibus ex approbatis ab Ordinariis locorum per supradictos eligendis, eorum singulos a praemissis excessibus, criminibus, peccatis et delictis, confessionibus illorum diligenter auditis ac iniunctâ cuilibet eorum arbitrio poenitentiâ salutari, ut praefertur, in foro conscientiae absolvendi plenariam et generalem facultatem ac potestatem concedimus et impertimur

Confessarios ab eis eligendis, etiam eos absolvendi dat facultatem.

Sic absolutos in nullo foro conveniri posse decernit.

§ 5. Decernentes quod omnes, qui in singulis casibus supradictis respective praemissa adimpleverint, in foro temporali, civili et criminali, etiam contentioso, a quibuscumque criminibus supradictis plenarie absoluti sint et esse intelligantur: ac volentes, quantum ad forum fori, quod illi ad aliquam publicam confessionem, abiurationem, renunciationem, purgationem, poenitentiam, paritionem et diligentiam faciendam non teneantur: et nihilominus praesens gratia illis, quoad haeresis, apostasiae a fide et alia praefata crimina, etiam in foro civili, criminali et contentioso, et etiam quoad omnia alia delicta et excessus pravitatem huiusmodi non redolentia, quaecumque, quotcumque et qualiacumque fuerint, in foro conscientiae tantum, dummodo eorum errata et excessus alicui per eos eligendo confessario, ut supra dictum est, in dictis regnis et dominiis existenti ex approbatis per Ordinarios locorum, ut praefertur, sacramentaliter corde contriti et ore confessi fuerint, absque aliquâ publicâ poenitentia illis iniugendâ in omnibus et per omnia plenissime suffragetur:

Qui iudicialiter non abiuraverint, etiamsi postea in errores reincidant, relapsi non erunt reputandi.

§ 6. Atque statuentes, ut illi omnes, qui iudicialiter, ut praefertur, haereses non abiuraverint, reconciliati non censeantur, etiam ex eo quod praesenti veniâ generali potiti fuerint; nec, etiamsi forsan in aliquem praefatorum errorum, quod absit, iterum postea inciderint, vel aliàs quomodolibet incidisse deprehensi fuerint, relapsi reputentur vel pro relapsis habeantur; nec inde aliquod indicium deinceps etiam minimum contra eos oriri, allegari, vel deduci in iudicio vel extra illud valeat; ac indulgentia, remissio et alia praedicta in damnum, notam, iniuriam, vel aliud incommodum illorum retorqueri nequeant. Caeteri vero, carcerati nimirum, vel sub cautionibus relaxati, confessi vel convincti, qui ut praesenti gratiâ potiantur, ut dictum est, coram Inquisitoribus abiurationem fecerint, nec non alii etiam omnes, qui, ut praefertur, aliàs iudicialiter abiuraverint, et ob haereses, in quas de novo incurrerunt, praesenti veniâ generali potiti fuerint, si postea iterum quod absit, in haereses labantur, relapsi sint et poenis relapsorum puniantur.

Relapsorum vero poenis puniendi, qui post abiurationem relabentur.

§ 7. Districtius inhibentes omnibus et singulis etiam iudicibus ecclesiasticis et saecularibus, ac praelatis inquisitoribus, ordinariis seu delegatis, quacumque auctoritate, potestate et dignitate, etiam pontificali, archiepiscopali, primatiali et patriarchali, ac statu, gradu, conditione ac praeeminentia, etiam cardinalatus honore fulgentibus, et tali qualitate, de qua expressa mentio fieri deberet, pollentibus, etiam a nobis seu Sede praefatâ, etiam ad instantiam eiusdem regis, deputatis et pro tempore deputandis, sub excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiis et beneficiorum et officiorum per eos obtentorum privationis poenis eo ipso, nisi paruerint, incurrendis, ne aliquos de haeresi, apostasiâ a fide, et aliis praemissis culpabiles, aut suspectos, qui gratiis praefatis iuxta praesentium tenorem gaudere debent, si quos sub aliquâ custodiâ vel carcere teneant, amplius in carcere detineant, aut contra eos ad ulteriora procedant, immo captos relaxent et exules ad patriam, et in eum statum, in quo fuerunt, et ante accusationes, condemnationes, carcerationes, et exilia huiusmodi existebant, reponant et plenarie restituant. Accusatoribus vero, denunciatoribus, testibus, inquisitoribus, iudicibus, promotoribus et aliis quibuscumque, sub similibus censuris et poenis, ne contra supradictos, occasione vel praetextu delictorum haeresim et a fide apostasiam redolentium hactenus commissorum, aut quoad absentes deinceps dictis annis re-

Mandatum Inquisitoribus ordinariis, etc., de relaxandis eis, qui carceribus detinentur;

Et de non recipendis contra eos delationibus per biennium.

spective, ut praefertur, durantibus committendorum, se intromittere, nec aliquos ad testificandum, vel accusandum, seu denunciandum inducere, vel illos super praemissis aliàs molestare quoquo modo audeant seu praesumant. Ac decernentes omnes et singulos in praemissis inobedientes, vel contravenientes, easdem sententias, censuras et poenas eo ipso incurrere, et beneficia per eos obtenta vacare, et a nobis et a quibusvis illorum ordinariis collatoribus impetrari et conferri posse, ipsasque impetrationes, collationes et alias dispositiones alioquin legitime factas valere, plenamque roboris firmitatem obtinere;

Statutis contra inobedientes poenis.

Clausulae pro perpetua huiusce constitutionis firmitate.

§ 8. Ac easdem praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae defectu notari vel impugnari non posse, nec sub quibusvis revocationibus, modificationibus, limitationibus et suspensionibus quarumcumque similium vel dissimilium litterarum, ac etiam per nos et Sedem eamdem factis et faciendis, ullatenus comprehendi, sed ab illis semper exceptas esse, et quoties revocatae vel limitatae fuerint, toties in pristinum et eum, in quo in praesenti existunt, statum restitutas et reintegratas existere; necnon illorum transumptis manu notarii publici subscriptis eamdem prorsus, tam in iudicio quam extra illud, fidem adhiberi debere, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae; sicque in praemissis omnibus per praedictos et quoscumque alios Inquisitores et iudices etiam S. R. E. cardinales in quacumque instantià et iudicio coram eis, etiam nunc et in futurum pendente, iudicari, sententiari et definiri debere, sublatà eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, sententiandi et definiendi facultate; ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputantur.

§ 9. Quocirca venerabili fratri archiepiscopo Ulixbonensi ac dilectis filiis Inquisitori generali contra haereticam pravitatem in eisdem regnis, necnon spoliorum et iurium Camerae Apostolicae debitorum in dictis regnis collectori generali, per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes, pro maiori praefatorum notitià, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando ac quoties opus fuerit, publicantes, et in praemissis efficaciter assistentes, faciant praesentes et in eis contenta quaecumque firmiter observari, ac singulos, quos ipsae praesentes concernunt, illorum effectu pacifice gaudere; non permittentes eos desuper per Inquisitores et iudices praefatos, seu quoscumque alios quomodolibet impediri, molestari vel perturbari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, et alia iuris opportuna remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria tolluntur.

§ 10. Non obstantibus praemissis, ac etiam felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, et aliis apostolicis, necnon in generalibus et provincialibus et synodalibus concilìis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, etiam ab eisdem praedecessoribus vel a nobis, etiam pluries, emanatis, legibus quoque imperialibus et regiis, nec non iuramento, confirmatione apostolicà, vel quavis firmitate alià roboratis, officii Inquisitionis et ecclesiarum, et regnorum, et dominiorum praefatorum, illorumque civitatum et locorum, etiam municipalibus statutis et consuetudinibus, sententiis quoque, ac privilegiis et indultis in corpore iuris clausis, ac etiam in formā

Brevis, et aliis apostolicis litteris etiam per nos et praedecessores nostros, ac Sedem huiusmodi, etiam Inquisitoribus praefatis, etiam ad instantiam ipsius Philippi et aliorum quorumcumque regum et reginarum, aut etiam motu proprio, et de S. R. E. cardinalium consilio, etiam de apostolicae potestatis plenitudine, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis ac irritantibus, et aliis decretis concessis, approbatis et innovatis, etiamsi in eis caveatur expresse quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis inibi expressis modis et formis, derogari possit. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, et formà in illis traditâ observatà, inserti forent, pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie motu, scientià et potestatis plenitudine praefatis, specialiter et expresse derogamus, et[1] contrariis quibuscumque: seu si Inquisitoribus et iudicibus praefatis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eâdem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Praesentes publicari praecipit.

§ 11. Ut autem praesentes litterae ad omnium quos concernunt notitiam facilius deducantur, volumus, ac eisdem archiepiscopo Ulixbonensi ac inquisitori et collectori generalibus in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ut ipsi, vel quilibet eorum per se, vel alium, seu alios, cum praesentium earumdem transumpta aut exempla acceperint, illa statim absque ullà morà, retardatione, vel impedimento aut limitatione in dictà civitate Ulixbonensi in ecclesià metropolitanâ intra missarum solemnia, dum populi multitudo ad divina officia convenerit, et per affixionem exempli seu transumpti earumdem praesentium ad valvas dictae ecclesiae metropolitanae, publicent et divulgent, ac publicari et divulgari faciant.

Exemplis danda fides.

§ 12. Ipsarumque praesentium transumptis vel exemplis, etiam impressis, manu notarii pubblici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticà constitutae munitis, eamdem fidem habendam esse decernimus, quae ipsismet originalibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XXIII augusti MDCIV, pontificatus nostri, anno XIII.

Dat. die 23 augusti 1604, pontif. an XIII.

CCCLV.

Derogatio statuti Militiae sancti Iacobi de Spatha, quod thesaurarii seu sacristae ecclesiarum dictae Militiae pro tempore deputandi, habitum fratrum capellanorum eiusdem Militiae suscipere non teneantur[1].

Charissimo in Christo filio nostro Filippo Portugalliae et Algarbiorum regi catholico Clemens Papa VIII,
Charissime in Christo filii noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Statutum erat per sacristas habitum capellanorum deferri.

§ 1. Maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit quod aliàs in capitulo

1 Partic. *et* heic sicut alibi nos addidimus (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

generali militiae sancti Jacobi de Spatha regni Portugalliae, a clarae memoriae Sebastiano Portugalliae et Algarbiorum rege in civitate Ulixbonensi de anno MDLXIV celebrato, inter alia ordinatum fuerit, quod omnes thesaurarii, aliàs sacristae ecclesiarum dictae militiae habitum per illius fratres capellanos gestari solitum, factà prius probatione de eorum vità et moribus, suscipere deberent, quod hactenus succedentibus vacationibus thesaurariorum huiusmodi observatum fuit. Sed quia, sicut eadem expositio subiungebat, experientià compertum est, quod praedicti thesaurarii, tum quia sunt ad nutum amovibiles, tum quia eorum salaria ad decentem eorum sustentationem non sufficiunt, ut plurimum qualitates ad suscipiendum habitum praedictum requisitas habere non possunt; tuo nomine nobis humiliter supplicatum fuit, ut praedicto statuto, ad effectum quod deinceps praedicti thesaurarii seu sacristae habitum huiusmodi suscipere non teneantur, derogare de benignitate apostolicà dignaremur.

Quod tamen aliquale inducebat inconveniens.

Abrogatur a Clemente.

§ 2. Nos igitur maiestatis tuae supplicationibus ducti, harum serie statuimus et ordinamus ut deinceps thesaurarii seu sacristae ecclesiarum ordinis militaris sancti Iacobi de Spatha huiusmodi, pro tempore deputandi, habitum praedictum suscipere non teneantur, et ad hunc effectum statuto praedicto specialiter et expresse derogamus.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eiusdem militiae, etiam iuramento, confirmatione apostolicà, vel quavis firmitate alià roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae aqud S. Marcum sub annulo Piscatoris die VI septembris MDCIV, pontificatus nostri, anno XIII.

Dat. die 6 septembris 1604, pontif. an. XIII.

CCCLVI.

Interdicitur fratribus Ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo ad tribunalia saecularia quominus recurrant, sed ad priorem generalem vel protectorem Ordinis, vel ad Summum Pontificem.

Clemens Papa VIII,
ad futuram rei memoriam

Exordium.

Quoniam nostro pastorali potissimum incumbit officio, ut ea quae per regulares personas contra eorum regularia instituta temere attentantur, quantum nobis ex alto conceditur, opportunis remediis compescamus et amoveamus;

Causae faciendae prohibitionis.

§ 1. Proinde, quia nuper dilecto filio magistro Henrico Silvio Henrico priore generali Ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo, non sine animi nostri molestià, referente accepimus, quod nonnullae dicti Ordinis, etiam utriusque sexus, regulares personae, Dei timore postposito et suae professionis immemores, ut in eorum malefactis et inhobedientià se diutius confoveant, ab iis, quae per praelatos eiusdem Ordinis et priores provinciales et alios superiores, ab ipso priore generali pro tempore deputatos, acta sunt et decreta, ad tribunalia saecularia appellare, et ad ea temere confugere consueverunt, in non modicam iurisdictionis ipsorum superiorum laesionem, et regularis instituti alterationem ac scandalum plurimorum;

Prohibet de quo in rubrica.

§ 2. Nos, praemissis obviare volentes, universis et singulis dicti Ordinis utriusque sexus regularibus personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis existentibus, apostolicà auctoritate, tenore praesentium, praecipimus et mandamus, eisque sub excommunicationis latae sententiae poenà, a qua nonnisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo,

absolvi possint, necnon privationis perpetuae officiorum per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad illa et alia quaecumque dicti Ordinis officia exercenda, ac vocis tam activae quam passivae, eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis poenis, districtius inhibemus, ne ad ipsa tribunalia saecularia quovis pretextu aut quaesito colore appellare, vel ad illa confugere, aut ea propterea quoquo modo adire audeant vel praesumant: sed, si se a praelatis gravari praetendant, ad priorem generalem ipsius Ordinis, seu illius protectorem aut vice-protectorem in Romanâ Curiâ, vel ad nos sive Romanum Pontificem pro tempore existentem, supremum in Ecclesiâ Dei iudicem, sicut antiquitus semper facere consueverunt, recursum habeant, unde illis brevi manu iustitia ministrabitur.

Inobedientium poenae.

§ 3. Volentes et ita declarantes, quod nedum dicti Ordinis regulares personae contra facientes, verum etiam eorum quomodolibet directe vel indirecte fautores et consultores easdem poenas eo ipso omnino incurrant. Decernentes irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis ac litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur et insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad effectum praesentium specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 5. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die xx septembris, MDCIV, pontificatus nostri, anno XIII.

Dat. die 20 sept. 1604, an. pontif. XIII.

CCCLVII.

Ne quis in Italia habitum externum similem ei quem gestant fratres reformati seu discalceati Ordinis Eremitarum S. Augustini, deferat. Et nemo ex ipsis ad alium Ordinem quam Carthusianorum transeat[1].

Clemens Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Pastoralis officii ratio postulat ut religiosorum, maxime strictioris observantiae, quieti, profectui bonoque nomini indefesse consulamus.

Causae prohibitionis.

§ 1. Cum igitur, sicut accepimus, habitu, quo dilecti filii religiosi Congregationis S. Augustini, Reformatorum seu Discalceatorum nuncupati, utuntur, plures extra eam induti confusionem, et aliqui[2] etiam scandalum in praeiudicium praedictae Congregationis generent;

Prohibitio de qua in rubrica.

§ 2. Nos, ut haec et alia inconvenientia omnino evitentur, opportune providere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicae pote-

1 De toto Ordine Eremitarum vide in Constitut. XXIX, Alex. IV, *Licet.*, tom. III, pag. 635

2 *Bull.* Ord. legit *alicui*, et sic legit etiam Cherubini (R. T.).

statis plenitudine, districte praecipimus in virtute sanctae obedientiae, et sub poenâ excommunicationis maioris latae sententiae ipso facto incurrendâ, ne quis in Italia habitum externum, tam in materiâ quam in formâ, similem (ita ut ex praedictis Discalceatis existimari possit) gestare praesumat, nisi praedictae Congregationis membrum actualiter existat, aut a Congregatione Galliae aut Hispaniae pro negociis gerendis huc adveniat.

Poenae contra inobedientes.

§ 3. Quod si quis, scienter vel ignoranter, secus fecerit, illum, a quolibet praedictae Congregationis religioso, habitu et sandalis privari posse decernimus, ac illos Congregationis praedictae usui ex nunc appropriamus.

Exequutores deputati.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, eorumque vicariis in spiritualibus generalibus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus quilibet eorum, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte religiosorum dictae Congregationis aut cuiuslibet eorum fuerit requisitus, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicans, ac praedictis religiosis dictae Congregationis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ illas in eius quisque civitate et dioecesi inviolate observari: contradictores quoscumque per censuras et poenas praedictas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Prohibetur transitus.

§ 5. Praeterea sub iisdem censuris et poenis praecipimus quod nullus praedictae Congregationis professus in aliqua alia provinciâ aut Congregatione Ordinis S. Augustini, aut cuiusvis alterius religionis, praeterquam Carthusianorum, absque nostrâ et Sedis Apostolicae aut superintendentis licentiâ recipiatur, et, si receptus fuerit, statim praedictae Congregationi restituatur.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque;

Exemplis danda fides.

§ 7. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Tusculi sub annulo Piscatoris die XXV septembris MDCIV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 25 septembris 1604, pontif. an. XIII.

CCCLVIII.

Quod personae Ordinis seu Congregationis Coelestinorum utriusque sexus ad alia tribunalia saecularia appellare vel ad illa confugere minime valeant[1].

Clemens Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium

Quoniam nostro pastorali potissimum incumbit officio, ut ea quae per regulares personas contra eorum regularia instituta temere attentantur, quantum nobis ex alto conceditur, opportunis remediis compescamus et amoveamus;

Causae faciendae prohibitionis

§ 1. Proinde, quia nuper dilecto filio domino Petro Capuccitto ab Agellis abbate generali monacorum Ordinis sancti Benedicti congregationis Coelestinorum, non sine animi nostri molestiâ, referente accepimus, quod nonnullae dicti Ordinis et Congregationis, etiam utriusque sexus, regulares personae, Dei timore postposito, et suae professionis immemores, ut in

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

eorum malefactis et inobedientiâ se diutius confoveant, ab iis quae per praelatos eiusdem Ordinis et Congregationis, etiam visitatores generales et alios superiores, a definitoriali capitulo et abbate generali pro tempore deputatos, acta sunt et decreta, ad tribunalia secularia appellare, et ad ea temere confugere consueverunt, in non modicam iurisdictionis ipsorum superiorum laesionem, regularis instituti alterationem, atque scandalum plurimorum:

Prohibitio.

§ 2. Nos, praemissis obviare volentes, universis et singulis dicti Ordinis et Congregationis utriusque sexus regularibus personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis existentibus, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, praecipimus et mandamus, eisque sub excommunicationis latae sententiae poenâ, a qua nonnisi a nobis seu a Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint, necnon privationis perpetuae officiorum per eos obtentorum, et inhabilitatis ad illa et alia quaecumque dicti Ordinis et Congregationis officia exercenda, ac vocis tam activae quam passivae, eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis poenis, districtius inhibemus, ne ad ipsa tribunalia saecularia, quovis praetextu aut quaesito colore, appellare, vel ad illa confugere, aut ea quoquo modo adire audeant vel praesumant:

Appellationes ad quem sint faciendae.

§ 3. Sed, si se a praelatis gravari praetendant, ad visitatores generales quisque in suis quarteriis, intra quorum fines existunt, et ab his ad abbatem generalem ipsius Ordinis et Congregationis, seu illius protectorem in Romanâ Curiâ, vel ad nos sive Romanum Pontificem pro tempore existentem, supremum in Ecclesiâ Dei iudicem, sicut antiquitus facere consueverunt, recursum habeant, unde illis brevi manu iustitia ministrabitur.

Poenae inobedientibus praefixae.

§ 4. Volentes et ita declarantes, quod nedum dicti Ordinis et Congregationis regulares personae contrafacientes, verum etiam eorum quemlibet[1] directe vel indirecte fautores et consultores, easdem poenas eo ipso omnino incurrant.

Clausulae.

§ 5. Decernentes irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictorum Ordinis et Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Tusculi sub annulo Piscatoris die v octobris MDCIV pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 5 octobr. 1604, an. pont. XIII.

CCCLIX.

Approbatio statutorum editorum ab Ordine fratrum beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, ad reformationem ipsius Ordinis[2].

1 Heic legendum *quomodolibet*, sicut supra pag. 126 in *Const.* huic simili (n. 1).

2 Huius Ordinis Institutionem habes in Constitut. XLII Greg. IX, *Devotionis*. Tom. III, pag. 485.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Decet Romanum Pontificem ea quae pro religiosorum quorumlibet statu prospere dirigendo provide statuta et ordinata sunt, ut inviolate observentur, apostolicae firmitatis robore communire, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

In capitulo generali facta provinciarum divisio.

§ 1. Expositum siquidem nobis nuper fuit pro parte dilecti filii Bernardi de Vargas procuratoris generalis Ordinis beatae Mariae de Mercede Redemptionis captivorum, nomine etiam dilecti filii Alphonsi de Monroy magistri generalis dicti Ordinis et infrascriptarum provinciarum, quod in capitulo provinciali dicti Ordinis in oppido *del Olivar* Caesaraugustanae dioecesis, die x iunii anni MDCIII celebrato vigore nostrarum litterarum in formâ Brevis sub datum die IV martii eiusdem anni expeditarum, provincia Aragoniae dicti Ordinis de consensu vocalium in tres partes divisa fuit. Ex quatuor vero regnis Hispaniae, videlicet Aragoniae, Valentiae, Navarrae, ac principatus Cathaloniae, duae provinciae factae fuerunt; altera provincia Valentiae, cuius subiecta fuerint monasteria eiusdem regni, necnon monasteria Tortosae, Tarraconae, Trevel, Sarrion, Maioricae et Oram cum suis attinentiis et iurisdictionibus; altera provincia Aragoniae, cui subiacerent monasteria eiusdem regni, et Navarrae, et principatus Cathaloniae.

Nonnullaque edita statuta.

§ 2. Et ulterius pro salubri eiusdem Ordinis et dictarum provinciarum (ac etiam provinciae Italiae, cuius tertia provincia fieri debebat, quod quam primum exequutioni demandabitur) directione ac prospero regimine nonnulla statuta, constitutiones et ordinationes per religiosos dicti Ordinis perpetuo observanda condita et conditae fuerunt tenoris sequentis, videlicet:

In Missis dicenda oratio pro Papa;

§ 3. Primo fuit praeceptum in virtute sanctae obedientiae, quod, ultra communia et particularia suffragia et orationes praecepta a constitutionibus Ordinis, deinceps pro felici statu sanctissimi Domini nostri Papae cantetur seu dicatur oratio *pro Papa* in missis tam cantatis quam planis pro felici statu Sanctitatis Suae, ac pro conservatione et augumento suae sanctae Sedis, quoties non contrariabitur rubricis missalis romani, et in orationibus particularibus et secretis omnes religiosi eamdem faciant commemorationem;

Commendatores curent omnes adesse choro;

§ 4. Secundo, quod commendatores, tam in celebratione missarum, quam in recitatione divini officii in choro, maximam adhibeant diligentiam et punctualitatem, ut omnes legitimo impedimento non impediti assistant, et quod numquam omittatur oratio mentalis, et quod in omnibus monasteriis (si commode fieri potest) missa quotidie cantetur;

Omnesque orationem mentalem facere.

Pia legata adimplenda.

§ 5. Tertio, fuit praeceptum quod maxima adhibeatur diligentia, ut adimpleantur legata pia benefactorum, et suffragia pro defunctis;

Missa pro fratribus defunctis celebranda;

§ 6. Ac etiam quod, decedente aliquo religioso, teneantur omnes religiosi sacerdotes suae provinciae, sequenti die postquam habuerint notitiam obitus illius, celebrare unam missam planam pro illius animâ, et monasteria singula singulas cantent missas, nisi ratione diei debeat transferri, dummodo non omittatur;

Nullum privilegium contra constitutiones Ordinis concedendum.

§ 7. Quarto fuit praeceptum in virtute sanctae obedientiae, ac sub poenâ excommunicationis maioris, quod nullus religiosus possit uti aliquo privilegio a quovis dicti Ordinis superiore sibi concesso, nec in futurum concedi a quoquam possit, contra dicti Ordinis constitutiones;

quod si concedatur, ex nunc nullius roboris esse censeatur, ac eo utentes eisdem poenis subiiciantur;

Quando et quomodo danda licentia egrediendi e monasterio;

§ 8. Quinto fuit praeceptum commendatoribus, quod non possent suis subditis dare licentiam exeundi extra civitatem ultra quatuor dies, et non nisi ex rationabili et honestâ causâ, et quam rarius possit; et quando ex aliquâ necessitate et urgenti causâ concedenda esset licentia alicui, non nisi a provinciali concedatur, cuius conscientia fuit onerata, ne sine iustâ et honestâ causâ huiusmodi licentias impertiatur; sed si casus advenerit ita praecisus ut non possit de facili haberi recursus ad provincialem, et[1] in morâ esset periculum, tunc commendator monasterii de consilio consiliariorum licentiam concedere possit, transmittendo provinciali statim copiam informationis et causae propter quam fuit motus cum ipsorum consiliariorum consilio ad eam concedendam; circa vero licentias exeundi e monasterio ad civitatem, fuit onerata conscientia praelatorum, ne de facili illas concedat, sed solum ex necessitate;

Et pernoctandi in domibus saecularium.

§ 9. Sexto quod nullus praelatus, sub poenâ suspensionis sui officii per duos menses, permittat, ut aliquis fratrum, tam conventualium quam non conventualium, extra monasterium possit in domibus saecularium pernoctare, etiam quod eius essent consanguinei aut parentes, nisi de licentiâ speciali generalis magistri, aut saltem provincialis; excepto casu in quo ad infirmos in extremis laborantes vocarentur, et tunc non nisi associati remanere ibi possint;

De novitiis.

§ 10. Septimo quod praelati, sub poenâ suspensionis suorum officiorum per sex menses, non possint nec valeant recipere aliquem ad habitum Religionis, nisi habeat requisitas a constitutionibus qualitates et conditiones; ac sub eisdem poenis fuit praeceptum, ne commendatores vel novitiorum magistri permittant, quod aliquis novitiorum exeat e novitiatu ad inserviendum commendatori vel alicui fratri quacumque dignitate aut officio insignito;

§ 11. Octavo quod novitii, durante anno probationis, non possint ad scientias incumbere, sed solum ediscere res essentiales ac coeremoniales Ordinis;

§ 12. Nono quod novitii habeant separatum dormitorium ab illo professorum, ubi singuli singulos habeant lectos;

De ordinandis.

§ 13. Decimo quod commendatores non possint exponere aliquem fratrem ad ordines suscipiendos, nisi prius sibi constiterit per diligens examen, quod sit habilis et idoneus quoad mores, vitam et sufficientiam; quod examen commendator cum voto fratrum conventualium facere debeat, ac transmittere provinciali, qui considerare debeat attente, an omnes qualitates requisitae concurrant, et tunc et non aliter licentiam concedere possit;

Poenae contra male promotos.

§ 14. Undecimo, si autem aliquis, quod Deus avertat, sine legitimâ praelatorum licentiâ ordines suscipere fuerit ausus, ultra poenas canonum, si talis frater clericus fuerit, ad triremes per triennium condemnetur; si vero conversus, per sexennium; hanç autem poenam generalis magister, provinciales vel eorum vicesgerentes exequutioni non demandantes, sint suspensi a divinis in utroque foro;

De residentia facienda in commendis et de poenis non residentium.

§ 15. Duodecimo quod nullus praelatus possit abesse a suâ commendâ per aliquod spatium notabile temporis, nisi ex speciali licentiâ provincialis, cuius conscientia fuit onerata ne de facili huiusmodi licentias concedat, nisi ex causâ urgenti et necessitate, et tunc non excedat terminum duorum mensium; quapropter fuit declaratum quod si commendator ultra sexaginta dies abfuerit a suâ

1 Particulam *et* addimus ex edit. Cherub. (R.T).

commendâ, quamvis pro servitio provinciae aut sui conventus, ipso iure eius commenda vacet absque aliâ declaratione, et tunc provincialis in eâ novum commendatorem praeficiat, nisi ad generalem magistrum, iuxta constitutiones Ordinis, huiusmodi provisio spectaret;

Qui ad praesentaturam concurrere possint.

§ 16. Decimotertio quod nemo ad praesentaturam exponi possit, qui non legerit, ultra tres annos logicae ac philosophiae, duos alios annos theologiae scholasticae, assistendo conferentiis, et aliis actibus, sicut de magistris dicetur, et qui saltem trigesimum tertium aetatis suae annum non[1] compleverit, quod docere debeat per fidem baptismi;

De assumendis ad magisterium.

§ 17. Decimoquarto quod nullus possit in magistrum assumi, qui non legerit quotidie unam lectionem theologiae scholasticae per spatium sex annorum, postquam fuerit confirmatus in praesentaturâ, et quod de sero semper adfuerit conferentiis, aut praesidendo, aut replicando, et unoquoque anno praesederit alicui actui publico seu publicis disputationibus; ita et taliter quod si fuerint tres lectores, primus in principio anni, secundus in medio, et tertius in fine praesideat (possint tamen dicti lectores, si praedictorum aliquid omiserunt sine licentiâ commendatoris, cuius conscientia oneratur ne absque causâ cum eis dispenset, supplere in primo[2] vel sequentibus annis): nec propterea adscribatur in numero magistrorum nisi quadragesimum aetatis suae annum compleverit, quod per fidem baptismi docere debeat: fuit declaratum supradictas qualitates, in magistris et praesentatis requisitas, solum extendi ad eos, qui post confirmationem harum constitutionum legere incipient;

Provinciales nequeunt per duos menses ante capitulum quempiam voce privare.

§ 18. Decimoquinto quod provinciales ante celebrationem capituli provincialis per duos menses non possint commendatores nec alios vocales in dicto capitulo provinciali vocem habentes privare, sed solum de eorum delictis inquirere et facere informationem in scriptis, ad hoc ut in dicto capitulo examinentur et rei castigentur;

Eleemosynae pro redemptione captivorum collectae in alios usus non convertendae.

§ 19. Decimosexto quod eleemosynae et bona pro redemptione captivorum a fidelibus largita et largienda non possint ad alios usus applicari, quam ad redimendos captivos, neque ex pecuniis huiusmodi possit emi equus aut mulus, nisi pro quaerentibus et procurantibus dictam eleemosynam, quae animalia ad usum conventus deservire non debeant, nisi conventus tertiam partem pretii illorum exbursaverit;

Vestes ad formam regulae ferendae.

§ 20. Decimoseptimo quod fratres non possint gestare ullo umquam tempore profana vestimenta, et contra dicti Ordinis constitutiones, sub poenâ reclusionis duorum mensium pro primâ vice, et pro secundâ et tertiâ sex mensium, quorum duo sint gravioris culpae; quam poenam provinciales in suis provinciis, commendatores in suis commendis exequutioni demandabunt sine remissione;

Haereditates quae monasteriis [illegible]

§ 21. Decimooctavo fuit praeceptum, sub poenâ excommunicationis maioris latae sententiae et privationis activae et passivae vocis per sex annos ac suspensionis exercitii sanctorum sacramentorum, quod totum in foro interiori[1] obliget et liget, quod nullus superior monasterii possit alienare aut expendere legitimas, aut haereditates monasterio-

1 Particulam *non*, quae deest tum in edit. Cherub. tum in Main., necessariam vel congruam duximus (R. T.).

2 Heic edit. Main. interserit hanc unam lineam *reliquerit honeste reparatum et notabiliter*, quae prorsus extra chorum canit, et pertinet ad § 30 h. Const., uti videbimus (R. T.).

1 Utraque Cherub. edit. nempe Romana et Lugdunensis legit *exteriori* (R. T.).

rum sine expressâ licentiâ in scriptis magistri generalis, nec sufficiat provincialis; quod si secus factum fuerit, superior conventus delinquens ipso facto sit privatus, et subditi illius possint ab eo auferre obedientiam, et illam dare vicario vel antiquiori monasterii; ac sub eisdem poenis fuit praeceptum ne novi census sine licentiâ generalis magistri super bonis monasterii fundarentur;

De rationibus reddendis et computis faciendis.

§ 22. Decimonono quod nullus commendator, sub poenâ obedientiae et privationis officii ac vocis activae et passivae per tres annos, possit ullo praetextu solus expendere, vel etiam recipere aliquid ad monasterium pertinens sine praesentiâ vel scientiâ depositariorum; quod si depositarii abessent, tunc teneatur vocare aliquem ex senioribus; et sub eisdem poenis fuit praeceptum ne commendator per seipsum solum faciat computum, nec etiam procuratore associatus, sed hoc computum fiat publice ad sonum campanae, ita ut possint omnes, quotquot voluerint, adesse; sed necessario assistere debeant commendator, depositarii, sacrista, procurator et expenditor, vel eorum maior pars; qui sub poenâ excommunicationis maioris non permittere debent, quod expensae confuse adnotentur, sed distincte scribantur tam res emptae quam receptae, exprimendo nomina personarum a quibus supradictae res emptae vel receptae fuerunt; et sub eisdem poenis praecipitur depositariis, ne in libris computorum apponant vel apponi permittant, seu scribi, aliquid quod realiter et vere coram ipsis non fuerit enumeratum et consignatum, et in capsâ depositi repositum; et fuit onerata conscientia commendatoris, quod conetur quotidie facere computum horis et tempore magis opportunis et commodis;

De eleemosynis missarum.

§ 23. Vigesimo, insuper fuit praeceptum, sub poenâ excommunicationis maioris latae sententiae et privationis officii, quod nullo modo possint commendatores pecunias pro missis celebrandis largitas e capsâ communi depositi extrahere, nisi prius sibi constiterit satisfactum fuisse obbligationi, et missas fuisse celebratas, nec possint dictae missarum eleemosynae de uno conventu ad alium transferri sine licentiâ expressâ in scriptis provincialis ad minus;

Quid dandum sit provinciali in actu visitationis.

§ 24. Vigesimoprimo quod provinciali non detur ultra quatuor iulios, seu regales, quotidie pro suis ac socii expensis, commorando vel visitando aliquod monasterium;

Quae secum adiportare possint fratres a monasteriis discedentes.

§ 25. Vigesimosecundo fuit praeceptum quod nullus frater possit discedendo ab aliquo monasterio secum deferre nisi solum libros, quos habebit, imagines et habitus ad ipsius usum; reliqua vero, videlicet sedilia, lectum, scabella et alia huiusmodi relinquere debet ad usum conventus, a quo discesserit: si autem ad idem monasterium redire contigerit, poterit tunc commendator, eidem fratri magis, supradicta, quam alteri, ad usum consignare;

Commendatori vetitum, quominus pecunias a communi deposito accipiat.

§ 26. Vigesimotertio fuit praeceptum, sub poenâ excommunicationis maioris latae sententiae, quod nullus commendator possit accipere pecunias, quas religiosi sui monasterii in communi capsâ depositi habent, nec ab eis mutuo petere;

Bona unius provinciae ad aliam non transferenda.

§ 27. Vigesimoquarto fuit praeceptum iuxta breve sanctissimi Domini nostri Clementis Papae VIII, sub datum Romae die XIX ianuarii MDCI, ne bona unius provinciae possint ad aliam transferri, sub poenis etiam in dicto Brevi contentis[1];

Bona defunctorum monasterio danda cuius illi erant filii.

§ 28. Et quod bona ob mortem alicuius fratris pertineant ad monasterium

[1] Breve huiusmodi in *Bull.* hucusque non legitur (R. T.).

cuius erat filius, et non ad conventum in quo emiserat professionem, ubicumque decesserit, et propterea professio, ubicumque emittatur, intelligatur emissa ad favorem monasterii cuius erat filius;

Quartis et sextis feriis quadragesimae disciplina facienda.

§ 29. Vigesimoquinto fuit praeceptum omnibus fratribus, quod IV et VI feriis quadragesimae de sero debeant convenire in choro, et ibi communem facere disciplinam;

Quinam possint iterum eligi in commendatores.

§ 30. Vigesimosexto fuit praeceptum in virtute sanctae obedientiae provincialibus et aliis superioribus, ad quos de iure spectat, quod nullo modo possint, transacto triennio, commendatorem iterum de aliâ commendâ providere in sequenti triennio, nisi monasterium cuius erat commendator reliquerit honeste reparatum et notabiliter melioratum ac provisum de necessariis secundum vires monasterii usque ad proximam futuram messem;

Redemptores Aragoniae et Valentiae pares inter se.

§ 31. Vigesimoseptimo fuit statutum quod redemptores provinciarum Aragoniae et Valentiae, dum ad redimendos captivos proficiscuntur, simul eant, nec aliqua inter eos sit superioritas, sed unusquisque suum librum deferat, ubi adnotabit omnia ad redemptionis munus pertinentia, sicut redemptores provinciarum Castellae et Beticae faciunt;

Qui sit in priorem Barchinonensem eligendus.

§ 32. Vigesimo octavo fuit statutum quod in monasterio Barchinonensi, quod caput totius Ordinis est, non eligeretur in priorem nisi religiosus magisterii dignitate, vel ad minus praesentaturâ insignitus, electio autem aliter facta ex nunc nullius valoris declaratur;

In electione provincialis Aragoniae alternativa servanda.

§ 33. Vigesimo nono fuit statutum quod in provinciâ Aragoniae circa electionem provincialis servaretur alternativa, ita et taliter, quod unâ vice provincialis sit ex Cathaloniâ, et aliâ vice ex regno Aragoniae et Navarrae, dummodo reperiretur persona habilis et requisita habens ad officium provincialis exercendum.

Novi magistri et praesentati electi in unaquaque ex provinciis noviter erectis.

§ 34. Causâ et occasione supradictae divisionis et erectionis harum novarum provinciarum, necesse fuit aliquos magistros et praesentatos de novo creare, ut in electione provincialium adesset sufficiens numerus vocalium, supplendo in eis aliquas requisitas qualitates, et pro provinciâ Aragoniae fuerunt creati sequentes:

§ 35. Pro provinciâ Aragoniae fuit in magistrum electus frater Ioannes de Casanova; ad praesentaturam frater Laurentius Altava, frater Ioannes Navarro, fr. Leonardus Spino, fr. Michael Ortiz de Sada, fr. Hieronymus de Rojas, fr. Ioannes Saviraque, fr. Marcus Ruiz, fr. Didacus de Pamplona, fr. Martinus de Spinal, fr. Dominicus de Suaviago, fr. Ioannes Pardo de la Casta, fr. Thomas Vasquez, fr. Paulus Ferriol, fr. Matthaeus Llaneras; post hos praesentatos fuit nominatus in praesentatum de unanimi consensu fr. Stephanus Rodriguez tamquam idoneus;

§ 36. Pro Valentiae provinciâ fuerunt nominati in praesentatos frater Michael Selma, fr. Hieronymus Campos, fr. Iacobus Torner, fr. Nicolaus Sancho, frater Caspar Fito, fr. Ioannes Ribera, fr. Andrea Vellester, fr. Antonius Vidal, fr. Augustinus Spinosa.

Praedictorum omnium petitur confirmatio.

§ 37. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Bernardus procurator cupiat, pro maiori statutorum et ordinationum huiusmodi subsistentiâ, illis apostolicae nostrae confirmationis robur accedere; nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Clemens.

§ 38. Nos igitur dicti Ordinis[1] pro no-

1 Sic legunt tum utraque edit. Cherubin., tum

strâ pastorali sollicitudine, quantum cum Domino possumus, prospicere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex voto venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super consultationibus et negociis Episcoporum et Regularium deputatorum, quibus statuta et ordinationes huiusmodi videnda et examinanda, ac nobis referenda commisimus, praedicta statuta, constitutiones et ordinationes, ut praefertur, inserta et insertas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus, ac in praedictis provinciis et Ordine a superioribus et fratribus universis eiusdem Ordinis, prout quempiam eorum concernunt, perpetuo inviolabiliter observari debere statuimus et ordinamus.

Et observari mandat.

§ 39. Mandantes propterea eisdem Alphonso magistro, et Bernardo procuratori generalibus, ac definitoribus, superioribus et fratribus universis dicti Ordinis, nunc et pro tempore existentibus, in virtute sanctae obedientiae, ut praeinserta statuta, ordinationes et constitutiones huiusmodi perpetuo observent ac observari curent et faciant.

Clausulae.

§ 40. Decernentes praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, aut quovis modo infringi, annullari vel retractari nullatenus posse, sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores designati.

§ 41. Quocirca dilectis filiis causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, et Caesaraugustano et Valentinensi officialibus per praesentes committimus et mandamus, ut praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, per se vel alium solemniter publicari, et praeinserta statuta et ordinationes huiusmodi in praedicto Ordine perpetuo inviolate observari faciant; contradictores quoscumque, ac praemissis non parentes, per censuras ac poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo.

Derogatio contrariorum.

§ 42. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac provinciarum et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem provinciis, et Ordini, ac superioribus, et fratribus quibuscumque in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum sub an-

edit. Main.; sed vel legendum *dicto Ordini*, vel aliquid supplendum, ex. g. *bono, decori*, vel *utilitati* (R. T.).

nulo Piscatoris, die XXV octobris MDCIV pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 25 octobr. 1604, an. pont. XIII.

CCCLX.

Praescripta forma appellationum interponendarum a fratribus Ordinis Eremitarum sancti Augustini, prohibetur quominus recurrant ad tribunalia saecularia[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quoniam nostro pastorali potissimum incumbit officio, ut ea quae per regulares personas contra eorum regularia instituta temere attentantur, quantum nobis ex alto conceditur, opportunis remediis compescamus et amoveamus;

Nonnulli fratres ad laicorum tribunalia confugiebant.

§ 1. Proinde, quia nuper, dilecto filio magistro Hyppolito Ravennati priore generali Ordinis Eremitarum sancti Augustini non sine animi nostri molestià referente, accepimus, quod nonnullae dicti Ordinis, etiam utriusque sexus, regulares personae, Dei timore postposito, et suae professionis immemores, ut in eorum malefactis et inobedientià se diutius confoveant, ab iis quae per praelatos eiusdem Ordinis et priores, provinciales et alios superiores, ab ipso priore generali pro tempore deputatos, acta sunt et decreta, ad tribunalia saecularia appellare, et ad ea temere confugere consueverunt, in non modicam iurisdictionis ipsorum superiorum laesionem, et regularis instituti alterationem ac scandalum plurimorum:

Cavetur sub poenis hic expressis.

§ 2. Nos, praemissis obviare volentes, universis et singulis dicti Ordinis utriusque sexus regularibus personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis existentibus, apostolicà auctoritate, tenore praesentium, praecipimus et mandamus, eisque, sub excommunicationis latae sententiae, a qua nonnisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint, necnon privationis perpetuae officiorum per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad illa et alia quaecumque dicti Ordinis officia exercenda, ac vocis tam activae quam passivae, eo ipso absque alià declaratione incurrendis poenis, districtius inhibemus ne ad ipsa tribunalia saecularia, quovis praetextu aut quaesito colore, appellare, vel ad illa confugere, aut ea propterea quoquo modo adire audeant vel praesumant;

Forma recursus praescribitur.

§ 3. Sed si a praelatis se gravari praetendant, ad priorem generalem ipsius Ordinis, seu illius protectorem aut viceprotectorem in Romanà Curià, vel ad nos sive Romanum Pontificem pro tempore existentem, supremum in Ecclesià Dei iudicem, sicut antiquitus semper facere consueverunt, recursum habeant, unde illis brevi manu iustitia ministrabitur.

Eisdem poenis subiiciuntur fautores.

§ 4. Volentes et ita declarantes quod nedum dicti Ordinis regulares personae contrafacientes, verum etiam eorum quomodolibet directe vel indirecte fautores et consultores easdem poenas eo ipso omnino incurrant. Decernentes irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicà, vel quavis firmitate alià roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis

[1] Plura de isto Ordine videri possunt sub. pontif. Alexandri IV in Const. XXIX *Licet Ecclesiae*. Tom. III, fol. 635 (h. n. edit.).

quoque, indultis ac litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur et insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad effectum praesentium specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscnmque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII novembris MDCIV pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 23 novembris 1604, pontif. an. XIII.

CCCLXI.

De ambitu fratribus Eremitis Ordinis sancti Augustini interdicto.

Clemens Papa VIII,
Ad perpetuam rei memoriam.

Ambitus in Ecclesia Dei valde perniciosus.

Quoniam nemo debet sibi assumere honorem, nisi vocatus a Deo tamquam Araon, et a regularis vitae instituto valde alienum est ut religiosi viri (quos honorum et dignitatum gradus sanctitate vitae ac aliis religiosis virtutibus potius promereri quam appetere, eosque gradus, cum ad eos assumuntur, obedienter suscipere, susceptosque humiliter administrare decet), mendicatis saecularium praesertim personarum studiis, ad eos sibi aditum patefacere contendant, unde magna in Ecclesià Dei pernicies adferri solet: nos, qui pro muneris nostri debito in hoc potissimum laborare non desistimus ut ecclesiastica regularisque disciplina pristino candori restituatur, huic malo opportunum remedium adhibendum censuimus.

Causae faciendae prohibitionis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, quidam in Ordine Eremitarum sancti Augustini, professionis et regulae, quam professi sunt, penitus immemores, nimiàque dignitatum et officiorum ecclesiasticorum in dictâ Religione consequendorum ambitione ducti, pro iis consequendis, ecclesiasticorum et saecularium principum studia requirant, et a sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus aliisque praelatis commendatitias litteras, aliosque favores et gratias propterea expetant, quibus adiuti, quos ipsi ex se promeruisse minime confidunt, gradus et dignitates in eâdem Religione consequi valeant; sicque eiusdem Religionis quietem, non sine animarum suarum periculo, perturbant;

Poenae contra ambientes.

§ 2. Nos malum hoc ab eodem Ordine et Religione, cuius prosperum regimen et incrementum ad Ecclesiae sanctae utilitatem sinceris exoptamus affectibus, pro nostrâ pastorali sollicitudine propellere summopere cupientes, motu proprio, et ex certâ nostrâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, eos omnes et singulos fratres dicti Ordinis et Religionis cuiuscumque status, gradus, conditionis, praeminentiae, qualitatis et dignitatis existentes, qui de caetero ad praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones et alia officia dicti Ordinis et Religionis assequenda intenti, ad principum et praelatorum, ac aliarum quarumcumque personarum, tam ecclesiasticarum quam saecularium, de gremio dictae Religionis non existentium, etiam cardinalatus honore, ac quacumque saeculari dignitate et excellentiâ, etiam imperiali, regali et ducali fulgentium, favores recurrerint; vel etiam pactis, pollicitationibus, aliisque viis, directe vel indirecte, palam vel occulte, ad praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones et alia officia praedicta obtinenda aspiraverint, vel aliis

minus legitimis et honestis rationibus ea obtinere quaesiverint, aut etiam sponte oblatis et minime conquisitis usi fuerint, illorumque complices et fautores, ad quascumque praelaturas, dignitates et officia, gradusque, honores, administrationes et munera, in ipsâ Religione obtinenda, perpetuo inhabiles declaramus, ac obtentis per eos praelaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus et officiis huiusmodi, eo ipso privamus, ac privatos voce tam activâ quam passivâ carere decernimus et declaramus.

Cavetur quominus superiores illos promoveant.

§ 3. Atque in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae poenâ, omnibus dicti Ordinis et Religionis fratribus, superioribusque, et praelatis quocumque titulo nuncupatis, etiam priori generali, praesentibus et futuris, praecipimus, districteque mandamus, ne quempiam ullo tempore, precibus, litteris, vel favoribus adducti, vel aliàs ad instantiam seu requisitionem vel contemplationem principum vel praelatorum, aut aliorum quorumcumque, tam saecularium quam ecclesiasticorum extra dictum gremium existentium, etiam cardinalium, imperatoris, regum, ducum, ad cuiusvis generis praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones et officia praedictae Religionis promovere, vel poenas aliquas remittere audeant vel praesumant.

Promotiones, si fiant, nullae sunt.

§ 4. Decernentes electiones et promotiones ad monasteria, seu prioratus, vel officia dicti Ordinis et Religionis contra praesentium dispositionem, quod absit, quandocumque faciendas, et pro tempore obtentas, nullas prorsus invalidasque fore et esse, nullisque viribus subsistere;

Ambitus solum petentium precibus probatur.

§ 5. Ac omnes et singulos in praemissis delinquentes, nullâ aliâ monitione praecedente, et absque processu desuper habendo, sententias et poenas praemissas irremissibiliter eo ipso incurrere, et, ad illos sententias et poenas praemissas damnabiliter incurrisse legitime probandum et omnino convincendum, solas praemissarum personarum instantias, preces et favores, etiam oretenus porrectas, plenam, indubiam et sufficientem, in iudicio et extra, fidem facere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri;

Clausulae.

§ 6. Et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac Ordinis et Religionis huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrariis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus[1], contrariis quibuscumque, aut si praedictis fratribus vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

1 Alibi pag. 78, *a*; 87, *a*, etc., censuimus heic praemitt. ad minus partic. *et*; at vero nunc advertimus eam semper deesse, quando subsequitur formula *aut si*, etc. (R. T.)

Praesentes quomodo sint publicandae.

§ 8. Ut autem harum litterarum notitia ad omnes dicti Ordinis Eremitarum fratres facilius deveniat, volumus illas in capitulis provincialibus seu congregationibus, et postea in capitulo generali publice legi, illasque in dictis capitulis provincialibus seu congregationibus, et capitulo generali lectas sic arctare, ac si legitime unicuique intimatae fuissent;

Exemplis danda fides.

§ 9. Illarumque exemplis, etiam impressis, manu scribae dicti capituli vel notarii publici subscriptis et sigillo prioris generalis ipsius Religionis vel alterius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae obsignatis, eamdem prorsus fidem haberi, quae praesentibus haberetur, si eaedem exhiberentur.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die I decembris MDCIV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 1 decembris 1604, pontif. an. XII.

CCCLXII.

Praescriptio formae, qua Ordines Regulares et Confraternitates saeculares de caetero uti debent in erigendis et aggregandis Congregationibus et Confraternitatibus; et in communicatione suarum indulgentiarum et indultorum, eleemosynarumque collectione, et Confessorum electione.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Quaecumque a Sede Apostolicâ ad promovendam Christifidelium salutem aliquando concessa sunt, etsi ea maturo consilio magnaque prudentiâ et cautione sancita et decreta sint; tamen, cum Romanus Pontifex, de animarum salute sollicitus, progressu temporis animadvertit sensim aliquos abusus in eisdem statutis **et decretis observandis provenire, debet pro sui pastoralis officii munere illis opportunâ ratione occurrere, et, quantum cum Domino potest, adhibito salutari remedio providere.**

Ex communicatione indulgentiarum, etc. prave expressâ nonnulli abusus irrepserant.

§ 1. Cum itaque a pluribus Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, et forsan etiam a nobis, nonnullis regularibus Ordinibus, religionibus et institutis, ac etiam christifidelium saecularium archiconfraternitatibus et congregationibus, diversarum nationum, nominum et institutorum, tam in almâ Urbe nostrâ, quam in aliis civitatibus et locis christiani orbis institutis, facultas erigendi et instituendi in eorum et aliis ecclesiis et collegiis, necnon etiam sibi aggregandi confraternitates et congregationes in eâdem Urbe et in aliis locis existentes, eisque privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias et indulta sibi concessa respective communicandi, attributa fuerit, ac nulla certa forma vel ratio praescripta sit, quae in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus et communicationibus faciendis servari debeat; propterea, sive negligentiâ superiorum Ordinum, religionum, et institutorum, vel officialium archiconfraternitatum et congregationum erigentium, instituentium, aggregantium et communicantium, quae (confraternitatibus et congregationibus erigendis, instituendis et aggregandis, et quibus communicationes privilegiorum, indulgentiarum, aliarumque gratiarum praedictarum fiunt[1]) non servant

1 Huc mendum aliquod irrepsisse unusquisque persentiet; forsan tota periodus aliter ordinanda est hoc modo: *sive negligentiâ... congregationum erigentium, instituentium, aggregantium et communicantium, quae non servant formam in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus et communicationibus servari debitam, neque confraternitatibus et congregationibus erigendis, instituendis et aggregan-*

formam in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus et communicationibus servari debitam, neque praescribunt modum, quo privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias et indulta praedicta consequi debeant, seu ipsarum confraternitatum et congregationum incuriâ, quae non inquirunt ea, quae praestare oportet, ut illa consequantur, nonnullae pravae consuetudines irrepserunt, multaque incommoda inde provenerunt.

Regularibus unam tantum congregationem suis in ecclesiis de consensu Ordinarii erigendi sit potestas;

§ 2. Quibus nos, pro commisso nobis apostolicae sollecitudinis officio, paternâque erga omnes christifideles charitater prospicere volentes, hac nostrâ constitutione perpetuo valiturâ decernimus atque statuimus, ut imposterum, tam huius almae Urbis nostrae, quam aliarum civitatum et locorum totius christiani orbis, regularium Ordinum, religionum et institutorum (quibus in eorum et quibuscumque aliis ecclesiis et collegiis confraternitates saecularium erigendi et instituendi facultas concessa est), necnon etiam archiconfraternitatum et congregationum, cuiusvis nationis, nominis et instituti illae sint, et in quibuscumque ecclesiis, domibus et oratoriis, tam saecularium, quam, ut praefertur, quorumcumque, etiam mendicantium ordinum, religionum, et institutorum regularium, quavis tam ordinariâ quam apostolicâ auctoritate erectae ac institutae existant, seu aliâs quovis modo introductae reperiantur (quibus alias confraternitates et congregationes instituendi, erigendi ac sibi aggregandi, illisque privilegia, indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias et indulta praedicta elargiendi, et communicandi, potestas a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, vel a nobis et Apostolicâ Sede attributa fuit), magistri, priores, praepositi, rectores, gubernatores, praeceptores, primicerii, praelati, custodes, guardiani, praefecti, administratores et alii officiales seu superiores, quovis modo nuncupati[1]; regularium si quidem Ordinum, religionum et institutorum, unam tantum confraternitatem et congregationem, de consensu tamen Ordinarii loci, et cum litteris eius testimonialibus, quibus confraternitatis et congregationis erigendae et instituendae pietas, et[2] christianae charitatis officia, quae exercere cupit, apud eos commendentur, in eorum et quibuscumque aliis ecclesiis et collegiis erigere et instituere[3];

Archiconfraternitatibus autem unam pariter confraternitatem aggregandi in singulis civitatibus, praeter eiusdem Ordinis [illegible]

§ 3. Caeterarum vero archiconfraternitatum et congregationum in singulis civitatibus, oppidis vel locis, unam etiam confraternitatem et congregationem dumtaxat, quae apostolicâ vel ordinariâ auctoritate prius erecta, ac nulli alteri Ordini, religioni, instituto, archiconfraternitati et congregationi, eiusdem vel alterius nationis, nominis et instituti aggregata sit, praevio similiter loci Ordinarii consensu, et cum eius litteris testimonialibus, quibus eiusdem confraternitatis et congregationis aggregandae institutum, pietas, et christianae charitatis officia, quae exercere consuevit, apud eos commendentur, sibi adiungere et aggregare possint.

[illegible]

§ 4. Huic vero confraternitati et congregationi erigendae, instituendae seu

dis et quibus communicationes privilegiorum, indulgentiarum, aliarumque gratiarum praedictarum fiunt, praescribunt modum quo... consequi debeant; seu ipsarum confraternitatum et congregationum incuriâ, quae non inquirunt. etc. (R. T.).

1 Heic subdivisio subditur superiorum praedictorum; siquidem sunt Ordinum regularium, de iis valent ea quae hic § statuuntur; de aliis vero dicetur § seq. (R. T.).

2 Particulam *et* addimus ex utraque edit. Cherub. (R. T.).

3 Subintellige ex fine § seq. *possint* (R. T.

Praesentes quomodo sint publicandae.

§ 8. Ut autem harum litterarum notitia ad omnes dicti Ordinis Eremitarum fratres facilius deveniat, volumus illas in capitulis provincialibus seu congregationibus, et postea in capitulo generali publice legi, illasque in dictis capitulis provincialibus seu congregationibus, et capitulo generali lectas sic arctare, ac si legitime unicuique intimatae fuissent;

Exemplis danda fides.

§ 9. Illarumque exemplis, etiam impressis, manu scribae dicti capituli vel notarii publici subscriptis et sigillo prioris generalis ipsius Religionis vel alterius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae obsignatis, eamdem prorsus fidem haberi, quae praesentibus haberetur, si eaedem exhiberentur.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die I decembris MDCIV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 1 decembris 1604, pontif. an. XII.

CCCLXII.

Praescriptio formae, qua Ordines Regulares et Confraternitates saeculares de caetero uti debent in erigendis et aggregandis Congregationibus et Confraternitatibus; et in communicatione suarum indulgentiarum et indultorum, eleemosynarumque collectione, et Confessorum electione.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Quaecumque a Sede Apostolicâ ad promovendam Christifidelium salutem aliquando concessa sunt, etsi ea maturo consilio magnaque prudentiâ et cautione sancita et decreta sint; tamen, cum Romanus Pontifex, de animarum salute sollicitus, progressu temporis animadvertit sensim aliquos abusus in eisdem statutis et decretis observandis provenire, debet pro sui pastoralis officii munere illis opportunâ ratione occurrere, et, quantum cum Domino potest, adhibito salutari remedio providere.

Ex communicatione indulgentiarum, etc. prave expressâ nonnulli abusus irrepserant.

§ 1. Cum itaque a pluribus Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, et forsan etiam a nobis, nonnullis regularibus Ordinibus, religionibus et institutis, ac etiam christifidelium saecularium archiconfraternitatibus et congregationibus, diversarum nationum, nominum et institutorum, tam in almâ Urbe nostrâ, quam in aliis civitatibus et locis christiani orbis institutis, facultas erigendi et instituendi in eorum et aliis ecclesiis et collegiis, necnon etiam sibi aggregandi confraternitates et congregationes in eâdem Urbe et in aliis locis existentes, eisque privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias et indulta sibi concessa respective communicandi, attributa fuerit, ac nulla certa forma vel ratio praescripta sit, quae in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus et communicationibus faciendis servari debeat; propterea, sive negligentiâ superiorum Ordinum, religionum, et institutorum, vel officialium archiconfraternitatum et congregationum erigentium, instituentium, aggregantium et communicantium, quae (confraternitatibus et congregationibus erigendis, instituendis et aggregandis, et quibus communicationes privilegiorum, indulgentiarum, aliarumque gratiarum praedictarum fiunt[1]) non servant

[1] Hic mendum aliquod irrepsisse unusquisque persentiet; forsan tota periodus aliter ordinanda est hoc modo: *sive negligentiâ... congregationum erigentium, instituentium, aggregantium et communicantium, quae non servant formam in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus et communicationibus servari debitam, neque confraternitatibus et congregationibus erigendis, instituendis et aggregan-*

formam in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus et communicationibus servari debitam, neque praescribunt modum, quo privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias et indulta praedicta consequi debeant, seu ipsarum confraternitatum et congregationum incuriâ, quae non inquirunt ea, quae praestare oportet, ut illa consequantur, nonnullae pravae consuetudines irrepserunt, multaque incommoda inde provenerunt.

Regularibus unam tantum congregationem suis in ecclesiis de consensu Ordinarii erigendi sit potestas.

§ 2. Quibus nos, pro commisso nobis apostolicae sollecitudinis officio, paternâque erga omnes christifideles charitate prospicere volentes, hac nostrâ constitutione perpetuo valiturâ decernimus atque statuimus, ut imposterum, tam huius almae Urbis nostrae, quam aliarum civitatum et locorum totius christiani orbis, regularium Ordinum, religionum et institutorum (quibus in eorum et quibuscumque aliis ecclesiis et collegiis confraternitates saecularium erigendi et instituendi facultas concessa est), necnon etiam archiconfraternitatum et congregationum, cuiusvis nationis, nominis et instituti illae sint, et in quibuscumque ecclesiis, domibus et oratoriis, tam saecularium, quam, ut praefertur, quorumcumque, etiam mendicantium ordinum, religionum, et institutorum regularium, quavis tam ordinariâ quam apostolicâ auctoritate erectae ac institutae existant, seu aliâs quovis modo introductae reperiantur (quibus alias confraternitates et congregationes instituendi, erigendi ac sibi aggregandi, illisque privilegia, indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias et indulta praedicta elargiendi, et communicandi potestas a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, vel a nobis et Apostolicâ Sede attributa fuit), magistri, priores, praepositi, rectores, gubernatores, praeceptores, primicerii, praelati, custodes, guardiani, praefecti, administratores et alii officiales seu superiores, quovis modo nuncupati[1]; regularium si quidem Ordinum, religionum et institutorum, unam tantum confraternitatem et congregationem, de consensu tamen Ordinarii loci, et cum litteris eius testimonialibus, quibus confraternitatis et congregationis erigendae et instituendae pietas, et[2] christianae charitatis officia, quae exercere cupit, apud eos commendentur, in eorum et quibuscumque aliis ecclesiis et collegiis erigere et instituere[3];

Archiconfraternitatibus autem unam pariter confraternitatem aggregandi in singulis civitatibus, praeter eiusdem Ordinis [illegible]

§ 3. Caeterarum vero archiconfraternitatum et congregationum in singulis civitatibus, oppidis vel locis, unam etiam confraternitatem et congregationem dumtaxat, quae apostolicâ vel ordinariâ auctoritate prius erecta, ac nulli alteri Ordini, religioni, instituto, archiconfraternitati et congregationi, eiusdem vel alterius nationis, nominis et instituti aggregata sit, praevio similiter loci Ordinarii consensu, et cum eius litteris testimonialibus, quibus eiusdem confraternitatis et congregationis aggregandae institutum, pietas, et christianae charitatis officia, quae exercere consuevit, apud eos commendentur, sibi adiungere et aggregare possint.

[illegible]

§ 4. Huic vero confraternitati et congregationi erigendae, instituendae seu

dis et quibus communicationes privilegiorum, indulgentiarum, aliarumque gratiarum praedictarum fiunt, praescribunt modum quo... consequi debeant; seu ipsarum confraternitatum et congregationum incuriâ, quae non inquirunt etc. (R. T.).

1 Heic subdivisio subditur superiorum praedictorum; siquidem sunt Ordinum regularium, de iis valent ea quae hoc § statuuntur; de aliis vero dicetur § seq. (R. T.).

2 Particulam *et* addimus ex utraque edit. Cherub. (R. T.).

3 Subintellige ex fine § seq. *possint* (R. T.

cessa fuerant indulta communicandi.

aggregandae, ea tantum privilegia, indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias et indulta, quae ipsi Ordini, religioni, instituto erigenti, instituenti ac communicanti, seu archiconfraternitati et congregationi aggreganti nominatim, et in specie, non autem quae per extensionem vel communicationem sibi quovis modo concessa sunt, et illa quidem non sub generali formâ verborum, vel ad instar, sed expresse et in specie communicare valeant.

Statuta vero ab Ordinariis debent approbari, eiusque subiacent correctioni.

§ 5. Statuta autem pro regimine Ordinum, religionum et institutorum erigentium, et instituentium, ac communicantium, seu archiconfraternitatum et congregationum, aggregantium, edita, confraternitatibus et congregationibus erigendis, instituendis et aggregandis, et quibus communicationes privilegiorum et aliorum praedictorum fiunt, impertiri non possint, nisi ea prius ab episcopo dioecesano examinata, et pro ratione loci approbata fuerint, quae nihilominus eiusdem episcopi decretis, ac moderationi et correctioni in omnibus semper subiecta remaneant.

Aggregationes faciendae iuxta formulam a Clemente VIII praescriptam.

§ 6. Insuper volumus et ordinamus ut praedicti Ordines, religiones, instituta erigentia, instituentia ac communicantia, nec non archiconfraternitates et congregationes aggregantes, certam erigendi, instituendi, aggregandi et communicandi formulam a nobis novissime approbatam diligenter observent, secundum quam privilegia, indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias et indulta ipsis Ordinibus, religionibus, institutis erigentibus, instituentibus et communicantibus, seu archiconfraternitatibus et congregationibus aggregantibus, nominatim et expresse, non autem per communicationem, neque ad instar, ut supra, concessa, ipsis confraternitatibus et congregationibus erigendis, instituendis et aggregandis, et quibus communicationes fiunt, communicare possint;

Indulgentiae, etc. praevia recognitione Ordinarii promulgandae.

§ 7. Quibus confraternitates et congregationes eiusdem dumtaxat nationis et nominis, Ordinis, religionis, et instituti, archiconfraternitatis et congregationis, cui aggregantur, tam hactenus aggregatae, quam imposterum aggregandae, utantur, potiantur et gaudeant; ita ut dictarum confraternitatum et congregationum erectarum, institutarum et aggregatarum, ac quibus communicationes factae sunt, ministri et officiales, et alii supradicti, privilegia, indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias et indulta huiusmodi, praeviâ tamen recognitione Ordinarii loci, qui adhibitis duobus de eiusdem ecclesiae capitulo, illa iuxta sacri Concilii Tridentini decretum promulganda decernat, debitis temporibus promulgare valeant.

De modo quaerendi eleemosynas, easque erogandi.

§ 8. Quibus etiam ministris, officialibus, et aliis praedictis, eleemosynas, et alia oblata christianae charitatis subsidia, iuxta modum et formam per Ordinarium loci praescribendam (remotis tamen mensis, pelvibus et capsis, quae in ecclesiis et oratoriis dictarum confraternitatum et congregationum publice ad hoc exponi consueverunt) excipiendi potestas detur. Atque hoc ipsum Ordines, religiones, instituta erigentia, instituentia, ac communicantia, seu archiconfraternitates et congregationes aggregantes, tam almae Urbis nostrae, quam aliarum civitatum et locorum quorumcumque, iuxta modum a vicario Urbis, et ab Ordinariis locorum respective praescribendum, observare teneantur. Eleemosynas autem sic collectas in reparationem et ornatum ecclesiarum, tam Ordinum, religionum, institutorum erigentium, instituentium et communicantium, ac archiconfraternitatum et congregationum aggregantium, quam confraternitatum et congregatio-

num erigendarum, instituendarum et aggregandarum, et quibus communicationes fient, aut in alios earum pios usus, arbitrio eiusdem vicarii nostri in Urbe, nec non Ordinariorum locorum respective, fideliter exponere, atque erogare procurent, ut omnes intelligant caelestis Ecclesiae thesauros, non quaestus aut alicuius lucri causâ, sed pietatis et charitatis excitandae gratiâ ex Apostolicae Sedis benignitate christifidelibus aperiri.

Confessarii quomodo sint eligendi:

§ 9. Praeterea volumus ut confessarii (qui vigore privilegiorum ipsis Ordinibus, religionibus, institutis erigentibus, instituentibus, et communicantibus, seu archiconfraternatibus et congregationibus aggregantibus concessorum, ac confraternatibus et congregationibus aggregandis communicandorum, pro tempore eligi possunt et poterunt), saeculares scilicet in almâ Urbe a praedicto nostro vicario, extra Urbem vero a locorum Ordinariis; regulares autem non solum a praedicto vicario nostro, et a locorum ordinariis respective, sed etiam a suis superioribus approbati sint; utque confratres confitentes a criminibus, casibus et censuris, iuxta dictorum privilegiorum (quatenus tamen sint in usu, et sacris Concilii Tridentini decretis, ac Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, et nostris constitutionibus non adversentur, nec revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa sint) formam et tenorem dumtaxat absolvere valeant. Decernimus insuper ut iidem confessarii praedictos confratres, cuiuscumque gradus, status conditionis et praeminentiae, etiamsi speciali notâ dignae, fuerint, a casibus contentis in litteris, quae die Coenae Domini legi consueverunt, necnon violationis immunitatis et libertatis ecclesiasticae, et clausurae monasteriorum monialium, si videlicet sine necessariâ et urgenti causâ, ac sine superiorum licentiâ, vel etiam si causâ et licentiâ concessâ abutentes, praedicta monasteria ingressi fuerint, necnon violentae manus iniectionis in clericum, et singularis certaminis seu duelli, ac ab aliis etiam casibus, tam a nobis, quam a praedicto nostro in Urbe vicario, et locorum Ordinariis respective reservatis, et pro tempore reservandis, et etiam a quavis excommunicatione ab homine latâ absolvere, et super irregularitatibus, tam ex aliquo defectu provenientibus, quam occasione delicti contractis, cum aliquo dispensare, praetextu dictorum privilegiorum, nullo modo possint.

Qui tamen in casibus hic expressis nequeant absolvere.

Confraternitates aggregatae suae aggregationis renovationem obtinere teneantur.

§ 10. Demum statuimus et pariter ordinamus, ut confraternitates et congregationes, ubivis locorum, quavis auctoritate, ut praefertur, erectae et institutae, et quibus communicationes praedictae factae sunt, ac cuicumque ex dictis Ordinibus, religionibus, institutis, archiconfraternitatibus et congregationibus ubilibet existentibus hactenus aggregatae, ab eisdem respective Ordinibus, religionibus, institutis, archiconfraternitatibus et congregationibus, novas erectionum, institutionum, communicationum et aggregationum litteras, iuxta formam a nobis novissime approbatam, infra annum, si in Europâ sint, et si extra Europam fuerint, infra biennium a die pubblicationis praesentium in Romanâ Curiâ faciendae computandos, impetrare teneantur; alioquin, dicto tempore elapso, erectiones, institutiones et quaecumque communicationes privilegiorum, facultatum, indulgentiarum aliarumque spiritualium gratiarum et indultorum, et aggregationes illarum vigore ipsis concessae, nullius sint roboris et momenti, ac revocatae et abolitae censeantur eo ipso.

§ 11. Erectionum autem, institutionum, communicationum et aggregationum, tam hactenus factarum, quam dein-

ceps faciendarum, litterae, ab ipsis Ordinibus, religionibus, institutis, seu archiconfraternitatibus, et congregationibus gratis omnino ac nullâ prorsus mercede, etiam a sponte dantibus acceptâ, expediri et concedi debeant.

Poenae contra inobedientes.

§ 12. Quod si ministri aliqui, superiores, vel officiales, quocumque nomine nuncupati, Ordinum, religionum, institutorum, seu archiconfraternitatum, congregationum et confraternitatum huiusmodi, quavis auctoritate, vel privilegio, et officio fungantur et praefulgeant, contra praemissa in aliquo venire vel facere praesumpserint, erectiones, institutiones et communicationes privilegiorum, indulgentiarum, facultatum, spiritualiumque gratiarum et indultorum, aliorumque praemissorum concessiones, nec non aggregationes per ipsos faciendae, seu renovandae, nullius sint roboris et momenti, et quilibet eorumdem ministrorum, superiorum, officialium, et aliorum praedictorum, privationis officiorum, quae obtinet, ac inhabilitatis ad illa et alia imposterum obtinenda, poenam, quae ab alio quam a nobis, vel a Romano Pontifice pro tempore existente remitti non possit, incurrant eo ipso.

Clausulae.

§ 13. Decernentes praesentes litteras perpetuo validas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere, sicque nostrae mentis et intentionis existere, et ita et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere; ac irritum et inane quicquid super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 14. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quorumcumque Ordinum, religionum, et institutorum, seu archiconfraternitatum, congregationum et confraternitatum saecularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam mare magnum, ac bulla aurea nuncupatis, regularibus Ordinibus, religionibus, institutis, seu archiconfraternitatibus, congregationibus, et confraternitatibus saecularium, eorumque superioribus, et aliis quibusvis personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis et praeeminentiae existentibus, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus, et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, et consistorialiter, et aliàs quomodolibet, in contrarium praemissorum, etiam pluries concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficiente derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si ad verbum exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praesentes litterae publicandae in solitis locis Romae.

§ 15. Ut autem praesentes litterae ad omnium, quos concernunt, notitiam facilius deveniant, volumus illas ad valvas basilicarum sancti Ioannis Lateranensis

et Principis Apostolorum de Urbe, et in acie Campi Florae, more solito publicari et affigi, atque iis inde amotis, earumdem exempla, etiam impressa, ibi affixa relinqui, factâque pubblicatione huiusmodi, omnes regulares Ordines, religiones, instituta et archiconfraternitates, congregationes et confraternitates saecularium, quae in Urbe quidem, post mensem, quae vero in Europâ, post decem menses, quae demum extra Europam fuerint, post octodecim menses a die pubblicationis huiusmodi computandos, perinde afficere et arctare, ac si earum cuilibet nominatim insinuatae fuissent.

Ac in suis dioecesibus ab episcopis.

§ 16. Et nihilominus, ut ipse praesentes litterae notiores fiant, magisque omnibus innotescant, universis et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, et aliis locorum Ordinariis per easdem praesentes committimus et mandamus, ut per se, vel alium, seu alios, hasce nostras litteras, postquam earum exemplum receperint, seu earum notitiam habuerint, semel aut pluries, prout eis magis expedire visum fuerit, in suis cathedralibus et maioribus respective ecclesiis civitatum, oppidorum et locorum quorumcumque eorum dioecesum, dum in eas maior populi multitudo ad divina convenerit, solemniter pubblicent et pubblicari auctoritate nostrâ mandent ac faciant.

Transumptis danda fides.

§ 17. Caeterûm, quia difficile foret easdem praesentes ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus et simili auctoritate decernimus, ut earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii pubblici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsismet litteris haberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII decembris MDCIV pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 7 decembris 1604, pontif. an. XIII.

CCCLXIII [1].

Statutum ut capitulum generale Ordinis Cisterciensis regularis Observantiae in regnis Castellae tertio quoque anno celebretur [2].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis apostolicae servitutis officio, ad ea sollicito studio semper intendimus, per quae regularium reformationi, ac prospero et felici gubernio opportune consulitur, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Capitulum generale quolibet triennio celebrandum.

§ 1. Cupientes itaque, ut Congregatio sancti Bernardi Hispaniarum Ordinis Cisterciensis ad antiquam regularem observantiam et debitam reformationem reducatur, motu proprio et ex certâ nostrâ scientiâ ac maturâ deliberatione, harum serie, perpetuo statuimus et ordinamus, ut deinceps, pro eiusdem Congregationis prospero regimine, capitulum generale tertio quoque anno celebretur.

Et vacante generalatu intra triennium, iterum capitulum convocetur.

§ 2. Et si forte intra dictum triennium generalatus officium seu administrationem huiusmodi vacare contigerit, capitulum iuxta dicti Ordinis constitutiones et laudabiles consuetudines pro novi generalis electione de novo celebretur.

Reformatoris generalis qualitates quaenam esse debeant.

§ 3. In quo capitulo reformator generalis ad residuum eiusdem triennii, et non ultra, eligatur, ita ut tertio quoque anno novus reformator generalis constituatur, a totâ Congregatione libere, et sine restrictione ad determinatas perso-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Vide etiam apud Henriquez, *Regula Ordin. Cisterc.*, pag. 180.

nas, eligendus, qui ex legitimo matrimonio procreatus, quadraginta annis maior sit, et vitae probitate, ac doctrinae praestantiâ ac rerum agendarum peritiâ atque experientiâ facile caeteris antecellat; ac eâ corporis valetudine sit, ut religionis onera muneraque facile praestare possit, et praecipue ad chorum et mensam communem convenire, et ad regulae, quam omnes dicti Ordinis religiosi profitentur, praescriptum vitam ducere, sitque sacerdos, et qui in religione annum decimum sextum professionis expleverit, abbatisque munus per triennium saltem obierit, ac alias conditiones, iuxta eiusdem Ordinis constitutiones requisitas, habeat: qui tamen ultra dictum triennium confirmari non possit, sed ab huiusmodi generalis reformatoris administratione per totidem annos vel plures, si ita constitutiones eiusdem Ordinis requirunt, omnino abstineat.

Vocales capituli generalis qui sint.

§ 4. Ad meliorem tamen directionem eorum, quae in capitulis generalibus ordinanda sunt, monachi, qui praedicto officio generalis reformatoris perfuncti fuerint, vocem activam et passivam in eisdem capitulis generalibus habebunt, excepto generali capitulo immediato, in quo a praedicti officii generalis functione vacabunt.

Abbatiae quolibet triennio vacant.

§ 5. Abbatiae item munus, necnon praesidentiae, tertio quoque anno in capitulo generali vacet, nec ultra abbates, nec praesidentes in earum administratione confirmari possint. In eorum quoque electione formam secundum constitutiones eiusdem Ordinis hactenus praescriptam servari decernimus.

Conditiones requirendae in promovendis ad abbatias.

§ 6. Qui tamen, ita electi, ex legitimo matrimonio procreati sint, et etiam munus abbatis, seu prioris, vel magistri novitiorum aut sacrarum literarum obierint, ac eâ aetate et corporis habitudine existant, ut onera monastica, ad regularem observantiam et cultum divinum, et ad communem vitam, victum et vestitum retinendum pertinentia, fideliter exequantur et observent, ac alias ordinationes a constitutionibus praescriptas habeant[1]: qui ita canonice electi toto sequenti triennio dicti monasterii administrationem habeant.

Post abbatis obitum nova electio infra triennium facienda.

§ 7. Et si forte per abbatis obitum, seu privationem, vel aliâs, intra triennium nova electio fiet, abbas, qui conditiones supradictas omnino habeat, per monachos ipsius monasterii coram commissario a reformatore generali deputato eligatur, necnon ab eodem commissario nomine eiusdem reformatoris generalis confirmetur, qui eiusdem monasterii administrationem iurisdictionemque toto illo triennio[2] residuo, non ultra tamen illud triennium, gerat et exerceat.

De procuratorum capituli generalis electione.

§ 8. In electione tandem procuratorum capituli generalis servetur itidem eadem forma, secundum laudabiles constitutiones dictae Congregationis hucusque solitas.

Abbatum, visitatorum, etc., officium triennio concludendum.

§ 9. Abbates vero, ac etiam visitatores, consiliarii, procuratores, caeterique officiales ministri omnes, qui in capitulo generali eligi solent, per triennium tantum sint in suo quisque officio et potestate, definitoribus exceptis, quorum munus tempore praedicti capituli generalis durat: qui vero perfuncti fuerint triennio, per illud saltem triennium vacent, eorumque potestas, et officium ad alios in sequenti capitulo eligendos transferatur. Liceat tamen, si ita capitulo visum fuerit, ad maiorem Ordinis utilitatem, procuratorem in Urbe ultra triennium confirmare.

Nec nisi in capitulo generali revocandum.

§ 10. Absoluto igitur triennio, reformator generalis ac definitores eligant

1 Vel vox *habeant* redundat, vel in lin. praec. pro *ordinationes* legend. *conditiones*, vel aliquid deest (R. T.).

2 Aptius fortasse legeretur *illius trienni* (R. T).

religiosos monachos hisce qualitatibus praeditos, qui huiusmodi munera fideliter praestent: caeterum revocari non possint, nisi in capitulo generali singulo triennio celebrando, et non in eo quod aliquando intra triennium ob officii generalis vacationem intercedit, nisi aliquod officium tunc temporis vacet, quo casu illud ad alium monachum per capitulum eligendum transferri possit illo triennio tantum duraturum et non ultra, istorumque electio fiat tempore statuto in definitionibus Ordinis:

Visitatores eligendi quales esse debeant.

§ 11. Visitationis muneri ii praeficiantur monachi, qui non solum vitae probitate et doctrinae praestantià, sed etiam regularis observantiae et disciplinae monasticae studio et experientià caeteris praecellant, et qui in monasteriis totius Ordinis regularia et canonica instituta inviolabiliter observari faciant, nec aliquod officium incompatibile, et maxime abbatiae praesidentiaeve, habeant, ut munus visitationis toto illo triennio semel obire valeant, ac item saepius, si necessitas, aut decretorum exequutio illam expostulet.

De choro.

§ 12. Monachi omnes conveniant ad chorum, nec quis praetextu cuiusque privilegii vel superioritatis, etiam generalatus, a servitio chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprio officii munere actu fuerit occupatus:

Et qui possint ab eo dispensari.

§ 13. Cum lectoribus, aut etiam praedicatoribus, iis tantum diebus, quibus legere et praedicare solent, dispensare possint; idem quoque praestare valeant cum aegrotis et studiorum causà legitime impeditis:

Dispensatio autem a definitorio capitulo generali concedenda.

§ 14. Si tamen aliàs necessarium visum fuerit dispensare cum aliquo in choro, vel aliis observantiis Ordinis, praedicta dispensatio non possit fieri ab abbatibus in suis monasteriis, immo nec ab ipso generali reformatore, sed hoc pertineat ad patres definitores capituli generalis vel ad capitulum quod intra triennium celebratur:

Nemo quidquam tamquam proprium retineat.

§ 15. Ut Tridentini Concilii decreta, et[1] paupertatis votum custodiendo, fidelius observentur, non liceat alicui ex monachis, etiamsi superior sit, bona aliqua etiam mobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleemosynam, sive ex concionibus, sive ex lectionibus, aut missis, tam in proprià ecclesià quam alibi ubicumque celebrandis, aliove ipsorum iusto labore et causà, et quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata aut donationes fuerint, tamquam propria, aut etiam nomine conventus possidere; sed ea omnia statim superiori tradere teneantur, et conventui incorporentur, ut communis inde victus et vestitus omnibus suppeditari possit:

Vestitus et supellectilia de communi pecunià comparanda.

§ 16. Monachorum item vestitus et supellex cellarum ex communi pecunià comparetur, et omnino conformis sit monachorum et quorumcumque superiorum; statui paupertatem[2], quam professi sunt, praeseferat, ita ut nihil superflui admittatur, nihil etiam quod sit necessarium alicui denegetur. Monachorum vestes, quae laneae etiam esse debent, omnisque alia supellex, in aliquem commodum locum deferantur, ibique ab uno vel duobus monachis huic muneri a superiore deputatis diligenter custodiantur, ut inde, superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, tradi et subministrari opportune possint:

Cibus potusque omnibus communis.

§ 17. Monachi autem omnes, etiam superiores, quicumque sint, etiam reformator, eodem pane, eodem vino, eodemque obsonio, sive eàdem (ut aiunt) pitantià in communi mensà primà vel secundà, nisi infirmitatis causà impediti fuerint,

1 Partic. *et* redundare videtur (R. T.).

2 Ita fert edit. Main.; at legendum potius videtur *status paupertatem* (R. T.).

vescantur, neque singulare aliquid, quo privatim quisque comedat, ullo modo afferri possit:

Ad confessiones subditorum excipiendas confessarios deputent superiores.

§ 18. Non liceat superioribus, sancto Paschate Resurrectionis excepto, subditorum confessiones audire, nisi ipsimet subditi sponte et proprio motu id ab eis petierint, sed in singulis monasteriis deputent duos vel tres aut plures confessarios, pro subditorum numero maiori vel minori, iique sint docti, prudentes et regularis observantiae amatores, ac charitate praediti, qui monachorum subditorum confessiones, etiam vigore privilegiorum Cruciatae, sicut Ordinis decus et disciplinae monasticae nervus exposcit, audire possint et debeant:

Quibus in monasteriis novitii recipiendi.

§ 19. Novitii, qui auctoritate capituli pro tempore recipi debent, in his dumtaxat monasteriis, in quibus viget regularis observantia, ac numerus monachorum ad chori usum praescriptus est, imposterum recipiantur, alantur et educentur.

Praesentia statuta ab omnibus observanda.

20. Quocirca dilectis filiis reformatori generali, aliisque abbatibus, definitoribus, superioribus et monachis universis eiusdem Congregationis, sub poenis privationis dignitatum et officiorum quae obtinent ac vocis activae et passivae, nec non perpetuae inhabilitatis ad illa et alia imposterum consequenda, districte praecipientes mandamus, ut decreta nostra et ordinationes supradictae reformationis in eâdem Congregatione ac in singulis illius monasteriis respective recipiant, admittant ac perpetuo observari procurent.

Derogatio contrariorum.

§ 21. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam per nos, vel praedecessores nostros Romanos Pontifices in contrarium concessis, ac Ordinis et Congregationis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Congregationi Hispaniarum, eorumque[1] superioribus, monachis et aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et ad verbum expressa mentio habenda esset, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 22. Volumus autem ut praesentium transumptis manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis eadem fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis haberetur.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XIV decembris MDCIV, pontificatus nostri, anno XIII.

Dat. die 14 decembris 1604, pontif. an. XIII.

CCCLXIV.

Cedula consistorialis super statu ecclesiarum Ravennatensis et Bononiensis et suffraganearum assignatione[2].

Clemens Papa VIII,

ad perpetuam rei memoriam.

Gregorius XIII ecclesiam Bononiensem erexit

§ 1. Hodie in consistorio nostro secreto pro pastorali nostro munere con-

1 Nisi cui placeat legere *eiusque* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

in archiepiscopatum,

siderantes, ac animo et memoria repetentes, quod aliàs felicis recordationis Gregorius XIII praedecessor noster, multis magnisque Ecclesiae Bononiensis erga Sedem Apostolicam meritis adductus, ac singulari in patriam suam amore incensus, ut illa nimirum tanto magis ad bene de praedictâ Sede merendum incitaretur, quanto maioribus beneficiis ab eo se affectam esse cognosceret, tum etiam pio bonae memoriae Gabrielis olim S. R. E. cardinalis, Paleotti nuncupati, qui tunc in humanis agens dictae Ecclesiae Bononiensis ex dispensatione apostolicâ praeerat, desiderio, necnon dilectorum filiorum regiminis, et aliorum civitatis Bononiensis magistratuum supplicationibus, aliisque gravibus causis tunc expressis motus, post habitam cum fratribus suis eiusdem S. R. E. cardinalibus maturam deliberationem, de illorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine, praedictam Ecclesiam Bononiensem in metropolitanam, et illius sedem episcopalem in archiepiscopalem ac archiepiscopi et metropolitani sedem atque provinciae caput (pro eius archiepiscopo pro tempore existente, qui pallii et crucis usum more aliorum archiepiscoporum haberet [1], omnibusque aliis insignibus archiepiscopalibus, nec non privilegiis, honoribus et praerogativis aliis archiepiscopis debitis et concessis gauderet) per suas litteras perpetuo erexerit et instituerit, ac titulo et honore archiepiscopali et metropolitano decoraverit, nec non Placentinam, Parmensem, Regiensem, Mutinensem, Imolensem, Cerviensem et Cremensem ecclesias, earumque omnium et singularum civitates et dioeceses, cum omnibus et singulis suis territoriis, cleris, populis, ac collegiatis, parochialibus et aliis ecclesiis, nec non monasteriis utriusque

Eique enunciatas hic ecclesias assignavit in suffraganeas.

1 Erronee edit. Main. legit *haberi* (R. T.).

sexus, caeterisque beneficiis et officiis ecclesiasticis, cum curâ et sine curâ, saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus, ac hospitalibus, domibus, collegiis et locis religiosis quibuscumque, ab eiusdem Sedis Apostolicae immediate, sive alterius cuiuscumque, etiam metropolitani, subiectione etiam perpetuo diviserit et separaverit, illasque, nec non earum civitates et dioeceses, deinceps in provinciâ Bononiensi consistere neque in aliâ provinciâ censendas et numerandas esse decreverit et declaraverit; et (quatenus alteri provinciae seu archiepiscopo, etiam Mediolanensi et Ravennatensi, tam antiquo iure, consuetudine, privilegio, vel alterius metropolis erectione sive institutione, quam iure electionis ex sacri Concilii Tridentini decreto factae [1], vel aliàs, quavis ratione et causâ, antea adiunctae atque subiectae, in toto vel in parte, essent vel censerentur, sive in illius possessione, vel quasi, se esse praetenderent) ab omni illius seu alterius provinciae vel archiepiscopi etiam Mediolanensis et Ravennatensis aut illorum capitulorum iure metropolitico, correctione, visitatione, subiectione et quacumque aliâ iurisdictione et superioritate, si qua forsan occasione illius [2] competiisset vel competeret, similiter perpetuo exemerit et liberaverit; nec non dictae ecclesiae Bononiensi praedictas Placentinam, Parmensem, Regiensem, Mutinensem, Imolensem, Cerviensem et Cremensem civitates et dioeceses pro suâ metropolitanâ provinciâ, ac Placentinam, Parmensem, Regiensem, Mutinensem, Imolensem, Cerviensem et Cremensem ecclesias praedictas, earumque singulares praesules tunc et pro tempore existentes, pro suis ac pro tempore existentis archiepiscopi Bononiensis

1 Erronee edit. Main. legit *facto* (R. T.).

2 Ex Const. Greg. XIII legendum potius *si qua forsan quavis occasione illi* (R. T.).

suffraganeis, qui[1] nec non earum singularum capitula, quocumque privilegio suffulta, tamquam membra capiti, eidem archiêpiscopo Bononiensi iure metropolitico subessent, pariter perpetuo subiecerit; certis etiam facultatibus tunc expressis ipsi archiepiscopo Bononiensi attributis, ac irritanti decreto desuper apposito, prout in dictis litteris, in quibus, quod ipsa ecclesia Bononiensis praedictae Romanae ecclesiae primogenita, et exempta, et dictae Sedi Apostolicae immediate subiecta erat, expressum fuit, plenius continetur[2];

Ravennates litteras Gregorii obreptionis et subreptionis vitio notant;

§ 2. Postmodum[3] autem eiusdem praedecessoris, bonae memoriae Christophorus olim archiepiscopus et clerus, seu dilecti filii[4] communitas et homines Ravennatenses (sumptâ occasione quod tempore datae dictarum litterarum, et antea, ipsa ecclesia Bonionensis ecclesiae Ravennatensi, illiusque loci episcopo pro tempore existenti, metropolitico iure, non autem dictae Sedi Apostolicae immediate, subiecta existeret, et sub diversis aliis praetextibus) ad piae memoriae Sixtum Papam V, etiam praedecessorem nostrum, recursum habuerint, dictasque litteras (tamquam subreptitias et obreptitias, ac praeter mentem et intentionem dicti Gregorii praedecessoris, nec eius motu proprio, sed ad Gabrielis cardinalis, nec non regiminis et aliorum magistratuum praedictorum preces[1], in grave iurisdictionis, praeeminentiae et auctoritatis dictae ecclesiae Ravennatensis et illius pro tempore existentis praesidis[2] praeiudicium emanatas) impugnare, ac irritari et retractari facere tentaverint; dictusque Sixtus praedecessor negocium huiusmodi nonnullis ex ipsius Romanae Ecclesiae cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, et forsan Congregationi ipsorum cardinalium super novarum ecclesiarum cathedralium et metropolitanarum erectionibus ac inter eas etiam[3] tunc erectas ecclesias incidentibus controversiis deputatorum, tum etiam in Palatii Apostolici auditorio diligenter examinandum, sibique (ad hoc ut desuper, quod iustum foret, statueretur[4]) referendum commiserit, nec illud hactenus decisum et resolutum fuerit: quodque idem archiepiscopus Ravennatensis etiam[5] ecclesias[6] Ariminensem et Ferrariensem sub eius provinciâ comprehendi, sibique ius metropoliticum in illis antiquitus competiisse[7]; episcopus vero Ariminensis in vim litterarum a recolendae memoriae Lucio II et Innocentio III Romanis Pontificibus, similiter praedecessoribus nostris, emanatarum, et per nonnullos alios Romanos Pontifices, pariter praedecessores nostros, confirmatarum et innovatarum, dictam

Et Sixtus V causam examinare facit;

Sed non solutam reliquit.

1 Edit. Main. habet *suffraganeas, qui;* an autem *qui* (episcopi) vel *quae* (ecclesiae) legendum, incerta res est (R. T.).

2 Praedicta Greg. XIII Constit. habetur in *Bull.* tom. VIII, pag. 401, et legitur etiam in Ughelli, *Italia Sacra*, tom. II, pag. 42, data autem fuit IV idus decembris, an. MDLXXXII (R. T.).

3 Quis haec legens intelliget? Sed ex § 2 Const. infra positae CCCLXVI corrige *Post obitum autem,* et omnia clarescent (R. T.).

4 Sed aptius legendum, ut in proximâ Const. et apud Ughelli, loc. cit., *et seu dilecti filii clerus ac communitas,* etc. (R. T.)

1 Perperam edit. Main. habet *praetextu* (R. T.).

2 Infra pag. 158 legetur *praesulis* (R. T.).

3 Potius legendum *et iam* sicut infra § 2 Const. CCCLXVI (R. T.).

4 Sic legitur etiam infra in cit. Const., sed aptius ibidem Ughelli legit *statueret* (R. T.).

5 Istud *quodque* refertur ad verbum *considerantes* in principio huius Constitutionis (R. T.).

6 Mendose edit. Main. hic legit *ecclesiae Arimin. et Ferrarien.* (R. T.).

7 Iterum confusionem faciebat edit. Main. legens *competiisset* (R. T.).

ecclesiam Ariminensem nulli alteri metropoli, nisi tantum praedictae S. R. E. subesse, vel etiam in provinciâ romanâ comprehendi, illiusque praesules pro tempore existentes a nullo, praeterquam a Romano Pontifice pro tempore existente, vel de eius licentiâ, consecrari debere; et similiter episcopus Ferrariensis pro tempore existens[1] praedictam ecclesiam Ferrariensem, licet illa olim sub Ravennatensi, vel potius Mediolanensi, provinciis praedictis[2] forsan comprehensa fuisset, tamen temporis progressu a Ravennatensi et Mediolanensi provinciis huiusmodi exemptam, dictaeque Sedi Apostolicae immediate subiectam, praetendebant; et exinde graves lites et discordiae, nisi illis congruae provisionis remedio occurrerentur, succedere poterant;

Clemens, huiusmodi, aliisque controversiis ad se avocatis;

§ 3. Et propterea cupientes, more providi et vigilis pastoris, officii nostri partes desuper interponere, ac tam Ravennatensis quam Bononiensis ecclesiarum praedictarum statui et indemnitatibus aliquâ accomodâ ratione prospicere, earumque praesules a litium et controversiarum huiusmodi incommodis et dispendiis explicare, ac in pacis ac quietis amoenitate confovere, de praemissis omnibus et singulis, eorumque circumstantiis, nec non partium praedictarum iuribus, rationibus et praetensionibus universis, plene et sufficienter instructi, post maturam deliberationem super his cum fratribus nostris habitam, motu proprio, et ex certâ nostrâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, ac eorumdem fratrum consilio et unanimi assensu, omnes et singulas lites et controversias super eisdem praemissis, et illorum occasione, in dictâ Congregatione vel alibi coram praedictis cardinalibus, aut quibuscumque aliis iudicibus, ordinariis vel delegatis, etiam causarum dicti Palatii auditoribus, tam inter metropolitanas invicem, quam inter ipsas metropolitanas et suffraganeas ecclesias huiusmodi, vel illarum praesules, motas, et indecisas pendentes, in quibuscumque statu et terminis reperirentur, ad nos avocavimus, easque penitus cassavimus et extinximus: ac ecclesiam Ravennatensem praedictam, et illius praesules pro tempore existentes, adversus tam litteras Gregorii praedecessoris huiusmodi, quoad ea quae Imolensem et Cerviensem ecclesias, in umbelico dictae provinciae Ravennatensis consistentes, earumque praesules, capitula, clerum et populum, civitates et dioeceses afficiunt (eiusdem Gregorii praedecessoris litteris quo ad caetera in eis contenta aliàs salvis, ac in suo robore permanentibus), quam[1] omnes et quascumque de illis, nec non Ferrariensi et Ariminensi ecclesiis praedictis, per praefatos et quoscumque alios Romanos Pontifices et praedecessores nostros, dictamque Sedem Apostolicam ab ecclesiâ et provinciâ Ravennatensi huismodi factas separationes et segregationes, divisiones, dismembrationes, distractiones et exemptiones, ac etiam litteras[2] Lucii et Innocentii, aliorumque Romanorum Pontificum huiusmodi, nec non forsan subsequutas declarationes et annovationes[3], ac denique in pristinum et

Et ecclesiâ Ravennatensi quoad aliqua reintegrata;

1 In Const. inferius positâ legetur, sicut etiam apud Ughelli, *episcopi Ferrarienses pro tempore existentes;* at vero forsan legendum: *episcopus Ferrariensis pro tempore existentes*, adeo ut hoc plurale praedictos quoque comprehendat, sicut postea dicetur *praetendebant* (R. T.).

2 Vox *praedictis* redundare videtur, nec legitur infra in loco parall. Const. CCCLXVI (R. T.).

1 Nempe: *quam adversus omnes*, etc. (R. T.).

2 Perperam edit. Main. legit *litteris* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *annovationes* et ad marg. apponit notulam *Sic*; revera supra § 2 mentio facta fuit litterarum confirmatarum et *innovatarum*; sed tum in Const. infra positâ, tum ibid. apud Ughelli legitur *enunciationes*: seligat prudens lector (R. T.).

eum, in quo antea quomodolibet erant[1], statum, in omnibus et per omnia, perinde ac si nullatenus emanassent, restituimus, reposuimus et plenarie reintegravimus; et nihilominus litteras Gregorii praedecessoris huiusmodi ac omnia et singula in illis contenta (exceptis dumtaxat iis, quae Imolensem et Cerviensem ecclesias praedictas, earumque praesules, capitula, civitates, dioeceses, territoria, terminos et populum concernunt, nec[2] praesentibus contrariantur) approbavimus et confirmavimus, ac perpetuae et inviolabilis firmitatis apostolicae praesidio communivimus; easque a datâ litterarum Gregorii praedecessoris huiusmodi valere, et plenam roboris firmitatem obtinere, suosque plenarios et integros effectus sortiri, nec non ipsis ecclesiae et archiepiscopo Bononiensi suffragari voluimus et decrevimus, in omnibus et per omnia, perinde ac si motu proprio dicti Gregorii praedecessoris emanassent, ipsaque ecclesia Bononiensis tempore datae litterarum Gregorii praedecessoris huiusmodi Sedi Apostolicae, non autem ecclesiae et archiepiscopo Ravennatensi praedictis, immediate subiecta, ac in eisdem nulla de dictis Imolensi ac Cerviensi ecclesiis mentio facta fuisset; omnes quoque et singulos praedictos, ac quoscumque alios, tam iuris quam facti, necnon solemnitatum, etiam substantialium, defectus, si qui quomodolibet intervenissent in eisdem, etiamsi tales essent vel forent, qui in generali verborum sermone non comprehenderentur, sed notâ et expressione speciali indigerent, supplevimus, ac, pro potioris cautelae suffragio, praedictam ecclesiam Bononiensem in metropolim cum dignitate et sede archiepiscopali, ac iurisdictione et superioritate metropoliticâ, necnon pallii et crucis, ut moris est, delatione, reliquisque omnibus et singulis insignibus, ornamentis, honoribus, privilegiis, exemptionibus, iuribus et facultatibus, aliis metropolitanis ecclesiis, de iure vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet competentibus, de novo etiam perpetuo ereximus et instituimus; ac tam Bononiensem, Placentinam, Parmensem, Regiensem et Mutinensem a Ravennatensi, quam Imolensem et Cerviensem a Bononiensi provinciis huiusmodi; Ferrariensem vero, Ariminensem et Cremensem praedictas, necnon quae infra civitates Placentinam et Parmensem consistit (et pridem per nos a collegiatâ tunc nullius dioecesis in cathedralem erecta, dictaeque Sedi immediate subiecta fuit) Burgi sancti Donnini[1] ecclesias[2] ab immediatâ subiectione eiusdem Sedis Apostolicae, et (quatenus ipsae ecclesiae Placentina, Parmensis, Regiensis, Mutinensis, Cremensis, Burgi sancti Domnini, Ferrariensis, Ariminensis, Imolensis et Cerviensis, vel earum aliquae, Mediolanensi praedictae, vel cuicumque alteri metropolitanae provinciae, quavis occasione et causâ, etiam in illarum erectione et institutione, seu de iure antiquo, aut ex statuto vel consuetudine, seu dicti Concilii decreto factâ electione[3], et aliàs quomodolibet subiectae, concessae, ad-

Confirmatisque Gregorii litteris quoad ea, quae hic esprimuntur;

Iterum erigit ecclesiam Bononiensem in archiepiscopatum;

Abiudicatisque ecclesiis hic expressis a superioritate archiepiscopatus Mediolanensis,

1 Sic legitur tum hîc, tum in posteriori Const. cit. non solum in edit. Main. sed etiam apud Ughelli: nihilominus oporteret forsan legere *erat*; nam de ecclesia Ravennatensi reintegranda nunc agitur tantummodo (R. T.).

2 Sic legitur tum hîc, tum in inferiori Const., tum apud Ughelli: an foret potius legendum *ac* vel *necnon*, iudicet prudens lector (R. T.).

1 Rectius legitur apud Ughelli in Constit. infra ponenda *sancti Domnini* (R. T.).

2 Err. edit. Main. hic legit *ecclesia*; nam saltem *ecclesiam* legere oporteret; sed recte in posteriori Const. et apud Ughelli loc. cit. habetur *ecclesias* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *erectione*, sed erronee, ut patet (R. T.)

scriptae, seu adiunctae fuissent vel censerentur, aut in possessione etiam immemorabili, seu quasi, esse reperirentur vel praetenderentur) a Mediolanensi et quibuscumque aliis metropolitanis provinciis huiusmodi, ac omni et quacumque illius praesidis pro tempore existentis metropoliticâ iurisdictione, visitatione, superioritate, correctione et obedientiâ, illis, ut praefertur, vel aliàs quomodolibet forsan competente, similiter perpetuo penitus exemimus et totaliter liberavimus; easque et illarum quamlibet, Placentinam, videlicet, ac Parmensem, Regiensem, Mutinensem, Cremensem et Burgi sancti Domnini ecclesias, earumque singularum praesules, capitula, civitates et dioeceses, nec non cleros, populos et utriusque sexus personas, tam saeculares quam ecclesiasticas earumdem, cum omnibus et singulis ecclesiis, cum curâ et sine curâ, et collegiatis, quantumvis exemptis, etiam nullius, intra fines provinciae metropolitanae Bononiensis existentibus, monasteriis quoque, hospitalibus, locis piis et religiosis utriusque sexus, dictae ecclesiae Bononiensi pro suis suffraganeis et provincialibus, ac aliàs iuxta tenorem litterarum Gregorii praedecessoris huiusmodi, ac modo et formâ in illis expressis et contentis (quae omnia etiam ad dictam ecclesiam sancti Domnini extensa et ampliata censerentur, perinde ac si in eisdem de illâ specialis et specifica mentio facta foret) pariter perpetuo concessimus et assignavimus; Ferrariensem vero et Ariminensem ecclesias (etiamsi non appareret, neque probari posset, quod illae aliquando sub dictâ provinciâ Ravennatensi comprehensae, aut illi subiectae fuissent) necnon Imolensem et Cerviensem ecclesias praedictas similiter cum suis episcopis, capitulis, civitatibus, dioecesibus, terris, territoriis, cleris, populis, collegiatis, parochialibus et aliis ecclesiis, necnon monasteriis, collegiis, hospitalibus, locis piis et religiosis utriusque sexus, etiam exemptis, et quocumque privilegio suffultis, ac omnibus et singulis beneficiis ecclesiasticis, cum curâ et sine curâ, saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus, ecclesiae, provinciae et archiepiscopo Ravennatensi praedictis ultra ecclesias Adriensem, Comaclensem, Faventinam, Foroliviensem, Brittinoriensem, Caesenatensem, Sarsinatensem et alias, si quae sint, ipsius ecclesiae Ravennatensisis suffraganeas, metropolitico iure (ita ut idem archiepiscopus Ravennatensis pro tempore existens in illis omnibus et singulis ius metropoliticum sibi vendicare, ac Ferrariensis, Ariminensis, Imolensis et Cerviensis ecclesiarum huiusmodi episcopos uti eiusdem ecclesiae Ravennatensis suffraganeos consecrare, et ad eius synodum provinciale evocare, caeteraque omnia ad archiepiscopale munus et officium, de iure vel consuetudine, ac aliàs quomodolibet spectantia et pertinentia facere, exercere, procurare, administrare et exequi libere et licite valeret, dictique episcopi Ferrariensis, Ariminensis, Imolensis et Cerviensis, nunc et pro tempore existentes, praedicto archiepiscopo Ravennatensi tamquam membra capiti obsequentes, ad omnia et singula tenerentur et essent obligati, ad quae alii suffraganei suis ecclesiis metropoliticis et archiepiscopis metropolitanis, de iure vel consuetudine, ac aliàs quomodolibet tenebantur et obligati erant) itidem perpetuo subiecimus, ac deinceps perpetuis futuris temporibus Ferrariensem, Ariminensem, Imolensem et Cerviensem ecclesias praedictas inter alias suffraganeas dictae ecclesiae Ravennatensis connumerandas et censendas, ac tam eas quam illarum singularum civitates et dioeceses sub ipsa provinciâ Ravennatensi comprehensas, et nullatenus

Illas Bononiensi ecclesiae addicit;

Alias vero ecclesias Ravennatensi suffraganeas declaravit.

ab eâ exemptas, nec dictae Sedi Apostolicae immediate, neque ulli alteri, nisi tantum Ravennatensi ecclesiae et illius archiepiscopo praedictis, quoad archiepiscopalia, metropolitica ac provincialia iura et iurisdictiones, subiectas esse et fore: praesentes quoque, et desuper conficiendas litteras nullo unquam tempore, ex eo quod dictarum ecclesiarum praesules et capitula, vel quicumque alii in praemissis interesse quomodolibet habentes, eisdem praemissis non consenserint, nec ad id vocati aut requisiti, neque forsan omnes causae, propter quas eadem praemissa emanarint, in consistorio praedicto vel alibi (vocatis vocandis, praeviis debitis tractatibus, ac servatis et adhibitis solemnitatibus, et aliis de iure, consuetudine, vel iuxta constitutiones et ordinationes apostolicas, aut ecclesiarum et provinciarum huiusmodi statuta, privilegia et indulta, etiam confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roborata, aut aliàs quomodolibet requisitis, et in similibus necessariis) examinatae, verificatae et approbatae fuerint, seu etiam enormis vel enormissimae, et totalis laesionis, aut alio quovis pretextu, et ex quocumque capite, ac quavis causâ vel occasione, quantumcumque notabili et iuridicâ, etiam necessario exprimendâ, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, in toto vel in parte rescindi, retractari, annullari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illa quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari posse; minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum et concessionum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus, a nobis seu quibusvis aliis Romanis Pontificibus successoribus nostris, ac dictâ Sede, et etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter pro tempore emanatis, nullatenus comprehendi, nec comprehensas censeri; sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum ac validissimum et eum, in quo[1] antequam emanarent erant, statum, in omnibus et quoad omnia restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam sub quacumque datâ, etiam posteriori per quoscumque interesse habentes pro tempore eligendâ, de novo concessas, ac contra et adversus quascumque exceptiones, etiam quantumvis iustas et iuridicas, ac quorumvis impugnationes, si quas pro tempore fieri contigerit, omnino et semper validas et efficaces esse, fore et censeri, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et partibus ipsis perpetuo suffragari in omnibus et per omnia, perinde ac si vocatis omnibus et singulis, quorum intererat, et de illorum consensu, necnon debitis tractatibus et solemnitatibus, caeterisque ad id requisitis plene servatis et adhibitis emanassent; neque ipsarum ecclesiarum Ravennatensis et Bononiensis praesules pro tempore existentes, vel alios quoscumque, ad superius expressa in toto vel in parte verificandum seu probandum nullo unquam tempore teneri, nec ad id quavis necessitate cogi aut compelli posse, sed solam narrativam praedictam, absque aliâ verificatione vel probatione sufficere; eique in iudicio et extra illud stari, nec aliquam probationem seu exceptionem, cuiuscumque naturae et speciei illa sit vel fuerit, in contrarium adduci vel admitti, sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum dicti Palatii auditores, ac praedictos et alios

Appositisque necessariis clausulis pro huius declarationis firmitate;

1 Haec verba *in quo*, quae hic deerant, nos adiecimus (R. T.).

cardinales, etiam de latere legatos, nunc et pro tempore existentes (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) in quavis causâ et instantiâ iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decrevimus et declaravimus, ac desuper omnibus et singulis episcopis, archiepiscopis et aliis praedictis perpetuum silentium imposuimus.

Perpetuum silentium partibus imposuit.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac nostrâ de non tollendo iure quaesito, et similis memoriae Pauli II, et quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum itidem praedecessorum nostrorum, de rebus ecclesiae non alienandis, aliisque apostolicis, nec non in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, nec non singularum ecclesiarum et provinciarum praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, erectionibus, institutionibus et exemptionibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis earumque praesulibus, praesidentibus, capitulis et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus, et aliis decretis, etiam vim contractus habentibus seu inducentibus, per praedictos et quoscumque alios Romanos Pontifices similiter praedecessores nostros, ac etiam nos, et dictam Sedem, etiam motu, scientiâ, consilio et potestatis plenitudine paribus, ac ex certis tunc expressis, etiam consistorialiter propositis et diligenter examinatis, etiam per modum perpetui statuti, sanctionis et ordinationis, in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis et multiplicatis vicibus, concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse ac latissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque: cum clausulis opportunis et consuetis. Insuper voluimus litterarum Gregorii praedecessoris huiusmodi, et aliorum praemissorum ac inde sequutorum quorumcumque tenores, nec non litium et controversiarum praedictarum causas et occasiones, earumque statum et merita, ac cardinalium et aliorum iudicum nomina et cognomina, nec non quorumcumque interesse habentium iura et actiones, rationes et praetensiones, singularum ecclesiarum et provinciarum praedictarum qualitates, situationes, confines et denominationes, caeteraque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria exprimenda, in dictis litteris super praesentibus conficiendis haberi pro expressis, seu in toto vel in parte exprimi, ac easdem litteras simul vel ad partem, etiam cum praemissorum omnium et singulorum, etiam qualitatum, invocationum, nuncupationum, denominationum, situationum, circumstantiarum, etiam aggravantium, aliorumque necessariorum maiori et veriori specificatione et expressione etiam viam[1] perinde valere, ubi et

1 Sic habet edit. Main. nec facilis coniectura de sensu vel emendatione

quando opus fuerit, etiam in unâ non factâ mentione de aliâ, vel aliis, expediri posse.

Publicatio, et registratio facienda.

§ 5. Quod litterae nostrae huiusmodi, ut amplius innotescant, non solum in Cancellariâ Apostolicâ, sed etiam ad valvas Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, et acie Campi Florae publicentur, earumque exempla in eisdem locis affixa dimittantur, ac omnes et singulos, quos illa concernunt, a die publicationis huiusmodi, perinde arctent, ac si ipsi personaliter intimatae fuissent; huiusmodi quoque exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et dictae Cancellariae regentis pro tempore existentis, vel alterius praelati Romanae Curiae, seu personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique in iudicio et extra illud adhibeatur, quae eisdem originaliter nostris litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae: mandantes illas in librum quinternum appellatum eiusdem Cancellariae Apostolicae ad perpetuam rei memoriam referri et describi, ac in litteris apostolicis, quae super dictarum suffraganearum provisionibus pro tempore fient, inviolabiliter observari.

Datum Romae sub annulo Piscatoris die XIV decembris MDCIV, anno XIII.

Dat. die 14 decembris 1604, pontif. an. XIII.

CCCLXV.

Declaratio quod ecclesiastici regni Castellae teneantur contribuere gabellae seu sitae impositae pro praestandis superadditionalibus servitiis regi catholico oblatis a regnis Castellae praedictis, iuxta declarationem in ultimis comitiis factam, praeterquam quoad ea, quae pro usibus propriis consumuntur; et prorogatio sexennii ad aliud triennium, intra quod tamen, si tota summa congesta fuerit, eo ipso gratia expiret [1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico

Clemens Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Comitia regni Castellae subsidium sexennale Philippo regi obtulerant.

§ 1. Aliàs, cum accepissemus regna tuae coronae Castellae in comitiis seu curiis, tunc novissime habitis, animadvertentes maiestatem tuam pro catholicae religionis defensione, et obedientiae S. R. E. conservatione in tuis ac exteris ditionibus et regnis, gravissimis quotidie sumptibus urgeri, ita ut aerariis clarae memoriae Philippi II Hispaniarum regis catholici genitoris tui, ac tuis fere consumptis, tu illos, nisi aliquo subsidio a tuis subditis subleveris, ulterius ferre non posses: propterea quaedam superadditionalia [2] servitia sive subsidia ad sexennium duratura super vino et alio in praedictis regnis colligendis et consumendis praestare libenter obtulisse;

Illud ab ecclesiasticis etiam coadiuvari Clemens permisit.

§ 2. Nos propterea eorumdem regnorum et subditorum tuorum in maiestatem tuam voluntatem et devotionem, et quod alacri animo proprias facultates et substantias pro catholicae religionis conservatione conferre proposuissent, tunc summopere commendantes, tuaeque in praemissis attestationi, ut par erat, fidem adhibentes, pro faciliori servitiorum seu subsidiorum huiusmodi praestatione, illa per ecclesiasticas etiam personas coadiuvanda esse censuimus.

Et ab omnibus personis, quoddam vectigal hac de causa impositum mandavit.

§ 3. Ac propterea motu proprio, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas ecclesiasticas personas, tam saeculares quam cuiusvis, etiam exempti et

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Erronee edit. Main. habet *superadditionali* (R. T.).

apostolicae Sedi immediate subiecti, Ordinis regulares (necnon monasteria utriusque sexus conventus, collegia et ecclesiarum capitula eorumdem regnorum), et in eisdem regnis commorantes et consistentes, ad conferendum et contribuendum proportionabiliter, prout laici, in dictis superadditionalibus servitiis seu subsidiis, et ad solvendum gabellam seu sitam eorum occasione super vino et oleo in praedictis regnis colligendis et consumendis imponendam, seu forsan impositam, ad instar laicorum, durante dicto sexennio, et non ultra, teneri et obligatos existere voluimus atque mandavimus, et, quatenus opus esset, opportunis iuris et facti remediis, etiam per exactores dictorum superadditionalium servitiorum seu subsidiorum, aut eorum occasione imponendae seu impositae gabellae sive sitae huiusmodi, ad tui libitum constituendos et removendos, cogi et compelli posse concessimus, prout in nostris desuper in formà Brevis sub datum die XXIII ianuarii MDCI pontificatus nostri anno nono[1].

Eadem comitia dictum vectigal ad carnes extendi petierunt

§ 4. Et deinde per nos pariter accepto quod in comitiis seu curiis eorumdem tuorum regnorum, tunc proxime celebratis, consideratum fuerat superadditionalia servitia seu subsidia supradicta tibi ad sexennium oblata, et, ut praefertur, praestanda (quae in totum ad decem et octo decies centena millia aureorum nummorum ascendere debebant, et ex quibus tria decies centena millia similiter nummorum aureorum quotannis praestanda erunt ex gabellà seu sità super vino et oleo in praedictis regnis colligendis et consumendis impositâ) sine magno et excessivo populorum gravamine colligi non posset[2], et propterea, pro minori eorumdem populorum detrimento, plurimum expedire ut huiusmodi gabella seu sita ad carnes in eisdem regnis vendendas extenderetur, ita tamen ut propterea summa praedicta nullo modo cresceret, et ipsa gabella seu sita super vino et oleo imposita cum effectu non augeretur, et ex istis tribus rerum speciebus tota summa praedicta tantummodo congereretur, ideoque de huiusmodi extensione gabellae seu sitae ad carnes faciendà inter eos mature resolutum fuerat; et quia haec gabellae seu sitae ad tertiam carnium speciem praedictam extensio summam nullo modo augebat, atque ab ipsis etiam ecclesiasticis facilius solvi et ferri poterat;

Approbavit Clemens et sub eadem lege ecclesiasticos comprehendi voluit.

§ 5. Nos, maiestati tuae ampliorem gratiam facere volentes, motu, scientià et potestatis plenitudine similibus, omnes et singulas ecclesiasticas personas, tam saeculares quam cuiusvis, etiam exempti et Apostolicae Sedi immediate subiecti, Ordinis regulares (necnon monasteria utriusque sexus, conventus, collegia ac ecclesiarum capitula regnorum praedictorum), et in eisdem regnis commorantes et consistentes, pro contributione per eos, ut in aliis supradictis litteris concesseramus, proportionabiliter, prout laici, in dictis superadditionalibus servitiis seu subsidiis facienda, ad solvendum gabellam seu sitam huiusmodi, a vino et oleo praefatis ad carnes etiam, ut praefertur, extendendam, ita tamen ut nec summa praedicta augeretur, nec tempus sexennii iam currentis protraheretur, aeque ac laicos teneri et obligatos esse voluimus et statuimus et ordinavimus, et, quatenus opus esset, opportunis iuris et facti remediis, etiam per exactores [illegible]ctorum superadditionalium servitiorum seu subsidiorum, et gabellarum seu sitarum eorum occasione, ut praefertur, impositarum, ad tui libitum constituendos et removendos, cogi et compelli posse concessimus:

1 Subintell. *continetur*; porro praedictae litterae in Bullario non sunt (R. T.).

2 Aptius fortasse legeretur *posse*, quam *posset* (R. T.).

Ita tamen ut renuentes ab Ordinariis locorum compellerentur.

§ 6. Sed, ne aliqua laicis in ecclesiasticos iurisdictio seu facultas illos compellendi concessa censeretur, declaravimus nostrae intentionis fuisse et esse ut exactores praedicti ecclesiasticos recusantes, non per se ipsos aut alios saeculares ministros, sed adhibitâ Ordinariorum locorum auctoritate, et coram eisdem Ordinariis (quibus districte praecipiendo mandavimus ut contra recusantes ecclesiasticos et regulares, etiam exemptos nobisque et Apostolicae Sedi immediate subiectos, ad quamcumque simplicem eorumdem exactorum requisitionem, exequutive, quacumque appellatione remotâ, auctoritate nostrâ procederent) compellere valerent et deberent, prout in aliis sub datum XI augusti MDCIII, pontificatus nostri anno XII in simili formâ Brevis expeditis litteris plenius continetur [1].

Modum gabellae ampliari, et sexennii tempus prorogari petit rex.

§ 7. Cum autem, sicut maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, in ultimo dictis comitiis seu curiis, in quibus gabella seu sita praedicta prius super vino et oleo imposita ad carnes extensa fuerat, ex eo quod istae rerum species sint valde universales pro divitibus et pauperibus, ad effectum ut omnes minus gravarentur, declaratum fuerit ut in praedictâ gabellâ seu sitâ vini et olei contribuere deberent non solum ementes et vendentes, sed ii etiam qui illa perciperent ex propriis terrenis, aut ex afflictibus, aut emerent in uvis aut olivis, seu colligerent pro decimis, aut etiam dono acciperent, vel aliàs ex quovis alio redditu et introitu haberent et consumerent in propriis domibus, et pro eorum et familiarum suarum usibus, et similiter quod non solum de vino, sed etiam de musto, aquato et aceto intelligeretur, et ulterius quod eadem gabella seu sita usque ad integram exationem dictae summae decem et octo decies centenorum millium nummorum aureorum durare deberet; et, quia praedictae declarationes in nostris litteris praedictis expresse non fuerunt, ideo maiestas tua cupiat, ad tollendam omnem dubitandi occasionem, id per nos declarari, ac etiam tempus dicti sexennii extendi et prorogari:

Declarat Clemens omnes aeque ad solutionem teneri.

§ 8. Nos votis tuis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, ac singularum litterarum praedictarum tenores praesentibus, ac si ad verbum inserti forent, pro expressis habentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, harum serie decernimus et declaramus ecclesiasticas personas saeculares et regulares, ac monasteria, conventus, collegia et capitula supradicta, ad solvendum gabellam seu sitam praedictam, iuxta declarationem supradictam quoad rerum species, non tamen quoad eas, quas [1] pro eorum propriis et familiarum suarum usibus consumunt (ita ut pro illorum et suarum familiarum usibus supradictis sint omnino immunes et exempti), ad instar laicorum, in omnibus et per omnia, iuxta seriem et tenorem ultimodictarum litterarum, quoad reliqua de caetero teneri, ac perinde in futurum cogi et compelli posse, ac si in eisdem litteris de huiusmodi declaratione specialis mentio habita fuisset.

Tempus extendit.

§ 9. Praeterea tempus dicti sexennii ad aliud triennium, a fine ipsius sexennii computandum, quo tantum durante, si praedicta summa decem et octo decies centenorum millium nummorum aureorum congesta non fuerit, adhuc gabellas seu sitas huiusmodi persolvere teneantur; sed si ante lapsum dicti triennii huiusmodi summa congesta fuerit, ab huiusmodi

(1) Litterae huiusmodi ad praesentem tomum spectassent, sed eas edere non adhuc potuimus quia in edit. Main. non reperiuntur (R. T.).

1 Edit. Main. habet *eas, quae... consumunt;* at vel legendum *eas, quas* aut *ea, quae,* aut *eas, quae... consumuntur* (R. T.).

solutione liberi sint eo ipso, absque aliâ declaratione desuper faciendâ, auctoritate et tenore praedictis, extendimus et prorogamus.

Recusantes a locorum Ordinariis compelli mandat.

§ 10. Volumus autem et earumdem praesentium tenore decernimus, ut exactores dictae gabellae seu sitae non per se ipsos, seu per alios ministros saeculares, sed adhibitâ locorum Ordinariorum ecclesiasticorum auctoritate [1] compellere valeant: quibus locorum Ordinariis districte praecipiendo mandamus, ut contra ecclesiasticos recusantes, etiam regulares et exemptos nobisque et apostolicae Sedi immediate subiectos, et ad exequutiones contra ipsos, ad quamcumque simplicem eorumdem exequutorum requisitionem, quacumque appellatione remotâ; auctoritate nostrâ procedant.

Contraria tollit.

§ 11. Non obstantibus omnibus illis, quae in singulis litteris praefatis voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XVII decembris MDCIV pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 17 decembris 1604, pontif. an. XIII.

CCCLXVI.

Confirmatio erectionis ecclesiae Bononiensis in archiepiscopatum [2], et restitutio nonnullarum ecclesiarum archiepiscopatui Ravennatensi.

Clemens episcopus
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Proemium.

Romanus Pontifex [3] beati Petri Apostolorum Principis successor, in supremo militantis Ecclesiae solio et apostolicae potestatis plenitudine supra universas orbis ecclesias et provincias, ut, iuxta verbum propheticum, noxia evellat et destruat, ac utilia et salubria aedificet et plantet, divinâ dispositione constitutus, tamquam de summo vertice montis in omnes agri dominici partes, praesertim sibi nedum spirituali, sed etiam temporali iurisdictione subiectas, more vigilis pastoris attentae considerationis dirigens intuitum, pro exactiori eiusdem agri culturâ et uberiori fruge, novas sedes et ecclesias, tam episcopales quam archiepiscopales, in locis congruis plantare, et plantatas spiritualibus irrigationibus et adiumentis confovere, ac iis, quae metropoliticae dignitatis et iurisdictionis insignibus sunt decoratae, proprias et distinctas provincias, nec non competentem suffraganeorum numerum, ad visitationis, correctionis, et iustitiae ministerium fructuosius exercendum, assignare, litibusque et controversiis de medio sublatis, pacem et concordiam inter ipsarum ecclesiarum praesules et alios christifideles, omni qua potest industria conciliare satagit, ac aliàs in his suae sollicitudinis et providentiae studium (etiam praedecessorum suorum gesta, nunc confirmando et innovando, nunc aliqua ex eis alterando et in melius commutando) interponit, prout ecclesiarum, provinciarum et locorum huiusmodi qualitatibus et circumstantiis debite pensatis, illorum felici statui et directioni, ac etiam publicae commoditati et saluti conspicit in Domino salubriter expedire.

Recenset Gregorium XIII ecclesiam Bono-

§ 1. Hinc est quod nos, ad eiusdem apostolicae dignitatis apicem et potestatis ple-

1 Forsan legendum: *adhibitâ locorum Ordinariorum auctoritate ecclesiasticos compellere valeant* (R. T.).

2 Hanc erectionem fecit Gregor. XIII in Const. CXLII, *Universi* (Tom. VIII, pag. 401 h. ed.).

3 Const. huiusmodi legitur etiam apud Ughelli, *Italia sacra*, tom. II, pag. 46, et de eâdem re vide etiam supra Const. CCCLXIV pag. 146 huius tomi (R. T.).

niensem erexisse in Archiepiscopatum.

nitudinem divinae dispositionis operante clementiâ, meritis licet imparibus, assumpti, provide considerantes, ac memoriâ et animo revolventes quod aliàs felicis recordationis Gregorius Papa XIII praedecessor noster, multis magnisque ecclesiae Bononiensis erga Sedem Apostolicam meritis adductus, etc. *(Omittitur*[1] *narrativa huius bullae, siquidem eam habemus loco citato in notâ ad rubricam).*

Exortas inde controversias Clemens ad se advocat et extinguit.

§ 2. Post obitum autem eiusdem praedecessoris, bonae memoriae Christophorus olim archiepiscopus, et seu dilecti filii clerus ac communitas et homines Ravennatenses (sumptâ occasione, quod tempore datae dictarum litterarum, et antea, ipsa ecclesia Bononiensis ecclesiae Ravennatensi, illiusque archiepiscopo pro tempore existenti, metropolitico iure, non autem dictae Sedi Apostolicae immediate, subiecta existeret, et sub diversis aliis praetextibus) ad piae memoriae Sixtum Papam V, etiam praedecessorem nostrum, recursum habuerint, dictasque litteras (tamquam subreptitias et obreptitias, ac praefer mentem et intentionem dicti Gregorii praedecessoris, nec eius motu proprio, sed ad Gabrielis cardinalis, nec non regiminis et aliorum magistratuum praedictorum preces, in grave iurisdictionis, praeeminentiae et auctoritatis dictae ecclesiae Ravennatensis ac illius pro tempore existentis praesulis praeiudicium emanatas) impugnare, et irritari et retractari facere tentaverint; dictusque Sixtus praedecessor negocium huiusmodi nonnullis ex ipsius Romanae Ecclesiae cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, et forsan Congregationi ipsorum cardinalium super novarum ecclesiarum cathedralium et metropolitanarum erectionibus, ac inter eas et iam tunc erectas ecclesias incidentibus controversiis deputatorum, tum etiam in Palatii Apostolici auditorio diligenter examinandum, sibique (ad hoc ut desuper, quod iustum foret, statueretur[1]) referendum commiserit, nec illud hactenus decisum et resolutum fuerit: quodque[2] idem archiepiscopus Ravennatensis etiam ecclesias Ariminensem et Ferrariensem sub eius provinciâ comprehendi, sibique ius metropoliticum in illi santiquitus competiisse; episcopus vero Ariminensis, in vim litterarum a recolendae memoriae Lucio II et Innocentio III, Romanis Pontificibus similiter praedecessoribus nostris, emanatarum, et per nonnullos alios Romanos Pontifices pariter praedecessores nostros confirmatarum et innovatarum, dictam ecclesiam Ariminensem nulli alteri metropoli, nisi tantum praedictae sanctae Romanae Ecclesiae subesse, vel etiam in provinciâ romanâ comprehendi, illiusque praesules, pro tempore existentes, a nullo quam a Romano Pontifice pro tempore existente, vel de eius licentiâ, consecrari debere; et similiter episcopi Ferrarienses pro tempore existentes praedictam ecclesiam Ferrariensem, licet olim sub Ravennatensi, vel potius Mediolanensi, provinciis forsan comprehensa fuisset, temporis tamen processu a Ravennatensi et Mediolanensi provinciis huiusmodi exemptam, dictaeque Sedi Apostolicae immediate subiectam praetendant, vel etiam sint[3]; et exinde graves lites et discordiae, nisi illis congruae provisionis remedio occurratur, succedere possint: ac propterea in praemissis pro pastoralis officii nostri debito providere, ac tam Ravennatensis quam Bononiensis ecclesiarum prae-

1 Heic edit. Main. habet: *Omittitur,* etc.; sed vide etiam Const. supra relatam pag. 146 huius tomi (R. T.).

1 Ughelli legit: *statueret* (R. T.).

2 Istud *quodque* pendet a verbis *provide considerantes.* § 1 (R. T.).

3 Aptius Ughelli loc. cit. legit *sit* (R. T.).

dictarum statui et indemnitatibus aliquâ accomodâ ratione prospicere, earumque praesules a litium et controversiarum huiusmodi incommodis et dispendiis explicare, atque in pacis et quietis amoenitate confovere cupientes; nec non litterarum Gregorii praedecessoris huiusmodi, et aliorum praemissorum, ac inde sequutorum quorumcumque datas et tenores, dictarum litium et controversiarum causas et occasiones ac earum statum et merita, nec non cardinalium et aliorum iudicum nomina et cognomina, ac quorumcumque interesse habentium iura, actiones, rationes et praetensiones, singularumque ecclesiarum et provinciarum praedictarum qualitates, situationes, confines, denominationes, caeteraque omnia et singula in praemissis et circa ea necessario exprimenda, praesentibus pro sufficienter expressis habentes; de eisdem praemissis omnibus et singulis, eorumque circumstantiis, necnon partium praedictarum iuribus, rationibus et praetensionibus universis, plene et sufficienter instructi; post maturam deliberationem super his cum fratribus nostris habitam, motu proprio et ex certâ nostrâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, ac eorumdem fratrum consilio et unanimi assensu, omnes et singulas lites ac controversias, tam inter metropolitanas invicem, quam inter ipsas metropolitanas et suffraganeas ecclesias huiusmodi, illarumque praesules super iisdem praemissis et illorum occasione in dictâ congregatione vel alibi coram praedictis cardinalibus, aut quibuscumque aliis iudicibus, ordinariis vel delegatis, etiam causarum dicti Palatii auditoribus, motas, et indecisas pendentes, in quibuscumque statu et terminis reperiantur, ad nos harum serie advocamus, easque penitus cassamus et extinguimus.

Ecclesiae Ravennatensi ius restituit super ecclesias Imolensem et Cerviensem.

§ 3. Ac ecclesiam Ravennatensem praedictam, illiusque praesules pro tempore existentes, adversus tam litteras Gregorii praedecessoris huiusmodi, quoad ea quae Imolensem et Cerviensem ecclesias, in umbilico dictae provinciae Ravennatensis consistentes, eorumque praesules, capitula, clerum et populum, civitates et dioeceses afficiunt (eiusdem Gregorii praedecessoris litteris, quoad caetera in eis contenta, aliàs salvis et in suo robore permanentibus), quam omnes[1] et quascumque de illis, nec non Ferrariensi et Ariminensi ecclesiis praedictis, per praedictos et quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros dictamque Sedem Apostolicam ab ecclesiâ et provinciâ Ravennatensi huiusmodi factas separationes, segregationes, divisiones, dismembrationes, distractiones et exemptiones, ac etiam litteras Lucii et Innocentii, aliorumque Romanorum Pontificum huiusmodi, nec non forsan subsequutas declarationes et enunciationes[2], ac denique in pristinum, et eum in quo antea quomodolibet erant[3] statum, in omnibus et per omnia, perinde ac si nullatenus emanassent, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, restituimus, reponimus et plenarie reintegramus.

In reliquis Gregorii litteras ratas habet.

§ 4. Et nihilominus litteras Gregorii praedecessoris huiusmodi ac omnia et singula in illis contenta (exceptis dumtaxat iis quae Imolensem et Cerviensem ecclesias praedictas, earumque praesules, capitula, civitates, dioeceses, territoria, terminos, clerum et populum concernunt, nec[4] eisdem praesentibus contrariantur) auctoritate et tenore praedictis approbamus et confirmamus, ac perpetuae et inviolabilis firmitatis apostolicae praesidio

1 Nempe: *quam adversus omnes*, ut supra diximus pag. 149 *b* nota 1 (R. T.).

2 Vide supra pag. 149 *b* nota 1 (R. T.).

3 Vide supra pag. 149 *b* nota 3 (R. T.).

4 Vide supra pag. 150 *a* nota 2 (R. T.)

communimus, eaque a datâ litterarum Gregorii praedecessoris huiusmodi valere, et plenam roboris firmitatem obtinere, suosque plenarios et integros effectus sortiri, necnon ipsis ecclesiae et archiepiscopo Bononiensi suffragari, volumus et decernimus, in omnibus et per omnia, perinde ac si motu proprio praedicti Gregorii praedecessoris emanassent, ipsaque ecclesia Bononiensis, tempore datae litterarum Gregorii praedecessoris huiusmodi, Sedi Apostolicae, non autem ecclesiae et archiepiscopo Ravennatensi praedictis, immediate subiecta, ac in iisdem nulla de dictis Imolensi et Cerviensi ecclesiis mentio facta fuisset, omnes quoque et singulos praedictos, ac quoscumque alios, tam iuris quam facti, nec non solemnitatum etiam substantialium defectus, si qui quomodolibet intervenerint in eisdem, etiamsi tales sint vel fuerint, qui in generali verborum sermone non comprehendantur, sed notâ et expressione speciali indigeant, supplemus.

Bononiensem ecclesiam de novo erigit in Archiepiscopatum.

§ 5. Ac pro potioris cautelae suffragio praedictam ecclesiam Bononiensem in metropolim, cum dignitate et sede archiepiscopali, ac iurisdictione et superioritate metropoliticâ, nec non pallii et crucis, ut moris est, delatione, reliquisque omnibus et singulis insignibus, ornamentis, honoribus, privilegiis, exemptionibus, iuribus et facultatibus, aliis metropolitanis ecclesiis, de iure vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet competentibus, de novo, eisdem[1] auctoritate et tenore, etiam perpetuo erigimus et instituimus; ac tam Bononiensem, Placentinam, Parmensem, Regiensem et Mutinensem a Ravennatensi, quam Imolensem et Cerviensem a Bononiensi provinciis huiusmodi, Ferrariensem vero Ariminensem et Cremensem praedictas, nec non quae infra civitates Placentinam et Parmensem consistit (et pridem per nos, de[1] collegiatâ tunc nullius dioecesis, in cathedralem erecta, dictaeque Sedi immediate subiecta fuit) Burgi sancti Domnini ecclesias ab immediatâ subiectione eiusdem Sedis Apostolicae, et (quatenus ipsae ecclesiae Placentina, Parmensis, Regiensis, Mutinensis, Cremensis, Burgi sancti Domnini, Ferrariensis, Ariminensis, Imolensis et Cerviensis, vel eorum aliquae, Mediolanensi praedictae, vel cuicumque alteri metropolitanae provinciae, quavis occasione et causâ, etiam in earum erectione et institutione, seu de iure, statuto, aut ex antiquâ consuetudine, seu dicti concilii decreto factâ electione, et aliàs quomodolibet subiectae, concessae, adscriptae, seu adiunctae fuerint vel censeantur, aut in possessione etiam immemorabili, seu quasi, esse reperiantur, vel praetendantur) a Mediolanensi et quibuscumque aliis metropolitanis provinciis huiusmodi, ac omni et quacumque illius praesidis pro tempore existentis metropoliticâ iurisdictione, visitatione, superioritate, correctione et obedientiâ, illis, ut praefertur, vel aliàs quomodolibet forsan competente, auctoritate et tenore praedictis, similiter perpetuo penitus eximimus et totaliter liberamus; easque et illarum quamlibet, Placentinam videlicet, ac Parmensem, Regiensem, Mutinensem, Cremensem, et Burgi Sancti Domnini ecclesias, earumque singularum praesules, capitula, civitates et dioeceses, necnon cleros, populos et utriusque sexus personas, tam saeculares quam ecclesiasticas earumdem, dictae ecclesiae Bononiensi pro suis suffraganeis et provincialibus, ac aliàs iuxta tenorem litterarum Gregorii praedecessoris huiusmodi, ac modo et formâ in illis expressis et contentis, quae omnia, etiam ad

1 Erronee edit. Main. legit *eiusdem* (R. T.).

1 Ughelli omitt. praep. *de*; err. ut patet (R. T.).

dictam ecclesiam Burgi sancti Domnini extensa et ampliata censeantur; perinde ac si in eisdem de illâ specialis et specifica mentio facta foret, auctoritate et tenore similibus, pariter perpetuo concedimus et assignamus:

Ravennatensis ecclesiae fines designat.

§ 6. Ferrariensem vero[1], et Ariminensem ecclesias, etiamsi non appareat, neque probari possit, quod illae aliquando sub dictâ provincia Ravennatensi comprehensae aut illi subiectae fuerint, necnon Imolensem et Cerviensem ecclesias praedictas similiter (cum suis respective episcopis, capitulis, civitatibus, dioecesibus, terris, territoriis, cleris, populis, collegiatis, parochialibus et aliis ecclesiis, nec non monasteriis, collegiis, hospitalibus, lociis piis et religiosis utriusque sexus, etiam exemptis et quocumque privilegio suffultis, ac omnibus et singulis beneficiis ecclesiasticis, cum curâ et sine curà, saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus) ecclesiae, provinciae et archiepiscopo Ravennatensi praedictis (ultra ecclesias Adriensem, Comaclensem, Faventinensem, Foroliviensem, Britinoriensem, Cesenatensem, Sarsinatensem et alias, si quae sint, ipsius ecclesiae Ravennatensis suffraganeas) metropolitico iure (ita ut idem archiepiscopus Ravennatensis pro tempore existens in illis omnibus et singulis ius metropoliticum sibi vendicare, ac Ferrariensis, Ariminensis, Imolensis et Cerviensis ecclesiarum huiusmodi episcopos, uti eiusdem ecclesiae Ravennatensis suffraganeos, consecrare, et ad eius synodum provincialem evocare, caeteraque omnia ad archiepiscopi munus et officium, de iure vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet spectantia et pertinentia, facere, exercere, procurare, administrare et exequi, libere et licite valeat; dictique episcopi Ferrariensis, Ariminensis, Imolensis et Cerviensis, nunc et pro tempore existentes praedicto archiepiscopo Ravennatensi, tamquam membra capiti, obsequentes, ad omnia et singula teneantur et sint obligati, ad quae alii suffraganei suis ecclesiis metropoliticis et archiepiscopis metropolitanis, de iure vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet tenentur et obligati existunt) itidem perpetuo subiicimus: et deinceps perpetuis futuris temporibus Ferrariensem, Ariminensem, Imolensem et Cerviensem ecclesias praedictas inter alias suffraganeas dictae ecclesiae Ravennatensis connumerandas et censendas, ac tam eas quam illarum singularum civitates et dioeceses sub ipsâ provinciâ Ravennatensi comprehensas, et nullatenus ab eâ exemptas, nec dictae Sedi Apostolicae immediate, neque ulli alteri, nisi tantum Ravennatensi ecclesiae, et illius archiepiscopo praedictis, quoad archiepiscopalia, metropolitica ac provincialia iura et iurisdictiones, subiectas esse et fore.

Clausulae praeservativae.

§ 7. Praedictas quoquè litteras nullo umquam tempore, etiam ex eo quod dictarum ecclesiarum praesules et capitula, vel quicumque alii in praemissis interesse quomodolibet habentes, eisdem praemissis non consenserint, nec ad id vocati aut requisiti, neque forsan omnes causae, propter quas eadem praemissa emanarint, in consistorio nostro vel alibi (vocatis vocandis, et praeviis debitis tractatibus, ac servatis et adhibitis solemnitatibus, et aliis de iure vel consuetudine, vel iuxta constitutiones et ordinationes apostolicas, aut ecclesiarum et provinciarum huiusmodi statuta privilegia et indulta, etiam confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roborata, aut aliàs quomodolibet requisitis et in similibus necessariis) examinatae, verificatae et approbatae fuerint,

1 Heic novam § aptius incipimus, quam edit. Main. quam § 6 incipit a sequentibus verbis: *nec non Imolensem*, etc. (R. T.).

seu etiam enormis vel enormissimae et totalis laesionis, aut alio quovis praetextu, et ex quocumque capite, ac quavis causâ vel occasione, quantumcumque notabili et iuridicâ, etiam necessario exprimendâ, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, in toto vel parte rescindi, retractari, annullari, invalidari, in ius vel controversiam vocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illa quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari posse; minusque sub quibusvis similium et dissimilium gratiarum et concessionum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus, a nobis, seu quibusvis aliis Romanis Pontificibus successoribus nostris, ac dictâ Sede, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter pro tempore emanatis, nullatenus comprehendi, nec comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum ac validissimum, et eum in quo, antequam emanarent, erant statum in omnibus et quoad omnia restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam sub quacumque datâ etiam posteriori, per quoscumque interesse habentes pro tempore eligendâ, de novo concessas, ac contra et adversus quascumque exceptiones, etiam quantumvis iustas et iuridicas, ac quorumvis impugnationes, si quas pro tempore fieri contigerit, omnino et semper validas et efficaces fore esse, et censeri, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et partibus ipsis perpetuo suffragari in omnibus et per omnia, ac si, vocatis omnibus et singulis quorum interest, de illorum consensu, nec non debitis tractatibus et solemnitatibus, caeterisque ad hoc requisitis plene servatis et adhibitis, emanassent; neque ipsarum ecclesiarum Ravennatensis et Bononiensis praesules pro tempore existentes, vel alios quoscumque, ad superius expressa in toto vel in parte verificandum seu probandum nullo[1] umquam tempore teneri, nec ad id quavis necessitate cogi aut compelli posse, sed solam narrativam praedictam, absque aliâ verificatione vel probatione, sufficere, eique in iudicio et extra illud stari[2], nec aliquam probationem seu exceptionem, cuiusque naturae et speciei illa sit vel fuerit, in contrarium adduci vel admitti;

Itaut sic semper debeat iudicari.

§ 8. Sicque, et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum dicti Palatii auditores, ac praedictos et alios cardinales, etiam de latere legatos, nunc et pro tempore existentes (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) in quavis causâ et instantiâ, iudicari et definiri debere; ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus, et declaramus, ac desuper omnibus et singulis archiepiscopis, episcopis et aliis praedictis perpetuum silentium imponimus.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus praemissis, ac nostrâ de non tollendo iure quaesito, et similis memoriae Pauli II, et quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum itidem praedecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque apostolicis ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon singularum ecclesiarum et provinciarum praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apo-

1 Fort. legendum *ullo*, nam praecessit *neque* (R. T).

2 Subintellige verbum *debere* quod postea § seq. subditur (R. T.).

stolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, consuetudinibus, stabilimentis, usibus, naturis, erectionibus, institutionibus et exemptionibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis earumque praesulibus, praesidentibus, capitulis et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus, et aliis decretis, etiam vim contractus habentibus seu inducentibus, per praedictos et quoscumque alios Romanos Pontifices, similiter praedecessores nostros, ac etiam nos et dictam Sedem, etiam motu, scientiâ, consilio et potestatis plenitudine paribus, ac ex certis tunc expressis etiam consistorialiter propositis et diligenter examinatis, etiam per modum statuti et perpetuae sanctionis et ordinationis, in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet etiam iteratis et multiplicatis vicibus concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observata, inserti essent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse ac latissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium publicatio facienda;

§ 10. Volumus autem quod praesentes nostrae litterae, ut amplius innotescant, non solum in Cancellariâ Apostolicâ, sed etiam ad valvas Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, et in acie Campi Florae pubblicentur, earumque exempla in iisdem locis affixa dimittantur, ac omnes et singulos, quos illae concernunt, a die publicationis huiusmodi perinde arctent, ac si ipsis personaliter intimatae fuissent.

Exemplisque danda fides.

§ 11. Huiusmodi quoque exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et Cancellariae praedictae regentis pro tempore existentis, vel alterius praelati Romanae Curiae, seu personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae iisdem praesentibus originalibus litteris nostris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Mandantes illas in librum *Quinternum* appellatum eiusdem Cancellariae ad perpetuam rei memoriam referri et describi.

Clausulae.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum advocationis, cassationis, extinctionis, restitutionis, repositionis, reintegrationis, approbationis, confirmationis, communitionis, suppletionis, erectionis, institutionis, exemptionis, liberationis, concessionis, assignationis, subiectionis, declarationis, impositionis, voluntatum decreti[1] et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCIV decimo octavo kal. ianuar. pontif. nostri anno XIII.

Dat. die 15 decembris 1604, pontif. an. XIII.

Subscriptiones.

 EGO CLEMENS
CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

PROTECTOR NOSTER ASPICE DEUS.

† Ego Ptolomaeus episcopus Ostiensis card. Comensis.

1 Ughelli legit *decretorum* (R. T.).

† Ego Alexander episcopus Praenestinus card. Florentinus.

† Ego Hieron. episcop. Portuensis card. Simoncellus.

† Ego Fr. Hieron. episcopus Albanensis card. Asculanus.

† Ego Franciscus episcopus Sabinensis card. de Ioiosa.

† Ego Ant. Mar. tit. S. Prax. Presb. card. Gallus.

† Ego Ant. tit. S. M. Transt. Presb. card. Saulius.

† Ego Evangelista tit. S. Laurentii in Lucina Presb. card. Cusentinus.

† Ego Marianus tit. Ss. Marcell. et Petri Presb. card. de Camerino.

† Ego Fr. Gregorius tit. S. Augustini Presb. card. de Montelparo.

† Ego Paulus Presb. card. S. Ceciliae.

† Ego Benedictus tit. S. Priscae Presb. card. Iustinian.

† Ego Franc. Maria tit. S. Mariae in Ara-Coeli Presb. card. a Monte.

† Ego Octav. tit. S. Alexii Presb. card. Paravicinus.

† Ego Oct. tit. Ss. Io. et Pauli Presb. card. de Aquaviva.

† Ego Fl. tit. S. Mariae de Pace Presb. card. Platus.

† Ego Anton. Presb. card. Sanctorum Quatuor.

† Ego Petrus tit. S. Pancratii Presb. card. Aldobrand. S. R. E. Camerarius.

† Ego Franc. Maria tit. S. M. super Min. Presb. card. Senensis.

† Ego Oct. tit. S. Sabinae Presb. card. Bandinus.

† Ego F. Annas tit. S. Susannae Presb. card. Giury.

† Ego Cam. tit. S. Chrysog. Presb. card. Burghesius.

† Ego Caes. tit. Ss. Ner. et Ach. Presb. card. Baronius.

† Ego Laur. tit. S. Laurentii in Pane et Perna Presb. Card. Blanchettus.

† Ego Fran. tit. S. Cruc. in Hierus. Presb. card. Avila.

† Ego Franc. tit. S. Mariae de Pop. Presb. card. Mantuanus.

† Ego Pomp. tit. S. Balbinae Presb. card. Arigonius.

† Ego Bonifac. tit. S. Hieron. Illyric. Presb. card. Bevilacqua.

† Ego Dominicus episcopus Tusculan. card. Pinellus.

† Ego Dom. tit. S. Honuphr. Presbyt. card. Tuscus.

† Ego P. Æmilius Presb. card. Sancti Marcelli.

† Ego Seraph. tit. S. Salvat. in Lau. Presb. card. Oliverius.

† Ego Inn. tit. S. Thom. in Par. Presb. card. de Bubalo.

† Ego Io. tit. S. Matt. in Mer. Presb. card. de Vico.

† Ego Iac. tit. S. Steph. in Mont. Cael. Presb. card. San.

† Ego Her. tit. S. M. Transp. Presb. card. Valentius.

† Ego Hier. Aguc. Presb. card. S. Petri ad Vinc.

† Ego Hier. tit. S. Blasii de Ann. Presb. card. Pamphilius.

† Ego F. Ansel. tit. S. Petri in Monte Aureo Presb. card. Monopolitanus.

† Ego Alex. S. Laur. in Dam. Diac. card. Montaltus S. R. E. Vice-cancellarius.

† Ego Cynt. Diac. card. S. Georg. ad Velum Aur.

† Ego Bart. S. Mariae in Port. diac. card. Caesius.

† Ego Andr. S. Ang. in For. Pisc. diac. card. Perettus.

† Ego Io. Bapt. S. Mariae in Cosm. diac. card. Det.

† Ego Sylv. diacon. card. Sancti Caesarei.

† Ego Carol. Eman. S. Nic. in Carc. Tulliano diac. card. Pius.

CCCLXVII.

Innovatio et declaratio constitutionum editarum ab Innocentio VIII et Iulio III super iure et modo, quo prior generalis fratrum Eremitarum Ordinis sancti Augustini visitare possit loca et personas Congregationis Lombardiae eiusdem Ordinis [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis apostolici muneris debito, controversiis et differentiis inter religiosos vertentibus finem imponere, ac desuper de opportuno remedio providere tenemur, prout ius et ratio postulat, ac aliàs in Domino salubriter conspicimus expedire.

Ortà controversià super modo visitandi congregationem Lombardiae;

§ 1. Cum itaque dudum inter dilectos filios priorem generalem Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini eiusque assistentes ex unâ, et vicarium generalem et fratres Congregationis seu Societatis Lombardiae eiusdem Ordinis ex alterâ partibus, controversiae ac differentiae super iure, modo et formâ visitandi, rebusque aliis viguerint;

Clemens Innocentii VIII litteras innovat;

§ 2. Nosque illas in congregatione Reformationis et Visitationis Apostolicae mature discuti et examinari fecerimus, et in eâdem congregatione ambae partes pluries fuerint auditae; nunc huiusmodi differentias et controversias e medio tollere, ac utriusque partis quieti prospicere volentes, ac priorem generalem, assistentes, et vicarium generalem, et fratres universos Ordinis et Congregationis praedictorum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio et ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, declarantes in primis et ante omnia, mentis et intentionis nostrae non fuisse nec esse, in litteris nostris in formâ Brevis sub datum die XIII iulii praesentis anni MDCIV expeditis[1] super visitatione per priorem generalem faciendâ in domibus Congregationis Lombardiae (quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus), recedere a dispositione et privilegio felicis recordationis Innocentii Papae VIII praedecessoris nostri super eâdem visitatione emanatis, et ab eisdem partibus receptis et acceptatis in concordiâ de anno MDLI inter eas initâ (quarum[2] etiam tenores praesentibus pariter pro expressis haberi volumus), sed eiusdem nostrae mentis et intentionis fuisse et esse statuere et decernere prout in dictis privilegio et concordiâ continetur, et nihilominus praedictas nostras ad praescriptum privilegii et concordiae huiusmodi reducentes, harum serie perpetuo statuimus et decernimus:

Et declarat dictam Congregationem visitandam esse a generali cum socio.

§ 3. Quod liceat priori generali, quoties ei placuerit, per se insimul cum uno ex visitatoribus societatis huiusmodi, quem ad hoc duxerit eligendum, vel per vicarium eiusdem societatis dumtaxat, et non per alium, unam vel plures domum vel domos, ac ipsam societatem visitare.

Cui obediendum est tamquam Congre

§ 4. Ac ulterius volumus et mandamus ut in visitatione huiusmodi prior gene-

1 Congregationem istam seiunxit Eugenius IV in suâ Constit. XXX *Regimini*. Tom. V, pagina 70.

1 Istae literae, quae ad hunc tomum spectarent, hactenus non leguntur in *Bullario* (R. T.

2 Aptius legeretur *quorum* vel *cuius* (R. T

gationis administratori.

ralis, tam in praecedentiâ quam in aliis quibuscumque actibus publicis vel privatis, in locis et domibus Congregationis praedictae habeatur, recipiatur et honoretur ut caput, gubernator et administrator totius Ordinis sancti Augustini ab ipso vicario generali Congregationis, visitatoribus, provincialibus, prioribus et omnibus aliis fratribus; et debeant in eâdem visitatione, primum ipse vicarius generalis, deinde visitatores, provinciales, priores et alii supradicti fratres praestare illi cum effectu omnem obedientiam, ut suo superiori.

Ille vero personas etiam vicarii generalis provincialium, etc., potest visitare.

§ 5. Teneantur vicarius generalis, visitatores et alii quicumque fratres Congregationis subire et recipere praedictam visitationem, nedum quoad loca, domus et conventus Congregationis, verum etiam quoad proprias cuiusque ipsorum personas, et debeant universi, ac illorum unusquisque, obedientiam praestare priori generali in his, quae per ipsum in visitatione fuerint ordinata, necnon subiacere poenis et correctionibus, quas iuxta constitutiones dictae congregationis prior generalis illis visitando iniunxerit et imposuerit, illasque omnino adimplere et exequi debeant.

Visitator generalis Congregationis in visitatione prioris generalis non habet votum.

§ 6. Visitator Congregationis, qui vocatus a priori generali intererit visitationi, vel vicarius generalis ipse, si quando reperietur in conventu ubi fiet visitatio, assistat ipsi priori generali, ut illum informet ac certiorem faciat de statu et negociis domorum visitandarum, vitâque et moribus fratrum: verum nullam habeat vocem activam in ipsâ visitatione, et non possit ferre aut praetendere votum, nisi consultivum in his omnibus quae prior generalis voluerit decernere.

Nec interesse potest examini faciendo.

§ 7. Neque etiam possit aut debeat interesse scrutinio aut examini secreto, habendo per priorem generalem visitantem, de fratribus Congregationis, cui scrutinio seu examini ipse solus prior generalis debebit interesse.

Prior vero generalis utatur voto assistentium Ordinis,

§ 8. Assistentes Ordinis comitentur et associent priorem generalem in visitatione Congregationis, et perpetuo eidem assistant, et ipse prior generalis absque eorum consilio nihil decernere possit, iuxta formam a nobis praescriptam in litteris in formâ Brevis super deputatione eorumdem assistentium expeditis.

Qui locum habebunt ante vicarium, aliosque fratres Congregationis.

§ 9. Iidem assistentes, dum eo munere in dictâ visitatione funguntur, in quibuscumque locis et actibus eiusdem Congregationis, locum habeant, praesente priore generali, ante vicarium generalem Congregationis, ac visitatores, procuratorem, provinciales, priores et alios quoscumque fratres dictae Congregationis.

Prior autem generalis visitatorem admoneat ante mensem.

§ 10. Teneatur prior generalis, saltem per mensem ante visitationem, denunciare visitatori, quem voluerit eligere, visitationem faciendam, eiusque locum et tempus; et, si visitator vocatus recusaverit aut neglexerit in loco aut monasterio visitando intervenire, liceat eidem priori generali vocare ad eumdem officium de propinquori monasterio priorem, vel, eo absente, vicarium, et, illis adhuc accedere recusantibus, absque eorum interventu dicta loca visitare.

De praemissis observandis.

§ 11. Quocirca utrisque partibus praedictis in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae aliisque arbitrii nostri poenis districte praecipiendo mandamus, quatenus praemissa omnia et singula inviolate observent, et per eos, ad quos spectat et spectabit in futurum, observari curent et faciant.

Facultates dicti priori generali concessae.

§ 12. Et nihilominus eidem priori generali, praedictos vicarium generalem, visitatores, priores et fratres dictae Congregationis Lombardiae ad observationem praemissorum per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia cogendi et compellendi,

ac inobedientes quoscumque etiam voce activâ et passivâ, perpetuo vel ad tempus, arbitrio suo privandi, et contra illos censuras et poenas supradictas, servatâ iuris et sacrorum canonum formâ, proferendi et promulgandi facultatem impertimur; ac sententias sive poenas praemissas, quas rite tulerit seu statuerit in rebelles, ratas habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§ 13. Non obstantibus litteris nostris supradictis de mense iulii praesentis anni expeditis, ac etiam praedicti Innocentii praedecessoris privilegio et concordiâ in his quae praesentibus adversantur, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis et Congregationis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Congregationi eiusque vicario generali, aliisque superioribus et fratribus, sub quibuscumque tenoribus et formis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die XXII decembris MDCIV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 22 decembris 1604, pontif. an. XIII.

CCCLXVIII.

Capitulo et canonicis ecclesiae sancti Nicolai Barensis perpetuum silentium imponitur super facultate regi Poloniae concessa nominandi quosdam capellanos in eadem ecclesia[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Gratias a nobis piorum regum intuitu et in illorum favorem emanatas, ne aliquo tempore impugnari possint, ampliori firmitate roborandas censemus, prout eorumdem regum vota et merita exposcunt, ac aliàs in Domino conspicimus expedire.

Anna Iagellona tres capellanias in Ecclesia Barensi erigi mandavit.

§ 1. Aliàs siquidem charissimi in Christo filii nostri Sigismundi Poloniae et Svetiae regis illustris nomine nobis exposito, quod, cum aliàs clarae memoriae Bona de Vicecomitibus (dum viveret regina Poloniae et ducissa Bari) in regno neapolitano vitae suae diem clausisset extremum, similis memoriae Anna Iagellonia (etiam dum viveret regina Poloniae) eius filia curavit, corpus dictae Bonae eius matris sepeliri in ecclesiâ sancti Nicolai civitatis Barensis, ac ibidem etiam sepulturam marmoream erexit, cum sedilibus marmoreis pro canonicis, totamque capellam principalem auro et picturis exornavit, aliis etiam adhibitis ornamentis ad maximum dictae ecclesiae decorem et splendorem regiâ magnificentiâ dignissimum, factâ impensâ tredecim millium ducatorum et ultra, et insuper ordinavit ut emerentur census perpetui pro tribus capellanis, quorum singuli duas missas in hebdomadâ pro animâ dictae Bonae reginae ad altare maius dictae ecclesiae e regione dictae sepulturae situm celebrare tenerentur;

Exequi curavit Sigismundus rex, et capellanos petiit a se nominari.

§ 2. Et in eâdem expositione subiuncto, quod, cum dicta Anna regina ante factam supradictae suae voluntatis et ordinationis exequutionem ab humanis decessisset, ipse Sigismundus rex eius nepos

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

et haeres ac donatarius omnium bonorum et iurium, quae in praedicto regno neapolitano dicta Anna regina possidebat, volens piam intentionem ipsius Annae reginae ad effectum deducere, per suos ministros transegerat cum dilectis filiis sindicis et communitate dictae civitatis, ut acciperent ter mille et sexcentos ducatos monetae neapolitanae, cum pacto de retrovendendo, et ex illis solverent in singulos annos dictis tribus capellanis ad rationem ducatorum septem pro quolibet centenario, cum supradicto onere duarum missarum pro singulis in hebdomadâ pro animâ dictae Bonae reginae, quodque cupiebat dictorum capellanorum deputationem ad sui nutum fieri:

Clemens erectionem praedictam confirmaverat,

§ 3. Nos, ipsius Sigismundi votis annuentes, ac supplicationibus eius nomine nobis desuper porrectis inclinati, fundationem et dotationem per dictam Bonam reginam, ut praemittitur, factas et inde sequuta quaecumque, ac prout illa concernebant, omnia et singula in publicis desuper confectis instrumentis contenta, apostolicâ auctoritate perpetuo confirmavimus et approbavimus, illisque plenariae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiecimus[1], necnon omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplevimus;

Et cappellanos a rege nominari concesserat.

§ 4. Praeterea eidem Sigismundo regi, ac suis successoribus quibuscumque in perpetuum, ut per se vel procuratores suos pro celebratione missarum supradictarum tres sacerdotes dictae ecclesiae canonicos, toties quoties sibi videretur, eligere et deputare, et deinde ad suum et successorum suorum nutum amovere, ac eorum loco alios substituere, quibus de censu annuo sic instituto, pro ratâ temporis et servitii per eos praestiti, responderi deberet, libere et licite posset, concessimus et indulsimus, prout in nostris desuper in forma Brevis sub datum die XV octobris MDXCVII pontificatus nostri anno VI expeditis litteris plenius continetur[1].

Praedicta revocari novissime petit capitulum.

§ 5. Cum autem novissime pro parte dilectorum filiorum capituli et canonicorum eiusdem ecclesiae sancti Nicolai apud nos in Signatura nostrâ procuratum fuerit ut litteras nostras praedictas revocaremus, licet nos illorum petitionem reiecerimus;

Clemens perpetuum silentium illi imponit.

§ 6. Propterea, ne imposterum, aliquo umquam tempore, praedicti capitulum et canonici, aut alii quicumque, praedictas litteras nostras quoquo modo impugnare possint, opportune providere volentes, easdem litteras, omniaque et singula in illis contenta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmantes et approbantes, praedictis capitulo et canonicis et quibusvis aliis perpetuum super praemissis silentium imponimus.

Derogat contrariis.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, quae in praedictis litteris voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die III ianuarii MDCV, pont. nostri anno XIII.

Dat. die 3 ianuarii 1605, pontif. an. XIII.

CCCLXIX.

Confirmatio donationis et assignationis decimarum agrorum capitaneatus Lucoviensis ad mensam episcopalem Cracoviensem spectantium pro manuten-

1 Erronee edit. Main. habet *adiicimus* (R. T.).

1 Has literas require in tom. x pag. 378 h. n. edit. (R. T.).

tione vini, cerae et olei per praesulem ecclesiae praedictae illi factae[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quae pro divini cultus conservatione piorum antistitum liberali largitione sunt assignata, ea nos, pro illorum perpetuâ firmitate, libenter confirmamus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Episcopus Cracoviensis decimas Capitulo pro usu, de quo in rubricâ, concedit.

§ 1. Cum itaque (sicut pro parte dilecti filii nostri Bernardi sanctae Romanae ecclesiae presbyteri cardinalis Macziciowsky nuncupati, ecclesiae Cracoviensi ex dispensatione apostolicâ praesulis, nobis nuper expositum fuit) ipse Bernardus cardinalis et praesul, considerans hac nostrâ aetate ita crevisse et in dies magis ac magis crescere pretia rerum, ut pro vino, cerâ et oleo, quorum usus est in laudibus divinis persolvendis potissimus, proventus et redditus, per eius antecessores episcopos Cracovienses assignati, nullatenus sufficerent, sufficereque possent et valerent, praesertim cum maior eorum pars ex decimis villarum militarium proveniat, quae per nobiles regni Poloniae temere non solvuntur; idcirco, communicato consilio cum decano et capitulo ecclesiae praedictae Cracoviensis, de eorum consensu decimas manipulares omnis grani et seminis de agris et araturis regalium villarum (videlicet: Daliae Zdzarii Wolka, Grzowka, Klinilci, Krinka, Biardi, Kownatki, Brzozawieza, Ruska, Wola, Debowierzchi, Lipnialci, Zalcowa, Wola, Zbuczin, Roweze, Wisnion, Stozzck, Kaezorii, Cziosna, Baranik, et Mercha, molendinum[2] Wolka advocati molendinatoris, minera ferraria[3], aliàs Kuznieka, Domanieze, Prheworii, Chechii, Kopoie) capitaneatus Lucoviensis, ad mensam episcopalem Cracoviensem ex antiquo provenientes et spectantes, pro usu praedictae ecclesiae cathedralis, et nominatim pro vino, cerâ et oleo in perpetuum assignaverit, converterit, dederit et donaverit, nihil iuris, proprietatis et dominii, quantum ad dictam mensam episcopalem attinet, sibi et successoribus suis episcopis Cracoviensibus super eisdem decimis reservando, verum illud totum et integrum in capitulum eiusdem ecclesiae Cracoviensis, cuius curae per antecessores suos episcopos Cracoviensis provisio vini, cerae et olei ex antiquo commendata est et commissa, transfundendo, ita quod ex tunc idem capitulum, vigore dictae donationis, decimas huiusmodi ex agris et araturis supradictarum villarum, molendinorum et minerae ferri capitanaetus Lucoviensis, quae catenus ad mensam episcopalem quomodolibet spectabunt et pertinebunt[1], per dictum Bernardum cardinalem et praesulem modo praemisso pro usu ecclesiae praedictae assignatas, concessas, datas et donatas, haberet omnimodam facultatem et potestatem ab eis, a quibus competeret, decimam[2] exigendi, tollendi, percipiendi, et iure mediante, in quantum necessaria[3] foret, repetendi, exactasque et repetitas, in vinum, ceram, oleum et alios usus praefatae ecclesiae Cracoviensis, praesertim vero pro eorum subsistentiâ competenti, citra cuiusque contradictionem, convertendi temporibus perpetuis et aeviternis, prout in eiusdem Bernardi cardinalis et praesulis patentibus litteris sub datum Cracoviae die XXX iulii MDCIV desuper expeditis, plenius dicitur contineri;

§ 2. Cumque dictus Bernardus cardinalis et praesul cupiat assignationem et

Donationemque huiusmodi petit confirmari.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Fort. legend. *molendinorum*, ut infra (R. T.).
3 Fort. legend. *minerae ferrariae* (R. T.).

1 Fort. legend. *spectabant* et pertinebant (R. T.)
2 Vox ista *decimam* abundans videtur (R. T.).
3 Videretur legendum *necessarium* (R. T.).

donationem dictarum decimarum ab ipso praedictae suae ecclesiae, ut praefertur, factas, pro illarum maiori validitate apostolicae nostrae confirmationis praesidio communiri:

Confirmat Clemens.

§ 3. Nos, illius pietatem summopere in Domino commendantes, ac eius piis votis annuere cupientes, patentiumque illius litterarum praedictarum tenorem, ac si ad verbum insereretur, praesentibus pro expresso habentes, supplicationibus ipsius Bernardi cardinalis super hoc nobis humiliter porrectis inclinati, assignationem et donationem supradictas, ac patentes eius litteras desuper confectas huiusmodi, et in illis contenta et inde sequuta quaecumque, auctoritate apostolicâ tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, ac perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robore communimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper in illis intervenerint, supplemus, illasque perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per successores eiusdem Bernardi episcopi cardinalis, dictae ecclesiae Cracoviensis praesules vel administratores, et alios quoscumque, ad quos spectabit, inviolate observari debere.

Clausulae.

§ 4. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Pauli II, et quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliis queconstitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eiusdem ecclesiae Cracoviensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XV ianuarii MDCV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 15 ianuarii 1605, an. pontif. XIII.

CCCLXX.

Adhortatio ad Monachi dominum ut episcopo Vintimiliensi opem ferat ad usuras in sua ditione extirpandas[1].

Dilecto filio nobili viro Herculi Honorato Monachi domino

Clemens Papa VIII.

Dilecte fili, nobilis vir, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Non mediocri dolore nuper affecti sumus, cum intelleximus, in tuâ Monachi ditione passim usuram, non sine fidei catholicae dedecore multorumque scandalo, exerceri.

Monachi usurae exercebantur.

§ 2. Quae, cum christianae charitati, atque humanis divinisque legibus omnino repugnet, atque ad eam extirpandam venerabili fratri Stephano episcopo Vintimiliensi, ut toto pectore in huius sceleris extirpationem incumbat, mandaverimus;

Clemens episcopum Vintimiliensem monuit, ut eas extirparet.

§ 3. Nos pro nostrâ pastorali sollicitudine, qua vitia ex hominum mentibus evelli virtutesque inseri optamus, ex voto etiam venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum, te hortamur, ut pios hosce conatus tuâ auctoritate non solum fulcire et defendere, sed etiam promovere et adiuvare velis; sic enim pauperum tibi subditorum, quo-

Nunc hortatur dominum temporalem, ut ei opem ferat.

1. Ex Regest. in Secret. Brev.

rum sanguis et sudores isto iniquo foenore, quasi hirudine, ab avarissimis hominibus exsuguntur, miseriam sublevabis, eorumque erga te amorem conciliabis, atque apud Deum gratiam promereberis.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXVI ianuarii MDCV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 26 ianuarii 1605, pontif. ann. XIII.

CCCLXXI.

In idem argumentum duci et gubernatoribus Reipublicae Genuensis[1].

Dilectis filiis, nobilibus viris, duci et gubernatoribus reipublicae Ianuensis

Clemens Papa VIII.

Dilecti filii, nobiles viri, salutem et apostolicam benedictionem.

Usura divinis humanisque legibus proscripta.

Quam perniciosa sit in omni republicâ bonis temperatâ legibus omnis iniqui foenoris exercitatio, non humanae solum, sed etiam divinae leges saepissime nos docent, quae procul ab hominum consortio eiusmodi crimen arcendum esse statuerunt.

Mandatum episcopo Ventimiliensi ut eam ex sua dioecesi arceret.

§ 1. Quare non mediocriter praeteritis hisce diebus doluimus, cum intelleximus in civitate Ventimiliensi ac per totam fere illius dioecesim, instigante humani generis adversario, usuram, non sine multorum scandalo, animarum periculo et pauperum detrimento, exerceri. Quam, cum nos, pro pastorali sollicitudine et paternâ nostrâ in omnes christifideles charitate, funditus tolli, penitusque extirpari optemus, atque venerabili fratri Stephano episcopo Ventimiliensi, ut in hoc omni adhibitâ diligentiâ incumbat, mandaverimus;

Genuenses monentur, ut ei opem ferant.

§ 2. Tamen, quia id sine vestro auxilio commode praestare non potest; propterea, ex voto venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacri Tridentini Concilii interpretum, vos in Domino hortamur, ut quotiescumque opus fuerit, et idem Stephanus episcopus postulaverit, opera necessaria in istius exitiosi foenoris extirpationem ei adferre studeatis. Sic enim reipublicae vestrae subditis, qui ab avarissimis istis hominibus opprimuntur, consuletis, fidemque vestram erga Deum manifestabitis, ac nobis gratissimum feceritis.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXVI ianuarii MDCV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die annoque eisdem.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

CCCLXXII.

In idem argumentum Duci Sabaudiae[1]

Dilecto filio, nobili viro, Emanueli Philiberto Sabaudiae Duci

Clemens Papa VIII

Dilecte fili, nobilis vir, salutem et apostolicam benedictionem.

Ducis solius et pietas, commendatur.

Tanta est totius orbis christiani et nostra de nobilitatis tuae pietate, atque in religione catholicâ fide et zelo existimatio, ut cum agitur aut de eâdem religione conservandâ, aut de vitiis et sceleribus, quae huic adversantur, extirpandis opem tuam nobis certo affuturam esse promittamus.

Mandatum episcopo Ventimiliensi, ut foe-

Cum igitur nuper non sine animi nostri dolore audiverimus in nonnullis locis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Dux a sua dioecesi arceat. tuae ditioni subiectis sub episcopatu Ventimiliensi usuras contra sacrorum canonum constitutiones non sine fidelium scandalo et magno cum detrimento pauperum exerceri, cumque venerabili fratri Stephano episcopo Ventimiliensi ante omnia mandaverimus, ut populum fidei et custodiae suae commissum ab isto flagitio revocare studeat, neque id sine nobilitatis tuae auxilio facere possit; hac de causâ, ex voto etiam venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum, te hortamur et obsecramus

Monetur Dux ut ei praesto sit. in Domino, ut pro tuâ in Deum fide, in subditos tuos amore, atque erga nos et Sedem Apostolicam observantiâ, eidem episcopo in hoc unum totis viribus laboranti auxilium praebere, tuâque auctoritate adiuvare, ac renitentes minis poenisque ad hoc impellere velis. Quo maximam de tuâ pietate apud omnes existimationem vehementer auxeris nobisque gratissimum feceris.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXVI ianuarii MDCV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die et anno, quibus supra.

CCCLXXIII.

Sequitur ad dominum Dulcis Aquae [1].

Dilecto Filio, nobili viro, Imperiali Doria Dulcis Aquae domino Clemens Papa VIII.

Dilecte fili, nobilis vir, salutem et apostolicam benedictionem.

In ditione Dulcisaquae foenus exercitum. Nuper intelleximus in tuâ Dulcis Aquae ditione foenus contra omnis humani, divinique iuris aequitatem exerceri: quae tua ditio cum sub Ventimiliensis ecclesiae ditione posita sit, atque venerabili fratri Stephano episcopo dictae ecclesiae, ut pro pastorali officio, quo animas lucrifacere atque a vitiis revocare tenetur, ad eam extirpandam funditusque tollendam totis animi corporisque viribus incumbat, mandaverimus; nos, pro nostrâ paternâ erga te tuosque subditos charitate, ex voto etiam venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum, nobilitatem tuam hortamur in Domino, ut eum, in hoc unum laborantem, non solum tuâ auctoritate tueri, sed etiam auxilio atque omni ope iuvare velis, ut communi consensu coniunctisque viribus vitium istud Deo et hominibus exorsum ex istâ provinciâ expellas, tuosque subditos ad virtutem et iustitiam colendam excites, quo et pauperes istius ditionis tuae gravissimo onere oppressos liberabis, et gratiam apud nos atque apud Deum omnipotentem tibi comparabis. Dux episcopo ad laboret ad illud extirpandum.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die XXVI ianuarii MDCV, pontificatus nostri, anno XIII.

Dat. die 26 ianuarii 1605, pontif. an. XIII.

CCCLXXIV.

Monasteria omnia monialium Ordinis sancti Benedicti, in partibus Prussiae, Poloniae et Lituaniae existentia, locorum Ordinariis subiiciuntur, cum privilegiorum ac indulgentiarum concessione [1].

Dilectis in Christo filiabus Magdalenae a Mortang abbatissae et conventui mona-

1 Ex regest. in Secret. Brev.

sterii Ordinis S. Benedicti civitatis Culmensis

Clemens Papa VIII.

Dilectae in Christo filiae, salutem et apostolicam benedictionem.

Monasteria Culmense et Torunense ad miserrimum redacta statum.

§ 1. Vestro nomine nobis nuper expositum fuit, quod in regno Poloniae ab anno usque MCCLXV primum monasterium sub regulâ S. Benedicti in Prussiâ dioecesis Culmensis erectum fuit, necnon de anno MCDXV in eâdem dioecesi aliud monasterium ex praedicto Culmensi, a quo primarie regulam vivendi suscepit, in oppido Toruniae productum extitit; verum, subsequutis bellis, et saepissime in eâ provinciâ grassante peste, et novissime subortis haeresibus, ambo haec monasteria suis possessionibus ita spoliata, et eo redacta fuerint, ut anno MDLXXVIII in monasterio Culmensi una tantum virgo dicti Ordinis S. Benedicti remanserit; Torunense vero monasterium, mortuis omnibus monialibus, ab haereticis plane devastatum fuerit, omnia privilegia sublata, et omnia bona in haereticorum potestatem redacta extiterint.

Culmense restitutum a Magdalena Mortaug.

§ 2. Hoc in deplorando statu cum reperirentur dicta monasteria, tu, filia Magdalena, de nobili genere nata, invito parente ac spretis nuptiis et sponso tibi iam praeparatis, ad Culmense monasterium desolatum confugisti, et in eo cum nonnullis aliis virginibus, quas tecum duxeras, sub regulâ S. Benedicti ad perpetua obsequia Deo bonorum omnium auctori mancipari voluisti.

Episcopus eam abbatissam eligit.

§ 3. Venerabilis vero frater episcopus Culmensis loci Ordinarius tam sancto tuo desiderio motus, te cum[1] aliis duodecim virginibus Deo consecravit, teque abbatissam creavit.

1 Edit. Main. habet *tecum aliis*, etc., erronee ut patet (R. T.).

Restitutum etiam monasterium Torunense.

§ 4 Deinde adeo crevit istud monasterium Culmense, quod de anno MDLXXXVII, ex auctoritate dicti loci Ordinarii, tu viginti octo puellas religiosas ex eodem monasterio ad monasterium Torunense, ereptis prius de manibus haereticorum summâ cum difficultate possessionibus, misisti, ubi nunc, benedicente Domino, quadraginta numerum excedunt.

Erectum quoque monasterium Zarnoveciae,

§ 5. Porro ex Apostolicae Sedis auctoritate, ad instantiam venerabilis fratris episcopi Wladislaviensis, anno MDXC viginti tres moniales consecratae ad novum monasterium Zarnoveciae extructum deducuntur, ubi modo triginta tres moniales numerantur.

Et in Oppido Niedvicii.

§ 6. In Lituaniam quoque, ex eâdem Apostolicae Sedis auctoritate, supplicante dilecto filio nobili viro Nicolao duce Olicensi, decem moniales professae, pro novi monasterii in oppido Niedvicii erecti instructione, missae fuerunt, ac alia plura eiusdem Ordinis monasteria tamquam a primario fonte emanarunt.

Ea omnia sub eadem regula, et Ordinariorum iurisdictione regi petitur.

§ 7. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, vos pro vestrâ in Deum pietate et religionis zelo cupiatis, tam vestrum monasterium, quam alia quaecumque, quae ex illo in pradicto Poloniae regno emanarunt, et deinceps erigentur, sub unâ et eâdem regulae observantiâ, sub locorum Ordinariorum curâ et regimine, perpetuo gubernari;

Clemens monasteria omnia Ordinis S. Benedicti in Polonia, et Lithuania curae Ordinariorum committit.

§ 8. Nos pium hoc vestrum desiderium summopere in Domino commendantes, vosque et aliorum singulorum monasteriorum praedictorum abbatissas et conventus specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac vestrum et earum singulas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existitis, ad effectum praesentium

dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus vestro nomine nobis per dilectum filium Ioannem Krajewsky, concionatorem vestri monasterii, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, vestrum Culmense, ac Torunense, Zarnoveicense, Nieswieziense, et alia quaecumque Ordinis S. Benedicti monasteria ubilibet in regno Poloniae instituta, et pro tempore instituenda, curae, gubernio et regimini, tam in spiritualibus quam in temporalibus, Ordinariorum locorum, in quorum dioecesibus respective constituta sunt, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo subiicimus et supponimus; ita ut ab aliorum quorumcumque, etiam eiusdem Ordinis S. Benedicti, religiosorum superioritate et obedientià perpetuo libera et exempta sint et esse censeantur.

Mandatque abbatissis et monialibus, ut eis pareant.

§ 9. Mandantes in virtute sanctae obedientiae tam vobis, quam singulorum monasteriorum praedictorum abbatissis et conventibus, ut ipsos locorum Ordinarios in vestros superiores recognoscatis, eisque obedientiam et reverentiam debitas et devotas prompte exhibeatis.

Institutumque reformationis nuncio apostolico approbandum committit.

§ 10. Ut autem omnia monasteria supradicta sub unà et eàdem regulari observantià, ut par est, perpetuo degant, volumus et ordinamus, ut institutum reformationis vestri monasterii (per dilectum filium nostrum et Apostolicae Sedis in regno Poloniae nuncium, seu ab eo subdelegandum, adhibitis etiam piis et religiosis viris, diligenter examinandum, et, quatenus sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis et regulae S. Benedicti, iuxta rationabilem consuetudinem septemtrionalium conforme existat, per illius diploma probandum), si et postquam approbatum fuerit, in singulis monasteriis praedictis recipiatur, et perpetuo observetur.

Hisce monasteriis privilegia omnia monasteriorum Ordinis sancti Benedicti concedit.

§ 11. Caeterum omnibus et singulis monasteriis praedictis, quae institutum reformationis huiusmodi, ut praefertur, apostolicâ auctoritate approbatum, acceptaverint et observaverint, earumque abbatissis, conventibus, monialibus, conversis, famulis et personis quibuscumque, ut omnibus et singulis gratiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, praerogativis, privilegiis, indultis et indulgentiis, quibus alia eiusdem Ordinis S. Benedicti monialium monasteria, etiam sub curâ et gubernio monachorum eiusdem Ordinis existentia, de iure, usu, consuetudine, privilegio, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, sine aliquâ prorsus differentiâ uti, frui et gaudere possint et debeant, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo concedimus et indulgemus;

Indulgentias virginibus in iis monasteriis degentibus elargitur.

§ 12. Insuper universis et singulis, tam in vestro quam in aliis supradictis monasteriis degentibus virginibus saecularibus, educationis vel aliâ causâ, et in spiritualibus exercitiis, seu in oratorio, seu in ecclesiâ, ex modo ab eàdem magistrâ prescribendo, se exercentibus, semel in anno, uno die per dictam magistram respective eligendo, si vere poenitentes et confessae, ac sanctissimo Eucaristiae Sacramento refectae fuerint, pro primo anno plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus: pro reliquis vero annis, usque ad annum iubilaei exclusive, quindecim annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis poenitentis, in formà Ecclesiae consuetâ, relaxamus.

Horum omnium exequutionem nuncio apostolico et episcopis Culmensi et Uladislaviensi delegat.

§ 13. Quocirca dicto nostro et Apostolicae Sedis in regno Poloniae nuncio ac venerabilibus fratribus Culmensi et Uladislaviensi episcopis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel alium,

seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte vestrâ aut aliquarum ex monasteriis praedictis abbatissarum et monialium fuerint requisiti, solemniter pubblicantes, vobisque et eis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ vos et alias praedictas eorumdem praemissorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes vos et illas desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari: contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria tollit.

§ 14. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis, auctoritate praesentium, ad iudicium non trahatur, ac nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus, ac monasteriorum et Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis in contrarium praemissorum, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die IV februarii MDCV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 4 februarii 1605, pontif. an. XIII.

CCCLXXV.

Militiis regularibus regnorum Portugalliae et Algarbiorum, quibus Gregorius XIII indulserat ut causae appellationum ab earum conservatore in Romana tantum Curia cognosci possent, conceditur ut eae tantum causae appellationum in Romana Curia cognoscantur, quae sunt magni momenti, et in quibus de perpetuo ipsarum Militiarum praeiudicio agitur.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Portugalliae et Algarbiorum regi catholico Clemens Papa VIII.

Charissime in Christo, fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Gregorius XIII militibus concessit, ut a declarum militiarum conservatorum sententiis ad Romanum Pontificem dumtaxat posset appellare.

Maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, quod aliàs clarae memoriae Sebastianus Portugalliae et Algarbiorum rex a felicis recordationis Gregorio Papa XIII, praedecessore nostro, speciale indultum obtinuit, per quod ipse Gregorius praedecessor dicto Sebastiano regi, militiarum Iesu Christi sancti Iacobi de Spatha et de Avis, Cisterciensis et sancti Augustini respective Ordinum, regnorum Portugalliae et Algarbiorum, tunc perpetuo administratori, dictisque militiis inter alia concessit, ut a generalis illarum conservatoris sententiis non posset appellari ad legatos et nuncios Apostolicae Sedis, sed ad ipsum immediate Romanum Pontificem, et Apostolicam Sedem[1], prout pridem recolendae memoriae Pius Papa V praedecessor noster inclytae memoriae Philippo II Hispania-

1 In *Bullario Rom.* tom. VIII pag. 109 h. n. edit. habetur Greg. XIII Const. XLIII circa privilegia praedictis militiis concessa, sed diploma, de quo hic agitur, ibidem non extat (R. T.).

rum regi catholico, ac militiis regularibus regnorum Castellae, concesserat[1]; seu indultum huiusmodi, a Pio V praedecessore dictis Philippo regi et militiis regni Castellae concessum, ad Sebastianum regem et militias Portugalliae per communicationem extendit, prout in litteris dicti Gregorii praedecessoris desuper expeditis plenius continetur.

Contra nonnullas tamen sententias a dictis conservatoribus prolatas appellatum fuerat,

§ 2. Licet autem huiusmodi indultum, occasione bellorum, pestis et aliarum perturbationum dictorum regnorum Portugalliae et Algarbiorum, quae diu viguerunt, ab initio usu recipi non potuerit, postea tamen, illis sedatis, cum ad notitiam ministrorum dictarum militiarum devenisset, ac praelatis eorumdem regnorum solemniter intimatum fuisset, et conservatores earumdem militiarum pro tempore existentes super violentiis, personis et rebus earumdem militiarum factis varias sententias protulissent, ab iisque partes adversae appellassent, procurator generalis earumdem militiarum, pro parte maiestatis tuae, quae dictarum militiarum perpetuus administrator, apostolicâ auctoritate, deputatus existis, a praedictis conservatoribus instantissime petiit, ut praedictum indultum apostolicum, iuxta illius tenorem, observarent, nec de caetero appellationes praedictas, nisi immediate ad Romanum Pontificem et Apostolicam Sedem admitterent.

Et plures controversiae obortae inter huiusmodi privilegii conservatores et collectorem spoliorum Camerae Apostolicae.

§ 3. Sed quia dilectus filius spoliorum ac iurium Camerae nostrae Apostolicae in eisdem regnis collector generalis, vigore facultatum sibi per nos concessarum, nonnullas causas appellationum huiusmodi, praedicto indulto non obstante, auditori suo commisit; propterea inter ipsos conservatores ex unâ, et auditorem dicti collectoris ex alterâ partibus, graves discordiae dissensionesque exortae, ac plures inhibitiones hinc inde emanatae, et censurae ecclesiasticae vicissim promulgatae, magno cum christifidelium illarum partium scandalo, extiterunt.

Clemens eidem collectori concesserat ut causas appellationum cognosceret.

§ 4. Nos vero per nostras in formâ Brevis litteras eidem collectori specialem facultatem concessimus ut causas appellationum a sententiis, decretis et mandatis quibuscumque conservatoris seu conservatorum militiarum praedictarum ad nos et Apostolicam Sedem, tam eatenus interpositarum quam deinceps interponendarum, audire, cognoscere et, prout iuris foret, terminare valeret, prout in eisdem nostris litteris etiam plenius continetur[1].

Philippus rex Gregorii privilegium petit confirmari.

§ 5. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, maiestas tua cupiat huiusmodi indultum a Gregorio praedecessore concessum, seu communicatum, militiis regnorum Portugalliae pro earumdem militiarum conservatione et totius regni quiete, ex nostrâ permissione et approbatione deinceps perpetuo observari, cum praesertim experientia doceat ex simili indulto, quod in regnis Castellae in viridi observantiâ existit, militias dictorum regnorum magnâ cum pace et concordiâ gubernari, neque aliquas dictorum regnorum personas super hoc unquam conquerit; contra vero dictis militiis Portugalliae multa damna et incommoda in rebus et iurisdictionibus earum inferri ob eiusdem indulti inobservantiam: propterea nobis eiusdem maiestatis tuae nomine fuit humiliter supplicatum ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Clemens concedit prout in rubrica indicatur.

§ 6. Nos igitur, qui honestis maiestatis tuae votis, ob eius eximia in nos et Apostolicam Sedem merita, quantum cum Domino possumus, libenter annuimus, litterarum Gregorii praedecessoris ac no-

1 Etiam hoc Pii V indultum hucusque exulat a *Bullario* (R. T.).

1 Has quoque literas in *Bullario* ne requiras (R. T.).

strarum supradictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, ac ex certâ nostrâ scientiâ, et matura deliberatione praehabitâ, et totâ etiam re cum dilectis filiis nostris Camillo sancti Chrysogoni Burghesio ac Pompeio sanctae Balbinae titulorum, S. R. E. cardinalium, diligenter communicata, ex illorum voto ac scientiâ, indultum praedictum a Gregorio praedecessore concessum, quoad infrascripta confirmantes et innovantes, maiestatis tuae ac praedictis militiis regnorum Portugalliae et Algarbiorum,

Ideoque statuit causas appellationum, si de praecipuis rebus agatur, in Romana curia tantummodo esse cognoscendas et terminandas.

auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus, ut causae appellationum, quae a sententiis conservatoris seu conservatorum dictarum militiarum ad nos et Apostolicam Sedem interponuntur, eae nimirum, in quibus agitur de perpetuo praeiudicio, et quae non sunt modici momenti, in Romanâ Curiâ cum effectu cognosci et terminari debeant, ita ut in illis tam collector generalis quam nuncius, et etiam de latere legatus Sedis Apostolicae in eisdem regnis pro tempore existens, vigore facultatum sibi concedendarum nullatenus sese intromittere possint, nullam in illis audiendis et cognoscendis auctoritatem vel facultatem habeant; hac tamen adiectâ lege, quod, pendente appellatione, ipse collector seu nuncius aut legatus dicto conservatori, a quo appellatum fuerit, sub censuris et poenis inhibere valeat, ne, pendente appellatione, seu termino dato a iure ad appellandum vel ad appellationem prosequendam, aliquid attentet; quodque, si conservator ipse aliquid attentaverit, tunc collector seu nuncius aut legatus praedictus, ne aliquid innovetur providere, ac omnia et quaecumque attentata revocare, omniaque in pristinum ac in eisdem, in quibus antea erant, statum et terminum restituere libere valeat:

In causis vero levioris momenti a conservatoribus ad collectorem praedictum vult appellari.

§ 7. Et ulterius (ne indifferenter quaecumque causae, etiam modici momenti, cum magno partium dispendio in Romanâ Curiâ sint prosequendae), ut ipse collector vel nuncius seu legatus caeteras causas appellationum a sententiis dicti conservatoris, in quibus non agitur de perpetuo praeiudicio, et eas etiam, quae modici fuerint momenti, infra valorem nimirum tringinta ducatorum auri de Camerâ inclusive, licet in his de perpetuo praeiudicio agatur, cognoscere et terminare possit; super quibus omnibus et singulis plenam, liberam et amplam illis facultatem et auctoritatem impertimur.

Clausulae.

§ 8. Decernentes supradictum indultum Gregorii praedecessoris ad praesentium praescriptum moderatum et declaratum esse et censeri, ac ita, et non aliter, in praemissis causis appellationum ab omnibus, ad quos spectabit, observari debere, praesentesque litteras de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, aut ullo umquam tempore infringi, retractari, revocari, suspendi, limitari, aut in ius vel controversiam vocari posse, sed semper ac perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; ac ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praedictis litteris nostris, nec non omnibus illis, quae praedictus Gregorius praedecessor in eius litteris praedictis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscu-

que. Caeterum per easdem praesentes non intendimus nostras ac successorum nostrorum Romanorum Pontificum manus ligare, quominus aliquas ex eisdem causis appellationum, quandocumque nobis vel ipsis expedire visum fuerit, collectori, aut nuncio, vel legato Sedis Apostolicae, aut alio cuicumque iudici in partibus audiendas, cognoscendas et fine debito terminandas, per speciale rescriptum committere valeamus.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die IV februaii MDCV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 4 februarii 1605, pontif. an. XIII.

CCCLXXVI.

Iurisdictio vicarii Papae in Urbe cognoscendi quascumque causas archihospitalis S. Spiritus in Saxia.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius constitutionis.

Cum, sicut accepimus; archihospitale nostrum S. Spiritus in Saxia de Urbe, Ordinis S. Augustini, maximum damnum patiatur, cum coram diversis iudicibus litigare cogitur, cum eius procuratores ac advocati saepe ac saepius, unâ et eâdem horâ coram pluribus iudicibus comparere pro defensione causarum dicti archihospitalis teneantur, quo fit ut pluries ob eorum non comparitionem retardentur expeditiones; seu etiam quandoque in eorum contumaciâ accelerentur, in non leve damnum dicti archihospitalis; et, licet felicis recordationis Clemens VII et Paulus IV, Romani Pontifices praedecessores nostri tunc existentes, suos in almâ Urbe vicarios in iudices[1] causarum dicti archihospitalis deputaverint[1], nihilominus hoc privilegium in desuetudinem venerit:

Omnes causas interesse archihospitalis eiusque personarum concernentes ad se avocat Clemens;

§ 1. Nos eiusdem archihospitalis utilitati et commoditati prospicere, et ut eius bona et iura quaecumque conserventur, ac in pauperum infirmorum et alios pios, prout deputata esse noscuntur, et non alios usus debite convertantur salubriter providere volentes, motu proprio, et ex certâ nostrâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, litteras seu motus proprios dictorum Clementis et Pauli praedecessorum harum serie confirmantes et innovantes, omnes et singulas causas civiles, beneficiales, matrimoniales et spirituales, ac profanas, criminales et mixtas, ac alias quascumque inter dictum archihospitale illiusque praeceptorem, fratres, ministros, factores, agentes, vel alios quoquo modo dicti archihospitali inservientes, nec non proiectos seu expositos vel expositas in eodem archihospitali degentes, seu qui vel quae inde egressae sunt et nuptui traditae ex unâ, et quascumque alias personas, cuiuscumque status, gradus, dignitatis, ordinis, conditionis et praeeminentiae existentes, universitates, societates, congregationes, monasteria et alia loca pia, et suos iudices particulares, etiam ex concessione, seu speciali commissione, vel deputatione nostrâ, vel aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum habentes seu habentia, et alios quoscumque[2], tam active quam passive vertentes, a quibuscumque iudicibus, Camerae auditore (etiam si agatur vigore obligationis cameralis), vicario, gubernatore, senatore Urbis, illorumque locatenentibus, collateralibus et iudicibus, ac dictae Urbis causarum appellationum ca-

1 Sic legimus ex utraque edit. Cherub., nam erronee edit. Main. habet *in Iudice* (R. T.).

1 Tum Clem. VII, tum Pauli IV litterae praecitatae non leguntur in *Bull.* (R. T.).

2 Heic videretur inserendum comma *ex alterâ partibus*, quod deest etiam in utrâque edit. Cherub. (R. T.).

pitaneo, et a quibusvis consulibus, etiam artis agriculturae, camerario, Ripae et Ripettae burgi gubernatore, et Sacri Palatii causarum auditoribus, et eiusdem S. R. E. cardinalibus etiam cuiusvis collegii, societatis, universitatis, monasterii, seu alterius cuiusvis loci pii, etiam neophytorum, protectoribus specialiter deputatis, aliisque iudicibus ordinariis seu delegatis quibuscumque motas et pendentes de et super statu et bonis stabilibus, mobilibus, semoventibus, iuribus et actionibus quibuscumque, etiam occasione damnorum datorum, tam praedicti hospitalis, quam fratrum dicti Ordinis, expositorum, infirmorum[1] in dicto archihospitali decedentium, qui aliquid dicto archihospitali, sive per viam institutionis, vel legati, seu ab intestato, vel alio quocumque titulo reliquerint, aliorumque ministrorum, agentium, factorum, aliorumque dicto archihospitali quoquo modo inservientium[2], ac quibuscumque locationibus, venditionibus, legatis, fideicommissis, testamentis, haereditatibus ac illorum discussionibus, atque quorumcumque iurium et actionum cessionibus, aliisque inter vivos contractibus (etiam vigore obligationis in formâ Camerae), exequutionibus et revocationibus, bonis, rebus, iuribus et actionibus ad dictum archihospitale spectantibus[3], et in quibus ipsum archihospitale seu personae supradictae quoquo modo interesse habent seu praetendunt, tam in Romanâ Curiâ, quam extra eam ubivis locorum (quorum omnium et singulorum status et merita ac nomina et cognomina iudicum et collitigantium praesentibus pro expressis haberi volumus), in quacumque instantiâ, ac in eisdem statu et terminis, in quibus reperiuntur, ad nos harum serie avocamus;

Illasque vicario Papae in Urbe tradit cognoscendas;

§ 2. Illasque, necnon alias in futurum quandocumque perpetuis futuris temporibus movendas, cum omnibus et singulis illarum incidentiis, dependentiis, annexis et connexis, tibi moderno et pro tempore existenti nostro in almâ Urbe eiusque districtu vicario, per te ipsum, seu per praelatum doctrinâ et integritate praeditum a te deputandum, et toties quoties tibi videbitur removendum, et alium in eius locum subrogandum (qui tamen non sit tuus vicesgerens neque locumtenens, qui aliis variis negociis impediti dictarum causarum expeditioni, singulis horis, prout necessitas requirit, vacare non poterunt), quoad causas minores[1] movendas[2], summarie, simpliciter, de plano, solâ facti veritate inspectâ, et nullis etiam terminis substantialibus servatis, et sine registri confectione, etiamque si de quacumque summâ excedente tuam iurisdictionem agatur, ac alias iuxta ordinarias facultates et iurisdictionem tibi per nos attributas, et secundum iustitiam et aequitatem (et quacumque etiam appellatione remotâ, si causae huiusmodi a te ipso cognoscentur et terminabuntur, si autem huiusmodi causae a praelato a te deputando cognoscentur, et causae ipsae erunt appellabiles, semel tantum ad te recursum haberi liceat, et causae huiusmodi per viam revisionis per te ipsum vel alium a te deputandum terminari debeant) cognoscendâs, decidendâs, fineque debito terminandâs[3],

Quae si per eum cognoscantur, non datur appellatio, si cognoscantur ab eius delegato, ad ipsum vicarium semel appellari possit.

1 Utraque editio Cherubin. legit *infirmorumque* (R. T.).

2 Edit. Main. et Cherub. Rom. habet *inservientes*; erronee, ut videtur (R. T.).

3 Edit. Main. et Cherub. Rom. legunt *spectantes*; at rectius, ut videtur, edit. Cherub. Lugdun. legit *spectantibus* (R. T.).

1 Utraque edit. Cherub. legit *minorum*; minus recte, ut videtur (R. T.).

2 Haec clausula restrictiva *quoad causas minores movendas* videtur afficere id quod dictum fuit illas posse vicarium Papae iudicare per alium, nam maiores debebat per se ipsum (R. T.).

3 In *Bull.* Main. haec omnia verba breviata

privative quoad alios quoscumque iudices supradictos et quemlibet ipsorum, committimus et mandamus.

Alteri committi non possint.

§ 3. Et ne de caetero causae archihospitalis, et illius praeceptoris, et conventus, ac personarum huiusmodi, activae vel passivae, alteri, quam tibi, committi possint[1]; et quidquid secus a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Facultas in curia et extra eam citandi, inhibendi et inobedientes coercendi,

§ 4. Et insuper tibi, per te vel praelatum a te deputandum praedictum quoscumque, quorum interent, tam in Romanâ Curiâ quam extra eam, etiam per edictum publicum, constito tibi summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu, citandi, ac illis, necnon quibuslibet, toties quoties opus fuerit, etiam simili edicto, etiam sub sententiis ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis poenis, arbitrio tuo moderandis et applicandis, inhibendi, ac in eventum non paritionis ad declarationem incursus censurarum et poenarum huiusmodi, illarumque aggravationem et reaggravationem, necnon invocationem brachii saecularis auxilii, et interdicti relaxationem,

Testes ad perhibendum testimonium cogendi,

§ 5. Necnon testes ad perhibendum testimonium veritatis sub similibus censuris et poenis cogendi et compellendi, ac sententias, per te vel per praelatum a te deputandum latas, necnon omnia et singula, per te aut illum pro tempore decisa et terminata, decreta, quibusvis exceptionibus et appellationibus non obstantibus, etiam per tuum simplex mandatum exequutivum, tuo etiam sub parvo sigillo, regulâ contrariâ non obstante, decernendi et exequendi,

Sententias exequendi,

leguntur *cognoscen. deciden. terminan.*; nos intelligimus *causas cognoscendas*, etc., *tibi committimus et mandamus*; nisi quis velit potius subintelligere *causas cognoscendi*, etc. *tibi committimus* facultatem (R. T.).

1 Nescio adiungendum foret *inhibemus* (R. T.).

Expensas taxandi,

§ 6. Expensasque taxandi et fructus liquidandi et exequutioni debitae demandandi, seu demandari faciendi,

Contradictores compescendi.

§ 7. Et contradictores quoscumque et rebelles per easdem censuras et poenas, et alia iuris remedia, appellatione postpositâ, compescendi,

Remissorias dandi,

§ 8. Litterasque remissioriales ad partes, quoties et quando necesse et tibi aliàs visum fuerit, tuo arbitrio, etiam sub simili sigillo, regulâ pariformiter contrariâ non obstante, decernendi,

Notarium deputandi.

§ 9. Necnon unum ex quatuor notariis tui tribunalis, arbitrio praeceptoris dicti archihospitalis eligendum, in causis huiusmodi deputandi,

Singulis diebus procedendi.

§ 10. Ac in eisdem causis singulis diebus feriatis, praeterquam Dominicis et aliis festivis de praecepto, et[1] (quando videlicet dictum archihospitale erit actor) procedendi, ac omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna, faciendi, gerendi et exequendi, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus plenam et liberam facultatem concedimus et impertimur.

Per quoscumque cursores et mandatarios citandi.

§ 11. Statuentes quod citationes in causis praedictis exequi possint per quoscumque cursores et mandatarios Urbis iuxta placitum procuratoris dicti archihospitalis;

Ac, dilationibus et significationibus aliorum iudicum non obstantibus, mandata exequendi.

§ 12. Quodque nullae inhibitiones, non gravetur, supersessoriae, dilationes etiam quinquennales, et in vim motus proprii Pii V a quibusvis iudicibus, etiam causarum Camerae Apostolicae auditore, et a praesidente visitationis carcerum, sub quibusvis tenoribus et formis, praeterquam a te concessae, aliquibus suffragentur, sed illis minime obstantibus exequutio mandatorum ad favorem eiusdem archihospitalis concessorum fieri valeat.

Clausulae praeservativae.

§ 13. Ac decernentes praesentes litteras

1 Particula *et* redundare videtur (R. T.).

de subreptionis et obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, aut infringi, revocari, retractari, suspendi vel limitari nullatenus posse; sed semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate), iudicari et definire debere; ac irritum et inane quicquid secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 14. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dictis, et quibusvis aliis constitutionibus, ordinationibus, et praesertim motu proprio populo romano concesso, statutisque novis Urbis, reformationibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, dictae Urbi ac quibuscumque aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam per vim et modum contractus et capitulorum, et in formâ motus proprii, etiam in favorem cursorum nostrorum, stylo Palatii, feriis generalibus de mandato felicis recordationis Pauli Papae IV, etiam praedecessoris nostri, usque ad kalendas octobris indictis, et in futurum indicendis, ac omnibus aliis et singulis in contrarium praemissorum quomodolibet confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x februarii MDCV, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 10 februarii 1605, anno XIV.

LEO XI

PAPA CCXXXIV

Anno Christi MDCV.

Alexander Mediceus electus est in Romanum Pontificem kalendis aprilis anno MDCV, et Leonis XI nomen assumpsit. Quinto autem kalendas maias defunctus, septimo supra vicesimum Pontificatus sui die, imperante Rodulpho II, sepultus est ad sanctum Petrum. Vacavit Sedes dies XVIII.

I.

Declarat per saecularizationem ecclesiae S. Vincentii de Cardona, Ordinis Canonicorum S. Augustini Urgellensis dioecesis, nullum praeiudicium illatum fuisse abbati, quoad iurisdictionem civilem et criminalem super canonicos eiusdem ecclesiae et collegiatae S. Iacobi de Calaff Vicensis dioecesis[1].

Leo Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis apostolici muneris debito ius suum unicuique conservare tenemur, et ad hunc effectum dubia quaecumque, quae ex concessionibus et gratiis a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris emanatis oriri possunt, ne inde lites postea inter ecclesiasticas praesertim personas oriantur, opportunâ declaratione e medio tollere curamus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Clemens VIII saecularizatam ecclesiam sancti Vincentii de Cardona in collegiatam erexit.

§ 1. Cum itaque aliàs felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, clarae memoriae Philippi II Hispaniarum regis catholici supplicationibus adductus, monasteria, dignitates et beneficia Ordinis canonicorum regularium sancti Augustini in principatu Cathaloniae et comitatu Rossilionis et Ceritaniae existentia, ex causis tunc expressis, Ordine praedicto in illis perpetuo suppresso et extincto, ad saecularitatem in omnibus et per omnia et quoad omnia perpetuo reduxerit, et deinde aliqua ex eisdem monasteriis (et praesertim ecclesiam, olim monasterium, sancti Vincentii oppidi de Cardona Urgellensis dioecesis) in collegiatas insignes erexerit, prout in diversis eiusdem Clementis litteris desuper expeditis plenius continetur[1];

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

[1] Innuitur praecipue Const. XXVII Clem. VIII sub datâ 13 aug. an. 1592, quam videre est in tom. IX h. n. edit. pag. 580 (R. T.).

Abbas sancti Vincentii antea iurisdictionem civilem et criminalem exercebat super canonicos huius ecclesiae et sancti Iacobi de Calaff.

§ 2. Cumque, sicut accepimus, abbas eiusdem collegiatae ecclesiae, ab immemorabili tempore citra, habuerit et exercuerit iurisdictionem civilem et criminalem, etiam in criminibus extra regulam, tam in canonicos eiusdem ecclesiae, quam etiam in priorem et canonicos saecularis et collegiatae, olim etiam regularis dicti Ordinis, ecclesiae sancti Iacobi oppidi de Calaff Vicensis dioecesis, quae membrum et dependens ab ipsâ ecclesiâ collegiatâ sancti Vinçentii de Cardona existit, ac praedicti prior et canonici ecclesiae sancti Iacobi de Calaff praedicto abbati sancti Vincentii de Cardona canonicam obędientiam praestare soliti sint, et de hoc post reductionem ad saecularitatem earumdem ecclesiarum in possessione dictus abbas reperiatur;

Episcopi hanc iurisdictionem ad se devolutam asserebant.

§ 3. Verum (quia venerabiles fratres Urgellensis et Vicensis episcopi praetendunt quod, post reductionem ad saecularitatem earumdem ecclesiarum, iurisdictio supradicta in easdem ecclesias ac priorem et canonicos ad eos respective pertineat; quam tamen numquam antea habuerunt, sed solum ius visitandi ecclesias praedictas, quae etiam parochiales existunt, habuerunt) dubitandum sit, ne aliquae lites et differentiae super praemissis inter praedictos episcopos ex unâ et abbatem praedictum ex alterâ partibus oriantur, seu iam forsan subortae extiterint;

Leo abbati adiudicat.

§ 4. Nos omnem controversiarum occasionem inter ecclesiasticas personas praecidere, et iura sua unicuique conservare volentes, ac litterarum praedictarum eiusdem praedecessoris tenorem praesentibus pro expresso habentes, et dilectum filium Franciscum Ferran, modernum abbatem dictae ecclesiae sancti Vincentii de Cardona, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus, prout aliàs saepe ipsum Clementem praedecessorem declarasse accepimus, ipsius Clementis praedecessoris intentionis numquam fuisse, per reductionem ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum et beneficiorum Ordinis et Principatus praedictorum ad saecularitatem, ab eisdem ecclesiis, monasteriis, dignitatibus et beneficiis, iurisdictiones, praerogativas, praeeminentias, privilegia, aliaque iura et concessiones auferre, sed regularitatem tantum in eis supprimere, illaque ad saecularitatem huiusmodi reducere, salvis semper in suo robore permanentibus iurisdictionibus, praerogativis, praeeminentiis, privilegiis et aliis supradictis, et sic etiam eiusdem mentis et intentionis non fuisse, per reductionem ad saecularitatem dictarum collegiatarum ecclesiarum sancti Vincentii de Cardona et sancti Iacobi de Calaff, in aliquo praeiudicare iurisdictioni civili et criminali supradictae, quam dictus abbas ecclesiae sancti Vincentii de Cardona, tam in eiusdem ecclesiae canonicos, quam priorem et canonicos ecclesiae sancti Iacobi de Calaff, antea, ut praefertur, habebat, sed huiusmodi iurisdictionem eidem abbati ut antea salvam et illaesam remansisse et remanere, ac tam praedictum Franciscum modernum, quam pro tempore existentem abbatem sancti Vincentii de Cardona super huiusmodi iurisdictione et illius libero exercitio per dictos episcopos Urgellensem et Vicensem aut quoscumque

alios, quovis praetextu, causâ et occasione impediri, molestari, perturbari vel inquietari nullatenus posse;

Clausulae.

§ 5. Praesentesque litteras, etiam ex eo quod dicti episcopi, seu alii quicumque in praemissis ius habere praetendentes, ad hoc vocati et auditi non fuerint, et ex quavis aliâ causâ, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut alio quocumque defectu notari, impugnari aut infringi, retractari, invalidari vel ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari nullatenus posse, sed illas semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus; et quatenus aliqua lis super praemissis inter episcopos et abbatem praedictos hactenus orta fuerit, illam ad nos harum serie avocamus, ac penitus extinguimus, perpetuumque partibus ipsis desuper silentium imponimus.

Exequutores deputat.

§ 6. Quocirca dilectis filiis causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, ac nostro et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncio, et abbati beatae Mariae del Real Elnensis dioecesis nunc et pro tempore existenti, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dicti Francisci abbatis fuerint requisiti, solemniter publicantes, illique in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illum praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes illum desuper per dictos episcopos Urgellensem et Vicensem aut quoscumque alios quomodolibet indebite molestari; contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationihus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XV aprilis MDCV, pontif. nostri anno I.

Dat. die 15 aprilis 1605, pontif. an. I.

II.

Declarat per saecularizationem prioratus beatae Mariae de Cornella, Ordinis canonicorum regularium S. Augustini Elnensis dioecesis, nullum praeiudicium illatum fuisse priori eiusdem ecclesiae super collatione canonicatuum [1].

Leo Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Pastoralis nostri muneris ratio exposcit ut, ad pacem et quietem inter ecclesiasticas personas, praesertim pontificali et aliâ dignitate praeditas, conservandam, ea quae per Apostolicam Sedem statuta et ordinata fuerunt, ex quorum dubiâ

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

interpretatione tranquillitatis et quietis effectus turbari possit, nostrae declarationis ministerio dilucidemus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Post suppressam in ecclesia de Cornella regularitatem canonicatus conferri solebant a priore.

§ 1. Expositum nobis nuper fuit pro parte dilecti filii Hyppoliti Frigola prioris collegiatae ecclesiae beatae Mariae de Cornella Elnensis dioecesis, quod ipsa ecclesia (antequam felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster ad supplicationem clarae memoriae Philippi II Hispaniarum regis catholici Ordinem canonicorum regularium sancti Augustini in ecclesiis et monasteriis tunc eiusdem Ordinis principatus Cathaloniae illiusque statum et essentiam regularem ex eisdem ecclesiis et monasteriis perpetuo suppresserit et extinxerit, ipsasque ecclesias et monasteria ad statum et essentiam saecularem reduxerit, prout in ipsius praedecessoris desuper expeditis litteris plenius continetur[1]) Ordinis praedicti existebat, et, occurrente vacatione canonicatuum et praebendarum et aliorum officiorum dictae collegiatae ecclesiae, semper ab immemorabili tempore citra, salvis tamen reservationibus et affectionibus apostolicis, a priore dictae collegiatae ecclesiae pro tempore existente de illis disponi consueverit;

Asserente vero episcopo ad se in suis mensibus illorum collationem pertinere, prior pontificiam declarationem petit interponi.

§ 2. Nunc vero, post reductionem ad saecularitatem huiusmodi, venerabilis frater episcopus Elnensis praetendat collationem illorum in mensibus Ordinarii ad se spectare, et propterea facile evenire possit ut aliqua exinde controversia inter ipsum episcopum Elnensem et praedictum priorem suboriatur. Idcirco dictus Hyppolitus modernus prior nobis humiliter supplicari fecit, ut super hoc de opportunae declarationis remedio providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Leo declarat,

§ 3. Nos igitur omnem controversiae occasionem inter ecclesiasticas personas e medio tollere, ac ius suum unicuique conservare volentes, praedictarum litterarum Clementis praedecessoris tenorem praesentibus pro expresso habentes, ipsumque Hyppolitum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus, prout etiam aliàs ipsum Clementem praedecessorem declarasse accepimus, ipsius Clementis praedecessoris intentionis numquam fuisse, per reductionem ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum et beneficiorum Ordinis et principatus praedictorum ad saecularitatem, ab eisdem ecclesiis, monasteriis, dignitatibus et beneficiis, iurisdictiones, praerogativas, praeeminentias, privilegia aliaque iura et concessiones auferre, sed regularitatem tantum in eis supprimere, illaque ad saecularitatem huiusmodi reducere; salvis semper in suo robore permanentibus iurisdictionibus, praerogativis, praeeminentiis, privilegiis et aliis supradictis: sic etiam mentis et intentionis Clementis praedecessoris non fuisse, per reductionem ad saecularitatem dictae collegiatae ecclesiae, in aliquo praeiudicare iuri conferendi, quod ante dictam reductionem ad praedictum priorem legitime spectabat.

Clementis intentionis fuisse nemini praeiudicare in iure conferendi beneficia, etc.

Clausulae

§ 4. Decernentes propterea dictum Hyppolitum modernum et pro tempore existentem priorem dictae collegiatae ecclesiae per dictum episcopum Elnensem, seu quoscumque alios, praemissorum occasione molestari, perturbari, inquietari, vel impediri, praesentesque litteras, etiam

1 Vide Const. XXVII Clemens VIII iam paulo ante citatam in nota ad pag. 182 (R. T.).

ex eo quod dictus episcopus, seu alii quicumque in praemissis ius habere praetendentes, ad hoc vocati et auditi non fuerint, et ex quavis aliâ causâ, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari, aut infringi, retractari, invalidari, vel ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari nullatenus posse, sed illas semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque, et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum designatio.

§ 5. Quocirca dilectis filiis causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, ac nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio, necnon abbati beatae Mariae del Real eiusdem Elnensis dioecesis nunc et pro tempore existenti, per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dicti Hyppoliti moderni et pro tempore existentis dictae collegiatae ecclesiae prioris fuerint requisiti, solemniter publicantes, illique in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illum praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes illum desuper per dictum episcopum Elnensem aut quoscumque alios quomodolibet indebite molestari: contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XVI aprilis MDCV pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 aprilis 1605, an. pont. I.

III.

Similis declaratio super iurisdictione civili et criminali eidem priori collegiatae ecclesiae beatae Mariae de Cornella in canonicos praedictae ecclesiae competente [1].

Leo Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis apostolici muneris debito ius suum unicuique conservare tenemur, et ad hunc effectum dubia quaecumque, quae ex concessionibus et gratiis a Sede Apostolicâ emanatis oriri possunt, ne inde lites postea inter ecclesiasticas praesertim personas oriantur, opportunâ declaratione e medio tollere curamus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Saecularizationem ecclesiae de Cornella a Clemente VIII factam recenset.

§ 1. Cum itaque aliàs felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, clarae memoriae Philippi II Hispaniarum regis catholici supplicationibus adductus, monasteria, dignitates et beneficia Ordinis canonicorum regula-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

rium sancti Augustini in principatu Cathaloniae et comitatu Rossilionis et Ceritaniae existentia, ex causis tunc expressis, Ordine praedicto in illis perpetuo suppresso et extincto, ad saecularitatem in omnibus et per omnia et quoad omnia perpetuo reduxerit, et deinde aliqua ex eisdem monasteriis in collegiatas insignes erexerit, prout in diversis ipsius praedecessoris litteris desuper expeditis plenius continetur[1];

Priorem in possessione fuisse iurisdictionem civilem et criminalem super canonicos exercendi.

§ 2. Cumque, sicut accepimus, prior collegiatae ecclesiae beatae Mariae de Cornella Elnensis dioecesis, ab immemorabili tempore citra, habuerit et exercuerit iurisdictionem civilem et criminalem, etiam in criminibus extra regulam, in canononicos eiusdem ecclesiae, qui praedicto priori canonicam obedientiam praestare soliti sint[2], et de hoc post reductionem ad saecularitatem eiusdem ecclesiae in possessione dictus prior reperiatur;

Episcopum vero Elnensem illam sibi vindicare.

§ 3. Verum (quia venerabilis frater episcopus Elnensis praetendit, quod, post reductionem ad saecularitatem dictae ecclesiae, iurisdictio supradicta in eamdem ecclesiam eiusque canonicos ad ipsum pertineat; quam tamen nunquam antea habuit, sed solum ius visitandi ecclesiam praedictam, quae etiam parochialis existit, habuit) dubitandum sit, ne aliquae lites et differentiae super praemissis inter dictum episcopum ex unâ et priorem praedictum ex alterâ partibus oriantur, seu iam forsan subortae extiterint:

Declaratio de qua in rubrica.

§ 4. Nos, omnem controversiarum occasionem inter ecclesiasticas personas praecidere et iura sua unicuique conservare volentes, ac litterarum suarum praedictarum tenorem praesentibus pro expresso habentes, et dilectum filium Hyppolitum Frigolam modernum dictae ecclesiae de Cornella priorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium declaramus, prout aliàs saepedictum Clementem praedecessorem declarasse accepimus, eiusdem Clementis praedecessoris intentionis numquam fuisse aut esse, per reductionem ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum, et beneficiorum Ordinis et principatus praedictorum ad saecularitatem, ab eisdem ecclesiis, monasteriis, dignitatibus et beneficiis, iurisdictiones, praerogativas, praeeminentias, privilegia, aliaque iura et concessiones auferre, sed regularitatem tantum in eis supprimere, illaque ad saecularitatem huiusmodi reducere, salvis semper in suo robore permanentibus iurisdictionibus, praerogativis, praeeminentiis, privilegiis et aliis supradictis; et sic etiam dictae mentis et intentionis non fuisse, per reductionem ad saecularitatem dictae ecclesiae beatae Mariae de Cornella, in aliquo praeiudicare iurisdictioni civili et criminali supradictae, quam dictus prior ecclesiae beatae Mariae de Cornella in eiusdem ecclesiae canonicos antea, ut praefertur, habebat, sed huiusmodi iurisdictionem eidem priori, ut antea, salvam et illaesam remansisse et remanere, ac tam praedictum Hyppolitum modernum, quam pro tempore existentem priorem dictae ecclesiae beatae Mariae de Cornella super huiusmodi iurisdi-

1 Vide eamdem Clem. VIII Const. quam innuimus supra pag. 182 (R. T).

2 Sic legitur in edit. Main.; nisi aliqua desint supplenda ex similis formae Const. I ipsius Leonis XI supra relata pag. 183 (R. T.).

ctione et illius libero exercitio per dictum episcopum Elnensem, aut quoscumque alios, quovis praetextu, causâ et occasione impediri, molestari, perturbari vel inquietari nullatenus posse;

Clausulae. § 5. Praesentesque litteras, etiam ex eo quod dictus episcopus, aut alii quicumque in praemissis ius habere praetendentes, ad hoc vocati et auditi non fuerint, et ex quavis aliâ causâ, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quocumque defectu notari, impugnari, aut infringi, retractari, invalidari, vel ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari nullatenus posse, sed illas semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque, et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidqud secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus; et quatenus aliqua lis super praemissis inter episcopum et priorem praedictos hactenus orta fuerit, illam ad nos harum serie avocamus, ac penitus extinguimus, perpetuumque partibus ipsis desuper silentium imponimus.

Exequutorum deputatio. § 6. Quocirca dilectis filiis causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, ac nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio, et abbati beatae Mariae del Real eiusdem dioecesis nunc et pro tempore existenti, per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dicti Hyppoliti prioris fuerint requisiti, solemniter pubblicantes, illique in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illum praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes illum desuper per dictum episcopum Elnensem aut quoscumque alios quomodolibet indebite molestari; contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariarum. § 7. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XVIII aprilis MDCV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 18 aprilis 1605, pontif. anno I.

IV.

Avocatio et extinctio litium pendentium inter capitula et clerum regnorum Hispaniarum et Societatem Iesu super solutione decimarum parochialibus aliisque ecclesiis de iure debitarum, cum declaratione quod PP. dictae Societatis, loco decimae, vigesimam pro bonis acquisitis, pro bonis tamen deinceps emptionis titulo acquirendis integram decimam solvere debeant[1].

Leo Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Impositi nobis apostolici muneris de-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

bitum exposcit, ut in his nostrae auctoritatis partes libenter interponamus, per quae, differentiis et controversiis inter ecclesiasticas personas vigentibus e medio sublatis, earum quieti opportune consulamus.

Paulus III Societati Iesu a cuiuscumque oneris solutione liberans declaravit, ab ea decimas non esse solvendas, nisi in litteris impositionis decimarum huiusmodi expressa de ipsa Societate mentio fieret.

§ 1. Cum itaque aliàs felicis recordationis Paulus Papa III praedecessor noster Societati Iesu, ab ipso institutae et approbatae, eiusque sociis inter alia concesserit, ut de eis, quae in ornamentis, aut pro eis, aut libris, fabricâ, luminaribus, seu pro victu et indumentis eorum, necnon pro annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliquae domus Societatis praedictae obligatae forsan existebant, ac de domibus et collegiis, et eorum praediis, hortis, aliisque locis eisdem sociis haberi concessis, aut de his, quae sibi pro huiusmodi rebus, domibus, collegiis, locis et hortis emendis, per quascumque personas pro tempore legari aut relinqui contigisset, et aliis bonis quibuscumque per dictam Societatem et ipsius collegia possessis et obtentis, aliquam decimam etiam papalem solvere, seu canonicam portionem exhibere, seu ad praestationem procurationum legatorum praedictae Sedis vel nunciorum ipsius, aut Ordinariorum locorum, et exactionem collectarum, seu subsidiorum vel provisionum quorumcumque minime tenerentur, nec ad id per litteras eiusdem Sedis, aut legatorum, vel nunciorum, seu dioecesanorum praedictorum, cuiuscumque tenoris forent, ullo umquam tempore compelli possent, nisi ipsae litterae apostolicae plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto et concessione huiusmodi, ac de eorum Ordine mentionem fecissent; et, si forte per ipsum Paulum praedecessorem vel dictam Sedem de piis legatis dispositis et relictis, in genere vel in specie, decima, vel alia portio, seu quarta alteri piae vel non piae causae quomodolibet eatenus concessae fuissent[1], vel illam imposterum concedi seu solvi, aut dari, mandari contigisset, socios dictae Societatis, ac illorum domos et bona quaecumque, et eis legata et relicta, aut aliàs in eorum favorem disposita, in concessionibus et mandatis huiusmodi minime comprehendi decreverit et voluerit, nisi de ipsis, ac praedicto decreto et voluntate, non per clausulas generales idem importantes, sed vera et expressa atque specifica mentio fieret in eisdem, et aliàs prout in litteris apostolicis eiusdem Pauli praedecessoris sub datum anno Incarnationis Dominicae MDXLIX, decimo quinto kalendas novembris pontificatus sui anno XV expeditis[2];

Pius IV in huiusmodi exemptione domos etiam probationis et collegia comprehendi declaravit.

§ 2. Cumque deinde, recolendae memoriae Pio Papae IV pro parte praepositi generalis et universae Societatis praedictae exposito, quod quamvis dictus Paulus praedecessor eamdem Societatem, eiusque personas a decimarum et aliarum quarumcumque impositionum solutione exemisset, quia tamen id disertis verbis non videbatur explicatum, nec non in exemptione illis concessâ huiusmodi de domibus probationis et collegiis eiusdem Societatis, non tamen professorum domibus, quae iuxta regularia illius instituta bona stabilia habent, aut habere possunt, specialis mentio facta fuerat, molestiam ipsis inferri, ac domos probationis et collegia ipsius Societatis super exemptione huiusmodi perturbari posse, tempore procedente, timebant; idcirco supplicationibus praepositi generalis et Societatis praedictorum inclinatus, privilegia et exemptionem, et, cum omnibus et singulis in eis

1 Vel legendum *concessa fuisset*, vel postea *illas* non *illam* legendum videtur (R. T.).

2 Litterae Pauli III de Societate Iesu sub praedictâ datâ leguntur in *Bull.*, tom. VI, h. n. edit., pag. 394, et huiusmodi exemptiones continentur ibid. § 22 (R. T.).

contentis clausulis, litteras Pauli praedecessoris praedictas, et illarum vigore domos et collegia eiusdem Societatis ubilibet constituta, et inde sequuta quaecumque iuxta tenorem litterarum earumdem, apostolicâ auctoritate ex certâ scientiâ confirmaverit et approbaverit, ac etiam plenarie innovaverit, et de novo, quatenus opus esset concesserit, nec non illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiecerit, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenissent, in eisdem suppleverit[1];

Et de novo Societatem eiusque bona omnia exempta esse voluit.

§ 3. Et nihilominus, pro potiori cautelâ, universam Societatem, omniaque et singula illius domos probationis et collegia ubilibet existentia, praesentia et futura, eorumque personas, fructus, redditus, proventus et bonorum ecclesiasticorum saecularium et regularium quorumcumque illis pro tempore unitorum, aliaque res et bona quaecumque a quibusvis decimis, etiam papalibus, praedialibus, personalibus, quartis, medietatibus et aliis ordinariis oneribus, etiam pro expeditione contra infideles, defensione patriae et aliis quibuscumque, etiam ad imperatorum, regum, ducum et aliorum principum instantiam pro tempore impositis, etiamsi quod[2] in illorum impositione caveretur, quod nulla prorsus exemptio cuique adversus illa suffragetur (ita quod Societas eiusque domus, collegia, fructus, res et bona praedicta semper ab illis, absque declaratione desuper faciendâ exempta essent et esse censerentur), perpetuo liberaverit et exemerit, ac alia fecerit, prout in eiusdem Pii praedecessoris in formâ Brevis litteris sub datum die XIX augusti MDLXI pontificatus sui anno II[3];

1 Pii IV litterae praecitatae exulant in *Bullario* (R. T.).

2 Vox ista *quod* superflua videtur (R. T.).

3 Hae litterae, sive sint eaedem cum citatis in § praec. sive diversae, non leg. in *Bull.* (R. T.).

Hac de causa Greg. XIII constitutioni Innocent. III plenissime derogavit.

§ 4. Et cum demum, piae memoriae Gregorio Papae XIII, etiam praedecessori nostro, pro parte tunc existentis praepositi generalis eiusdem Societatis Iesu pariter exposito, quod, licet praedictus Paulus III praedecessor, volens dictam Societatem per eum apostolicâ auctoritate institutam et approbatam illiusque socios favore prosequi gratiae specialis, inter alia eidem Societati et sociis supramemoratam exemptionem a decimis concessisset et indulsisset, et successive Pius IV litteras ipsius Pauli III, ut supra dictum est, confirmasset et approbasset et alia concessisset, prout in singulis supradictis Pauli et Pii praedecessorum litteris plenius continebatur; nihilominus, quia in illis nulla de Constitutione recolendae memoriae Innocentii Papae III, similiter praedecessoris nostri, in concilio generali super decimis editâ, quae incipit *Nuper*[1], expressa et specifica mentio facta nec ei specialiter et expresse derogatum fuerat, idem praepositus dubitabat singulas litteras praedictas de subreptionis seu nullitatis vitio notari, et Societati illiusque domibus, collegiis et personis praedictis minus utiles reddi, aut illa super exemptione huiusmodi molestari vel perturbari posse tempore procedente; idem Gregorius praedecessor, quarumcumque litium et causarum super praemissis iam forsan motarum statum et merita, ac nomina et cognomina iudicum et collitigantium, ac titulos et iura eorum pro expressis habens, et ipsius praepositi generalis supplicationibus eâ in parte inclinatus, voluerit, ac Societati illiusque domibus, etiam probationum, collegiis et personis praedictis auctoritate apostolicâ concesserit, quod singulae litterae praedictae cum exemptionibus caeterisque omnibus et singulis in eis contentis clausulis et decretis, pro-

1 Huiusmodi Innoc. III Const. non est in *Bullario* (R. T.).

cessusque habiti per eosdem, et inde sequuta quaecumque valerent, plenamque roboris firmitatem obtinerent, ac eis, quibus concessa existebant, perpetuo suffragarentur in omnibus et per omnia, perinde ac si in illis de Constitutione Innocentii praedecessoris, et seu concilii generalis huiusmodi specifica et expressa mentio facta, eique specialiter et expresse derogatum fuisset, prout idem Gregorius praedecessor dictae Constitutioni ad effectum praemissum specialiter et expresse derogavit, decernens ita in quibuscumque causis pendentibus et futuris per quoscumque iudices et commissorios quavis auctoritate fungentes iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigisset attentari, et aliàs prout in eiusdem quoque Gregorii praedecessoris in formâ Brevis sub datum die I ianuarii MDLXXVIII pontificatus sui anno VI expeditis litteris plenius continetur[1];

Orta tamen lis est inter eamdem Societatem et praesules regnorum Castellae et Legionis super decimis parochiis solvendis.

§ 5. Cumque, sicut accepimus (ex eo quod occasione praedictorum privilegiorum religiosi dictae Societatis se eorumque domos, etiam probationum, collegia et loca ac praedia, res et bona quaecumque a solutione etiam decimarum, quae parochialibus et aliis ecclesiis de iure vel consuetudine, seu quovis alio titulo vel causâ debentur, exemptos esse, contra vero metropolitanarum et cathedralium, ac aliarum ecclesiarum archiepiscopi, episcopi et alii presules, venerabiles fratres, et capitula et parochialium ecclesiarum rectores regnorum Castellae et Legionis, dilecti filii, ipsos religiosos Societatis Iesu tali exemptione in maximum illorum praeiudicium abuti praetendunt), inter illos dudum super hoc diversae lites seu controversiae ortae, et in causâ seu causis huiusmodi ad aliquos actus deventum fuerit, et licet demum de ineundâ inter ipsas partes aliquâ concordiâ tractatum, et in congregatione generali capitulorum totius cleri dictorum regnorum in civitate Vallisoletanâ de anno MDCII habitâ diversae propositiones hinc inde inter ipsas partes ad effectum huiusmodi concordiam ineundi factae fuissent, nihilominus aliquid conclusum non extiterit, sed utraque pars negotium istud ad Romanum Pontificem remiserit:

Leo huiusmodi litem ad se avocans et partibus silentium imponens.

§ 6. Nos, qui inter ecclesiasticas personas pacem et quietem perpetuo vigere et conservari sincero desideramus affectu, remissionem huiusmodi acceptantes negotium huiusmodi, iussu felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri mature discussum et examinatum, pro aequitate terminare, ac omnem ulterioris controversiae et discordiae inter dictas partes occasionem praecidere statuimus. Idcirco singularum Pauli, Pii et Gregorii praedecessorum, et aliarum quarumcumque in favorem praedictae Societatis super huiusmodi exemptione expeditarum litterarum veriores et totos tenores et datas praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, nec non quascumque lites et causas praemissorum occasione hactenus inter venerabiles fratres archiepiscopos, episcopos et alios praesules fratres nostros, et quasvis metropolitanas, cathedrales, collegiatas, parochiales et alias ecclesias, earumque capitula, collegia, rectores et alias ecclesiasticas personas dictorum regnorum ex unâ, et dictam Societatem et quasvis illius domos, etiam professorum, necnon collegia, domos probationis et alia loca quaecumque ex alterâ partibus, coram quibuscumque iudicibus, etiam nostri sacri Palatii Apostolici Rotae auditoribus, ac etiam S. R. E. cardinalibus, et in quacumque instantiâ, tam

1 Vide Greg. XIII Const. LXXVII in *Bullario*, tom. VIII, h. n. edit., pag. 198 (R. T.).

coniunctim quam divisim, pendentes, quarum status et merita, ac nomina et cognomina iudicum et collitigantium, praesentibus similiter pro expressis haberi volumus, in eisdem statu et terminis, in quibus reperiuntur, ad nos harum serie revocantes, illasque penitus extinguentes, et quascumque sententias litteras exequutoriales ad favorem Societatis, seu illius domorum seu collegiorum, aut alicuius illorum quomodolibet latas et relaxatas, et etiam forsan exequutas, et alias quascumque provisiones quomodolibet et quandocumque ad earumdem favorem expeditas revocantes et ad praesentium praescriptum reducentes, ac perpetuum partibus ipsis super praemissis omnibus et singulis silentium imponentes, salvis tamen quibuscumque concordiis seu transactionibus inter partes initis, quas in suo robore remanere volumus;

Declarat ibidem solvendam esse vigesimam pro bonis quae acto eadem Societas possidet;

§ 7. Motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum serie perpetuo statuimus, decernimus et ordinamus, ut ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus praedicta Societas, et illius domus etiam probationum, atque collegia et loca quaecumque ubivis locorum in praedictis regnis Castellae et Legionis existentia, ratione praediorum, possessionum, vinearum, olivetorum, terrarum, hortorum et bonorum quorumcumque, quae nunc possident quomodocumque et undecumque ad eos perventa, aut per eos acquisita fuerint, et etiam eorum, quae imposterum perpetuis futuris temporibus ex novis domorum seu collegiorum fundationibus, aut aliis largitionibus, donationibus, legatis, testamentis, codicillis, seu ultimis voluntatibus dumtaxat acquirent, et non solum eorum quae locare et arrendare solent, sed etiam eorum quae per proprios colonos ac propriis quoque manibus excolunt, loco decimae vigesimam scilicet) ex singulis viginti unum eorum fructuum cuiuscumque generis et speciei, quos in illis colligunt, necnon pecorum et aliorum animalium quae in illis enutrient, piscationum, avium, aliarumque rerum et specierum, de quibus de iure vel consuetudine decimari solet ecclesiis, quibus alioquin circumscriptis dictis privilegiis decima persolvi deberet) persolvere teneantur et obligati existant;

Decimam vero pro bonis, quae imposterum ementur per ipsam, vel locabuntur.

§ 8. Et quia evenire poterit, ut religiosi dictae Societatis alia praedia, possessiones, terras et bona emptionis titulo imposterum acquirant, aut praedia, terras et bona extraneorum excolant, vel per eorum colonos excoli faciant: nos, ne super bonis imposterum acquirendis aut excolendis huiusmodi, et aliis supra deductis, nova controversia deinceps oriatur, declaramus et pariter statuimus ac ordinamus, quod, ratione eorum praediorum, possessionum, terrarum et bonorum, quae emptionis titulo acquirent, aut quae titulo locationis ab aliis conduxerint, ipsi colent aut coli facient, non vigesimam, sed integram decimam iis ecclesiis, quibus, et prout, antequam ipsi religiosi illa tenerent, debebatur, pariter solvere teneantur et obligati existant.

Nonnulla tamen viridaria, hortosque ab huiusmodi solutione eximit.

§ 9. Ab huiusmodi autem vigesimae seu decimae solutione hortos seu viridaria, quae apud eorum domos seu collegia intra civitates et oppida habuerint, nec non etiam unum tantum praediolum in agro pro unaquaque domo seu collegio, quod tamen muris circumdatum sit, et quatuor fanegarum illarum partium mensuram non excedat, exempta esse volumus et ordinamus.

Ad statutas solutiones Societatem compelli posse declarat.

§ 10. Decernentes ipsos Societatis Iesu religiosos ad mediae decimae, seu vigesimae, et integrae decimae huiusmodi respective solutionem faciendam de caetero tamen teneri, et ad id censuris et

poenis ecclesiasticis, aliisque opportunis iuris et facti remediis, aeque ac non exemptos cogi et compelli posse, neque ab huiusmodi mediae decimae, seu vigesimae, vel integrae decimae solutione, praedictarum Pauli, Pii et Gregorii, aut aliorum Pontificum praedecessorum litterarum, aut alio quovis praetextu, causâ vel occasione resilire, vel deficere ullatenus posse; ipsos vero archiepiscopos, episcopos, ac praesules, et capitula, et rectores ecclesiarum praedictarum, et alias personas ecclesiasticas, quibus huiusmodi mediae et integrae decimae respective debebuntur, earum solutione, prout a nobis, ut praefertur, statutum est, contentos esse debere;

Clausulas appouit.

§ 11. Praesentes quoque litteras, ex eo quod partes ipsae praemissis non consenserint, aut alio quovis praetextu, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, aut infringi, suspendi, limitari, retractari, revocari, aut in ius vel controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci, aut adversus illas quodcumque gratiae vel iustitiae remedium impetrari nullatenus posse, sed semper, ac perpetuo validas et efficaces existere ac fore, ac illis omnibus et singulis, quos concernunt, plenissime suffragari, ac ab illis respective observari debere: sicque, et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ac Sedis Apostolicae nuncios (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores designat.

§ 12. Quocirca venerabili fratri archiepiscopo Toletano, ac dilectis filiis causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, ac nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte tam Societatis, quam capitulorum et aliorum praedictorum, seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos et eorum singulos eorumdem praemissorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes illos aut aliquos eorum desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari: contradictores quoscumque ac praemissis non parentes, eisque auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe seu indirecte quomodolibet praestantes, per censuras, et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantibus derogat.

§ 13. Non obstantibus praedictis Pauli, Pii, Gregorii et aliorum Pontificum praedecessorum litteris, ac similis memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostris de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac regulis cancellariae nostrae, et praesertim de iure quaesito non tollendo, necnon tam ipsius Societatis, quam quarumcumque ecclesiarum metropolitanarum, cathedralium,

collegiatarum, parrochialium, et aliarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatiarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis, etiam in formâ Brevis, tam per nos, quam quosvis praedecessores nostros, ac etiam dictae Sedis legatos, etiam ad quorumvis imperatorum, regum, ducum instantiam, aut etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut etiam consistorialiter, etiam per viam generalis legis et statuti perpetui, quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, etiam Mari Magno, Bullâ aureâ, aut aliàs nuncupatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus[1], contrariis quibuscumque, seu si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis fidem vult adhiberi.

§ 14. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XXIII aprilis MDCV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 23 aprilis 1605, pontif. an. I.

1 Iam supra monuimus pag. 137 *b* vocem *caeterisque*, vel particulam *et*, quae ad minus requisita videretur, communiter deesse quando sequitur formula *aut si*, etc.; sed utrum ex defectu typ. desit, an de stylo, non constat. In seqq. Const. pluries illam vocem reperiemus adiectam, etiam sequente formulâ *aut si*, etc.; sed deinceps, vel adsit, vel desit, referemus simpliciter edit. Main. absque ullâ novâ adnotatione (R. T).



PAULUS V

PAPA CCXXXV

Anno Christi MDCV.

Duodevicesimo post Leonis XI mortem die electus est in summum Pontificem Camillus sanctae Romanae Ecclesiae, tituli sancti Chrysogoni, presbyter cardinalis Burghesius, qui Paulus V voluit appellari. Sacrâ redimitus thiarâ die XXVIII maii, sedit annos XV, menses VIII, dies XIII temporibus Rodulphi II imperatoris. Vitâ functus die XXVIII ianuarii anno MDCXXI, sepultus est ad sanctum Petrum. Corpus postea translatum fuit ad Basilicam Liberianam, conditumque in sacello, quod vivens erexerat. Vacavit Sedes dies XI.

I[1].

Litterae in forma Provisionis Nostrae, *quibus confirmantur aliae similes Clementis VIII super facultate metropolitae Ruthenorum concessâ instituendi et consecrandi episcopos suae nationis*[2].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Facultas metropolitae Ruthenorum concessa legitur in tomo praeced., pag. 250, et Brevi initium est: *Decet.*

Paulus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Provisionis nostrae debet provenire subsidio, ut ius suum cuilibet conservetur. Exordium.

§ 1. Hinc est, quod nos tenorem quarumdam litterarum felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri in registro ipsius praedecessoris repertum, pro eo quod, sicut exhibita nobis nuper pro parte venerabilis fratris nostri Iosephi moderni archiepiscopi metropolitae Kioviensis et Haliciensis ac totius Russiae petitio continebat, ipse harum tenorem, et ex certis causis, sicut asserit, indiget de registro ipso de verbo ad verbum transcribi, et ad ipsius Iosephi archiepiscopi nobis propterea supplicantis instantiam, praesentibus annotari fecimus, qui est talis: Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Decet, etc. *(Caetera omittuntur; legere enim est loco citato in notâ ad rubricam).* Ioseph metropolita transcribi confirmarique Clementis litteras petit.

§ 2. Caeterum, ut earumdem litterarum tenor praedictus sic insertus omnimodam rei ac facti certitudinem faciat, Litteris sic exemplatis credi iubet Paulus.

collegiatarum, parrochialium, et aliarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatiarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis, etiam in formâ Brevis, tam per nos, quam quosvis praedecessores nostros, ac etiam dictae Sedis legatos, etiam ad quorumvis imperatorum, regum, ducum instantiam, aut etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut etiam consistorialiter, etiam per viam generalis legis et statuti perpetui, quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, etiam Mari Magno, Bullâ aureâ, aut aliàs nuncupatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus[1], contrariis quibuscumque, seu si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis fidem vult adhiberi.

§ 14. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XXIII aprilis MDCV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 23 aprilis 1605, pontif. an. I.

1 Iam supra monuimus pag. 137 *b* vocem *caeterisque*, vel particulam *et*, quae ad minus requisita videretur, communiter deesse quando sequitur formula *aut si*, etc.; sed utrum ex defectu typ. desit, an de stylo, non constat. In seqq. Const. pluries illam vocem reperiemus adiectam, etiam sequente formulâ *aut si*, etc.; sed deinceps, vel adsit, vel desit, referemus simpliciter edit. Main. absque ullâ novâ adnotatione (R. T).



PAULUS V

PAPA CCXXXV

Anno Christi MDCV.

Duodevicesimo post Leonis XI mortem die electus est in summum Pontificem Camillus sanctae Romanae Ecclesiae, tituli sancti Chrysogoni, presbyter cardinalis Burghesius, qui Paulus V voluit appellari. Sacrâ redimitus thiarà die XXVIII maii, sedit annos XV, menses VIII, dies XIII temporibus Rodulphi II imperatoris. Vitâ functus die XXVIII ianuarii anno MDCXXI, sepultus est ad sanctum Petrum. Corpus postea translatum fuit ad Basilicam Liberianam, conditumque in sacello, quod vivens erexerat. Vacavit Sedes dies XI.

I[1].

Litterae in forma Provisionis Nostrae, *quibus confirmantur aliae similes Clementis VIII super facultate metropolitae Ruthenorum concessâ instituendi et consecrandi episcopos suae nationis*[2].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Facultas metropolitae Ruthenorum concessa legitur in tomo praeced., pag. 250, et Brevi initium est: *Decet.*

Paulus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Provisionis nostrae debet provenire subsidio, ut ius suum cuilibet conservetur.

Iosephmetropolita transcribi confirmarique Clementis litteras petit.

§ 1. Hinc est, quod nos tenorem quarumdam litterarum felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri in registro ipsius praedecessoris repertum, pro eo quod, sicut exhibita nobis nuper pro parte venerabilis fratris nostri Iosephi moderni archiepiscopi metropolitae Kioviensis et Haliciensis ac totius Russiae petitio continebat, ipse harum tenorem, et ex certis causis, sicut asserit, indiget de registro ipso de verbo ad verbum transcribi, et ad ipsius Iosephi archiepiscopi nobis propterea supplicantis instantiam, praesentibus annotari fecimus, qui est talis: Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Decet, etc. *(Caetera omittuntur: legere enim est loco citato in notâ ad rubricam).*

Litteris sic exemplatis credi iubet Paulus.

§ 2. Caeterum, ut earumdem litterarum tenor praedictus sic insertus omnimodam rei ac facti certitudinem faciat,

auctoritate apostolicâ decernimus ut illud idem robur, eamdemque vim et eumdem vigorem dictus tenor in omnibus et per omnia habeat, quae haberent litterae originales supradictae, et eadem prorsus ipsi tenori fides adhibeatur quandocumque et ubicumque, sive in iudicio sive alibi, ubi fuerit exhibitus et ostensus, et eidem tenori stetur firmiter in omnibus et per per omnia, sicut eisdem litteris originalibus staretur, si forent exhibitae vel ostensae. Per hoc autem nullum ius de novo cuiquam acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari.

Clausulae. § 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCV quarto kalendas iunii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 maii 1605, pontif. anno I.

II.

Sub poena excommunicationis latae sententiae cavetur quominus rectores parochialium ecclesiarum Indiarum Occidentalium imposterum maiorem eleemosynam ab iis, qui in ecclesiis Ordinis Eremitarum sancti Augustini, quam ab iis, qui in parochialibus huiusmodi sepeliuntur, exigant[1].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Invectus abusus exigendi duplo plus ab iis, qui sepeliuntur in ecclesiis fratrum eremitarum sancti Augustini. § 1. Expositum nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum Gasparis de Chaves procuratoris, necnon provincialium totius Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini Indiarum Occidentalium, quod rectores parochialium ecclesiarum Indiarum praedictarum iam pridem hunc abusum introduxerunt, videlicet, quod eleemosynas duplo maiores ab iis, qui in ecclesiis domorum eiusdem Ordinis Eremitarum sancti Augustini, quam qui in parochialibus huiusmodi sepeliuntur, exigere praesumpserunt, et, ut dicitur, in hoc Ordinariorum suorum, qui partem eleemosynarum huiusmodi percipiunt, consilio et assensui nituntur.

Petitura Pontifice remedium. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, plerique christifideles in dictarum domorum ecclesiis, ob difficultatem ius adeo onerosum persolvendi, sepeliri se facere non possint, quo fit ut ecclesiae huiusmodi mortuorum sepulturis et consequenter eleemosynis in dies fieri consuetis propemodum priventur: idcirco pro parte eorumdem Gasparis procuratoris et provincialium nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Pontifex eleemosynam maiorem ab his, qui sepulturam eligunt in Ecclesiis huius Ordinis exigi vetat sub poena excommunicationis Romano Pontifici reservatae. § 3. Nos igitur huiusmodi abusus omnino tollere, ac dicti Ordinis commoditatibus et propagationi, quantum cum Domino possumus, prospicere cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex voto venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super consultationibus et negotiis episcoporum et regularium deputatorum, omnibus et singulis parochialium ecclesiarum universarum Indiarum Occidentalium rectoribus, nunc et pro tempore existentibus, harum serie interdicimus et prohibemus (necnon sub excommunicationis maioris latae sententiae poenâ, a qua nonnisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint), ne[1] ex nunc deinceps perpetuis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Particulam *ne* adiungendam duximus (R. T.).

futuris temporibus maiorem eleemosynam ab iis,. qui in domorum praedictarum, quam in parochialibus ecclesiis huiusmodi sepelirentur, quovis praetextu aut occasione, etiam de consilio, consensu seu mandato suorum Ordinariorum, exigere debeant seu praesumant.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiarum, domorum et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem ecclesiis, domibus et Ordini, earumque rectoribus, superioribus et fratribus, ac quibusvis aliis personis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 5. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die VI iunii MDCV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 6 iunii 1605, an. I.

III.

Iubilaei indictio ad divinam opem pro salutari Ecclesiae Catholicae regimine eiusque necessitatibus implorandam.

Paulus Episcopus,

servus servorum Dei,

Universis christifidelibus, ad quos praesentes litterae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium

Quod in omni vitâ summis votis a totius bonitatis auctore Deo semper optavimus, ut universae cogitationes et actiones nostrae a singulari eius benignitate profectae in viam aeterni beneplaciti sui dirigerentur, et non ad alicuius privati vel temporalis boni commoditatem, sed ad communis et aeternae beatitudinis felicitatem divinâ favente gratiâ perducerentur, id hoc tempore, quo immensa illius largitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est, nos nihil huiusmodi cogitantes in hoc supremo dignitatis apostolicae gradu, nullis nostris meritis, sed solâ miseratione suâ et admirabili providentiâ collocavit, suppliciter ab eo postulandum duximus, ut in difficillimo munere obeundo virium nostrarum imbecillitatem auxilii sui virtute sustentare ac tueri velit.

Causae indicendi iubilaeum

§. 1. Cum enim in eâ curarum mole, in qua versamur, tum ob rerum, quae nos circumdant, multitudinem, tum ob negociorum, quibus urgemur, difficultatem, plane cognitum non habeamus, quo gradiamur, et unde initium sumamus, aut quid agere debeamus; id nobis consilii superest, atque hoc solum habemus residui, ut oculos nostros ad eum dirigamus, qui, tunc maxime cum opus est, summis in difficultatibus super domum David, hoc est, super nos et caeteros ecclesiarum moderatores, ac super habitatores Hierusalem, videlicet super fideles ac subditos populos, non solum orationis et precum dona, quibus petita impetrentur, placabilis et benignus effundit, sed caelestis etiam gratiae suae spiritum ac virtutem elargitur, qua nos Catholicam Ecclesiam, caeterarum matrem et magistram, sancte et feliciter regere, et, qui in partem sollicitudinis nobiscum vocati

Prima, ut ipsi et aliis ecclesiae rectoribus divina adsistentia imploretur.

sunt, caeteras quoque ecclesias bene administrare, ac tandem desiderata bona consequi et recte omnia perficere valeamus. Magna est enim vis concordis et perseverantis orationis, praesertim cum et ii, qui caeteris praesunt, igne perfectae charitatis incensi, apud Deum pro populo intercedunt, et, qui superioris imperio parent, unanimes in spiritu humilitatis et animo contrito pro suo duce ac rectore deprecantur, nihilque adeo est, quod fideles (si convertantur ad Deum in corde perfecto, et prosternant preces suas in conspectu eius) communibus votis tandem non obtineant, et iam impetratum diutius non conservent. Sic olim Deus Salomoni in ipso regni sui exordio sapientiam per orationem postulanti ad discernendum iudicium dedit cor sapiens et intelligens. Sic beatum Petrum Apostolorum Principem et Christi in terris Vicarium oratio, quae ab Ecclesiâ sine intermissione pro eo fiebat, eripuit de manu Herodis et omni expectatione plebis Iudaeorum; et Christus Dominus, dum cum hominibus conversaretur, Apostolis suis dixit: *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*: Et, *si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est.* Iure igitur optimo nos, qui nihil aliud in administratione universalis Ecclesiae nuper nobis commissâ spectare debemus, quam ipsius Ecclesiae Catholicae salutem, christianorum principum pacem, totiusque orbis christiani tranquillitatem, ut in hoc onere arduo atque gravissimo sustinendo, iis quae cupimus, et quibus maxime indigemus, praesidiis a Deo, qui postulantibus a se sapientiam dat omnibus affluenter, ut confidimus, adiuvemur, hoc nostri pontificatus initio, pium et laudabilem nonnullorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum morem hac in re sequuti, ad communem totius populi christiani deprecationem, indictis eâ de causâ per catholicum orbem supplicationibus et salutaribus indulgentiis promulgatis, primo quoque tempore confugiendum esse decrevimus. Haec enim una est et communis illa populi christiani oratio, quae concordibus omnium fidelium voluntatibus, per verae poenitentiae remedium cum ieiunio et eleemosynâ coniunctum, inprimis hominum mentes a vitiis purgat, tum sublevat ad coelestia, et ad salutem ac vitam aeternam dirigit, desiderata deinde dona ex Deo bonorum omnium fonte deducit, ipsos denique homines ad illa consequenda capaces et dignos efficit.

Magna orationis virtus.

Quamquam nos ad hanc deliberationem ineundam non ideo solum adducimur, quod ecclesiae gubernaculis manum admoturi praecipuo quodam divini numinis auxilio praemuniri cupiamus, sed quod existimemus hoc tempore idipsum ad communem dominici gregis incolumitatem pertinere, quodque Catholicae Ecclesiae et Christianae Reipublicae in difficultatibus constitutae admodum salutare atque opportunum fore iudicemus. Immanissimus enim Turcarum tyrannus, perpetuus christiani nominis hostis, insanâ illâ dominandi libidine, qua orbis imperium temere iam sibi despondit, excaecatus, ac summo christianae religionis odio incensus, innumeras clades non modo finitimis populis erumpendo, sed remotis quoque gentibus omnia invadendo iamdiu attulit: superioribus vero annis saevo diuturnoque bello in Hungariam excitato, licet aliquot ibi egregias civitates et loca insignia, quae occupaverat, quaeque postea ex illius manibus erepta et recuperata fuerunt, amiserit, plerasque tamen tum in ipsâ Hungariâ, tum in locis illi contiguis nobilissimas ditiones et munitissimas arces in suam potestatem redegit; novissime autem hoc anno (quod sine gravi dolore

Altera, ut vires Turcarum populo Christiano minitantium infringantur.

commemorare non possumus) perditi etiam ac profligati homines (carissimi nimirum in Christo filii nostri Rodulphi Romanorum regis illustris in imperatorem electi in eâdem Hungariâ rebelles) ipsis Turcis per exitiale scelus adiuncti, et per summâm impietatem suis intestinis tumultibus ac seditionibus confirmatis atque auctis, humana divinaque cuncta perturbant, et, adhibitis simul armis, omnibus ipsius Rodulphi dominiis nefariam direptionem et vastitatem minantur. Quae quidem mala cum non tam armis quam assiduis apud Deum precibus propulsari debeant, quod ab ipsius irâ in homines propter illorum peccata et iniquitates contra[1] provenerint; hac ipsâ de causâ ad communem quoque totius christiani populi obsecrationem recurrendum esse censuimus, cuius tanta ad inimicorum impetus propulsandos virtus et efficacia est, ut illorum fortissimos exercitus, qui alioquin armis expugnari non possent, ipsa facile dissipet atque prosternat. Quod non obscure divina sacrae scripturae eloquia nos docent, dum fideles populos (qui, adversus hostes praeliaturi, ad Deum per assiduam orationem et poenitentiam confugiunt illiusque nomen invocant et misericordiam implorant) non tam ferro, quam linguâ et labiis pugnare, et arma in verbis ac precibus habere testantur. Quod, ut quamprimum Rodulpho eiusque piis ac fidelibus subditis et militaribus copiis eveniat, ipsi vehementer cupimus, et a Deo nuncupatis votis optamus. Id autem ab ipso misericordiarum Patre et Deo totius consolationis facile nos impetraturos confidimus; sicut enim supremam illius maiestatem homines, ubi eam offenderint, tunc maxime propter eius potentiam timere debent, ita semper iis, qui per poenitentiam resipuerint, eiusque gratiam et auxilium pie ac devote postulaverint, optime de summâ illius benignitate sperandum est; secundum enim magnitudinem ipsius, sic et misericordia illius cum ipso est.

Mala non tam armis quam precibus propulsantur.

§ 2. Cum igitur caeteras civitates, terras et loca ubique existentia exemplo almae Urbis nostrae ad salutarem hanc et unanimem orationem permovere cupiamus, ab eâdem Urbe initium sumentes, solemnes processiones ad eiusdem Urbis basilicas, Principis nimirum Apostolorum in Vaticano, necnon B. Mariae Maioris proximâ hebdomadâ, quae erit prima mensis iulii proxime futuri, feriâ quartâ et sabbato indicimus, ad quas basilicas nos cum omni demissione et humilitate mentis et corporis, unâ cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, necnon patriarchis, archiepiscopis atque episcopis, quos in Romanâ Curiâ adesse contigerit, ac christianorum regum et principum oratoribus apud nos existentibus, aliisque praelatis atque officialibus Romanae Curiae, et magistratibus populi romani, universoque clero et populo comitante, accedere, dictasque processiones et supplicationes habere et celebrare decrevimus. Ut vero divina bonitas optata bona suo populo supplicanti copiosius largiatur, omnes utriusque sexus christifideles in Urbe et in cunctis orbis terrarum regnis, dominiis, regionibus et locis existentes per viscera misericordiae Dei nostri hortamur atque obsecramus, ut qui in eâdem Urbe dictâ hebdomadâ vel saltem alterâ sequente, qui vero extra urbem fuerint, proximâ, aut alterâ item sequente hebdomadâ, postquam praesentes litterae ibi fuerint publicatae, vel (si aliquibus in locis ex quavis causâ publicatae non fuerint) postquam ad eorum notitiam quocumque modo pervenerint, salutari poenitentiae sacramento ad prae-

Forma consequendi iubilaeum.

Solemnes processiones in Urbe ad exemplum caeterarum.

1 Sic legit etiam edit. Cherub. Romana; Lugdunensis vero habet *contra eum iniquitates* (R. T.).

teritas culpas diluendas se praeparent, Deumque orent ut nos singulari virtutis suae praesidio tueri, et pares suscepto muneri vires nobis sufficere, Ecclesiae Catholicae fidem longe lateque propagare, impios haereticorum errores undique evellere, et Hungariae regnum a Turcarum armis defendere, eique optatam tranquillitatem restituere dignetur. Et ii quidem, qui in eâdem Urbe fuerint praedictas basilicas, sive earum alteram quam maluerint, qui vero extra Urbem, ecclesiam vel ecclesias per locorum Ordinarios, seu eorum vicarios aut officiales, vel de eorum mandato, et, eis deficientibus, per eos, qui ibi curam exercent animarum (nimirum postquam praesentes nostrae ibidem fuerint publicatae, ubi vero publicatae non fuerint, postquam ad eorum notitiam pervenerint) ecclesias similiter seu capellas sive oratoria, aut alia quaecumque pia loca, etiam per solum confessarium, ab ipsis eligendum, singulis eorum deputandas seu deputanda, quocumque die vel quibuscumque diebus eiusdem vel sequentis hebdomadae, saltem semel visitent, et quartâ et sextâ feriâ et sabbato eiusdem, vel sequentis hebdomadae ieiunent; praeterea pauperibus et indigentibus personis, aut ecclesiis vel locis piis, eleemosynas arbitrio suo erogent; atque intra hoc tempus tam primae quam secundae hebdomadae alicui presbytero, ab Ordinario loci approbato, peccata sua confiteantur, et dominicâ primâ vel secundâ, vel alio dictae prioris vel sequentis hebdomadae die sanctissimum Eucharistiae Sacramentum devote suscipiant. Qui autem in navigatione vel itinere fuerint, peractâ navigatione vel itinere confecto, haec omnia, ut superius dictum est, faciant et exequantur. Regularibus vero personis utriusque sexus in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam saecularibus quam regularibus, in carcere aut captivitate existentibus, aut aliquâ corporis infirmitate vel alio quocumque impedimento detentis, qui superius expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, presbyter confessarius, ut praemittitur, approbatus, quem elegerint, praedicta omnia et singula, vel eorum aliqua in alia pietatis opera commutare, vel in aliud, proximum tamen, tempus prorogare possit; qui etiam aliis christifidelibus in eisdem regnis, dominiis, regionibus et locis existentibus, in quibus praesentes nostrae litterae publicatae non fuerint, ea dumtaxat iniungere valeat, quae ipsi christifideles efficere poterunt.

Ecclesiarum visitatio.

Ieiunium et eleemosyna.

Sacramentorum susceptio.

§ 3. Quae omnia ut ipsi christifideles eo libentius praestare studeant, quo uberius spiritualibus muneribus et gratiis se refectos esse cognoverint; de omnipotentis Dei misericordiâ, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, auctoritate confisi, ex illâ ligandi ac solvendi potestate, quam Deus nobis licet indignis contulit, thesauros Ecclesiae copiose aperientes, universis et singulis christifidelibus utriusque sexus praedictis, qui praemissa modo et formâ superius expressis fecerint, et, ut supradictum est, Deum oraverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, veniam et remissionem, sicut in anno Iubilaei visitantibus certas ecclesias extra et intra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium, damus, concedimus et elargimur. Necnon eisdem christifidelibus utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, saecularibus, vel etiam cuiusvis Ordinis et Congregationis seu Instituti regularibus, concedimus et indulgemus ut sibi eligere possint quemcumque presbyterum confessarium, tam saecularem, quam cuiusvis Ordinis vel Instituti regularem (ex approbatis tamen ab Ordinariis locorum) qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et

Iubilaei indulgentiae concessio.

interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quovis modo et causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam in casibus, tam locorum Ordinariis, quam nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi consuetis, atque aliàs, etiam per quascumque Romanornm Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones (quorum tenores praesentibus haberi volumus pro plene et sufficienter expressis, ac si ad verbum insererentur) quomodocumque reservatis, in foro tantum conscientiae hac vice solum absolvere, et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare (iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, ac aliis eiusdem confessarii arbitrio iniungendis) possit et valeat.

Iussio illud publicandi.

§ 4. Quapropter tenore praesentium, mandamus, et in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, et quibusvis Ordinariis locorum, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla acceperint, illa statim absque ullà morà, retardatione vel impedimento aut limitatione per suas ecclesias, civitates, oppida, terras, loca, dioeceses et provincias publicent et evulgent, ac publicari et evulgari faciant. Clerisque et populis sibi subiectis solemnes processiones et supplicationes indicant et celebrent. Quod si praemissa omnia et singula praestare neglexerint, vel ex quavis causâ et praetextu illa exequi praetermiserint, praeter peccatum transgressionis, in quod incurrent, sciant nihilominus praesentes nostras litteras, cum ad christifidelium notitiam quovis modo, ut supradictum est, pervenerint, ubique eamdem vim ac robur habituras, ac eisdem christifidelibus perinde profuturas, ac si modo et formâ praemissis publicatae et evulgatae et solemnes processiones propterea indictae et celebratae fuissent. Per praesentes autem super aliquâ irregularitate, publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate aut inhabilitate quoquo modo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, etiam in foro conscientiae, non intendimus; ac declaramus has ipsas praesentes quoad absolutionem in foro conscientiae et poenitentiali tantum, non autem in foro fori seu contentioso consequendam (neque etiam quoad dictum forum conscientiae[1], qui ab aliquo iudice excommunicati, suspensi vel interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus celebrationis huiusmodi iubilaei satisfecerint, aut cum partibus concordaverint) ullo modo suffragari posse aut debere.

Clausula derogatoria.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus absolvendi facultas in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles iubilaei, indulgentiarum aut facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et Congregationum sive institutorum regularium, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem Ordinibus et Congregationibus atque Institutis

1 Heic subintellige *iis* (R. T.).

quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut expressio habenda vel quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac formâ in illis traditâ[1] penitus pro servatâ habentes, hac vice specialiter nominatim et expresse ad effectum praesentium derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut praesentium transumptis vel exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ubique locorum et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur his ipsis litteris, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicae MDCV quarto kalendas iulii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 28 iunii 1605, pontif. an. I.

IV.

Privilegia abbreviatorum maioris praesidentiae litterarum apostolicarum[2].

**Paulus episcopus
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Romani Pontificis providentia circumspecta libenter intendit, ut personis, quae plus laboris et obsequii in eiusdem Pontificis et Apostolicae Sedis honorem ac universalis Ecclesiae utilitatem iugiter perferre et impendere non desistunt, amplioribus etiam gratiis et honoribus ac dignitatum praerogativis decorentur.

Causae motivae huius constitutionis.

§ 1. Quapropter dilectos filios litterarum apostolicarum maioris praesidentiae abbreviatores, qui in concessionibus gratiarum, quas pro tempore ab eiusdem Pontificis benignitate emanare contingit, interpretandis dilucidandisque egregias operas (quod nos etiam in minoribus constituti, dum abbreviatoris earumdem litterarum munere fungeremur, plurium annorum experimento cognovimus) sollicitis studiis navare noscuntur, ut, quo specialibus favoribus et gratiis se noverint prosequutos, eo alacriores ad similia et in dies maiora pro nostro et Sedis praedictae incremento perferenda reddantur, condignis honoribus confovere, benevolentiaeque nostrae perpetuum testimonium eis praebere volentes, eosdemque abbreviatores ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon omnium et singulorum privilegiorum, exemptionum, indultorum et gratiarum, tam abbreviatoribus quam utriusque signaturae Romani Pontificis referendariorum collegiis, quomodolibet concessorum tenores praesentibus pro expressis habentes;

Abbreviatores eo ipso, utriusque signaturae Papae referen-

§ 2. Motu proprio non ad ipsorum abbreviatorum vel alicuius eorum, aut alterius pro eis nobis desuper oblatae pe-

1 Videretur legendum potius *formam in illis traditam* (R. T).

2 Collegii Abbreviatorum institutionem, munus et privilegia, attende supra in Martini V Const. IV *In Apostolicae*, tom. IV, pag. 679; Sixti IV Const. XIX *Divina* (in h. n. edit. XVII tom. V, pag. 251) ac Leonis X Const. XV *Summi*, ibidem pag. 631.

darii deputantur, et peracto triennio abbreviatores esse desinunt, referendarii tamen remanent.

titionis instantiam, sed de nostris merâ liberalitate certâque scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, eosdem abbreviatores (modernos videlicet ex nunc si nondum sint, futuros vero si ante eorum ad officium abbreviatoriae litterarum huiusmodi receptionem et admissionem non erunt in nostrâ et pro tempore existentis Romani Pontificis utrâque signaturâ referendarii) ex nunc, prout ex tunc, et e contra, cum primum ad officium abbreviatoriae huiusmodi recepti atque admissi fuerint, et quo ad signaturam iustitiae solitum in illius praefecti pro tempore existentis manibus (praevio examine iuxta formam constitutionis a felicis recordationis Sixto Papa V praedecessore nostro super reformatione referendariorum ultimo editae faciendo[1]) iuramentum praestiterint, in utriusque signaturae huiusmodi referendarios quoad vixerint (etiamsi abbreviatores esse desierint, dummodo in officio abbreviatoriae huiusmodi saltem per triennium se exercuerint) apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, creamus, constituimus et deputamus, ac dilectorum filiorum aliorum utriusque signaturae huiusmodi referendariorum numero et consortio favorabiliter aggregamus, ac pro veris, indubitatis et non fictis utriusque signaturae referendariis haberi et reputari volumus et mandamus;

Privilegia referendariorum eis communicantur.

§ 3. Ac eisdem abbreviatoribus, ut omnibus privilegiis, exemptionibus et immunitatibus, libertatibus, praerogativis, antelationibus, honoribus, favoribus, indultis, facultatibus, concessionibus et gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus caeteri referendarii utriusque signaturae huiusmodi, de iure, statuto, consuetudine, seu aliâs quomodolibet utuntur, potiuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, potiri, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, tam in iudicio quam extra, ubicumque locorum, absque aliâ prorsus differentiâ, non ad illorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, in omnibus et per omnia (perinde ac si illa ipsis abbreviatoribus, nunc et pro tempore existentibus, eorumque collegio et personis, specialiter et expresse per praesentes litteras concessa fuissent) uti, frui, potiri et gaudere;

Unus ex abbreviatoribus locum semper habet in signatura Papae.

§ 4. Quodque unus ex abbreviatoribus praedictis, qui in receptione et admissione huiusmodi antiquior fuerit, seu, eo absente vel impedito, alius ex eisdem abbreviatoribus ad id ab eorum collegio huiusmodi seu Cancellariae Apostolicae regente pro tempore deputandus, singulis nostris ac pro tempore existentis Romani Pontificis signaturis, nomine huiusmodi abbreviatorum, continuo intervenire et assistere possit et valeat, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo concedimus et indulgemus.

Portio panis singulis conceditur.

§ 5. Praeterea singulis abbreviatoribus praedictis, nunc et pro tempore existentibus, unam portionem panis ex Palatio Apostolico dictim habendam, percipiendam et consequendam, quae aequalis et prorsus conformis existat ei, quam dilecti filii causarum dicti Palatii auditores ex eodem Palatio habere et percipere consueverunt, similiter perpetuo assignamus et concedimus.

Praesentes non indigent registro.

§ 6. Decernentes praesentes litteras semper validas ac efficaces esse et fore, neque eosdem abbreviatores, tam praesentes quam futuros, nec quemquam alium eorum nominibus ad illas in Camerâ Apostolicâ (iuxta constitutionem piae memoriae Pii Papae IV etiam praedecessoris nostri sub datum videlicet VIII kalendas augusti, pontificatus sui anno VI editam[1], qua inter alia cavetur, quod

[1] Const. praedicta Sixti V habetur in *Bull.* tom. VIII h. n. edit., pag. 749; aliae de referendariis Const. ibi citantur in notâ (R. T.

[1] Const. Pii IV hic cit. non habetur in *Bull.* (R. T.).

quaecumque gratiae, eiusdem Camerae interesse quomodolibet concernente, in ipsâ Camerâ infra certum tunc expressum tempus praesentari, insinuari et registrari debeant, alioquin nullius roboris vel momenti existant) praesentandum, insinuandum et registrari faciendum minime teneri, nec ad id ullâ unquam ratione vel necessitate cogi posse, neque propterea easdem praesentes viribus carere, sed abbreviatoribus praedictis eorumque singulis in omnibus et per omnia (perinde ac si iuxta constitutionem Pii praedecessoris huiusmodi praesentatae, insinuatae et registratae, omniaque alia ad id necessaria plene adimpleta fuissent) suffragari;

Clausulae.

§ 7. Sicque per nostros S. R. E. vicecancellarium et camerarium, necnon utriusque signaturae huiusmodi, ac etiam nostrae et pro tempore existentis Romani Pontificis domus praefectos, dictaeque Camerae thesaurarium, clericos, praesidentes, commissarium generalem, dilectos filios, aliosque ministros, pro tempore existentes, necnon quoscumque iudices, commissarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii et generalem Camerae huiusmodi auditores, necnon eiusdem Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere: irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum designatio.

§ 8. Mandantes in virtute sanctae obedientiae camerario, thesaurario, clericis, praesidentibus et commissario praedictis, eorumque singulis, quatenus easdem praesentes, si desuper requisiti fuerint, in dictâ Camerâ admittant, et in illius libris describi et registrari, ac debitae exequutioni demandari, patentesque litteras et scripturas ac mandata opportuna desuper expediri[1]; non permittentes ipsos vel eorum quempiam desuper per quoscumque contra eorumdem praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari, impediri aut inquietari: necnon tam illis, quam vice-cancellario, camerario, praefectis et auditoribus praedictis[2], ut ipsi per se, vel alium, seu alios, eisdem abbreviatoribus in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant praesentes litteras huiusmodi, ac in eis contenta quaecumque, ab omnibus et singulis, ad quos spectat ac pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, ipsosque abbreviatores illis omnibus et singulis eorumque usu et commodo pacifice frui et gaudere: contradictores et rebelles quoslibet per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, auctoritate nostrâ praedictâ, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, easdem sententias, censuras et poenas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus praemissis, ac Pii et Sixti praedecessorum huiusmodi, necnon, quatenus opus sit, de rebus Ecclesiae non alienandis aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Camerae Urbis et Palatii praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, usibus, decretis et reformationibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque officialibus et ministris, caeterisque personis, ius et interesse in praemissis, vel circa ea, aut eorum aliqua, nunc et pro tempore quomodolibet habentibus et praetendentibus, per praedictos et quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos,

1 Forsan supplendum *faciant* (R. T.).
2 Subintellige *mandantes* (R. T.).

Sedemque et Cameram praedictas, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam vim contractus rite et legitime stipulati habentibus seu inducentibus, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ et observatâ, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter aut divisim ab eàdem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 10. Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo praedicti vicecancellarii seu regentis, aut alterius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, vel Romane Curiae praelati munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio quam extra, ubique adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, etc. Siquis autem hoc attentare, etc.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCV, kalendis iulii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 iulii 1605, an. pontif. I.

V.

Indulta et privilegia pro conclavistis postremorum conclavium, in quorum primo Leo XI et in secundo Paulus V electi fuere[1].

Paulus Episcopus
servus servorum Dei,
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanum decet Pontificem, ut erga personas de se ac Sede Apostolicâ benemeritas se munificum exhibeat et liberalem, easque ad altiores honorum gradus evehat et attollat, quas amplioribus obsequiis et meritis decoratas agnoscit.

Causa huius concessionis et donationis.

§ 1. Hinc est quod nos volentes dilectos filios infrascriptos conclavistas, qui in conclavi, in quo divinâ favente clementiâ ad summi apostolatus apicem assumpti fuimus, nobis et fratribus nostris S. R. E. cardinalibus uti familiares commensales inserviendo interfuerunt, eosque qui laborum et incommodorum participes fuerunt, amplioribns etiam honorum praerogativis pro cuiusque merito condecorare;

Donatio scutorum auri decem millium.

§ 2. Ipsosque conclavistas et eorum singulos ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, etiam si in illis per annum continuum insorduerint,

1 Similes gratias quisque Pontifex elargiri solet, sed hanc dumtaxat et aliam Clementis VIII Constit. XLIII *Æquitati* (in h. n. edit. XLV tom. IX, pag. 637) ponendas duxit Cherubinus.

ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; motu proprio, non ad ipsorum conclavistarum vel aliorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostrâ merâ liberalitate, deque apostolicae potestatis plenitudine eisdem conclavistis tot loca Montium nunc vacantia seu vacatura usque ad summam decem millium scutorum auri in auro per tres ex praedictis cardinalibus, singulos in quolibet ordine antiquiores, inter ipsos conclavistas, et per capita singulorum conclavistarum, non autem singulas cellulas, aequis portionibus distribuenda, gratiose et irrevocabiliter, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium donamus.

Concessio privilegiorum nobilitatis, civitatis, familiaritatis, etc.

§ 3. Ipsosque conclavistas in veros, indubitatos et non fictos familiares, continuos commensales nostros, ac eos, qui ex illis clerici existunt, seu militiae clericali adscribi desiderant, quosque tres huiusmodi cardinales gradu, nobilitate et aliis meritis dignos tali dignitate iudicaverint, in nostros et Apostolicae Sedis notarios, sine tamen praeiudicio dilectorum filiorum notariorum de numero participantium, recipimus, ac tam illos quam alios conclavistas singulos, qui singillatim ab eisdem tribus cardinalibus digni tali honore approbati fuerint, sacri Palatii et aulae Lateranensis comites et milites, ac tam illos quam omnes et quoscumque alios conclavistas indistincte, qui nobiles non sunt, nobiles, quique Urbis vel alicuius alterius ex civitatibus, temporali dominio et dictae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis, cives esse voluerint, singulos in eâ ipsâ civitate, quam sigillatim quisque eorum elegerit, et ad quam ab eisdem cardinalibus se admitti petierit, veros cives ad instar, et nullâ prorsus differentiâ inter eos et singulos alios veros originarios et antiquissimos etiam nobiles et partecipantes cives ipsius Urbis vel civitatis (ita ut ipsum ius civitatis ad quoscumque illorum haeredes eodem modo transeat) creamus, constituimus et assignamus, ac nobilitatis et civitatis titulo, honore et insignibus decoramus, aliorumque familiarum, continuorum commensalium nobis actu in Palatio nostro Apostolico servientium, et in illius tinello comedentium et bibentium, ac nostrorum et Sedis praefatae notariorum, Palatiique et Aulae praedictorum comitum, militum et nobilium, ac civium huiusmodi originariorum numero et consortio favorabiliter aggregamus, ac pro veris, indubitatis, ac non fictis familiaribus, continuis commensalibus, ac notariis nostris, comitibusque, militibus, nobilibusque, ac civibus deinceps haberi et reputari volumus ac mandamus. Eisque, ut in quibuscumque impetrationibus, concessionibus et litteris, tam gratiam quam iustitiam concernentibus, se familiares, continuos commensales nostros, et comites, milites, nobiles, ac cives etiam originarios nominare, nec propterea impetrationes, concessiones et litterae ipsae subreptionis vitio subiaceant, sed validae et efficaces existant; necnon ex nunc deinceps in perpetuum omnibus et quibuscumque, ac prorsus similibus antelationibus, antelationum praerogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, declarationibus, derogationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis ac iuribus, quibus alii nostri familiares tempore dictae assumptionis nostrae ad summum apostolatus apicem, ac quibus alii eiusdem Sedis notarii, etiam de numero participantium existentes, etiam si habitum et rocchettum notariorum ipsius Sedis non deferant, Palatiique et Aulae praedictorum comites et milites, et nobiles, necnon

etiam originarii et antiquissimi cives eiusdem urbis vel civitatis, quam, ut praefertur, elegerint, quicumque ex utroque parente vere nobili et cive originario et antiquissimo procreati, de iure, statuto consuetudine vel aliàs ex aliquo speciali privilegio, seu aliàs quomodolibet, etiam quoad assequutionem quorumcumque beneficiorum etiam ecclesiasticorum, etiam per quascumque litteras seu constitutiones apostolicas pro tempore editas, utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ubique locorum, in iudicio et extra, sine tamen eorumdem notariorum de numero participantium praeiudicio, uti, frui, potiri, et gaudere libere et licite valeant, realiter et integre in omnibus et per omnia, etiamsi in urbe et civitate huiusmodi non habitaverint, perinde ac si de vere nobili genere ex utroque parente nobili originario et antiquissimo cive procreati forent, et huiusmodi praerogativae, privilegia, exemptiones, gratiae, favores, concessiones, indulta et iura, quae pro aliis nobilibus et civibus originariis emanarunt, et quae ratione nobilitatis et civitatis naturalis et originariae aliis competunt, pro eisdem conclavistis in specie emanassent seu emanarent, et eis naturaliter de iure, statuto, consuetudine, fundatione vel aliàs competerent, auctoritate et tenore similibus indulgemus.

Remissio fructuum male perceptorum ob non recitationem horarum canonicarum.

§ 4. Ipsisque conclavistis singulis quoscumque fructus, redditus et proventus ecclesiasticos, ac tam occasione pensionum annuarum ipsis vel eorum alicui reservatarum ratione omissionis recitationis horarum canonicarum indebite perceptos, cuiuscumque quantitatis fuerint, gratiose remittimus et condonamus; ac cum eis super inhabilitate per eos propterea quomodolibet contractâ, vel etiam ex eo quod censuris huiusmodi ligati missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebraverint, aut aliàs divinis se immiscuerint, ut illâ et aliis praemissis non obstantibus ad omnes, etiam sacros et praesbyteratus Ordines aliàs rite promoveri, et in illis ac in susceptis per eos aliàs rite Ordinibus, etiam in altaris ministerio, ministrare etiam libere et licite valeant, dispensamus.

Legitimatio conclavistarum et habilitatio ad successiones honores et dignitates.

§ 5. Necnon eosdem conclavistas, si qui eorum[1] defectum natalium ex quocumque damnato et illicito coitu, etiam si ex nobilissimis parentibus et vilibus foeminis forsan procreati sint, etiam si legitimati aliàs existant, legitimamus, omnemque ab illis geniturae huiusmodi maculam sive notam abstergimus et abolemus, ac natalibus restituimus. Necnon cum eorum singulis, ut in quibuscumque bonis paternis et maternis, et aliorum consanguineorum, seu cognatorum vel aliorum quorumcumque, sine tamen praeiudicio venientium ab intestato vel ex fideicommisso seu aliàs de iure validâ dispositione, succedere, et illa donationis vel alio quovis titulo consequi et habere, ac ad aequales portiones cum legitimis succedere, et ad omnia iura, legitimas successiones, ex testamento vel ab intestato, haereditates, legata, libertates restituendo et reintegrando realiter et cum effectu, necnon ad dignitates, honores et quaecumque alia officia saecularia, publica vel privata, etiam assumi, illaque gerere et exercere in omnibus et per omnia, ac si de legitimo matrimonio procreati forent, ac eodem defectu non obstante, si aliud canonicum impedimentum eis non obsistat, ut clericali caractere, qui illo nondum insigniti sunt, insigniri, ac ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, si nondum ad illos promoti sunt, promoveri, ac postmodum caractere et ordinibus huiusmodi

1 Heic subintellige *contraxerint* (R. T.).

illorumque privilegiis uti, ac in eisdem ordinibus, etiam in altaris ministerio, ministrare, necnon quaecumque et qualiacumque, cum curâ et sine curâ, beneficia ecclesiastica, etiamsi personatus, administrationes et officia, etiam curata et electiva, in cathedralibus et metropolitanis vel collegiatis ecclesiis (seu parochiales ecclesiae, vel earum perpetuae vicariae, ac canonicatus et praebendae, necnon dignitates, non tamen principales, in collegiatis ecclesiis huiusmodi fuerint), si sibi aliàs canonice conferantur, aut ipsi eligantur, praesententur, vel aliàs assumantur ad illa, et instituantur in eisdem, recipere et retinere libere et licite valeant.

Applicatio quorumdam beneficiorum Sede vacante vacatorum praedictis conclavistis.

§ 6. Necnon omnia et quaecumque beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, in quibusvis civitatibus, dioecesibus et locis quorumcumque regnorum, provinciarum et dominiorum ac insularum, et aliàs ubilibet consistentia, et ad quorumcumque collatorum saecularium et quorumvis Ordinum regularium collationem, provisionem, electionem, praesentationem, seu quamvis aliam dispositionem pertinentia, etiamsi saecularia, canonicatus et praebendae, dignitates, etiam maiores, personatus, administrationes et officia, etiam curata et electiva, in cathedralibus, etiam metropolitanis, parochialibus vel aliis ecclesiis, ac praestimonia seu praestimoniales portiones, et perpetua ac simplicia, etiam servitoria, beneficia ecclesiastica, non tamen parochiales ecclesiae, vel earum perpetuae vicariae (ita tamen ut si super illarum fructibus, redditibus et proventibus pensiones aliquae imponantur, in favorem conclavistarum, et non aliorum reservari debeant); regularia vero, prioratus, praepositurae, praepositatus, praeceptoriae, dignitates, non tamen conventuales, personatus, administrationes vel officia, non tamen claustralia, ac curata et electiva, aut loca, et canonicales portiones in ecclesiis cathedralibus, etiam metropolitanis vel aliis, aut monasteriis, seu aliis locis regularibus, aut alia beneficia fuerint, quae vacante Sede praedictâ vacabant, et usque ad diem assumptionis nostrae ad pontificatum vacaverunt, etiamsi dispositioni apostolicae specialiter, vel etiam ratione mensium, in quibus vacaverint, aut vacationis illorum apud Sedem praedictam, aut familiaritatis nostrae, seu praedecessorum nostrorum, aut quorumvis S. R. E. cardinalium defunctorum, aut etiam ad Ecclesiae militantis regiminis assumptionem[1], etiamsi ex personis Sedis praedictae notariorum, collectorum, vel aliorum officialium, aut etiam dictorum cardinalium, seu aliàs ex quacumque reservatione, etiam de necessitate et dispositive exprimendâ, generaliter reservata et affecta existant, et eidem dispositioni apostolicae non reservata nec affecta, annuum tamen valorem ducentorum ducatorum auri de Camerâ non excedentia, et de quibus ordinarii collatores, tempore assumptionis nostrae huiusmodi, nullo modo vel nulliter et de facto disposuerunt, inter ipsos conclavistas aliasve personas, ab eisdem conclavistis seu per illos deputatis nominandas, et non aliàs distribuenda, iuxta providam distributionem et divisionem per deputatos a conclavistis huiusmodi faciendam, eâ ratione habitâ, ut beneficia ipsa idoneis conclavistis conferantur, si habiles reperiantur, qui tunc in omnibus beneficiis huiusmodi quibuscumque aliis non conclavistis praeferantur; quod si conclavistae idonei ad eadem beneficia obtinenda defuerint, seu illa acceptare noluerint, tunc pensiones annuae super fructibus, redditibus et proventibus, ac etiam distributionibus quotidianis, aliis-

1 Forsan legend. *regimen assumptionis* (R.T).

que rebus et iuribus, et etiam incertis beneficiorum huiusmodi, quae eas supportare poterunt, conclavistis omnino reserventur, auctoritate et tenore similibus praecipimus et mandamus.

Annullatio collationum factarum aliis quam conclavistis, *etc.*

§ 7. Decernentes quascumque provisiones, collationes, commendas, uniones, annexiones et incorporationes, aliasque dispositiones de ipsis beneficiis, ut praefertur, vel aliàs vacantibus, aut pensiones super fructibus beneficiorum huiusmodi, seu fructuum, reddituum et proventuum ipsorum, vel illorum partis reservationes per quoscumque, quavis auctoritate, aut etiam per nos et Sedem eamdem, etiam motu simili, et certâ scientiâ nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, ac consistorialiter, in aliorum, quam eorumdem conclavistarum vel personarum ab eisdem conclavistis nominandarum coniunctim factas et faciendas, nullas et invalidas, nulliusque roboris et momenti, ac praeter et contra mentem nostram concessas fuisse et esse, nec alicui seu aliquibus, etiamsi cardinales fuerint, de dictis beneficiis vacantibus per nos sub praesenti gratiâ comprehensis in praeiudicium dictorum conclavistarum, quavis etiam apostolicâ vel ordinariâ, aut quacumque aliâ auctoritate provideri, vel aliàs quomodolibet disponi de illis potuisse neque posse; nec collationes, provisiones, commendas aut alias dispositiones, de illis aliter factas, cuiquam nullatenus suffragari debuisse, neque debere; nullumque de[1] illis (etiamsi dispositioni apostolicae affecta aut reservata antea non essent, dummodo de illis per collatores praedictos tempore dictae assumptionis nostrae legitime provisum non fuerit) post id temporis quovis praetextu disponere potuisse neque posse, ac de illis provisis ius[2] in illis vel ad illa quaesitum, et sic per praesentes ablatum non fuisse nec esse, neque regulae nostrae de non tollendo iure quaesito locum fuisse dici aut censeri posse.

Expeditio litterarum apostolicarum pro eisdem conclavistis gratis fiant.

§ 8. Quodque omnes et quaecumque gratiae provisiones, commendae et quaevis aliae litterae apostolicae, ac etiam in formâ Brevis, pro illis expediendis[1], gratis ubique expediantur, tam de capiendâ possessione nomine Camerae Apostolicae, quam in favorem litterarum apostolicarum, ubi illis super provisionibus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum dari poterunt, prout nostris familiaribus, continuis commensalibus, etiam gratis dentur et concedantur, ac dari et concedi omnino debeant, etiam praecipimus et mandamus.

Indultum conclavistarum circa pensiones, *etc.*

§ 9. Necnon conclavistis et eorum singulis, ut quicumque loci Ordinarii vel canonici metropolitanarum seu aliarum ecclesiarum, aut personae quaecumque ecclesiasticae, tam in Romanâ Curiâ quam extra eam, ad id per eos et eorum singulos eligendi seu eligendae, quascumque pensiones annuas, eis et eorum singulis, super quibuscumque fructibus, redditibus et proventibus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, saecularium et quorumvis Ordinum regularium, seu fructus, redditus et proventus huiusmodi beneficiorum reservatos, usque ad summam centum ducatorum similium, in toto vel in parte, ac etiam in mortis articulo, cassare et extinguere, ac, postquam cassatae fuerint, alias similes pensiones annuas, seu fructus, redditus et proventus huiusmodi usque ad summam praedictam uni vel pluribus aliis personis ecclesiasticis, per eosdem conclavistas et eorum singulos nominandis (etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ec-

(1) Prep. *de* adiungendum duximus (R. T.).
(2) Subintellige *nullum* (R. T.).

(1) Sic legunt editt. tum Cherub. tum Main.; at videretur legendum *expediendae* (R. T.).

clesiastica obtinentibus et expectantibus), similiter eis quoad vixerint, vel eorum procuratoribus legitimis, eisdem modo et formâ, quibus eisdem conclavistis reservati fuerint, etiam absque beneficia ipsa obtinentium consensu, integre persolvendas, aut per eos propriâ auctoritate percipiendos, exigendos et levandos, reservare, constituere, concedere et assignare valeant, etiam concedimus et indulgemus. Decernentes ipsas translationes et novas reservationes, constitutiones et assignationes pensionum seu fructuum, redituum et proventuum huiusmodi plenam roboris firmitatem obtinere, ipsosque beneficia, super quorum fructibus, redditibus et proventibus reservatae fuerint, obtinentes ad illas persolvendas efficaciter obligatos fore. Necnon cum eisdem conclavistis, quod ratione quarumcumque pensionum, eis et eorum cuilibet super quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, ut praefertur, vel aliàs quomodolibet qualificatis (non tamen ultra summam ducentorum ducatorum partium pro quolibet) nunc et pro tempore reservatarum et reservandarum, habitum et tonsuram clericales gestare et in illis (dummodo aliàs ipsi habitum decentem et honestum deferant) incedere minime debeant, nec ad id a quoquam desuper cogi seu compelli, minusque aliquas sententias, censuras et etiam privationis seu cessationis ipsarum pensionum poenas occasione praemissorum incurrere possint, sed easdem pensiones ad praedictam summam ducentorum ducatorum ascendentes et reservatas, ut praefertur, etiamsi matrimonium contraxerint cum unicâ tamen et virgine, retinere.

Et immunitatem a spoliis:

§ 10. Postremo, quod bona quaecumque ad dictos conclavistas et eorum quemlibet spectantia, et per eos, etiam ratione quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum per eos aliàs obtentorum et obtenendorum, aut aliàs quomodolibet et quovis quaesito colore vel ingenio seu eorum industriâ licite tamen, acquisita et acquirenda, et in Urbe eiusque districtu ac ubique existentia, spoliis minime subiaceant, sed conclavistae praedicti, etiamsi religioni alicuius militiae, etiam sancti Ioannis Hierosolymitani, adscripti fuerint, de illis in favorem quarumcumque personarum, etiamsi curiales esse desierint, et, in quocumque loco quantumvis remoto eos decedere contigerit, testari et aliàs disponere, iisque ab intestato decedentibus legitime eorum haeredes quicumque succedere libere et licite valeant, simili modo concedimus et indulgemus.

Exequutorum deputatio.

§ 11. Praecipientes ac mandantes dilectis filiis nunc et pro tempore existentibus S. R. E. camerario, et thesaurario, praesidentibus, clericis Camerae nostrae Apostolicae, et quibusvis aliis spoliorum huiusmodi collectoribus et subcollectoribus, nec non militiarum praedictarum officialibus aut procuratoribus, ne in huiusmodi bona manus apponant, neque haeredes praedictorum conclavistarum desuper molestare audeant seu praesumant, ac etiam decernentes donationes etiam per viam testamenti et codicillorum per ipsos conclavistas de eorum bonis huiusmodi factas[1] semper et perpetuo validas et efficaces existere.

Registratio in Camera remittitur.

§ 12. Nec eosdem conclavistas eorumve aliquem ad praesentes litteras in dictâ Camerâ insinuandum aut admitti et registrari petendum teneri, nec illas, etiamsi intra tempus legitimum insinuatae, admissae, seu registratae non fuerint, propterea minus validas censeri, sed suos plenarios effectus sortiri debere.

Clausula praeservativa.

§ 13. Ac easdem praesentes et in eis contenta quaecumque sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitatio-

(1) Vox *factas* adiungenda visa fuit (R. T.).

nibus, modificationibus, decretis et constitutionibus apostolicis, gratiarum revocatoriis, vel quae eas limitarent vel moderarent, quae a nobis et dictâ Sede pro tempore, et ex quibusvis causis etiam urgentissimis, etiam in favorem fidei et divini cultus augmentum, etiam consistorialiter, vel aliàs quavis auctoritate hactenus vel imposterum emanaverint, minime comprehensas esse, sed quoties illae emanabunt, toties easdem praesentes in pristinum statum repositas et reintegratas esse et censeri;

Clausula sublatâ.

§ 14. Sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate) in quavis causâ et instantiâ iudicari et definiri debere: irritum quoque et inane quidquid secus super his, *etc.*, ignoranter, contigerit attentari.

Iussio, quod officiales gratis expediant.

§ 15. Et insuper dilectis filiis rescribendario et computatori litterarum apostolicarum, et aliis ad quos spectat, in virtute sanctae obedientiae, et sub poenâ indignationis nostrae, motu simili mandamus ut litteras praedictas super praemissis omnibus et singulis, tam coniunctim quam divisim, ac pro singulis, quibus concessa fuerunt, ac seorsim et separatim, cum omnibus et quibuscumque derogationibus, decretis et clausulis in eis contentis, gratis de mandato nostro ubique in omnibus etiam abbreviatorum, sollicitatorum, secretariorum, plumbique et registri officiis absque aliquâ pecuniarum exactione, etiam per viam compositionis faciendâ, omni contradictione et dilatione cessantibus, signent expediantque et expediri faciant.

Clausula derogatoria.

§ 16. Non obstantibus praemissis, ac de certo eorumdem notariorum numero, etiamsi ad illum nondum sit deventum, cui per hoc aliàs non intendimus derogare, ac unâ de insordescentibus, et alterâ nostris de praestando consensu in pensionibus, nec non felicis recordationis Pii Papae IV, praedecessoris nostri, de similibus vel dissimilibus gratiis in Camerâ Apostolicâ infra tres menses praesentandis et registrandis, necnon recolendae memoriae Pii Papae V, praedecessoris nostri, contra illegitimos, necnon Pictavensis concilii, et aliis apostolicis, ac etiam in universalibus provincialibusque conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiarum, monasteriorum, Ordinum etiam sancti Ioannis Hierosolymitani, ac etiam Urbis Romae et aliarum civitatum, oppidorum et terrarum, necnon Camerae praedictae, et quarumvis universitatum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, naturis, decretis, et etiam novis reformationibus, necnon etiam legibus tam pontificiis, quam imperialibus, regiis et ducalibus, etiam sacris canonibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis superioribus, et personis, ac locis quibuscumque in genere vel in specie sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam vim contractus et statuti perpetui continentibus, ac etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, et aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, illis praesertim, quibus inter alia caveri dicitur expresse, quod beneficia Urbis non nisi personis sub certis modo et formâ inibi qualificatis et oriundis ex certis locis ac trium Ordinum et militiarum expresse professis conferri et commendari possint, disponentibus. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus.

specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis tradità observatâ, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter aut divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, *etc.* mentionem.

Indultorum concessio pro conclavistis penultimi conclavis.

§ 17. Volumus autem quod conclavistae, qui in conclavi, in quo piae memoriae Leo Papa XI, similiter praedecessor noster, ad summi apostolatus apicem assumptus fuit, in praesenti gratiâ (non tamen quoad provisionem beneficiorum et distributionem decem millium scutorum huiusmodi) comprehendantur, perinde ac si illis haec omnia concessa fuissent, prout illis omnibus et singulis pariformiter ac principaliter concedimus et impertimur.

Transumptorum fides.

§ 18. Volumus etiam quod praesentium transumptis, etiam impressis, et sigillo ac manu alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis et subscriptis, eadem fides tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nomina conclavistarum.

Nomina autem conclavistarum, qui in utroque conclavi huiusmodi interfuerunt, sunt haec, videlicet:

Venerabilis frater noster Angelus episcopus Tagastensis sacrista, necnon dilecti filii Paulus Alaleo, Guido Ascanius praevostus, Ioannes Paulus Mucantius magistri caeremoniarum; Mutius Riccerius clericus Camerinensis secretarius collegii; Robertus Ubaldinus clericus Florentinus, Petrus Iacobus Cima clericus Auximanae dioecesis ipsius Leonis praedecessoris dum cardinalatus honore fungebatur; Petrus Pavonius clericus Ariminensis, Marcus Antonius Tanus clericus Ferentinus nostri etiam dum cardinalatus honore fungebamur; Annibal Minalis clericus Ianuensis frater Hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, Franciscus Vicedominus clericus Comensis, Alexander Coraldinus Fulginatensis, Ptolomei Ostiensis Comensis; Iulius Caesar Cantavena clericus Astensis, Raynaldus Magnanus clericus Sarsinatensis, Dominici Portuensis Pinelli; Scipio Cobellutius clericus Viterbiensis, Alexander Benreceptus presbyter Mantuanus, Hieronymi Albanensis Asculani, Petrus Pocchier, Ludovicus etiam Pocchier, Paulus Castellus clerici Tholosani, Francisci Sabinensis de Gioiosa; Octavius Mancinus clericus Romanus, Ioannes Baptista Rezzanus presbyter Veronensis, Augustini Valerii Praenestini de Verona; Iulius Bellus clericus Iustinopolitanus, Franciscus Mansius clericus Amerinensis dioecesis, Marcus Antonius Carretus presbyter Albinganensis dioecesis, Antonii Mariae Tusculani, venerabilium fratrum nostrorum episcoporum galli; Horatius Sylvestrius presbyter Verulanus, Hector Octonus clericus Camerinensis dioecesis, Antonii sanctae Mariae Transtiberim Saulii; Marcus Antonius de Magistris clericus sancti Severini, Iacobus Dunus clericus Novariensis miles militiae sancti Lazari, Evangelistae sancti Laurentii in Lucina de Cusentia; Lelius Carluccius clericus Civitatis Ducalis, Felix Persicus clericus Spoletanus, Martinus Fabrius clericus Gebennensis, Mariani Perbendicti Ss. Marcellini et Petri de Camerino; Aurelius Adrianus clericus Mon-

tis Alti, Honoratus Laversanus presbyter Fundanus, Constantinus Naimolus presbyter Campaniensis, Gregorii sancti Augustini de Montelparo; Torquatus Loscus clericus Vicentinus, Ioannes Baptista Cusinus clericus Mutinensis, Pauli Ceciliae Sfondrati; Nereus Dragomannus clericus Aretinae dioecesis, Franciscus Bovarellus clericus Eugubinus, Benedicti sancti Priscae Iustiniani; Pyrrhus Nutus clericus Eugubinus, Antinorus Ubaldinus laicus Pisaurensis, Francisci Mariae sanctae Mariae de Aracaeli a Monte; Octavius Garimbertus clericus romanus, Geminianus de Madonna clericus Sarzanensis dioecesis, Octavii sancti Alexii Paravicini; Romulus Cerrinus clericus Romanus, Ioannes Franciscus Confalonerius clericus Recanatensis, Octavii sanctae Praxediis de Aquaviva; Augustus Barbolus presbyter Cremonensis, Gaspar Ghirellus, Bartholomeus Belluccius clericus Mutinensis, Flaminii sanctae Mariae de Pace Plati; Ioannes Baptista Cantonus laicus Mediolanensis, Ioannes Antonius Aliprandius clericus Mediolanensis, Hieronymus Ponzonus laicus Mediolanensis, Federici sanctae Mariae Angelorum Borromaei; Alexander Scappius clericus Bononiensis, Hieronymus Roncallius clericus Bononiensis, Antonii Sanctorum Quatuor Coronatorum Fachinetti; Laurentius Bernardinus presbyter Lucensis, Bernardinus de Lupis de Sancto Edicto presbyter nullius dioecesis, Alexander de Magistris clericus Terracinensis dioecesis, Sebastianus Fotius clericus Interamnensis, Petri Sanctorum Ioannis et Pauli Aldobrandini; Franciscus Leonellus clericus Forosempronensis, Dominicus Roncius laicus Sutrini dioecesis, Cynthii sancti Petri ad Vincula sancti Georgii; Lucas Antonius Eustachius clericus Troianus, Nicolaus Maurus presbyter Ripanus, Septimius Angleria clericus Cremonensis, Petrus Riccius presbyter Romanus, Alexander Ricciardus laicus Politianensis physicus, Francisci Mariae sanctae Mariae supra Minervam Taurusii; Franciscus Cavalcantes laicus Florentinus, Bartholomeus Donus clericus Romanus, Octavii sanctae Sabinae Bandini; Nicolaus de Escalle clericus Tullensis, Iacobus de Foraia, Annae sanctae Susannae de Giury; Reginaldus Cruolenus clericus Clusinae dioecesis, Iosephus Chechius clericus Interamnensis, Clemens Ossattus Persa laicus, Caesaris Sanctorum Nerei et Achillei Baronii; Contes Ciaia clericus Senensis, Secundus Odinus Clericus Astensis, Laurentii sancti Laurentii in Pane et Perna Blanchetti; Christophorus de Trivinno clericus Abulensis, Ioannes de Almaraz clericus Placentinus, Ferdinandus de Ribera clericus Cauriensis dioecesis, Francisci sanctae Crucis in Hierusalem Avilae; Emilius Florius clericus Valvensis, Sulmonensis dioecesis, Dominicus Carmistalius presbyter Reatynus, Bernardinus Zampa clericus Camerinensis dioecesis, Francisci sanctae Mariae de Populo Manticae; Nicolaus Speronus presbyter Vintimiliensis, Urbanus Ceulus Pisanus, Bernardus Bassus clericus nullius dioecesis, Pompei sanctae Balbinae Arrigonii; Alphonsus Sfondratus clericus Cremonensis, Ludovicus Rondinallus clericus Imolensis, Bonifacii sancti Hieronymi Illyricorum Bevilacquae; Hieronymus Bassus presbyter Imolensis, Pompeius Andreoccius clericus Aretinae dioecesis, Alphonsi sancti Sixti Vicecomitis; Angelus Miraldus clericus Nucerinenis dioecesis, Iosephus Geggius clericus Spoletanae dioecesis. Ioannes Genius Lotharingius laicus, Dominici sancti Honufrii Tusci; Iacobus Oliverius clericus Romanus miles militiae Iesu Christi, Hyppolitus Blancus Ferrariensis sancti Francisci sancti Silvestri Dietrichsteinensis; Iosephus Vignanesius clericus Poli-

tianensis, Petrus Guidottus presbyter Pientinensis, Ludovicus Arregatius clericus Politianensis; Roberti sanctae Mariae in via Bellarminii; Iacobus Moiard presbyter Cainotensis dioecesis, Matthaeus de Puis clericus Parisiensis, Francisci sanctorum duodecim Apostolorum de Sourdis; Ludovicus Beccacellus Clericus Bononiensis, Ioannes Thomas Malpicus clericus Senogalliensis, Natalis Morbiolus laicus Bononiensis, Seraphini sancti Salvatoris in Lauro Olivarii; Hieronymus Mezzamicus presbyter Imolensis, Emilius Sperellus laicus Assisiensis, Dominici sancti Pancratii Gymnasii; Severus Durinotius clericus Senensis, Hieronymus Musitanus clericus Iustinopolitanus, Ioannes Mengotius clericus Foroliviensis, Marcus Antonius Mozzarellus clericus Mutinensis, Philippi sancti Bartholomaei in Insula Spinelli; Rodericus Bonal de Paz clericus Salamantinus, Josephus Perez clericus Tirasonensis, Antonii sancti Matthaei in Merulana Zappatae, Balduinus Massa Romanus, Iacobus Honoratus laicus Anconitanus; Caroli sancti Clementis de Comitibus; Camillus Sinibaldus clericus Auximanus, Jacobus Franciscbinus de Bertinoro laicus Veronensis, Benedictus Averinus laicus Volaterranensis physicus, Caroli sancti Thomae in Parione Madrutii; Ioannes de Saletta presbyter Lascurensis, Claudius Calamart clericus Parisiensis, Iacobi sancti Agnetis de Peron; Livius Sala Spoletanus miles dicti Hospitalis, Augustinus Ioiosius clericus sancti Severini, Ioannes Fideretus laicus Sarzanensis, Innocentii sancti Marcelli de Bubalis; Iacobus Benedictus presbyter Nicosiensis, Iosephus Petorellus Utinensis, Franciscus Gambertus laicus Florentinus, Ioannis sancti Marci Delfini; Urbanus Paleonus clericus Reatinae dioecesis, Gaspar Tantus clericus Firmanus, Iacobi sancti Stephani in Monte Cellio Sannesii; Laurentius Nicolosius presbyter Lucensis, Iacobus Broccardus laicus Niciensis, Herminii sanctae Mariae Transpontinae de Valentibus; Polidorus de Polidoris Urbevetanus miles dicti hospitalis, Ioannes Nicolaus Ferronus clericus Beneventanus, Hieronymi sancti Blasii de annulo Pamphilii; Ioannes Baptista Vulpius presbyter Papiensis; Ioannes Nicolaus Righettus presbyter Senogalliensis, Ferdinandi sancti Eusebii Tabernae; Ioannes Baptista Ubertus presbyter Civitatis Castelli, Ascanius Felix a sancto Angelo in Vado, Anselmi sancti Petri in Monte Aureo titulorum presbyterorum Menopolitanorum nuncupatorum; Tullius Cicero clericus Comensis, Cambius Artusinus clericus Foroliviensis, Francisci sanctae Mariae in via lata Sfortiae; Rogerius Tritonius presbyter Utinensis, Plinius Bonioannes laicus Firmanae dioecesis, Alexandri sancti Laurentii in Damaso de Montalto; Alphonsus Carandinus clericus Mutinensis miles militiae Iesu Christi, Nicolaus Bonarellus clericus Anconitanus, Ioannes de Royas clericus Toletanae Odoardi sancti Eustachii Farnesii; Ioannes Prosper Turritanus laicus Alatrinus, Crispoltus Matteius clericus Assisiensis dioecesis, Bartholomaei sanctae Mariae in Porticu Cesii; Petrus Fanciscus Bonioannes presbyter Firmanae dioecesis, Iosephus Baronius laicus Montis Alti, Andreae sancti Angeli in foro piscium Peretti; Iosephus Fontanella Regiensis, Petrus Rudulphus Arlottus clericus Regiensis, Nicolaus Castel Vetrus clericus Mutinensis, Alexandri sanctae Mariae Novae Estensis; Ioannes Baptista Schiaffinatus clericus Mediolanensis, Nicolaus Accursinus clericus de sancta Flora, Ennius Torellus clericus Spoletanae dioecesis, Ioannis Baptistae sanctae Mariae in Cosmedin Deti; Germanicus Fidelis presbyter Ripanensis, Romalus Clarutius clericus Montis Alti, Paulus Emilius Petru-

tius presbyter Firmanus, Sylvestri sancti Caesarii Aldobrandinii; Horatius Mancinus presbyter Perosinus, Martinus Martinez de Androsal clericus, Ioannes Baptista Spinola laicus Ianuensis, Iannettini de Auria; Octavius Monesius clericus Mutinensis dioecesis, Octavianus Albinellus laicus Ferrariensis, Prosper Marzanus physicus laicus, Caroli Emanuelis sancti Nicolai in carcere Pii diaconorum S. R. E. cardinalium etiam nuncupatorum: necnon Antonius a Turre clericus Casalensis, Bernardinus Eusebius presbyter Ipporegiensis Fabius de Amicis clericus Camerinensis bonae memoriae Francisci sancti Clementis; Antonius Cicalottus clericus Sabinensis, Ioannes Natalis clericus Sarzanensis, Franciscus Petius clericus Cornetanensis, Pauli Emilii sancti Marcelli; Hieronymus Racanus Anconitanus miles praedicti Hospitalis, Ioannes Furnus, Ioannes Franciscus Martini clerici Faventinensis civitatis vel dioecesis, Hieronymi sancti Petri ad Vincula, similiter titulorum eiusdem S. R. E. cardinalium defunctorum: necnon frater Aloysius Bononiensis Ordinis sancti Augustini, magister in theologia cum dicto Angelo episcopo, frater Petrus de Matre Dei Ordinis Carmelitarum Discalceatorum confessarius; Rodulphus Silvestrius, Vincentius Balduccius, Petrus Simon Faustus, physici, Iulianus Cecchinus chirurgus; Propertius Sixtus, Gentiles Gentilis aromatarii; Bartholomaeus Venturuccius, Ludovicus Sexto Gallus, Propertius Sixtus, Benedictus Gasparinus eorum adiutores; Ioannes Baptista Camosinus clericus Novariensis custos fontis; Franciscus Padonius secretarii auditor; Iubentius de Angelis, Blasius Zucchius barbitonsores; Alexander Bettinius, Aristoteles Gattai, Iulius Caesar Rotius eorum adiutores; Angelus Pezzus cementarius; Nicolaus Varisius, Ioannes Volfretta fabri lignarii; Franciscus Mediolanensis, Thomas de Dohana, Iacobus Comensis, Iacobus de Voltulina, Ioannes Receta, Andreas Schemnus, Vincentius Guarinus, Ioannes Sorci, Donatus Marchesolus, Ioannes Venetus, Dominicus de Voltulina, Iacobus Polus, Ioannes de Remedio, Ioannes Simonetta, Thomas Susanna, Vincentius ad Gorallum, Simon Tridentinus, Dominicus, aliàs Bologna, Petrus de Petrolis, Dominicus Gutius, Marcus Antonius Ferrus, scopatores conclavis.

Sanctio poenalis.

§ 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, donationis, receptionis, constitutionis, decorationis, aggregationis, voluntatis, mandati, indulti, remissionis, condonationis, dispensationis, legitimationis, abstersionis, abolitionis, restitutionis, praeceptionis, concessionis, derogationis et impartitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicae MDCV, pridie kalendas augusti, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 31 iulii 1605, pontif. an I.

VI.

Exemptio fratrum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo a solutione quartae funeralium, cum declaratione Concilii Tridentini, sess. XXV cap. XIII[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam memoriam.

Prooemium

Decet Romanum Pontificem, quae sacris Ordinibus a Sede Apostolicà dudum concessa sunt, sarta tectaque tueri.

1 Alia de hoc Ordine videre est in Constitutione LXXVIII Honorii III *Ut vivendi* tom. III, pag. 415 et alibi.

Privilegium Sedis Apostolicae et Concilii Tridentini circa solutionem quartae funeralium.

§ 1. Inter quos adest Ordo beatae et gloriosae semperque Virginis Mariae de Monte Carmelo, cui inter alia, sicut accepimus, diversi Romani Pontifices concesserunt illius domos seu monasteria ante annos quadraginta aedificata non teneri ad solutionem quartae funeralium, idque etiam a Concilio Tridentino de praedicto et aliis sacris Ordinibus decretum fuit.

Declaratio congregationis cardinalium interpretum dicti Concilii circa privilegium.

§ 2. Cum autem quaereretur an eadem postea a quadraginta annis aedificata deberent dictam quartam solvere, venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales, decretorum dicti concilii interpretes, censuerunt monasteria aedificata a quadraginta annis citra non teneri ad solutionem quartae funeralium huiusmodi, si modo sint eius religionis, cui a dictà Sede ante quadraginta annos indultum sit, ut eamdem quartam non teneantur soluere episcopo.

Pontificis decretum super illius exequutione.

§ 3. Quare, ne dicti Ordinis Carmelitani monasteria seu domus in diversis mundi partibus a quadraginta annis aedificata indebite cogantur solvere dictam quartam funeralium, eorumque indemnitati prospicere cupientes, ac tenores litterarum concessionum huiusmodi forsan confectarum praesentibus pro expressis habentes, dilecti filii procuratoris generalis dicti Ordinis Carmelitani illius nomine nobis prorrectis supplicationibus adducti, volumus, mandamus, decernimus et declaramus omnia et singula huius Ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo monasteria seu domos, in quibuscumque mundi partibus a quadraginta annis aedificata, illorumque conventus et fratres nullo modo, nullàve ratione teneri ad solutionem dictae quartae funeralium, et ob non solutionem huiusmodi aliquas sententias, censuras et poenas incurrere posse.

Iussio non molestandi Ordinem super dictà exequutione.

§ 4. Inhibentes in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis et parochialium ecclesiarum rectoribus, ac aliis quos id concernit, ne ab ipsis fratribus monasteriorum seu domorum a quadraginta annis aedificatorum dicti Ordinis Carmelitani quartam funeralium huiusmodi quoquo modo exigere, aut eos desuper molestare audeant seu praesumant. Quod si quis contradicere praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius noverit se incursurum.

Itaque et non aliter iudicandi.

§ 5. Sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales (sublatà eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) ubique iudicari ac definiri debere, necnon irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio exequutorum.

§ 6. Quocirca dilectis filiis causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, et nunc et pro tempore existentibus nostri ac dictae Sedis nunciis in regnis seu locis aut terris, ubi dictae domus aedificatae fuerint, existentibus mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, solemniter publicantes, ac fratribus praedictis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant praemissa omnia observari, nec permittant eos desuper a quoquam molestari; contradictores quoslibet et rebelles, et praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus quibusvis consti-

tutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia espressio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 8. Et quia difficile foret easdem praesentes ad singula quaeque loca deferri, volumus et etiam declaramus quod earum transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, ac si praesentes forent exhibitae vel ostentae.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris die xx augusti MDCV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 augusti 1605, anno I.

VII.

Erectio collegii vel seminarii Colimbriensis in regnis Hispaniarum, pro religiosis militiarum S. Iacobi de Spatha et S. Benedicti de Avis[1].

Paulus Papa V,
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis pastoralis officii debito, quo ecclesiarum et Ordinum quorumcumque regularium etiam militiarum regimini, divinâ disponente clementiâ, praesidemus, in his auctoritatis nostrae partes libenter interponimus, per quae ecclesiarum et Ordinum praedictorum personae ac ministri sacrarum litterarum studiis incumbere, et ita utiliores Ecclesiae Dei evadere possint.

Quamplurimae parochiae a militibus harum militiarum regi solebant.

§ 1. Cum itaque (sicut carissimi in Christo filii nostri Philippi Portugalliae et Algarbiorum regis catholici nomine nobis nuper expositum fuit) magna pars ecclesiarum parochialium regnorum Portugalliae et Algarbiorum, praesertim in Ulisbonensi, Elborensi, Colimbriensi, Elnensi, Pharaonensi, Portalegrensi et aliis forsan dioecesibus, constet ex praeceptoriis seu compendis militiarum S. Iacobi de Spatha sub regulâ S. Augustini, ac S. Benedicti de Avis sub regulâ eiusdem S. Benedicti, quae parochiales ecclesiae, iam quoad animarum curam, quam quoad alia necessaria, per presbyteros Ordinum earumdem militiarum respective professos, a praedicto Philippo rege, qui etiam militiarum praedictarum perpetuus administrator apostolicâ auctoritate deputatus existit, pro tempore praesentandos, et ab Ordinariis locorum respective instituendos gubernari solent;

Nonnullae etiam per eos regulariter.

§ 2. Et multae illarum in civitatibus et oppidis praecipuis eorumdem regno-

[1] Militiam S. Iacobi approbavit Alexander III in sua Const. LXXX *Benedictus*, tom. III pag. 780; eius administrationem regi hispaniarum concessit Adrianus VI, Const. IV *Dum intra*, tom. VI pag. 13 indultum eidem regi subdelegandi iudicem conservatorem in causis dictorum hospitalium concessit Clemens VIII, Const. CLXXIV (in h. n. edit. CLXXXI, tom. X pag. 429). Alia privilegia concessa dictae militiae a Clemente VIII habes in praecedenti tomo

rum existant, et propterea non solum per priores et rectores, sed etiam per diversos alios earumdem militiarum beneficiatos collegialiter deserviri soleant, quod quidem non nisi adhibito magno idoneorum ministrorum numero fieri potest;

Quare eaedem militiae indigebant maiori numero habilium personarum.

§ 3. Et licet in conventibus dictarum militiarum multi tum grammaticae tum morali theologiae operam navent, nonnulli vero in Colimbriensi et Elborensi universitatibus studiorum generalium, expensis dictarum militiarum, seorsim tamen et separatim, et absque aliquâ clausurâ et regularis disciplinae observantiâ, litterarum studiis incumbant, ut postea de prioratibus ac aliis beneficiis earum militiarum provisi dictis ecclesiis inserviant; quoniam tamen praedictae militiae pro ipsarum ecclesiarum regimine et administratione maiori eruditorum numero indigent;

Philippus rex statuit militare collegium Colimbriense erigere.

§ 4. Propterea idem Philippus rex et administrator, de consilio praesidentis et deputatorum mensae conscientiae nuncupatae, ad eorumdem militiarum regimen apostolicâ auctoritate institutae, reservato nostro et Apostolicae Sedis beneplacito, decrevit, ut in universitate Colimbriensi novum collegium seu seminarium erigeretur et fundaretur, in quo aliqui ex qualibet dictarum militiarium religiosi, sub clausurâ et regulari obedientiâ, sacrae theologiae, aut iuris canonici studiis operam darent, qui collegiales, facto prius inter eos, qui admittendi sunt, concursu, admitti deberent eodem modo ac stylo, quo collegio regali S. Pauli eiusdem universitatis, quoad sanguinis puritatem, generis et familiae nobilitatem et qualitatem dictorum collegialium observatur. Quod quidem militare seminarium ac illius collegiales praedicti statutis et regulis suorum Ordinum, et aliis ad id formandis et edendis gubernarentur, eâ conditione adiectâ, ut praedicti collegiales, per concursum, ut praefertur, eligendi, prius quam ad dictum collegium seu seminarium admitterentur, in conventibus dictarum militiarum regularem earum habitum susciperent; et, si dicto Philippo regi nunc et pro tempore earumdem militiarum administratori videretur, etiam regularem ac solemnem emitterent professionem;

Seminarii fabricae prosecutioni, et collegialium substentationi, providit de redditibus beneficiorum dictarum militiarum.

§ 5. Praeterea, ut dicti collegii fabrica et collegialium congrua sustentatio nullo unquam tempore deficere aut desiderari posset, ex dictarum militiarum prioratibus, praeceptoriis, commendis et beneficiis, eorumque redditibus, proventibus, iuribus et emolumentis quibuscumque ea quantitas et portio eidem collegio seu seminario applicaretur et attribueretur, quae arbitrio ipsius Philippi regis nunc et pro tempore existentis administratoris huiusmodi taxanda et applicanda et attribuenda videretur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipse Philippus rex et administrator cupiat erectionem et fundationem dicti collegii seu seminarii quantocitius ad felicem et optatum effectum perduci, atque ut priores, praeceptores, commendatarii et alii beneficiati dictarum militiarum onus contributionis per eos faciendae, in subventionem collegii seu seminarii erigendi huiusmodi, facilius perferre valeant, illos quacumque aliâ contributione aliis seminariis ecclesiasticis per Ordinarios locorum ex decreto sacri Concilii Tridentini erectis faciendâ (attento maxime quod seminaria illarum partium satis uberes redditus habent et non existunt in quasi possessione exigendi contributionem a beneficiis militiarium) auctoritate apostolicâ eximi desideret, et propterea nobis humiliter supplicari fecerit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Et a solutionibus aliis seminariis faciendis eximi petit.

Paulus dictum seminarium erigit, pro dictis militiarum religiosis.

§ 6. Nos igitur eiusdem Philippi regis et administratoris piis votis ac supplicationibus, in his praesertim quae divini

cultus augmentum et ministrorum virtutem alendam et litterarum studia promovenda pertinent, benigne annuere volentes, eius in hac parte supplicationibus inclinati, ex voto venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum, quibus hoc negotium examinandum et nobis referendum commisimus, in praedictâ universitate studii generalis Colimbriensi unum collegium seu seminarium militiarum praedictarum, in quo sub unius rectoris (a praedicto Philippo rege moderno et pro tempore existente earumdem militiarum administratore, seu magno magistro, ad nutum deputandi et amovendi) curâ et gubernio aliqui praedictarum militiarum religiosi sub regulari clausurâ ac obedientiâ sacrae theologiae seu iuri canonico operam dare debeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus, ac eidem Philippo regi et administratori nunc et pro tempore existenti praefato, ut per personas earumdem militiarum ab eo deputandas locum pro fabricâ dicti collegii in eâdem universitate designare, necnon ut pro eâdem fabricâ et pro manutentione rectoris et collegialium eiusdem collegii, qui pro tempore fuerint, contributionem, a singulis prioribus, praeceptoribus, commendatariis et aliis beneficiatis earumdem militiarum, pro ratâ fructuum, redditaum, emolumentorum et iurium suarum praeceptoriarum et prioratuum, commendarum et beneficiorum, respective faciendam, taxare, statuere et determinari, et persolvi facere possit facultatem impertimur.

Regulas approbari et collegiales per concursum ab Ordinario iubet admitti.

§ 7. Praeterea, ut praedictum collegium seu seminarium militare et collegiales in illud pro tempore admittendi iuxta statuta et regulas suorum Ordinum et alias pro felici illius gubernio de novo faciendas, dummodo licitae et honestae ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis et constitutionibus apostolicis conformes existant, et ab Ordinario loci tamquam Apostolicâ Sedis delegato prius examinentur et approbentur, regi et gubernari, utque praedicti collegiales per concursum, ut praefertur, pro tempore eligendi, priusquam ad collegium seu seminarium admittantur, in conventibus dictarum militiarum regularem earum habitum suscipere, et, si dicto regi et administratori ita etiam visum fuerit, regularem et solemnem professionem emittere debeant, statuimus et ordinamus.

Seminario contribuentes ab aliis contributionibus eximit

§ 8. Ut autem praeceptores, commendatarii, priores, rectores et alii beneficiati et milites dictarum militiarum onus contributionis faciendae pro manutentione dicti collegii seu seminarii facilius perferre possint, illos universos et singulos a quacunque aliâ contributione seminariis ecclesiasticis in quibusvis civitatibus et dioecesibus (attentâ eorumdem seminariorum illarum partium reddituum ubertate, quodque ipsa seminaria non sunt in quasi possessione exigendi contributionem a dictis militiis) auctoritate et tenore praedictis eximimus et liberamus; ac liberos et exemptos fore et esse, sicque ab omnibus censeri, ac ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Executores huius bullae deputat.

§ 9. Quocirca dilectis filiis curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori et spoliorum et iurium Camerae nostrae Apostolicae debitorum in Portugalliae et Algarbiorum regnis collectori generali et officiali Colimbriensi per prae-

sentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dicti Philippi regis et pro tempore existentis administratoris, ac aliorum praedictorum, seu alicuius eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos et eorum quemlibet eorumdem praemissorum effectu respective pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari: contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariisque derogat.

§ 10. Non obstantibus praemissis ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus concilis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon militiarum praedictarum, et quarumcumque ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem collegio eiusque rectori, collegialibus, aliisque personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro espressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si praedictis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die XXIII augusti MDCV, pontificatus nostri anno I[1].

Dat. die 23 augusti 1605, pontif. an. I.

VIII[2].

Commissio nuncio apostolico apud Poloniae regem ut processum conficiat in causa vertente inter regem et monachos monasterii Tinecensis Ordinis sancti Benedicti super abbatis electione, et ad Sanctam Sedem remittat[3].

Venerabili fratri Claudio episcopo Regiensi nostro et apostolicae Sedis apud charissi-

1 Primâ die sequentis septembris hic idem Pontifex privilegia omnia a suis antecessoribus concessa hospitali S. Ioannis Hierosolymitani rata habuit suâ Constitutione cui initium *Pastoris aeterni*, et quae legi potest in corpore diplomatico sancti huius Militaris Ordinis.

2 Hanc constit., quae in edit. Main. IX numeratur, nos VIII inscribimus, quia, quae VIII erat, ratione mox aperiendâ, postponimus (R. T.).

3 Ex Regest. in Secret. Brev.

mum in Christo filium nostrum Sigismundum Poloniae et Svetiae regem illustrem nuncio

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Vacante monasterio monachi abbatem elegerant.

§ 1. Cum, sicut accepimus, nuper monasterio sanctorum Petri et Pauli de Tinetia Ordinis sancti Benedicti Cracoviensis dioecesis abbatis regimine destituto, dilecti filii eiusdem monasterii conventus capitulariter congregati, et servatis iuxta eorum Ordinis regulam servandis, dilectum etiam filium Albertum Baranoschium eiusdem Ordinis et monasterii monachum professum, in ipsius monasterii abbatem, ut asseritur, canonice elegerint;

Rex tres monachos praesentare contendit.

§ 2. Sed, quia charissimus in Christo filius noster Sigismundus Poloniae rex illustris nominationem trium personarum (ex quibus unus in abbatem dicti monasterii, dum pro tempore vacat, ab ipsis conventu et monachis eligatur) ad se spectare praetendit, electionem supradictam nullam et invalidam esse ac nulliter factam fuisse asserat;

Unde controversia orta est.

§ 3. Ac propterea ortà inter praedictum Sigismundum regem ex unà et Albertum electum ac conventum ipsius monasterii (praetendentes ipsum Sigismundum regem ius nominandi personam eligendam non habere, sed illi tantummodo ius praesentandi Ordinario personam electam, ut ab illo confirmetur, competere) ex alterà partibus desuper differentià, Albertus electus atque conventus praefati ad nos recursum habuerunt, et nobis humiliter supplicarunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicà dignaremur:

Pontifex partium iura cognoscere mandat nuncio apostolico, ad se remittenda.

§ 4. Nos igitur, tam ipsius Sigismundi regis, si illi competat, quam Alberti electi et conventus praedictorum iura diligenter audire et ius suum unicuique tribuere volentes, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut utriusque partis iura quaecumque, vocatis vocandis et servatis de iure servandis, diligenter audias, et recipias documenta et scripta ad huiusmodi causam spectantia, et hinc inde producenda recognoscas, testes quoscumque hinc inde inducendos super articulis et interrogatoriis a partibus dandis per te ipsum diligenter examines, eorumque dicta absque aliquà diminutione vel additione in scriptis redigi facias, et super his omnibus processum authenticum conficias, et ad nos tuo sub sigillo clausum quamprimum transmittas.

Opportunam eidem tribuens facultatem.

§ 5. Dantes tibi plenam, amplam et omnimodam potestatem quos et quibus opus fuerit, etiam per censuras et poenas ecclesiasticas, et per edictum publicum, constito de non tuto ad illos accessu, citandi et inhibendi, et quascumque tam publicas quam privatas scripturas, instrumenta et documenta per aliquam ex dictis partibus petita, ad hanc causam quomodolibet facientia, exhibendum, ac testes quoscumque ad perhibendum veritati testimonium, etiam per similes censuras et poenas ecclesiasticas, cogendi et compellendi, ac alia omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna usque ad praedicti processus consummationem et perfectionem (citra tamen causae huiusmodi ulteriorem cognitionem et decisionem, quam nobis ex iustis causis et Sedi Apostolicae definiendam et decidendam reservamus) faciendi, gerendi, mandandi, ordinandi et exequendi.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac stilo Curiae et Palatii, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die III septembris MDCV pontificatus nostri anno I.

Dat. die 3 septembris 1605, pontif. an. I

IX[1].

Facultas ecclesiasticis regni Siciliae persolvendi sine censurarum incursu pecunias nonnullas regi per eos oblatas, quae donativa servitia *nuncupantur*[2].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico

Paulus Papa V.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Ecclesiastici regni Siciliae offerunt regi nonnulla donativa servitia, reservato tamen S. A. beneplacito.

Exponi nobis fecisti, quod (cum nuper dilecti filii tres hominum status, seu tria brachia ecclesiasticum, militare et demaniale nuncupata, regni Siciliae ultra Pharum, cuius tu rex existis, quibusdam rationabilibus de causis eorum animos moventibus, de offerendo tibi certas pecuniarum summas *donativa servitia* nuncupatas, sub certis terminis ac modo et formâ exigendas, inter se tractaverint) venerabiles fratres archiepiscopi, episcopi et dilecti filii archimandrita et aliae personae ecclesiasticae dicti regni certam ratam dare statuerunt in parlamentis ordinariis habitis de annis MDC et MDCIII, et extraordinario habito de anno MDCIV; ipsique archiepiscopi et episcopi, archimandrita et aliae personae eorum ratam huiusmodi, accedente ad hoc nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, persolvere regiis ministris obtulerunt et promiserunt.

Rex huiusmodi petit beneplacitum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat (ex eo quod per Lateranense Concilium novissime celebratum, diversasque alias canonicas sanctiones, sub diversis censuris et poenis caveatur expresse, ne reges, principes et alii potentatus ab archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis personis ecclesiasticis, etiam sponte offerentibus, aliquam pecuniarum summam sive subventionem recipiant), maiestas tua et tui illius regni ministri dubitetis, ratam praedictam recipiendo, censuras et poenas praedictas incurrere; et propterea nobis humiliter supplicari fecisti pro tuae et dictorum ministrorum conscientiae quiete, quatenus praemissis nostram et huius Sanctae Sedis auctoritatem interponere dignaremur:

Concedit Pontifex, censurasque canonum id vetantium tollit.

§ 3. Nos supplicationibus huiusmodi inclinati, oblationi et promissioni per archiepiscopos, episcopos, archimandritam, et alias ecclesiasticas personas factis pro hac vice tantum nostram et dictae Sedis auctoritatem interponimus per praesentes; et nihilominus archiepiscopis, episcopis, archimandritae et aliis ecclesiasticis personis praedictis, ut ratam huiusmodi per eos, ut praefertur, oblatam et promissam persolvere, ac tua maiestas et tui ministri eam petere et recipere, absque conscientiae scrupulo seu censurarum et poenarum praedictarum incursu, libere et licite possint concedimus et indulgemus, ipsosque archiepiscopos, episcopos, archimandritam et alias personas ecclesiasticas, et earum singulas, quatenus ipsi dictam ratam iam promiserint, necnon eamdem maiestatem tuam et tuos ministros praedictos, si eamdem ratam iam perceperint, ab omnibus et singulis censuris et poenis per eos propterea quomodolibet incursis, eâdem auctoritate absolvimus et absolutos fore censemus et declaramus.

Ad eaque persolvenda ecclesiasticos teneri declarat.

§ 4. Decernentes quod omnes et singuli pensionarii, seu ii quibus loco pensionum fructus in totum vel in partem reservati existant, cuiuscumque dignitatis vel conditionis sint, exceptis tamen S. R. E. cardinalibus, ad huiusmodi ratae solutionem in omnibus et per omnia, perinde ac si nominatim ratam eamdem se soluturos obtulissent, clausulis et decretis in litteris apostolicis reservationum, pensionum et

1 Haec in edit. Main. x inscribitur (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

fructuum huiusmodi etiam consistorialiter appositis (etiam quod dictae pensiones ab omni decimâ, subsidio charitativo et quovis alio onere tam ordinario quam extraordinario, quavis auctoritate, etiam pro expeditione tam offensivâ quam defensivâ contra Turcas et alios infideles ac reipublicae christianae ab illorum conatibus defensione seu inexcogitabili causâ, a Romano Pontifice pro tempore existente, etiam ad imperatoris, regum, ducum vel aliorum instantiam, illorumque contemplatione et intuitu, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, impositis et imponendis, aut aliàs qualitercumque, exemptae sint) nequaquam obstantibus, teneantur et efficaciter astricti sint; ipsique archiepiscopi, episcopi, archimandrita et aliae personae, quarum ecclesiarum monasteria et alia beneficia ecclesiastica annuis pensionibus, auctoritate apostolicâ assignatis, gravata et onerata sunt, ratam pensionariorum suorum, seu eorum quibus fructus huiusmodi sint reservati, solvere, et illud, quod pro ipsis pensionariis, seu iis quibus fructus huiusmodi sunt reservati, vere et realiter ac quacumque fictione cessante persolverint, suâ propriâ auctoritate postmodum penes se retinere possint; nec propterea sententias, censuras, et poenas in eisdem pensionum reservationibus contentas incurrant.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et exemptionibus, immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis quibusvis, generaliter vel specialiter concessis, necnon litteris reservationum, pensionum et fructuum huiusmodi, ac quibusvis obligationibus, etiam in formâ Camerae, etiam cum iuramento, et censurarum, et mandati exequutivi susceptione, vel aliàs desuper factis, etiamsi de illis illorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentio, seu quaevis alia expressio habenda sit, et in eis caveatur expresse, quod per huiusmodi clausulas generales, etiam specialem mentionem importantes, eis derogatum esse non censeatur, aut derogari non videatur, nisi certis modo et formâ in illis expressis plene observatis. Quibus omnibus, illorum tenores pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 6. Volumus autem praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eamdem prorsus fidem in iudicio et extra in omnibus et per omnia adhiberi, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die v septembris MDCV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 5 septembris 1605, anno I.

X[1].

Hortatur proregem Siciliae ne pauperes ecclesiasticos eiusdem regni ad contributionem nonnullarum pecuniarum donativa servitia *nuncupatarum compelli sinat*[2].

1 In principio huius constit. innuitur praecedens, ideoque postposuimus; nam et sub eâdem die utraque data fuit, etsi edit. Main. hanc tertiâ die, illam quintâ erronee subscribat (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio nobili viro
Laurentio de Figueroa duci Feriae
regni Siciliae ultra Pharum proregi.

Paulus Papa V.

Dilecte fili, nobilis vir,
salutem et apostolicam benedictionem.

Pontifex concesserat ab ecclesiasticis Siciliae nonnullas exigi pecunias,

§ 1. Cum nos hodie per nostras in formâ Brevis litteras carissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico, suisque in Siciliae regno ministris, rationabilibus de causis facultatem concesserimus certas pecuniarum summas, *donativa servitia* nuncupatas, exigendi ab ecclesiasticis personis eiusdem regni, prout in dictis litteris desuper confectis plenius continetur;

Adhortatio de qua in rubrica.

§ 2. Volentes etiam providere ne pauperes ecclesiastici ad contributionem huiusmodi graventur, te hortamur attente, ac in virtute sanctae obedientae tibi mandamus, quatenus eosdem pauperes ecclesiasticos, qui in redditibus annuis nihil aut parum etiam usque ad valorem decem unciarum (scuta viginti quinque monetae illius regni constituentium) inclusive habent, ad contributionem praedictam per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, cogi aut compelli nullo modo permittas.

Exactionem vero per ipsos ecclesiasticos fieri mandat.

§ 3. Volumus autem quod exactio pecuniarum huiusmodi contra personas ecclesiasticas per personas ecclesiasticas tantum, ab eodem rege seu a te in dicto regno pro rege deputandas, fieri debeat, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Quod si secus in aliquo praemissorum factum fuerit, qui contravenerint, in poenas et censuras incurrant perinde ac si praedictae litterae non emanassent.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die v[1] septembris MDCV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 5 septembris 1605, pontif. an. I.

1 Edit. Main. habet III sept. sed vide not. praec.

XI.

Confirmatio indulti regi christianissimo nominandi personas idoneas ad cathedrales et metropolitanas ecclesias, ac monasteria in ducatu Britanniae et provincia Provinciae eidem a Summis Pontificibus concessi[2].

Charissimo in Christo filio nostro Henrico Francorum et Navarrae regi christianissimo,

Paulus Papa V,

Charissime in Christo fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum, sicut accepimus, felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster (accepto per eum quod nonnulli Romani Pontifices, praedecessores sui, aliquibus Francorum regibus christianissimis, ob eorum praeclara in Sedem Apostolicam merita, ius nominandi personas idoneas ad cathedrales, etiam metropolitanas ecclesias, ac monasteria in ducatu Britanniae et provinciâ Provinciae, quorum ipsi reges domini in temporalibus existebant, pro tempore vacantia, ad cuiuslibet ipsorum regum vitam tantum reservaverant, concesserant et indulserant, prout in diversis eorumdem praedecessorum, et praesertim recolendae memoriae Sixti Papae V sub datum die XV novembris MDLXXXVI, pontificatus sui anno secundo, expeditis litteris plenius continetur) maiestatem tuam, ob eius singularem pietatem, religionis zelum, ac in ipsum Clementem praedecessorem et Apostolicam Sedem observantiam, aliaque praeclara merita, specialibus favoribus et gratiis prosequi, ac singularum litterarum praedictarum tenores et datas pro expressis haberi volens, motu eius Exordium.

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

proprio, non ad tuam vel alterius pro te sibi desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex eius merâ liberalitate, ac certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, maiestati tuae, quoad viveres, ius nominandi ipsi Clementi praedecessori et pro tempore existentibus Romanis Pontificibus successoribus suis personas probatas boni nominis et secundum sacrorum canonum dispositionem idoneas ad quascumque cathedrales et metropolitanas ecclesias et monasteria quorumcumque Ordinum in ducatu Britanniae et provinciâ Provinciae praedictis consistentia, quoties illa quibusvis modis et ex quorumcumque personis, non tamen per obitum, apud Sedem eamdem vacare contigisset, per ipsum Clementem praedecessorem ac successores praedictos ad nominationem huiusmodi ecclesiis et monasteriis praedictis praeficiendas apostolicâ auctoritate reservaverit, concesserit et assignaverit; decernens ius nominandi huiusmodi ad ecclesias et monasteria praedicta tibi, quamdiu viveres, competere debere, neque sub quacumque quantumvis speciali derogatione comprehendi, vel ei quovis modo, et ex quacumque causâ derogari, et, si ei derogari contingeret, derogationem huiusmodi minime suffragari posse, et nihilominus quascumque ecclesiarum et monasteriorum huiusmodi provisiones, commendas et alias de eis dispositiones, etiam cum iuris nominandi huiusmodi derogatione contra dicti Clementis praedecessoris litterarum tenorem, etiam per ipsum Clementem praedecessorem et eius successores praedictos et Sedem eamdem absque tuis nominationibus, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus quovis modo pro tempore faciendas, et desuper confectas litteras, ac inde sequuta quaecumque nulla et invalida, nulliusque roboris et momenti esse et fore; teque ad docendum de litteris aliorum praedecessorum praedictis, seu illas ostendendum, et in eis contenta quaecumque iustificandum minime teneri, sed litteris ipsius Clementis praedecessoris tantum uti posse, illisque tam in iudicio quam extra illud adstari debere; sicque, et non aliter per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; ac aliàs prout in ipsius Clementis praedecessoris sub data die XXIII iunii MDXCVII, pontificatus sui anno sexto expeditis plenius continetur:

Confirmat Paulus.

§ 2. Nos eamdem maiestatem tuam, cuius eximiam pietatem, catholicae fidei zelum et singularem in nos et apostolicam Sedem observantiam cognitam et exploratam habemus, non minoris favoris gratiâ prosequi volentes, ac litterarum praedicti Clementis praedecessoris veriorem ac totum tenorem praesentibus pro expresso habentes, motu etiam proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex merâ liberalitate et certâ scientiâ nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, indultum praedictum nominandi personas idoneas ad ecclesias et monasteria ducatus[1] Britanniae et provinciâ Provinciae pro tempore extra Romanam Curiam quomodolibet, ut praefertur, vacantia nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus[2], tibi per eumdem Clementem praedecessorem, ut praefertur, concessum, ac litteras eiusdem

1 Aptius forsan legeretur *in ducatu*, nam postea sequitur *provinciâ* (R. T.).
2 Heic forsan supplendum *probatas* (R. T.).

Clementis praedecessoris desuper expeditas, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, decretis et derogationibus, ad tui vitam apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus, eaque valida, firma et efficacia esse et fore, tibique, quoad vixeris, plenissime suffragari debere decernimus.

Contraria tollit. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae dictus Clemens praedecessor in suis litteris voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris die x septembris MDCV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 10 septembris 1605, pontif. an. I.

XII.

Gubernatorem Mediolani hortatur ut attentata per senatum mediolanensem in causa feudi Chignoli revocari faciat[1].

Dilecto filio nobili viro
Petro Fernandez de Azevedo,
comiti de Fuentes, gubernatori Mediolani
Paulus Papa V

Dilecte fili, nobilis vir,
salutem et apostolicam benedictionem.

Causas faciendae adhortationis. § 1. Perlatum est ad nos, non sine animi nostri molestiâ, superioribus diebus, defuncto quondam Ioanne Cusano, qui terram Chignoli Papiensis seu Laudensis dioecesis eiusque bona in feudum ab Apostolicâ Sede obtinebat, dilectam in Christo filiam Flaminiam Cusanam, ipsius Ioannis sororem germanam, et forsan alios (praetendentes in dictis terrâ et bonis feudalibus a praedicto Ioanne possessis succedere posse) ad senatum Mediolani seu alios iudices saeculares recursum habuisse, ac senatum seu iudices ipsos saeculares huius causae cognitionem, licet nulliter, suscepisse, ac, sub praetextu evitandi scandala, possessionem dictorum bonorum feudalium a dicto olim Ioanne possessorum forsan ad se avocasse, ac alios actus fecisse in nostrae et Apostolicae Sedis iurisdictionis praeiudicium.

Adhortatio. § 2. Cum autem in causâ feudi ecclesiastici neque senatus, neque alius quisquam iudex saecularis se ingerere potuerit nec debuerit (cum illius cognitio privative quoad alios quoscumque iudices, etiam quoad summariissimum possessorium, ad iudicem ecclesiasticum pertineat), facere non potuimus quin ipsius senatus et eius iudicis, qui se in eâ causâ ingessit, consilium improbaremus. Iniunximus itaque venerabili fratri Claudio episcopo Placentino Mediolani, cui aliàs felicis recordationis Clemens Papa VIII, praedecessor noster, praedictae terrae et bonorum feudalium Chignoli regimen specialiter demandavit, ut negocium hoc nobilitati tuae iterum nostro nomine referat, et cum eâ serio agat ac petat, ut attentata quaecumque per dictum senatum, aut quoscumque alios iudices saeculares, circa feudum praedictum Chignoli illiusque bona, statim revocari, ac omnia in pristinum restitui mandet ac re ipsâ faciat. Speramus autem te, quem iustitiae praecipuum cultorem esse scimus, cuiusque summam pietatem ac in nos et Apostolicam Sedem observantiam exploratam habemus, aequissimae nostrae petitioni hac in re cumulate satisfacturum. Quod tamen, ut omnino facias,

1. Ex Regest. in Secret. Brev.

vehementer a te petimus, teque paterne in Domino requirimus. Caeterum dicto Claudio episcopo hac de re tecum agenti eamdem fidem habere te volumus quam nobis ipsis haberes, si tecum coram ageremus.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XVII septembris MDCV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 17 septembris 1605, pontif. an. I.

XIII.

In idem argumentum ad praesidem senatumque Mediolanensem[1].

Dilectis filiis praesidenti et senatui Mediolanensibus

Paulus Papa V.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Pontificis de facto molestia.

Quod nuper post obitum quondam Ioannis Cusani (qui terram Chignoli Papiensis seu Laudensis dioecesis prope tamen seu intra limites Status Mediolani, ac illius bona in feudum nobile et honorificum ab Apostolicâ Sede obtinebat) vos, aut certe quidem saecularis iudex vobis suadentibus vel mandantibus, in causâ dicti feudi eiusque bonorum (quorum cognitio privative quoad alios omnes, etiam quoad summariissimum possessorium, ad iudicem ecclesiasticum, sicut notorium est, pertinet) ingerere et possessionem forsan dictorum bonorum feudalium sub praetextu evitandi scandali ad vos avocare non dubitaveritis, graviter profecto et aeque ac debuimus moleste tulimus. Propterea vos in Domino hortamur et monemus ut statim, nullâ interpositâ morâ, omni et quacumque excusatione postpositâ, attentata quaecumque tam a vobis quam ab alio vel aliis quibuscumque iudicibus circa causam dicti feudi revocetis, ac omnia in pristinum restituatis. Quod si hoc facere neglexeritis, vel aliquo modo distuleritis, existimare debetis nos pro tuendâ nostrâ et Apostolicae Sedis iurisdictione nihil praetermissuros quod ad iniunctum nobis apostolicae sollicitudinis officium pertinere aliquo modo cognoverimus. Interim quae circa eiusmodi negotium fieri oportere iudicavimus, a venerabili fratre Claudio episcopo Placentino, cui causam hanc auctoritate apostolicâ delegavimus, cognoscetis, eiusque verbis eam fidem adhibebitis, quam nobis ipsis adhiberetis, si hac ipsâ de re vobiscum praesentes ageremus.

Et ad illud revocandum admonitio.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XVII septembris MDCV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die annoque eisdem.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

XIV.

Commissio episcopo Placentino ut senatui Mediolanensi et iudicibus saecularibus inhibeat, ne in causa feudi Chignoli se intromittat et causam huiusmodi cognoscat et definiat[1].

Venerabili fratri Claudio episcopo Placentino

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series.

§ 1. Cum, sicut accepimus, defuncto nuper quondam Ioanne Cusano, qui terram Chignoli et illius bona prope vel intra limites Status Mediolani in dioecesi

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Papiensi seu Laudensi consistentia in feudum nobile et honorificum ab Apostolicâ Sede obtinebat, orta fuerit inter dilectos filios Octavium, Marcum Antonium et Augustinum de Cusanis, fratres germanos ex unâ, et dilectam in Christo filiam Flaminiam Cusanam dicti Ioannis defuncti sororem ex aliâ partibus differentia seu materia quaestionis, ex eo scilicet quod praedicta Flaminia se dicto Ioanni in terrâ et bonis feudalibus praefatis succedere posse, ipsi vero Octavius, Marcus Antonius et Augustinus se in investiturâ huius feudi ex pacto et providentiâ primi investientis comprehensos esse, et propterea ad eos, exclusis omnibus aliis, bona feudalia praedicta perveniant, praetendunt; cumque praedicta Flaminia ad senatum seu alium iudicem saecularem temere recursum habuerit, et ipsi senatus vel alius iudex causam hanc de facto susceperint, et ad nonnullos actus in illâ devenerint, et iam forsan possessionem dictorum bonorum feudalium a praedicto Ioanne, dum viveret, ex investiturâ Sedis Apostolicae pro bonis feudalibus ecclesiasticis possessorum, ad se similiter de facto avocaverint, licet senatus vel alius quispiam iudex saecularis in dictâ causâ (cuius cognitio privative, etiam quoad summariissimum possessorium, ad iudicem ecclesiasticum, ut notorium est, pertinet) sese intromittere nec potuerit nec debuerit;

Commissio de quâ in rubricâ.

§ 2. Nos id, ut par est, minime dissimulare, ac nostram et Apostolicae Sedis iurisdictionem et auctoritatem conservare ac tueri, aliàsque in praemissis opportune providere volentes, de tuae fraternitatis (quam pridem felicis recordationis Clemens Papa VIII, praedecessor noster, ad curam, gubernium et regimen dicti feudi ecclesiastici Chignoli illiusque bonorum deputavit) prudentiâ, fide, integritate, doctrinâ et singulari erga nos et Apostolicam Sedem fide ac devotione plurimum in Domino confisi, et quarumcumque investiturarum terrae et bonorum Chignoli praedictorum hactenus factarum tenores, ipsorumque terrae et bonorum situationes, confines, vocabula, dioecesis qualitates et veros etiam annuos valores, necnon litis huiusmodi statum et merita, ac nomina et cognomina iudicum et collitigantium, caeteraque necessaria, praesentibus pro expressis habentes, ac causam et causas super praemissis hactenus motas et inchoatas, ac movendas et inchoandas, in eisdem statu et terminis, in quibus reperiuntur, ad nos harum serie avocantes, illam et illas (cum omnibus illarum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, ac toto negocio principali) tibi per te, tanquam nostrum et Sedis Apostolicae delegatum, aut per alium seu alios a te subdelegandos, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, ac terminis substantialibus non servatis, audiendas, cognoscendas, decidendas et fine debito, prout iuris fuerit, terminandas committimus:

Concessio necessariarum facultatum.

§ 3. Dantes tibi plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem in primis et ante omnia cuicumque et quibuscumque iudicibus saecularibus, et etiam ipsimet senatui, sub excommunicationis latae sententiae aliisque censuris et poenis ecclesiasticis per te infligendis et declarandis, etiam per edictum publicum, constito de non tuto accessu, inhibendi, ne audeant, seu quisque eorum audeat, se in huiusmodi causâ vel causis, directe vel indirecte, aut quovis quaesito colore vel ingenio, neque etiam evitandi scandala aut alio quovis cogitato vel incogitato praetextu, intromittere, ingerere, vel quoquo modo procedere ac se immiscere; quinimmo, si hactenus ipsi senatus vel alius quicumque iudex saecularis ad ali-

quos actus in huiusmodi causâ, praesertim circa avocationem ad se possessionis dictorum bonorum feudalium, quoquo modo processerint, statim, nullâ interpositâ morâ, omnique excusatione cessante, huiusmodi possessionem, uti nulliter de facto et sine aliquâ auctoritate adeptam, dimittere ac alia attentata quaecumque revocare et annullare, ac omnia in pristinum statum restituere et reponere[1]; necnon etiam inhibendi quibusvis aliis, et citandi quos opus fuerit, etiam similiter per edictum publicum, constito de non tuto accessu; quatenus autem senatus seu alius iudex saecularis inhibitioni tuae non paruerint, contra illos et illorum quemlibet ad declarationem incursus excommunicationis et censurarum praedictarum, et ad omnes actus quomodolibet de iure permissos iuxta sacrorum canonum dispositionem procedendi, necnon possessionem eorumdem bonorum ad te tamquam nostrum et Apostostolicae Sedis delegatum avocandi, illamque apprehendendi, et, donec causa huiusmodi per te terminata fuerit, retinendi, ac alia denique omnia et singula, quae in praemissis et circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna, faciendi, gerendi et exequendi.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac stilo Curiae et Palatii, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XVII septembris MDCV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 17 septembris 1605, pontif. an. I.

1 Subintellige *debeant* (R. T.).

XV.

Quod capitulum generale fratrum sancti Francisci de Paula quolibet sexennio celebretur: munusque correctoris generalis eiusque collegarum ac procuratoris Ordinis, sexennio, provincialium, triennio, correctorumque domorum anno, expleatur[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius constitutionis.

Cum, sicut accepimus, ex regulâ seu constitutione Ordinis fratrum Minimorum sancti Francisci de Paulâ a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris sanctâque Sede Apostolicâ hucusque confirmatâ disponatur, quolibet triennio, et in festo sanctissimae Pentecostes, dicti Ordinis capitulum generale celebrari, et in eo illius corrector generalis eiusque collegae, ac etiam ipsius Ordinis zelosus seu procurator generalis, in loco deputato, ut moris est, omnibus dicti Ordinis provincialibus eorumque commissis congregatis, eligi debeant (prout in huiusmodi festo, die penultimâ mensis maii proxime praeteriti observato, dictum capitulum generale celebratum, et in eo corrector generalis eiusque collegae et zelosus seu procurator generalis praedicti electi fuerunt); nihilominus, cum dictus Ordo illiusque domus regulares non solum in Italiâ sed etiam in Galliâ et Hispaniâ in dies propagentur ac etiam amplientur, ipsi generales eorumque collegae suas integras in praedictis nationibus visitationes nullo modo infra dictum triennium, prout ipsorum regularis Ordo requirit, efficere possint; immo vero, quae ab eis in aliqua praedictarum nationum visitatione efficiuntur, ita festinanter propter temporis eis praescripti brevitatem fiunt, ut in suum Ordinem nullum vel saltem minimum possit inde resultare emolumentum; ita ut nedum ex incommodis huiusmodi, verum

1 Hunc Ordinem probavit Sixtus IV in Constitut. VI *Sedes* (in h. n. edit. VII, tom. V, pag. 213); et B. Franciscum inter sanctos retulit Leo X in Const. XLI *Excelsus* in h. n. ed. XXXIV, ib. p. 717).

etiam ex ipso triennali, sic ut praefertur, totius Ordinis praedicti provincialium eorumque commissorum ad capitulum generale huiusmodi celebrandum conventu ingentes sumptus, gravesque molestias dictus Ordo subire cogatur; quibus et aliis forsan causis per nos provide consideratis, et re ipsâ a dilectis filiis praelatis Congregationis Reformationis mature discussâ, ad evitandos huiusmodi sumptus et expensas, ac incommoda, quae praemissorum occasione oriri possunt, modo infrascipto providendum esse duximus.

Capitulum generale quolibet sexennio celebrandum, in eoque corrector generalis illiusque collegae ac procurator generalis eligendi.

§ 2. Nos igitur, in supremo dignitatis culmine, divinâ favente clementiâ, constituti, ad ea, per quae religiosorum piae vitae divinique numinis obsequiis sub regularis observantiae normâ vacantium status salubriter dirigi valeat, libenter attendentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac merâ deliberatione nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, quod de caetero perpetuis futuris temporibus dictum capitulum generale, non quolibet triennio, prout hactenus observatum fuit, sed de sexennio in sexennium celebretur, in eoque corrector generalis illiusque collegae ac zelosus seu procurator generalis, praedicti Ordinis provincialibus eorumque commissis congregatis, ac reliquis observari solitis servatis, ad huiusmodi sexennium eligantur, ac celebrari et eligi debeant;

Eorumque officia sexennio concludenda.

§ 3. Ita ut electio dilecti filii Stephani Augerii moderni dicti Ordinis correctoris generalis eiusque collegarum, ac dilecti etiam filii fratris Hieronymi Durandi zelosi seu procuratoris generalis, per sexennium[1] a die festivitatis sanctissimae Pentecostes huiusmodi proxime praeteritâ computandam duret, prout nos illam ad huiusmodi sexennium extendimus et ampliamus. Quo quidem sexennio durante, ipsi et eorum quilibet eisdem privilegiis, praerogativis, antelationibus, favoribus, auctoritate, officio, praeeminentia et iurisdictione, aliisque gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus dicti Ordinis corrector generalis, eiusque collegae et zelosus seu procurator generalis hactenus usi, potiti et gravisi fuerint, ac quibus de iure, usu, consuetudine, privilegio aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, ipsi pariter et pariformiter absque ullâ prorsus differentiâ utantur, potiantur et gaudeant, dictoque sexennio elapso, et non antea, dictum capitulum generale celebretur et celebrari debeat, in eoque, quae de more fieri solent, dicto triennio penitus excluso, fiant et observentur;

Alii autem officiales, provinciales eorumque collegae ad triennium, et correctores domorum ad annum eligendi.

§ 4. Alii vero officiales, provinciales, eorumque collegae de triennio in triennium, ac correctores domorum dicti Ordinis de anno in annum, prout ex regulâ dicti Ordinis disponitur, creentur et deputentur, perpetuo statuimus et ordinamus.

Contravenientes multas poenas incurrunt.

§ 5. Et ita sub indignationis nostrae, necnon privationis vocis activae et passivae, ac inhabilitatis ad quaecumque dicti Ordinis dignitates, praeeminentias, officia et munia recipiendum et retinendum, ipso facto incurrendâ poenâ per quoscumque dicti Ordinis fratres et regulares, ac quosvis alios, observari praecipimus et mandamus.

Clausula huius concessionis praeservativae.

§ 6. Decernentes praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari vel impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi vel retractari, seu invalidari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam vocari, aut adversus eas quodcumque iuris et facti, vel iustitiae aut gratiae reme-

1 Verba *per sexennium* nos adiecimus (R. T.).

dium intentari, impetrari vel concedi nullatenus umquam posse;

Ac decretum irritans.

§ 7. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolicis auditores, ac S. R. E. cardinales, dictaeque Sedis de latere legatos (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputati.

§ 8. Quocirca dilectis filiis nostris et Apostolicae Sedis in regnis Franciae et Hispaniarum nunciis et causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte correctoris generalis eiusque collegae ac procuratoris praedictorum, aut alicuius eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque et cuilibet eorum in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos et eorum quemlibet praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes illos aut eorum quemlibet desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecesoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dommodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praedicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis eidem Ordini, illiusque correctori, collegis, procuratoribus aliisque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliâs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 10. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die I octobris MDCV, pontificatus nostri anno I[1].

Dat. die 1 octobris 1605, pontif. an. I.

1 Paucos ante dies, scilicet 24 septembris, Paulus sua Constitutione, cui initium, *Ex iniuncto nobis* Clementis VIII litteras (quibus declaravit Congregationem fratrum reformatorum

XVI[1].

Unio Monasterii de Claraco Agennensis dioecesis basilicae sancti Ioannis Lateranensis[2].

Paulus episcopus
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In sacrâ Petri Sede supernâ dispositione constituti, licet ad singulas ecclesias, ut spiritualibus proficiant incrementis, pervigili curâ continuo nos deceat esse intentos, circa Lateranensem tamen ecclesiam, quae inter caeteras Urbis et Orbis ecclesias, tam eius, cuius dedicata est nomine, quam Pontificum dignitate, praecipuo decore refulget, tanto amplius, ut in eâ divini vigeat cultus amplitudo, quam[3] ipsius ecclesiae cura et sollicitudo nobis tamquam eius Pastori specialius est commissa, vigilare, et, quorum merita more progenitorum suorum in nostro[4] et Apostolicae Sedis conspectu clarere dignoscuntur, catholicorum principum ac regum illustrium votis, quae ad dictae ecclesiae decorem et ecclesiasticarum personarum inibi Altissimo divinas laudes persolventium commoditatem cedere dignoscuntur, favorabiliter annuere, necnon ea, quae inter ipsos reges et personas media concordia emanarunt, libenter amplecti nos convenit, prout circumstantiis undique pensatis in Domino conspicimus salubriter expedire.

Franciae reges pecunias nonnullas capitulo lateranensi assignaverant.

§ 1. Sane nuper charissimus in Christo filius noster Henricus Francorum rex christianissimus nobis exponi fecit (et sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum capituli, et beneficiatorum ac clericorum ecclesiae Lateranensis, necnon Antonii Trilach clerici petitio continebat), quod, cum aliàs dilecti filii capitulum et canonici, beneficiati et clerici ecclesiae Lateranensis nonnullas pecuniarum summas, seu redditus annuos a charissimo in Christo filio nostro Henrico Francorum et Navarrorum rege christianissimo per Francorum reges dicti Henrici regis antecessores dictae ecclesiae relictos et a pluribus annis non persolutos, et forsan alia quampluria praetenderent, et de eis non satis superque constaret, praedictus Henricus rex animum benevolum, quem canonici, beneficiati, et clerici ecclesiae huiusmodi in eius personam et Francorum reges omni tempore et loco testificati fuerant, recognoscere, et in illos suae liberalitatis dexteram, ut ipsi imposterum pro eo preces Altissimo funderent, extendere, et animum suum erga dictam ecclesiam magis atque magis propensum, et devotionis, quam erga Sanctam Sedem Apostolicam gessit et gerit, effectum exhibere, simulque vestigiis suorum antecessorum praedictorum, qui dictam ecclesiam summâ et peculiari devotione semper sunt prosequuti, inhaerere volens, seu ex certis aliis causis adductus, cum dictis capitulo, canonicis, beneficiatis et clericis, seu illorum deputato vel deputatis, ad hanc sub nostro et dictae Sedis beneplacito devenit transactionem, videlicet: quod dictus Henricus rex unioni, annexioni, et incorporationi monasterii abbatiae nuncupati de Claraco Ordinis sancti Benedicti

Quibus non persolutis Henricus IV cum illo transactionem iniit.

Consentiens, ut illi uniatur monasterium de Claraco.

Discalceatorum Ord. B. M. V. de Carmelo inter mendicantium Ordines esse computandum) extendit. Eam omittimus, cum nihil peculiare habeat.

1 Hanc Constitutionem, quamvis anno primo Pauli Pontificis datam, sub finem anni quarti posuerat Coquelines, cum serius quam par erat ad eius manus devenisset: nos chronologice eam in hoc loco disposuimus (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

3 Heic legendum est vel *quum*, vel melius *quo*, nempe *tanto amplius..., quo* (R. T.).

4 Edit. Main. legit *nostra*; nos emendationis opus esse censuimus (R. T).

Agennensis dioecesis (ad quod, illius vacatione pro tempore occurrente, nominatio personae idoneae ad dictum Henricum regem, in vim concordatorum inter Sedem Apostolicam et clarae memoriae Franciscum primum Francorum regem, super nominatione personarum sub certis inibi expressis modis ad monasteria regni Franciae pro tempore vacantia promovendarum per regem Franciae pro tempore existente faciendâ, initorum, spectare dignoscitur) dictae ecclesiae seu illius mensae capitulari apostolicâ auctoritate faciendis (ita quod administratio bonorum ipsius monasterii, in quo nulli monachi expresse professi reperiuntur, cuiusque ecclesia aliaque aedificia ob bellorum, quae in illis partibus superioribus annis viguerant, tumultus magnum detrimentum perpessa et fere diruta fuerunt, penes praescriptum capitulum remaneret, ipsique capitulum et canonici possent eiusdem monasterii fructus, redditus, et proventus propriâ auctoritate per unum vel plures eorum procuratorem vel procuratores, ad id specialiter pro tempore deputandum seu deputandos, nullius desuper requisitâ licentiâ, percipere exigere et levare, ac in suos usus et utilitatem, modo et formâ tantum infrascriptis distribuendos, convertere, et non aliàs) consentiret, suumque consensum vel assensum desuper praestaret, reservatâ tamen Antonio (qui nominationi aliàs per praedictum Henricum regem per suas patentes litteras de eiusdem Antonii personâ ad dictum monasterium certo tunc expresso modo vacans factae, litteris apostolicis desuper non expeditis, in manibus praedicti Henrici regis cesserat) pensione annuâ, ab omnibus oneribus et impositionibus liberâ et exemptâ, duorum millium librarum Turonensium super dicti monasterii fructibus, redditibus, et proventibus praedicto Antonio, quoad viveret, persolvendâ, prout per diploma regium manu dicti Henrici regis subscriptum constare dicitur. Et cum per diploma praedictum inter alia caveri dicatur, quod huiusmodi unio, annexio, et incorporatio cum conditionibus, quae inter venerabilem fratrem nostrum Franciscum episcopum Sabinensem S. R. E. cardinalem de Gioiosa nuncupatum negociorum ipsius Henrici regis ac Galliarum apud nos et Sedem praedictam protectorem, necnon dilectum filium Philippum Bethunes ipsius Henrici regis etiam apud nos nuper oratorem, ac capitulum, canonicos, necnon beneficiatos, et clericos praedictos convenirentur, et statuerentur, fieri deberent; et propterea Franciscus episcopus et cardinalis, ac Philippus orator, necnon capitulum, canonici, beneficiati, et clerici praedicti inter se convenerunt, seu transegerunt, quod una inter omnes canonicos, beneficiatos et clericos dictae ecclesiae Lateranensis titulares et de massâ capitulari illius participantes, iuxta uniuscuiusque ratam ex aliis dictae ecclesiae et illius mensae fructibus et obventionibus eos tangentem, et observatam eiusdem ecclesiae consuetudinem, altera vero medietas omnium fructuum, redditum, et proventuum dicti monasterii inter octo ipsius ecclesiae Lateranensis canonicos, per dictum Henricum regem eiusque successores Francorum reges pro tempore existentes tantum nominandos (et non inter alios canonicos ecclesiae Lateranensis huiusmodi non nominatos), ultra distributiones dictos octo canonicos pro tempore nominatos ex alterâ fructuum medietate huiusmodi tangentes, aequaliter et proportionabiliter respective dividerentur et repartirentur: et ipsi octo canonici, per Henricum et eius successores reges nominati, easdem portiones permutare, seu in alios tranferrre, vel pensionem super ipsis tantum, vel super eis

Sub conditionibus, super quibus regis Orator et Capitulum convenirent.

Conventumque fuit, ut fructus dividantur inter Capitulum, et octo canonicos per regem nominandos.

ac etiam eorum canonicatuum et praebendarum fructibus simul reservandam consentire nullatenus umquam possent, sed illae semper, et omni tempore, ab omni onere et impositione etiam apostolicâ auctoritate, vel pro servitio ecclesiae Lateranensis aut capituli praedictorum liberae et exemptae prorsus remanerent, et ita liberae et exemptae sub Henrici et eiu ssuccessorum regum praedictorum dispositione et concessione (non autem capituli, seu canonicorum pro tempore existentium huiusmodi portionem obtinentium, vel Romani Pontificis quandocumque existentis, aut Sedis praedictae) omnino essent, aut esse censerentur; quodque dilectus filius Ioannes Baptista Elicona eiusdem ecclesiae Lateranensis canonicus, qui eidem Henrico regi gratus et acceptus existit, ut duplici honore ex praedicti regis Henrici benevolentiâ frueretur, duas portiones haberet, ita ut eius vitâ durante praedicta medietas fructuum non in octo dumtaxat, ut praefertur, sed in novem aequales portiones divideretur, ex quibus dictus Ioannes Baptista duas perciperet; post vero illius obitum praedictae portiones octo essent, nec ex tunc alicui canonico duplex portio assignaretur, dictusque Ioannes Baptista ex alterâ medietate fructuum inter omnes distribuendorum duplicem portionem haberet, nempe tantumdem, quantum duo alii canonici eiusdem ecclesiae Lateranensis ex ipsâ medietate perciperent, et huiusmodi praerogativa alteri, eo vitâ functo, non concederetur; ac ipsi capitulum et canonici, necnon beneficiati et clerici ecclesiae Lateranensis huiusmodi, tunc et pro tempore existentes perpetuis futuris temporibus ad altare maius eiusdem ecclesiae Lateranensis quolibet anno per canonicum unâ cum diacono et subdiacono paratis ac omnibus ipsius ecclesiae Lateranensis stipendiatis cantoribus duo solemnia officia unius magnae seu decantatae missae pro quolibet, unum videlicet in die festivitatis sanctae Luciae, quae dies natalis ipsius Henrici regis existit, de festo eiusdem sanctae Luciae, vel alio, Galliarum protectori apud Sedem praedictam pro tempore existenti beneviso, pro dicto rege, eius vitâ durante, et, post eius obitum, pro rege Francorum pro tempore regnante et regni Galliarum felici ac prospero statu et gubernio alterum vero officia huiusmodi die octavâ commemorationis defunctorum, videlicet die nonâ mensis novembris, in qua festum sancti Dionysii celebratur, pro Francorum defunctorum, et signanter Henrici regis huiusmodi, animarum salute et refrigerio, et, praeter haec duo officia solemnia, unam missam quotidianam submissâ voce in altari dictae ecclesiae Lateranensis, et horâ a protectore seu pro tempore existente Francorum regis apud Romanum Pontificem et Sedem huiusmodi oratore etiam pro tempore existenti quandocumque ad id designandâ, pro ipso Henrico rege cum oratione pro Francorum regibus et unâ collectâ defunctorum, in his diebus quibus licitum et permissum esset, pro animae dicti Henrici regis refrigerio, postquam ipse ab hac vitâ migrasset: nullo tamen unquam tempore, in secretis canonis missae, eiusdem Henrici regis vitâ durante, pro vivis, et, eo vitâ functo, pro defunctis fieri solitis precibus, de ipso Henrico rege praetermissâ memoriâ seu oratione) celebrare deberent et tenerentur; et ex illâ medietate fructuum inter canonicos et beneficiatos et clericos praedictos communiter distribuendorum parte, centum et quinquaginta scuta, centum videlicet in eâdem festivitate sanctae Luciae, reliqua vero quinquaginta scuta huiusmodi eâdem die nonâ mensis novembris, inter solos praesentes et divinis officiis personaliter interessentes (reliquis vero absen-

Iniunctumque capitulo onus duas solemnes missas celebrandi.

Praeter alia onera hic designata.

tibus penitus et omnino exclusis) pro suâ cuiusque ratâ quemlibet, ut supra, tangente, integre (nihilque deducto pro facibus et candelis, quae tam in altari, quam extra altare a dictis capitulo eius numeri et ponderis, prout in solemnioribus missis ipsius ecclesiae Lateranensis consuetum erat, exponi deberent) distribuenda quotannis retinerentur, et asservarentur; ex integris vero fructibus praedicti monasterii aliqua portio, loci Ordinario benevisa, deduceretur, eaque penes oeconomos, ad id deputandos remaneret, quae etiam inservire deberet pro manutensione aliquorum sacerdotuum, regularium seu saecularium, ac aliorum ministrorum, qui ecclesiae vel cappellae, quae in loco, ubi dictum monasterium existit, vel alibi construeretur, divinis inservirent, et iis officiis et oneribus satisfacerent, quae in praedicto monasterio eâtenus fundata et celebrari solita fuisse reperirentur: dicti vero capitulum, canonici, necnon beneficiati et clerici praemissa omnia ex largitione purâ et merâ gratiâ ac liberalitate dicti Henrici regis recepisse et recipere confiterentur, omnesque supradictas conditiones, concordias et pacta (ita tamen, quod Henricus, et eius successores Francorum reges praedicti, reservationi seu impositioni alicuius pensionis annuae super dictis octo portionibus, per eosdem octo canonicos pro tempore nominatos percipiendis, nullo unquam tempore consentirent) acceptare, et observare deberent et tenerentur; quodque per huiusmodi unionem, annexionem et incorporationem nullum ius censeretur acquisitum eidem ecclesiae Lateranensi, sive eius archipresbytero ac capitulo, super collatione et provisione prioratuum aut aliorum beneficiorum seu officiorum, tam perpetuorum quam ad nutum amovibilium, a dicto monasterio dependentium, sive ad illud spectantium, sed nominatio personarum idonearum ad prioratus conventuales et vere electivos ab ipso monasterio dependentes ad praedictum Henricum sive eius successores Francorum reges huiusmodi, prout antea, competeret; et, nisi prioratus a dicto monasterio dependens ex tunc primo vacaturus concederetur praedicto Antonio in recompensam pro extinctione dictae pensionis, dictus Henricus rex consentiret, ut supra, unioni dicti prioratus sacristiae eiusdem ecclesiae Lateranensis; si vero in huiusmodi pensionis extinctione prioratus primo vacaturus huiusmodi eidem Antonio concederetur, praedictus Henricus rex unioni, annexioni, incorporationi alterius prioratus secundo loco vacaturi, pro comparandis ornamentis et suppellectilibus ecclesiasticis pro dictâ ecclesiâ Lateranensi et specialiter pro altari, ut praefertur, designando, consentiret, prout in transactione ac diplomate, necnon conventione huiusmodi, ac publico desuper confecto instrumento plenius dicitur contineri.

Reservata congrua pensione pro inservientibus ecclesiae, vel cappellae monasterii.

Additaeque sunt nonnullae aliae clausulae.

§ 2. Quare pro parte Henrici regis, ac capituli, canonicorum, ac beneficiatorum nec non clericorum, et Antonii praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus transactionem et conventionem, aliaque praemissa pro illarum subsistentiâ firmiori nostro et dictae Sedis patrocinio communire, ac aliàs desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Huiusmodi transactio confirmari petitur.

§ 3. Nos, in quorum manibus praedicti capitulum, canonici et beneficiati ac clerici supradictis eorum praetensionibus ad effectum dictae transactionis et conventionis sponte et libere cesserunt, quique cessionem huiusmodi duximus admittendam, praedicti Henrici regis singularem animi benevoli erga ecclesiae Lateranensis capitulum, canonicos et beneficiatos necnon clericos praedictos propensionem ac de-

Paulus ratam habet.

votionem huiusmodi non parum in Domino commendantes, ac eosdem canonicos et beneficiatos necnon clericos et Antonium, eorumque et capituli huiusmodi singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, necnon verum et ultimum dicti monasterii vacationis modum, etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio etiam in corpore iuris clausa resultet, ac quarumcumque unionum, annexionum, et incorporationum ecclesiae Lateranensis et mensae huiusmodi hactenus quomodolibet factarum tenores, illarumque fructuum, reddituum, et proventuum veros annuos valores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, transactionem et conventionem, aliaque praemissa omnia, etiam in dicto documento contenta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque respective et inviolabiliter firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos, tam iuris quam facti, defectus, si qui intervenerint in eisdem, etiamsi ad hoc, ut suppleri vel sanari possint, specialis, specifica, et expressa mentio facienda esset, supplemus;

Monasteriumque capitulo Lateranensi unit.

§ 4. Et insuper dictum monasterium (quod curâ et conventu caret, ac cuius fructus, redditus, et proventus ad ducentos florenos auri in libris Camerae Apostolicae taxati reperiuntur) quovis modo, et ex cuiuscumque personâ, seu per liberam cuiusvis de illo illiusque regimine et administratione in Romanâ Curiâ vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus, sponte factam commendae iuris cessionem, aut Constitutionem felicis recordationis Ioannis Papae XXII praedecessoris nostri, quae incipit *Execrabilis*, vel assequutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati, vacet, seu ipsius monasterii cuivis personae facta commenda cesset etiamsi tanto tempore vacaverit, quod eius provisio, iuxta Lateranensis statuta concilii aut alias canonicas sanctiones, ad Sedem praedictam legitime devoluta existat, ab eo consistorialiter disponi consueverit seu debeat, ipsaque provisio ad Sedem praedictam specialiter vel generaliter pertineat, ac super regimine et administratione praedictis inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa (dummodo tempore datae praesentium eidem monasterio de abbate provisum aut illud alteri commendatum canonice non existat), cum illi forsan annexis et omnibus iuribus et pertinentiis suis, eidem mensae capitulari (ita quod liceat capitulo et canonicis beneficiatis et clericis praedictis per se, vel alium, seu alios eorum et dictae mensae nomine seu nominibus, propriâ auctoritate corporalem, realem et actualem possessionem dicti monasterii ac annexorum iuriumque et pertinentiarum praedictorum libere apprehendere, ac apprehensam perpetuo retinere, illiusque fructus, redditus et proventus, iura, obventiones, et emolumenta quaecumque, demptâ tamen ex eis praedictâ portione pro manutentione presbyterorum ac aliorum ministrorum ecclesiae seu cappellae dicti monasterii, ut praefertur, pro tempore deservientium quotannis desumendâ, percipere, exigere, levare, arrendare, locare, dislocare, ac in suos usus et utilitatem, modo et formâ praemissis, convertere, Dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ, cum

praedicti Henrici regis ad hoc expressus accedat assensus) apostolicâ auctoritate et tenore praedictis etiam perpetuo unimus, annectimus et incorporamus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes transactionem, conventionem, aliaque illas concernentia et in dicto documento contenta valida et efficacia fore et esse, ac perpetui roboris firmitatem obtinere, ac per eos, ad quos nunc spectat et pro tempore spectabit, firmiter observari debere, nec ab illis ullo umquam tempore resiliri posse, sed ad illorum omnium observationem perpetuo obligatos esse et fore, et ad id censuris ecclesiasticis, ac pecuniariis poenis cogi et compelli posse; sicque ab omnibus, et singulis censeri unionem, annexionem, et incorporationem huiusmodi; praesentesque litteras de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, seu impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi, vel retractari, seu invalidari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari, aut adversus eas quodcumque iuris et facti, vel iustitiae aut gratiae remedium intentari, impetrari, vel concedi nullatenus umquam posse; nec eas sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, derogationibus, vel aliis contrariis dispositionibus, etiam desuper, in genere vel in specie, pro tempore quomodolibet, etiam apostolicâ auctoritate, factis et faciendis comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac etiam de novo, et sub quacumque posteriori datâ, per capitulum, canonicos, beneficiatos et clericos ecclesiae Lateranensis pro tempore existentes huiusmodi quandocumque eligendâ, concessas esse et fore, eisque suffragari debere; sicque, et non aliter per quoscumque iudices, commissarios et delegatos quavis auctoritate fungentes, ac etiam causarum Palatii Apostolici auditores, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores designantur.

§ 6. Quocirca dilectis filiis curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, et Agennensi ac Burdegalensi officialibus per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta huiusmodi, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Henrici et pro tempore existentis Francorum regis, necnon capituli, et canonicorum, et beneficiatorum, necnon clericorum praedictorum, seu alicuius eorum, desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis omnibus, et singulis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praesentes litteras et in eis contenta praedicta firmiter observari, ac singulos, quos ipsae praesentes litterae concernunt et concernent quomodolibet in futurum, illis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari: contradictores quoslibet, et rebelles per sententias, censuras, et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogationes

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostri, etiam qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis tunc expressis casibus,

et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a dictâ Sede deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere audeant vel praesumant, ac in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, nec non nostrâ, per quam inter alias voluimus, quod, petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum communem aestimationem, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, ac generalis et novissime celebrati Lateranensis Concilii[1], uniones, annexiones et incorporationes perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, necnon concordatis praedictis, ac monasterii et Ordinis praedictorum, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis, illis eorumdemque monasterii et Ordinis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis et cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, de praedicti Henrici regis ad hoc expresso accedente consensu, concordatis praedictis, etiamsi de illis specialis, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Clausulae poenales.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, confirmationis, approbationis, adiectionis, suppletionis, unionis, annexionis, incorporationis, decreti, voluntatis, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicae MDCV, quinto Idus octobris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 octobris 1605, pontif. an. I.

XVII.

Restitutio et innovatio festivitatis sancti Ubaldi, episcopi Eugubini, Ordinis Canonicorum Regularium Lateranensium, pro die XVI *maii*[1].

Paulus Papa V,
Servus Servorum Dei.

Exordium.

Ex iniuncto nobis apostolici muneris debito ad ea libenter intendimus, per quae sanctorum veneratio et christifidelium devotio augetur, cum praesertim pia virorum principum vota id exposcunt, ac aliàs in Domino conspicimus salubriter expedire.

1 Edit. Main. legit *Conciliorum*: porro plures alias in hac Const. emendationes peregimus, quas piguit adnotare (R. T.).

1 Hunc sanctum canonizavit et eius festivitatem instituit Coelestinus III in sua Const. VI *Benedictus* tom. III pag. 82.

Supplicatio ducis Urbini et abbatis Ordinis canonicorum regularium.

§. 1. Piis igitur ac devotis supplicationibus dilecti filii nobilis viri Francisci Mariae Urbini ducis et dilectorum filiorum abbatis generalis et universae congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium Ordinis S. Augustini nominibus nobis humiliter porrectis inclinati, ac ex voto venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super sacris ritibus et ceremoniis deputatorum, ut christifidelium veneratio erga sanctum Ubaldum, olim episcopum Eugubinum, magis augeatur, quem ob insignia miracula, quae illius intercessione, ut pie creditur, omnipotens Deus operari dignatus est et in dies operari dignatur, maxime in liberandis a daemone obsessis, et ob celebrem in universo orbe illius vitae sanctitatem, felicis recordationis Coelestinus Papa III praedecessor noster in Sanctorum numerum retulit, et erga quem dictus Franciscus Maria dux ob speciales gratias a Deo, ipsius sancti Ubaldi meritis et intercessione, ut similiter pie creditur, susceptas, et eadem Canonicorum Regularium congregatio, cuius Ordinis institutum et vivendi rationem ipse sanctus Ubaldus in canonicà Portuensi apud Ravennam suscepit, singularem gerunt affectum;

Restitutio festivitatis.

§ 2. Harum serie perpetuo statuimus et ordinamus, ut ipsius S. Ubaldi pontificis et confessoris dies festus in Kalendario Romano ad diem decimum sextum mensis maii adscribatur, et de eodem sancto Ubaldo pontifice et confessore in universo orbe a clericis saecularibus et regularibus quibuscumque, qui divinum officium recitare tenentur, eo die commemoratio, tamquam de festo simplici fieri debeat.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die XXVI octobris MDCV, pontificatus nostri anno I[1].

Dat. die 26 octobris 1605, pontif. an. I.

XVIII.

Approbatio collegii sub invocatione sancti Hieronymi, a S. R. E. cardinale Matthaeio Romae instituti, ad piam egenorum scholarium, ad sacrarum litterarum et iuris canonici studium incumbentium, educationem, cum gratiarum et privilegiorum concessione.

Paulus episcopus
Servus Servorum Dei,
Dilecto filio nostro in Urbe eiusque districtu vicario in spiritualibus generali, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Altitudo divinae providentiae, a qua bona et sancta opera omnia procedunt, ea suorum fidelium animis frequenter suggerit, quae ad collegiorum et aliorum piorum locorum propagationem, ac pauperum studii litterarum incumbere volentium manutentionem et instructionem, bonorumque per eos emeritorum promotionem noscantur pertinere; unde nos, quibus eadem providentia universalis ecclesiae regimen est commissum, ipsorum fidelium, praesertim S. R. E. cardinalium, pias voluntates ad id tendentes, ut votivos sortiantur effectus, cum a nobis petitur, apostolici favoris suffragio libenter prosequimur, ac in his officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout conspicimus salubriter expedire.

Hieronymus cardinalis Matthaeius colle-

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Cyriaci et Has-

1 Pridie huius diei confirmatae leguntur in forma communi Constitutiones clericorum regularium minorum in Brevi, cui initium: *Decet Romanum Pontificem*, et quod legitur in Compendio privilegiorum, huiusce Congregationis, Romae edito MDCCXXVI et quidem pag. 30.

gium S. Hieronymi pro scholaribus institui iussit ab eius fratribus et haeredibus, et subsidium hic indicatum assignavit.

drubalis de Matthaeis domicellorum Romanorum petitio continebat, quod aliàs bonae memoriae Hieronymus titulo sancti Pancratii presbyter cardinalis Mattaeius nuncupatus, cordi habens religionis augmentum et decorem piamque iuventutis eruditionem, in ultimo a se condito testamento, sub cuius dispositione ab humanis decessit, et ad gloriam omnipotentis Dei, et honorem divi Hieronymi advocati sui, Cyriaco et Hasdrubali praefatis eius fratribus et haeredibus universalibus, inter alia, centum et quinque diversorum Montium de Urbe loca non vacabilia, et decem mille scuta monetae in emptionem totaliorum locorum Montium non vacabilium, etiam de Urbe, seu censuum annuorum tuto et bene impositorum, aut bonorum stabilium, eorum arbitrio eroganda praelegavit seu reliquit. Insuper voluit et mandavit quod, post factam emptionem huiusmodi, quinque usque ad sex mille scuta intra sex menses, a die obitus sui computandos, in emptionem alicuius domus seu loci, eisdem Cyriaco et Hasdrubali benevisae seu benevisi, converti, ibique collegium sancti Hieronymi nuncupandum erigi et institui; et quatenus pro emptione domus seu loci huiusmodi erogaretur minor summa dictis sex mille scutis, habità ratione ad illius pretium et fabricam, si qua facienda esset pro constructione et usu dicti collegii, id totum quod superesset, in emptionem similium locorum, sive censuum, aut bonorum ad commodum et beneficium dicti collegii investiri; ipsum autem collegium, ac bona illi pro eius dote assignanda, de proprietate et iure patronatus Cyriaci et Hasdrubalis praedictorum, ac filiorum, nepotum, pronepotum et aliorum ex eis descendentium in infinitum, unius scilicet post alium, esse, ac, illis omnibus deficientibus, omnes alios in primogeniturà teper eum super successione partis Castrorum Iovis, Rocchae Sinibaldae et Belmontis ratione donationis per eumdem antea praedictis Cyriaco et Hasdrubali factae institutà comprehensos, exclusis semper feminis, et aliàs iuxta eiusdem primogeniturae formam, seriem et continentiam, eis succedere; et quatenus, elapsis dictis sex mensibus, domus seu locus huiusmodi empta vel emptus non esset, tunc per Cyriacum et Hasdrubalem praefatos aliqua idonea domus ad hunc effectum conduci deberet [1].

Eius regimen Ciriaco et Asdrubali fratribus et praeposito Congregationis clericorum regularium sancti Pauli commisit cum facultate statuta opportuna faciendi.

§ 2. Ipsique Cyriacus et Hasdrubal ac eorum primogeniti, unà cum praeposito domus sancti Blasii de Annulo, etiam de Urbe, congregationis Clericorum Regularium sancti Pauli Decollati pro tempore existente, dictum collegium gubernare et administrare, ac magistrum seu rectorem, scholares, famulos, servientes, ut infra, qualificatos in dicto collegio introducendos eligere et admittere, eosque expellere et removere, ac alios sufficere, statutaque, ordinationes et constitutiones pro illius felici statu et prospera directione facere, condere et compilare deberent, illaque, prout occasio se offerret et eis videretur, reformare et corrigere, ac eisdem addere et detrahere possent, ac denique liberam ipsius collegii administrationem haberent, omni et quacumque superioritate et superintendentià omissà, rogans et hortans Cyriacum et Hasdrubalem ac praepositum praedictos, quatenus in opportunis ordinationibus huiusmodi faciendis, ex quibus rerum conservatio pendebat, omni cum diligentià et sedulitate uti vellent, hac unà inter caeteras additā ac inviolabiliter et perpetuo observandà, videlicet, quod tam magister seu rector, quam scholares et servientes dicti collegii, primà dominicà cuiuslibet mensis, sua peccata confiteri, et sacrosanctam Eucharistiam sumere te-

1 Vocem *deberet* addendam reputavimus (R.T.).

nerentur, ut eodem tempore Deo servire, scientias ediscere, et gratias de beneficiis receptis referre valerent.

Rectorem ab eis deputari iussit.

§ 3. Et propterea statuit et ordinavit quod unus magister seu rector sacerdos, a Cyriaco et Hasdrubale ac successoribus necnon praeposito praefatis eligendus, dicto collegio praeesset, ac scholarium et famulorum seu servientium praedictorum curam gereret.

Introituum administrationem praescripsit.

§ 4. Eâ tamen conditione, quod Cyriacus et Hasdrubal ac successores praedicti de per se soli curam et administrationem dotis et pecuniarum eiusdem collegii, necnon facultatem loca Montium et census seu bona stabilia huiusmodi emendi, et, in eventum illorum extinctionis, pretium inde proventurum, prout eis videretur et inferius ordinatur, reinvestiendi haberent; sed in expeditione mandatorum manus dicti praepositi intervenire, et deliberationes magni momenti super rebus dicti collegii similiter cum eius interventu fieri deberent.

Scholarium qualitates admittendorum designavit.

§ 5. Quodque in eodem collegio tot, quot ex introitibus illius dotis ibi manuteneri possent, scholares Romani originarii, seu etiam cives ex privilegio, de nobili genere procreati et pauperes reciperentur: ita tamen ut unus vel duo ex Nonantulae, et unus ex Famularum terris nullius dioecesis provinciarum Bononiensis et Urbinatensis respective oriundi, si qui adessent qui dictorum scholarium muneri et consortio adscribi instarent, dictis Romanis praeferrentur, dummodo idonei et acceptabiles forent. Sub hoc autem principio dilecti filii, Prosper Bonus ex terrâ sancti Angeli sub dominio ducatus Urbini (Ioannis Francisci Fagnani, qui sibi a secretis negotiis Congregationis Concilii Tridentini spatio tredecim annorum et ultra inservierat, consanguineus) loco illius qui de dictâ terrâ Famularum admittendus esset, necnon Victorius Piccinus Francisci etiam Piccini (Tridentinus, civis tamen Romanus) obsequiis dicti Cyriaci insistentis natus, in scholares eiusdem collegii etiam reciperentur; caeteris omnibus circa dictum collegium dispositis (quibus in aliquo eâ vice dumtaxat exceptâ derogari voluit) firmius remanentibus.

De aetate scholarium.

§ 6. Omnes vero scholares praefati, tempore eorum receptionis in dicto collegio, decem et septem annorum ad minus suae aetatis ac in litteris humanioribus sufficienter instructi essent.

Studiis ipsorum,

§ 7. Nec aliis quam sacrae paginae et iuris canonici studiis incumbere possent.

Et habitu.

§ 8. Vestesque clericales, scilicet nigri coloris et uniformes, sumptibus dicti collegii, deferrent.

Scholares usque ad annum 25 et non ultra retineri iussit.

§ 9. Ac in ipso collegio usque ad vigesimum quintum eiusdem suae aetatis annum retineri et educari, completoque anno huiusmodi, locum aliis cedere tenerentur.

Bona Collegio assignata numquam voluit alienari.

§ 10. Quodque loca Montium, seu census aut bona, ad opus dicti collegii, ut praefertur, assignata, et deinceps emenda pro dote et sustentatione dicti collegii, perpetuo affecta et hypothecata remanerent, nec in alium usum converti possent; et, in eventum illorum extinctionis, pretium inde redigendum, statim apud Montem Pietatis de Urbe deponeretur, cum mentione seu enunciatione quod pecuniae huiusmodi pro dicto collegio destinatae existebant, neque ex eodem Monte, nisi ad effectum illud in emptionem aliorum locorum Montium non vacabilium, sive censuum bene et secure impositorum, aut rerum stabilium, prout Cyriacus et Hasdrubal ac eorum successores praefati unâ cum dicto praeposito magis expedire cognoscerent, amoveri posset; ac in litteris patentibus desuper expediendis, seu in celebratione instrumentorum desuper conficiendorum, semper expressa et spe-

cifica mentio fieret, pecunias huiusmodi ad praefatum collegium ex dispositione ipsius Hieronymi cardinalis spectare, illasque huiusmodi oneribus et conditionibus, nempe pro dote et substentatione dicti collegii, subiacere, et hoc toties, quoties casus contingeret; atque ita perpetuis futuris temporibus dos huiusmodi dicto collegio, isto et omni alio meliori modo, conservari; fructus autem locorum, censuum seu bonorum huiusmodi, donec erectio dicti collegii sequeretur decurrendi, ad commodum, utilitatem et augmentum eiusdem collegii investiri; factâque congerie dotis huiusmodi, ex omnibus et quibuscumque illius fructibus singulis annis in perpetuum trecenta scuta monetae detrahi, ac illa in tot locis Montium non vacabilium, vel censibus annuis, aut bonis stabilibus, ad commodum et augmentum eiusdem collegii investiri deberent, ad hoc ut, factâ investiturâ huiusmodi, dictum collegium fructibus inde percipiendis uti et frui posset, prout in dicto testamento plenius dicitur contineri.

Haeredes cardinalis Matthaei eius mentem exequuti pontificia auctoritate petunt roborari.

§ 11. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, Cyriacus et Hasdrubal praefati (piam dicti Hieronymi cardinalis dispositionem ad effectum quantocius perduci desiderantes) ex dictâ summâ decem mille scutorum ab eo, ut praefertur, legatâ quamdam domum, in viâ quae tendit ad ecclesiam sancti Nicolai sub Monte Quirinali sitam, ad usum collegii huiusmodi satis opportunam et commodam ab haeredibus Pamphilii de Desideriis quinque millium scutorum, et censum annuum sortis principalis aliorum quinque millium scutorum a Hieronymo Serlupio dilectis filiis, et (nuperrime sequutâ dicti census, pro summâ bis mille scutorum, redemptione seu extinctione) ex ipsis bis mille scutis, et de fructibus ex dote dicti collegii eâtenus decursis, alia viginti novem loca Montis Farnesii, etiam de Urbe, emerint, et in domo praefatâ collegium huiusmodi erigi cupiant, illique pro suâ dote, sub hoc primordio, residuum census huiusmodi, quod est ter mille scutorum, ac viginti novem praedicta necnon alia centum et quinque diversorum Montium non vacabilium per eos iam ad hunc effectum destinata et designata loca assignare intendant; pro parte Cyriaci et Hasdrubalis praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum quatenus praemissis annuere et desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Paulus rem suo in Urbe vicario committit.

§ 12. Nos igitur Cyriacum et Hasdrubalem praefatos, ac eorum quemlibet, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon dicti testamenti ac quarumcumque aliarum scripturarum super praemissis et eorum singulis, publice et privatim, ac aliâs quomodolibet confectarum, et in illis contentorum ac inde sequutorum quorumcumque tenores, necnon domus seu domorum huiusmodi veriores situationes, confines, earumque, ac locorum Montium et census praefatorum veros etiam annuos valores praesentibus pro sufficienter et totaliter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, circumspectioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus auctoritate nostrâ de praemissis te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ita esse repereris, in praefatâ vel aliâ per Cyriacum et Hasdrubalem praedictos ad hunc effectum forsan emendâ domo, collegium sancti Hieronymi nuncupandum, cum capellâ seu oratorio, refectorio communi, sigillo, bibliothecâ, archivio, caeterisque colle-

Ut, debitis informationibus praemissis,

gialibus insignibus, ac membris et officinis necessariis pro perpetuis receptione, usu et habitatione unius magistri seu rectoris habilis et idonei, qui presbyter existat, et scholarium, famulorum seu servientium eiusdem collegii curam gerat, et ipsi collegio, iuxta traditam ab eodem Hieronymo cardinalis formam et non aliâs, praesit, ac tot, quot ex dictis collegii proventibus et redditibus annuis (deductâ ex eis in primis et ante omnia trecentorum scutorum summâ quotannis in utilitatem et augmentum dicti collegii iuxta praedicti Hieronymi cardinalis dispositionem investiendâ) pro tempore commode sustentari et manuteneri poterunt, scholarium iuxta dispositionem et ordinationem dicti Hieronymi cardinalis, ut praefertur factas, qualificatorum eligendorum, recipiendorum, educandorum, retinendorum, ac etiam expellendorum et removendorum, sub perpetuis curâ, gubernio, regimine et administratione Cyriaci et Hasdrubalis ac suorum primogenitorum praedictorum, qui per se solos omnimodam dotis et pecuniarum dicti collegii curam et administrationem habere debeant cum facultatibus, oneribus, conditionibus, modo et formâ a dicto Hieronymo cardinalis praescriptis, perpetuo (sine tamen alicuius praeiudicio) erigas et instituas; illique sic erecto et instituto, pro eius dote, ac magistri seu rectoris, ac scholarium praedictorum, usu, habitatione et sustentatione, honerumque illis incumbentium supportatione[1], praedictam vel aliam seu alias domos, ut praefertur, emendas, cum omnibus et singulis illarum aedificiis, structuris, situ, ambitu, iuribus, pertinentiis et dependentiis quibuscumque, ac residuum praedicti census, necnon omnia et singula loca Montium per Cyriacum et Hesdrubalem praefatos tam empta et assignata, quam emenda et assignanda, ut praefertur (ita quod liceat Cyriaco et Hasdrubali ac primogenitis praedictis corporalem, realem et actualem illorum omnium possessionem, per se vel alium, seu alios, eorum et dicti collegii nominibus, propriâ auctoritate libere apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque, ex eis seu dote huiusmodi provenientia, percipere, exigere, levare, recuperare, locare et arrendare, ac in communes dicti collegii usus et utilitatem convertere, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ), etiam perpetuo applices et appropries.

Collegium erigat et instituat,

§ 13. Insuper ipsum collegium ac illius pro tempore existentes magistrum seu rectorem, scholares, collegiales, oeconomos, officiales, ministros et personas, eorumque res et bona mobilia praesentia et futura, cuiuscumque quantitatis, qualitatis, generis et speciei existentia, ab omni et quacumque pro tempore existentium dictae Urbis gubernatoris, senatoris, conservatorum, reformatorum, et nostri ac Romani Pontificis pro tempore existentis in eâdem Urbe et illius districtu in spiritualibus vicarii, necnon causarum curiae Camerae Apostolicae generalis auditoris, et quorumcumque nostrorum et Sedis Apostolicae de latere legatorum, ac vicelegatorum, et quarumcumque aliarum personarum ubilibet constitutarum et quavis auctoritate et dignitate, tam ecclesiasticâ quam mundanâ, etiam cardinalatus honore fungentium[1] visitatione, correctione, iurisdictione, dominio, superioritate et potestate similiter perpetuo eximas et liberes.

Et a superioritate ac iurisdictione quorumcumque officialium, etc., eximat,

§ 14. Ac sub nostrâ et pro tempore existentis Romani Pontificis protectione

Et sub tutela Sedis Apostolicae recipiat,

1 Perperam omnino edit. Main. habet *bonorumque supportationem praedictam* (R. T.).

1 Infra pag. 239 legitur *fulgentium* (R. T.).

et inviolabili conservatione suscipias, eidemque Sedi immediate subiicias.

Haeredesque praedictos collegii administratores constituat,

§ 15. Necnon Cyriacum et Hasdrubalem, et ab eis descendentes primogenitos praefatos, in dicti collegii illiusque magistri seu rectoris, scholarium, collegialium, oeconomorum, officialium, ministrorum et personarum, necnon bonorum et rerum quorumcumque protectores et generales administratores, quatenus opus sit, pariter perpetuo constituas et deputes.

Collegio et eius personis indulta aliorum in Urbe Collegiorum communicet,

§ 16. Necnon eisdem collegio, illiusque magistro et rectori, scholaribns, collegialibus, oeconomis, officialibus, ministris et personis, ut omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, praerogativis, antelationibus, praeeminentiis, concessionibus, indultis, favoribus, caeterisque gratiis universis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus alia collegia et pia loca in dictà Urbe instituta, illorumque magistri seu rectores, scholares, collegiales, oeconomi, officiales, ministri et personae, de iure, usu, consuetudine, privilegio vel aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, similiter et pariformiter ac aeque principaliter, absque ullà prorsus differentià, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant, itidem perpetuo indulgemus.

Eisdem heredibus ac praeposito congregationis clericorum sancti Pauli decollati facultatem edendi ordinationes et statuta dicti collegii condendi concedat,

§ 17. Necnon Cyriaco et Hasdrubali ac primogenitis unà cum praeposito praedictis quaecumque statuta, ordinationes, constitutiones, capitula et decreta, ad eiusdem collegii, illiusque personarum, rerum et bonorum spiritualium et temporalium curam, regimen, gubernium, directionem et administrationem, ac scholarium praedictorum nominationem, receptionem, admissionem, expulsionem, aetatem, qualitatem, victum, vestitum, instructionem, disciplinam ac studii cursum, caeteraque ad huiusmodi curam et administrationem pertinentia (licita tamen et honesta, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis ipsiusque Hieronymi cardinalis dispositioni et menti non contraria, et a te approbanda, quae eo ipso apostolicà auctoritate confirmata et approbata sint et esse censeantur, ac ab omnibus, ad quos pro tempore spectabit, etiam sub poenis in contravenientes statuendis, observari debeant, omni et quacumque superioritate et superintendentià omissà) faciendi et edendi, ac illa, quoties pro eorum et temporum qualitate seu aliàs expediens videbitur, mutandi, corrigendi, moderandi, reformandi aut alia ex integro condendi, plenam et absolutam licentiam et facultatem impertiaris.

Praeposito praedicto onus et munus praefatum perpetuo retinere praecipiat,

§ 18. Ceterum, quia de facili evenire potest ut modernus, vel pro tempore existens praepositus praefatus, onera et munera sibi a dicto Hieronymo cardinali, circa statum et gubernium dicti collegii, ut praenarratur, iuiuncta, aliquo modo detrectare tentet, eidem praeposito, tam moderno quam pro tempore existenti, ut omni et quocumque tempore omnia onera et munera huiusmodi, prout sibi a dicto Hieronymo cardinale iniuncta sunt, promptà animi devotione suscipere et exequi, numquam autem quovis colore, praetextu vel ingenio detrectare debeat, praecipias et mandes.

Iuspatronatus dicti collegii ad haeredes cardinalis Matthaei iuxta illius dispositionem spectare declaret,

§ 19. Postremo collegium per praesentes erectum, illiusque dotem huiusmodi, de proprietate et iurepatronatu Cyriaci et Hasdrubalis ac suorum filiorum, nepotum, pronepotum et aliorum descendentium praedictorum, unius scilicet post alium, et, illis omnibus deficientibus, aliorum ad dictam primogenituram vocatorum, iuxta illius formam et tenorem, esse et fore, ac iuspatronatus huiusmodi illis ex primaevà, integrà et omnimodà fundatione atque dotatione de bonis mere

patrimonialibus factâ, et aliàs in omnibus et per omnia iuxta praedicti Hieronymi cardinalis testamentum, dispositionem et ordinationem, competere,

Clausulas huic Constitut. apponat,

§ 20. Praesentes quoque litteras sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per nos, vel alios Romanos Pontifices successores nostros, etiam in crastinum assumptionis successorum huiusmodi ad summi apostolatus apicem, sub quibuscumque verborum expressionibus et formis, etiam motu proprio, pro tempore factis, minime comprehendi, sed tamquam pro fundatione et dotatione dicti collegii sancti Hieronymi ad bonarum artium cultum instituti concessas, semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub datâ per administratores pro tempore existentes praefatos quandocumque eligendâ concessas esse et fore, suumque plenarium effectum sortiri et obtinere,

Et clausulam quoque *sublatâ*, *etc.* addat.

§ 21. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, ac causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, in quavis instantiâ iudicari et definiri debere, ac quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernas.

Contrariis quibuscumque Pontifex derogat.

§ 22. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus, universalibusque conciliis editis specialibus et generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon dictae Urbis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, et legibus municipalibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Urbi, ac dilectis filiis populo romano, necnon camerario, vicario, gubernatori, auditori, senatori, caeterisque superioribus, et personis praefatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatiarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac Sedem praedictam, etiam motu simili, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, ac aliàs concessis et confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus et sufficienter derogatum esse decernimus: caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCV, decimosexto kalendas decembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 decembris 1605, pontif. an. I.

Sequitur decretum erectionis dicti collegii editum a cardinali Pamphilio Papae Vicario.

Decretum S. R. E. cardinalis Pamphilii

§ 23. Illustrissimus et reverendissimus dominus Hieronymus cardinalis Pamphi-

super institutione collegii, in exequutionem praeinsertarum litterarum. lius, vicarius et iudex ut supra deputatus[1], dictis litteris apostolicis eâ, qua decuit, reverentiâ receptis, illisque visis, et contentis in eis bene auditis et intellectis, visoque testamento, ut supra, exhibito et producto, et demum visis videndis et considerati considerandis, volens ad praefatarum litterarum exequutionem procedere, collegium, de quo in dictis litteris, erexit et instituit cum appropriatione et applicatione bonorum, facultatibus et declarationibus, ac modo et formâ a dicto bonae memoriae Hieronymo cardinali praescriptis, ac cum exemptione, liberatione, subiectione, indultō, deputatione, licentiâ, facultate, impertitione, concessione, praecepto, reservatione, assignatione et decreto, ac alia in omnibus et per omnia iuxta earumdem litterarum apostolicarum formam, *etc.*, et tenorem, *etc.* non solum praemisso sed etiam omni alio meliori modo, *etc.*

Stipulatio dicti decreti. Actum Romae in palatio solitae residentiae dicti illustrissimi et reverendissimi domini cardinalis vicarii, praesentibus ibidem dominis Francisco Romaulo clerico romano et Mutio Passarino de Nursia clerico Spoletanae dioecesis, Curiae connotariis, testibus ad praemissa omnia et singula habitis, vocatis principaliter, atque rogatis.

Cardinalis subscriptio. Hieronymus cardinalis Pamphilius S. D. N. Papae vicarius.

Notarius rogatus. Faustus de Barberiis dictae curiae notarius rogatus.

XIX [2].

Deputatio vicarii Papae in iudicem causarum dicti collegii Matthaei.

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Supernâ dispotione illius, cuius inscrutabili providentiâ ordinationem suscipiunt universa, in eminenti apostolicae dignitatis speculâ, meritis licet imparibus, constituti, ad ea, per quae personis quibuslibet, praesertim illis qui adolescentes in litterarum studiis, bonis moribus ac disciplinis instruunt, ipsisque adolescentibus ac studiosis iustitia, minori cum eorum dispendio, administretur, libenter attendentes, illa eis propterea benigne concedimus, quae eorum indemnitati, fore conspicimus opportuna.

Enunciatio institutionis collegii Matthaeii. § 24. Aliàs siquidem nos supplicationibus dilectorum filiorum Cyriaci et Hasdrubalis de Matthaeis domicellorum romanorum et marchionum Iovis et Rocchae Sinibaldae castrorum pro eorum parte nobis porrectis inclinati (pro complemento ultimae voluntatis bonae memoriae Hieronymi, dum vixit, tituli sancti Pancratii S. R. E. presbyteri cardinalis Matthaei nuncupati, dictorum Cyriaci et Hasdrubalis fratris germani, qui in ultimo suo testamento eosdem Cyriacum et Hasdrubalem haeredes sibi universales instituerat, et inter alia, de quibus tunc disposuerat, in almâ Urbe nostrâ, et domo seu loco dictis Cyriaco et Hasdrubali benevisa seu beneviso, unum collegium scholarium sancti Hieronymi nuncupandum, erigi et illi etiam tunc expressa bona in dotem applicari mandaverat) in quadam per dictum Cyriacum et Hasdrubalem emptâ vel aliâ seu aliis domibus ad hunc effectum emendâ vel emendis, unum collegium sancti Hieronymi, ut praefertur, nuncupandum, pro perpetuis usu et habitatione unius rectoris, et nonnullorum scholarium, sub perpetuis quoque curâ, regimine et administratione dictorum Cyriaci et Hasdrubalis et primogenitorum

1 Hinc videretur quod decretum istud post Const. seq. aptius forsan fuisset collocandum (R. T).
2 In edit. Main. seq. Const. apponitur, absque numero, ut appendix praec. (R. T.).

suorum, ac aliàs certis aliis modo et formâ similiter tunc expressis, apostolicâ auctoritate perpetuo ereximus et instituimus, illique sic erecto et instituto pro congruâ illius dote domum seu domos huiusmodi, ac quaedam loca Montium non vacabilium ad eum finem et effectum tum empta, tum resignata, dispositioni testamentariae eiusdem Hieronymi cardinalis inhaerendo, applicavimus, appropriavimus, et insuper ipsum collegium, illiusque rectorem, professores, lectores, praeceptores, scholares, collegiales, oeconomos, officiales, ministros et personas, necnon res et bona quaecumque ab omni et quacumque dictae Urbis gubernatoris, senatoris, conservatorum, reservatorum, ac in eàdem Urbe et illius districtu vicarii nostri in spiritualibus generalis, necnon curiae causarum Camerae nostrae Apostolicae generalis auditoris, dilectorum filiorum, et quorumcumque nostrorum et Sedis praedictae de latere legatorum et vicelegatorum, ac quarumvis aliarum personarum quavis auctoritate et dignitate etiam cardinalatus honore fulgentium visitatione, correctione et iurisdictione perpetuo exemimus, ac sub beati Petri et dictae Sedis necnon Romani Pontificis pro tempore existentis protectione et inviolabili conservatione suscepimus, eidemque Sedi immediate subiecimus, prout in litteris apostolicis desuper, sub datum videlicet sextodecimo kalendas decembris pontificatus nostri anno I, expeditis plenius continetur.

Supplicatio Cyriaci et Hasdrubalis pro deputatione iudicis specialis causarum dicti collegii.

§ 25. Cum autem, sicut nobis nuper exponi fecerunt Cyriacus et Hasdrubal praedicti, experientiâ et usu compertum sit similia collegia, ut plurimum, litigiis et controversiis iudicialibus exerceri, et, nisi eis speciales iudices constituantur, passim huc et illuc coram diversis tribunalibus magno eorum incommodo et dispendio trahi, provideque ad hoc inconveniens a dicto collegio propellendum et eius opportunitatibus hac in parte consulentes dicti exponentes plurimum cupiant peculiarem eidem collegio iudicem, coram quo trahere et trahi tantummodo possint, per nos et Sedem praedicto modo et formâ infrascriptis constitui et deputari; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt exponentes praedicti, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Deputatio vicarii papae in iudicem.

§ 26. Nos igitur testamenti ac litterarum huiusmodi tenorem praesentibus pro expressis habentes, dictosque exponentes specialis gratiae favore prosequi volentes, necnon eos et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati praedictum et pro tempore existentem dictae Urbis vicarium in specialem, perpetuum, irrevocabilem iudicem omnium et singularum litium, causarum et differentiarum, tam civilium quam (praeterquam quae fidem orthodoxam concernunt) criminalium et mixtarum, etiam earum, in quibus exequutive in vim obligationis, in formâ Camerae praedictae factae, agi contigerit, tam inter dictum collegium, illiusque rectorem, praeceptores, magistros, scholares, officiales, ministros et alias personas quascumque nunc et etiam pro tempore existentes, quam inter eosdem et studii generalis dictae Urbis rectorem, ac quascumque alias personas, tam saeculares quam ecclesiasticas, cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis et conditionis ac praeeminentiae existentes, universitates, societates, congregationes, collegia,

capitula, ac tam virorum quam mulierum monasteria, hospitalia et pia loca, tam coniunctim quam divisim, ac tam active quam passive, ultro citroque ad invicem, vel alias quomodolibet iam forsan motarum et deinceps movendarum;

Cui datur facultas procedendi summarie,

§ 27. Cum facultate illas per se vel eius vicesgerentes seu locatenentes, aut alium seu alios, quem vel quos ad hoc duxerit deputandos, etiam summarie, simpliciter et de plano, et sine strepitu et figurâ iudicii, sed solâ facti veritate inspectâ, ac etiam manu regiâ, cum omnibus et singulis suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negotio principali, etiam privative quoad omnes et singulos alios iudices ordinarios et delegatos, eorumque curias et tribunalia ecclesiastica vel saecularia, audiendi, cognoscendi, decidendi, fineque debito terminandi;

Citandique in curia et extra eam, ac omnibus iudicibus inhibendi.

§ 28. Necnon quoscumque interesse habentes, tam in Romanâ Curiâ quam extra eam, etiam per edictum publicum, constito sibi summarie de non tuto accessu, citandi, ac quibusvis etiam eiusdem Curiae iudicibus et personis, quibus et quoties opus fuerit, sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis, de quibus videbitur, inhibendi, et, in eventum non paritionis, ad declarationem incursus censurarum et poenarum huiusmodi procedendi, ac sententias desuper ferendas debitae exequutioni demandandi, seu demandari faciendi;

Contradictores coercendi,

§ 29. Contradictores quoslibet et rebelles per similes censuras et poenas aliaque opportuna iuris et facti remedia compellendi, ac etiam auxilium brachii saecularis ad hoc invocandi;

Dubia in praemissis interpretandi, etc.

§ 30. Necnon quaecumque dubia et difficultates, si quae praemissorum occasione quomodolibet oriri contigerit, declarandi et interpretandi, omniaque et singula in eisdem praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opprotuna faciendi, gerendi, mandandi, exercendi et exequendi, etiam omni et quacumque appellatione remotâ, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, perpetuo constituimus et deputamus: ac perpetuo constitutum et deputatum esse et fore,

Clausulae huius concessionis praeservativae.

§ 31. Praesentes quoque nostras litteras de subreptionis seu nullitatis vitio notari, impugnari, retractari, annullari, vel invalidari, seu in ius vel controversiam vocari, vel ad viam et terminos iuris reduci, aut adversus illas quodcumque iuris, gratiae, vel facti remedium impetrari aut concedi nullatenus umquam posse, sed semper et perpetuo dicto collegio, illiusque praeceptoribus, magistris, scholaribus, ministris et aliis personis praedictis perpetuo suffragari,

Clausula *sublata, etc.*

§ 32. Sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum dicti Palatii auditores, ac eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales iudicari et definiri debere, irritumque et inane auctoritate et tenore praedictis decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae contrariorum derogatoriae.

§ 33. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon facultatibus Camerae praedictae generali auditori concessis, seu statutis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ac consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus ac formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, etiam consisto-

rialiter, ac aliàs in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus habenda esset in nostris litteris mentio specialis, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque, aut si alicui, communiter vel divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possit per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam, ad de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xx novembris MDCVI, pontificatus nostri anno II[1].

Dat. die 20 novembris 1606, pontif. an. II[2].

XX.

De certo religiosorum numero cuicumque monasterio, conventui ac domui regulari praefigendo.

De hac re legem sanxerat Clemens VIII.

§ 1. Sanctissimus in Christo Pater et Dominus noster Dominus Paulus divinâ providentiâ Papa V, cum ex plurimis, iisque gravissimis decretis, quae felicis recordationis Clemens VIII ad regularem disciplinam restituendam et augendam condidit, illud maximi momenti esse animadverterit, quod a sacro Concilio Tridentino[3] multo ante cautum etiam fuerat, ut is tantum religiosorum hominum numerus in singulis monasteriis, conventibus et domibus regularibus constitueretur, qui vel propriis redditibus et obventionibus, vel consuetis emolumentis ac eleemosynis ali commode posset, magnamque fortasse observantiae regularis iacturam inde factam esse, quod Ordinum superiores illud exequi nimium distulerunt; ut, hoc etiam adhibito remedio, huiusmodi incommodo prospiceret, aditumque iis praelatis regularibus praecluderet, qui plures ad suam Religionem admittentes, quam monasteriorum et conventuum census, eleemosynae et qualitates ferant, non levem subditis vitae claustralis relaxandae occasionem praebere videntur,

Praeceptum praefigendi cuique monasterio certum numerum religiosorum statuit Paulus.

§ 2. Decrevit et praecepit, ac praesentis decreti virtute praecipit et mandat omnibus et singulis generalibus, provincialibus, commissariis, ministris, praesidentibus, abbatibus, prioribus, praepositis, guardianis, vicariis et quibuscumque aliis superioribus monasteriorum, conventuum et domorum, quovis nomine nuncupentur, Ordinum, Congregationum et Institutorum, tam monachorum quam mendicantium et non mendicantium regularium quorumcumque existentium intra fines Italiae et insularum adiacentium, ut singuli, ad quos pertinet, in qualibet provinciâ, adhibitis duobus aut tribus monachis fratribusve sui Ordinis vel Congregationis probatioribus et rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, redditus et proventus omnes, consuetas item eleemosynas et obventiones, tam communes monasteriorum, conventuum et domorum eiusdem provinciae, quam etiam singularibus personis religiosis assignatas, seu permissas, in communem usum deinceps conferendas, decem annorum diversorum habitâ ratione, diligenter ac mature recognoscant (iis omnibus detractis, quae reparationes, praestationes, grandines, sterilitates, aliave cuiuslibet generis onera consueverunt absorbere) eaque omnia in scripto fideliter exarata

1 Hanc Const., etsi datâ posteriorem, adiecimus praecedenti, ratione materiae (R. T.).

2 Edit. Main. in notâ monet die 8 huius mensis confirmasse Paulum privilegia iam concessa Congregationi Canonicorum Lateranensium Ordinis sancti Augustini suo Brevi, *Paterna nostra*, quod non est in *Bull.* (R. T.).

3 Concil. Trident., sess. XXV, cap. III.

idem superior, cuius interest, in primo capitulo seu congregatione provinciali coram tribus iudicibus ab ipsomet capitulo vel congregatione deligendis proponat, qui, computatis huiusmodi redditibus, eleemosynis et obventionibus universis, ac oneribus, ut superius detractis, sedulo examinent quot religiosi homines in unoquoque monasterio, conventu et domo regulari, iuxta Religionis et proprii instituti morem, victum et vestitum in communi habentes competenter valeant sustentari: tum eorumdem bonorum, reddituum, eleemosynarum et onerum praecisam notam ipsimet congregationi capitulove provinciali exhibeant, ut in illo, diligenter omnibus discussis, cuicumque familiae, conventus, monasterii et domus regularis quovis nomine nuncupatae in singulâ quaque provinciâ certus earum tantum personarum numerus communi patrum capitularium voto praefigatur, quae redditibus, eleemosynis et obventionibus, ut superius, sufficienter ali possint.

Tempus unius anni ad praedicta exsequenda.

§ 3. Ne vero superiores, qui id praestare debent, serius aut remissius quam par est, muneri suo satisfaciant, mandavit ac mandat Sanctitas Sua ut infra annum, a die dati praesentis decreti computandum, omnia hoc de genere capitulariter gesta in authenticam formam redacta ad Congregationem Reformationis Apostolicae singuli mittant, numerumque familiae singulorum conventuum, monasteriorum et domorum huiusmodi regularium, capituli vel congregationis provincialis sententia et auctoritate praefinitum, iidem superiores Ordinum, Congregationum et institutorum quorumcumque, tam generales et provinciales, quam locales omnes perpetuo servare omnino teneantur.

Superioribus inobedientibus poenae infliguntur.

§ 4. Eos autem superiores, cuiuscumque status, gradus et conditionis existant, qui praedicta omnia praefixo termino non praestiterint, vel numerum huiusmodi praescriptum quovis modo augere praesumpserint, privationis omnium officiorum, quae tunc temporis obtinebunt, vocisque activae et passivae, ac ad omnia suae religionis officia et gradus inhabilitatis perpetuam poenam eo ipso incurrere, atque aliis etiam gravioribus ad Sanctitatis Suae et successorum suorum arbitrium infligendi poenis subiacere voluit et declaravit.

Exemplorum fides.

§ 5. Vult praeterea Sanctitas Sua per hoc decretum, eiusdem Congregationis Reformationis Apostolicae secretarii manu subscriptum, consuetisque almae Urbis locis affixum et publicatum, omnes et singulos Ordinum regularium superiores, ad quos spectat, perinde affici ac si fuisset cuilibet personaliter intimatum.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus apostolicis, privilegiis, statutis, indultis, necnon aliis contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die IV decembris MDCV, pontificatus eiusdem S. D. N. anno I.

Dat. die 4 decembris 1605, an. pont. I.

XXI.

Quod fratres Ordinis Carmelitarum discalceatorum possint ubique de solâ licentiâ Ordinarii nova construere monasteria[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad Ecclesiae militantis (cuius regimini, licet immeriti, divinâ disponente clementiâ praesidemus) amplitudinem

1 Consonat Conc. Trident. sess. XXV, cap. III, in fin. — De Ordine Carmelitarum vide in Const. LXXVIII, Honorii III *Ut vivendi* tom. III pag. 415.

nihil magis necessarium, quam perfectorum militum Christi multitudinem existimamus.

Causae huius constitutionis.

§ 1. Cum igitur, sicut magno cum spirituali gaudio nostro accepimus, dilecti filii religiosi Ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo, Carmelitae Discalceati nuncupati, tam in Hispaniarum regnis, quam in Italiae et novi orbis, aliisque mundi partibus, pergant assidue Deo et Ecclesiae sanctae suae perfectum exhibere famulatum, non solum ipsi Deo per orationem et contemplationem sedulo vacantes, verum etiam animarum salutem exemplo et doctrinâ sollicite procurantes, cumque in dies fructus uberiores et dictae Religionis propagatione, benedicente Domino, sperandi sint; nos ad ea, quae religiosorum eorumdem augmento cedere possunt, concedenda, atque ea, quae illis in hoc impedimentum aliquod afferre dignoscuntur, removenda merito propensiores sumus.

Carmelitae possunt ubique domos aedificare de solo consensu Ordinariorum.

§ 2. Quare motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac merâ deliberatione nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, eiusdem Ordinis Carmelitarum Discalceatorum superioribus et religiosis, ut ubique locorum, cuilibet[1] in districtu suo (iuxta litterarum felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri super erectione congregationis Italiae praedicti Ordinis, sub datâ die XIII novembris anni Domini MDC, pontificatus sui anno IX, expeditarum formam et tenorem[2], quem praesentibus pro expresso haberi volumus) domos et monasteria, iuxta Concilii Tridentini decreta, de solâ licentiâ Ordinariorum, nullo aliarum personarum cuiusvis Ordinis, etiam regularium, requisito consensu, condere, fundare et erigere valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, licentiam ac facultatem concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus eiusdem Clementis praedecessoris, quae incipit *Quoniam ad institutam*, sub datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XXIII iulii MDCIII, pontificatus sui anno XII, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et cuiusvis alterius Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis aliis Ordinibus ac eorum superioribus et personis, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die XII decembris MDCV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 decembris 1605, pontif. an. I.

1 Aptius Cherub. legit *quilibet* (R. T.).

2 Quas require in tom. X pag. 619 (R. T.).

XXII.

Erectio banchi depositorum Sancti Spiritus in Saxia de Urbe[1].

Paulus Papa V,

ad perpetuam rei memoriam.

Conturbantibus mercatoribus, inducta ne-

§ 1. A pontificatus nostri primordio clamores, quos a multis annis citra in

3 Vide supra, pag 21 huius vol. (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

idem superior, cuius interest, in primo capitulo seu congregatione provinciali coram tribus iudicibus ab ipsomet capitulo vel congregatione deligendis proponat, qui, computatis huiusmodi redditibus, eleemosynis et obventionibus universis, ac oneribus, ut superius detractis, sedulo examinent quot religiosi homines in unoquoque monasterio, conventu et domo regulari, iuxta Religionis et proprii instituti morem, victum et vestitum in communi habentes competenter valeant sustentari: tum eorumdem bonorum, reddituum, eleemosynarum et onerum praecisam notam ipsimet congregationi capitulove provinciali exhibeant, ut in illo, diligenter omnibus discussis, cuicumque familiae, conventus, monasterii et domus regularis quovis nomine nuncupatae in singulâ quaque provinciâ certus earum tantum personarum numerus communi patrum capitularium voto praefigatur, quae redditibus, eleemosynis et obventionibus, ut superius, sufficienter ali possint.

Tempus unius anni ad praedicta exequenda.

§ 3. Ne vero superiores, qui id praestare debent, serius aut remissius quam par est, muneri suo satisfaciant, mandavit ac mandat Sanctitas Sua ut infra annum, a die dati praesentis decreti computandum, omnia hoc de genere capitulariter gesta in authenticam formam redacta ad Congregationem Reformationis Apostolicae singuli mittant, numerumque familiae singulorum conventuum, monasteriorum et domorum huiusmodi regularium, capituli vel congregationis provincialis sententia et auctoritate praefinitum, iidem superiores Ordinum, Congregationum et institutorum quorumcumque, tam generales et provinciales, quam locales omnes perpetuo servare omnino teneantur.

Superioribus inobedientibus poenae infliguntur.

§ 4. Eos autem superiores, cuiuscumque status, gradus et conditionis existant, qui praedicta omnia praefixo termino non praestiterint, vel numerum huiusmodi praescriptum quovis modo augere praesumpserint, privationis omnium officiorum, quae tunc temporis obtinebunt, vocisque activae et passivae, ac ad omnia suae religionis officia et gradus inhabilitatis perpetuam poenam eo ipso incurrere, atque aliis etiam gravioribus ad Sanctitatis Suae et successorum suorum arbitrium infligendi poenis subiacere voluit et declaravit.

Exemplorum fides.

§ 5. Vult praeterea Sanctitas Sua per hoc decretum, eiusdem Congregationis Reformationis Apostolicae secretarii manu subscriptum, consuetisque almae Urbis locis affixum et publicatum, omnes et singulos Ordinum regularium superiores, ad quos spectat, perinde affici ac si fuisset cuilibet personaliter intimatum.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus apostolicis, privilegiis, statutis, indultis, necnon aliis contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die IV decembris MDCV, pontificatus eiusdem S. D. N. anno I.

Dat. die 4 decembris 1605, an. pont. I.

XXI.

Quod fratres Ordinis Carmelitarum discalceatorum possint ubique de solâ licentiâ Ordinarii nova construere monasteria [1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad Ecclesiae militantis (cuius regimini, licet immeriti, divinâ disponente clementiâ praesidemus) amplitudinem

1 Consonat Conc. Trident. sess. XXV, cap. III, in fin. — De Ordine Carmelitarum vide in Const. LXXVIII, Honorii III *Ut vivendi* tom. III pag. 415.

nihil magis necessarium, quam perfectorum militum Christi multitudinem existimamus.

Causae huius constitutionis.

§ 1. Cum igitur, sicut magno cum spirituali gaudio nostro accepimus, dilecti filii religiosi Ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo, Carmelitae Discalceati nuncupati, tam in Hispaniarum regnis, quam in Italiae et novi orbis, aliisque mundi partibus, pergant assidue Deo et Ecclesiae sanctae suae perfectum exhibere famulatum, non solum ipsi Deo per orationem et contemplationem sedulo vacantes, verum etiam animarum salutem exemplo et doctrinâ sollicite procurantes, cumque in dies fructus uberiores et dictae Religionis propagatione, benedicente Domino, sperandi sint; nos ad ea, quae religiosorum eorumdem augmento cedere possunt, concedenda, atque ea, quae illis in hoc impedimentum aliquod afferre dignoscuntur, removenda merito propensiores sumus.

Carmelitae possunt ubique domos aedificare de solo consensu Ordinariorum.

§ 2. Quare motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac merâ deliberatione nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, eiusdem Ordinis Carmelitarum Discalceatorum superioribus et religiosis, ut ubique locorum, cuilibet[1] in districtu suo (iuxta litterarum felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri super erectione congregationis Italiae praedicti Ordinis, sub datâ die XIII novembris anni Domini MDC, pontificatus sui anno IX, expeditarum formam et tenorem[2], quem praesentibus pro expresso haberi volumus) domos et monasteria, iuxta Concilii Tridentini decreta, de solâ licentiâ Ordinariorum, nullo aliarum personarum cuiusvis Ordinis, etiam regularium, requisito consensu, condere, fundare et erigere valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, licentiam ac facultatem concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus eiusdem Clementis praedecessoris, quae incipit *Quoniam ad institutam*, sub datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XXIII iulii MDCIII, pontificatus sui anno XII, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et cuiusvis alterius Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis aliis Ordinibus ac eorum superioribus et personis, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die XII decembris MDCV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 decembris 1605, pontif. an. I.

XXII.

Erectio banchi depositorum Sancti Spiritus in Saxia de Urbe[1].

Paulus Papa V,

ad perpetuam rei memoriam.

Conturbantibus mercatoribus, inducta ne-

§ 1. A pontificatus nostri primordio clamores, quos a multis annis citra in

1 Aptius Cherub. legit *quilibet* (R. T.).

2 Quas require in tom. X pag. 619 (R. T.).

3 Vide supra, pag 21 huius vol. (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

cessitas erigendi mensam nummulariam in archihospitali S. Spiritus.

hac almâ Urbe nostrâ a viduis, pupillis, locis piis et curialibus, qui eorum pecunias ob decoctionem mercatorum et publicorum capsorum amiserunt vel eas cum maxima iacturâ et non sine ingentibus expensis mediante discussione bonorum recuperare nituntur, intelleximus, ita mentis nostrae dolores excitaverunt, ut (cum haec notabile damnum rei privatae ac publicae attulerint et afferant) eis aliquod remedium dare cogitaverimus; et proinde in archihospitali nostro sancti Spiritu in Saxiâ de eâdem Urbe, quod bona stabilia magni valoris possidet (et in quo cum[1] diversa pia opera in educandis infantibus ibi expositis, ac curandis infirmis ibi recursum habentibus, ac aliis quampluribus exercentur, in eo etiam hoc pium opus exerceri posset) publicum bancum depositorum pro commoditate ibidem sponte pecunias suas deponentium, ad hoc ut (mediante obligatione bonorum dicti archihospitalis pro dictis depositis) indemnitati deponentium tute provideatur, erigere et instituere duximus; dictoque negotio etiam diu pro indemnitate dicti archihospitalis cum dilecto filio Octavio Tassano illius moderno praeceptore ac aliis probis et expertis viris examinato, ipsi in eam, ut[2] ex praemissis magna dicto archihospitali resultaret utilitas, descenderunt sententiam, si eidem Octavio praeceptori partem dictarum pecuniarum, ut praefertur, deponendarum in emptionem locorum Montium non vacabilium (quae semper et illico pro commoditate suas pecunias repetentium, in eventum illarum repetitionis, pecuniâ numeratâ deficiente, in promptu essent et vendi possent) convertendi facultatem concederemus et auctoritatem.

Hypothecatis, pro deponentium indemnitate, eius bonis.

Dataque facultate emendi Loca Montium non vacabilium.

Paulus dictam mensam nummulariam erigit.

§ 2. Nos igitur, qui[1] in supremo militantis Ecclesiae solio divinâ dispositione constituti ad ea, per quae publicae et privatae utilitati, dictaeque Urbis curialium et aliarum personarum indemnitati valeat salubriter provideri, libenter intendimus; motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ nostrâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine, in dicto archihospitali, et loco inibi vel alibi, prout melius videbitur, ad publicam commoditatem deputando, unum bancum perpetuum depositorum nuncupandum, per capserium et alios illius ministros (qui Ordinem sancti Spiritus sub Regulâ sancti Augustini, cuius dictum archihospitale existit, professi fuerint) regendum et gubernandum, in quo omnes et singulae pecuniarum summae, etiam cuiusvis quantitatis existentes, ab eas deponere volentibus gratis et absque aliquâ pecuniarum etiam minimae partis a dictis personis pro huiusmodi depositis exactione deponantur et tute conserventur, sine aliquo praeiudicio Montis Pietatis de Urbe, perpetuo erigimus et instituimus;

Capsam pecuniarum tribus clavibus obseratam penes praeceptorem custodiri mandat.

§ 3. Illoque sic erecto et instituto, ut illud, aliquo servato ordine, recte et feliciter ad quorumcumque satisfactionem administretur, quod[2] de caetero perpetuis futuris temporibus in dicto archihospitali una capsa in camerâ praedicti Octavii et pro tempore existentis dicti archihospitalis praeceptoris conservanda, in qua pecuniae praedicti banchi reponantur, conficiatur, eaque tribus differentibus clavibus (quarum unam dictus prae-

1 Part. *cum* adiicimus, et paulo post *exerceantur* legimus pro *exercentur*, quia syntaxis defectiva nobis visa fuit (R. T.).

2 Loco *ut* lege *quod*, et intellige: *in eam descenderunt sententiam, quod... magnam reresultaret utilitas, si eidem Octavio*, etc. (R. T).

1 Vocem *qui* nos addimus (R. T.).

2 Huiusmodi particula *quod* afficit omnes § seq. ipsa vero pendet a verbis *statuimus et ordinamus* in fine § II (R. T.).

ceptor, aliamque praedicti archihospitalis domus magister, et reliquam claves huiusmodi dicti banchi thesaurarius seu capserius pro tempore existentes habeant) obseratur; ac praeceptor, necnon magister domus, ac thesaurarius seu capserius praedicti dictam capsam coniunctim (et non separatim, ac de per se, aut unus absque alio) aperire, nec alter alteri clavem suam confidere aut accomodare,

Pecunias in alios usus distrahi velat.

§ 4. Minusque pecunias in dicto banco pro tempore existentes, aut etiam minimam illarum partem seu quantitatem, ad alios quantumvis necessarios et utiles usus, quam in emptionem locorum Montium non vacabilium huiusmodi, convertere, aut super eis, etiam pro urgentissimis ipsius archihospitalis necessitatibus, sub poenâ illorum nullitatis, aliquos contractus inire aut conficere possint nec debeant; ac proinde dictae pecuniae ex pecuniis et redditibus dicti archihospitalis provenientes (ne in alios, quam praedictos, usus convertantur, aut invicem confundantur) separentur;

Duo millia scutorum semper penes capserium relinquenda.

§ 5. Et in dictâ capsâ (ad hoc ut promptae pecuniae occurrentibus eas dictim repetentium[1] necessitatibus habeantur) quaedam, eaque conveniens, pecuniarum quantitas semper et continuo conservetur; et ob id bis mille scuta circiter in manibus dicti thesaurarii seu capserii pro quotidianis minoribus solutionibus faciendis dumtaxat relinquantur, ita ut, dum aliqua maior solutio facienda erit, id ad praedicti praeceptoris et magistri domus notitiam deveniat;

Semel in hebdomada rationes per eum reddendae.

§ 6. Semelque saltem in hebdomadâ et saepius, prout dicto praeceptori videbitur, per praeceptorem ac magistrum domus praedictos computa depositorum tunc factorum (ad hoc ut a praedicto thesaurario seu capserio pecuniae si plures, quam opus fuerit, habuerit, auferantur, et in capsâ, ut supra, reponantur, aut ipsi aliae pecuniae, prout temporis exegerit necessitas, tribuantur) revideantur;

Certiorato de omnibus semel in anno Summo Pontifice per praeceptorem.

§ 7. Dictusque praeceptor quolibet anno nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem de emolumentis praemissorum occasione factis certiorare et notificare teneatur;

Computa singulo trimestri in congregatione generali examinanda.

§ 8. Dictaeque capsae computa[1] singulis saltem tribus mensibus vel aliàs, prout etiam expediens videbitur dicto praeceptori pro tempore existenti, ab universâ dicti archihospitalis congregatione [qualibet hebdomadâ] coram dicto praeceptore cum interventu non solum principalium illius officialium, verum etiam procuratoris ac advocati et notarii [fieri solita], revideantur;

Nullum aliud negociationis genus exercendum.

§ 9. Quodque ipsius banchi capserius pro tempore existens ac praeceptor et magister domus, seu alii ministri, cambia, recambia, incettas, dictas cedulas, et nullum aliud genus negociationis exercere seu admittere possint, sed praedictus thesaurarius seu capserius dicti banchi merus depositarius esse, nec de dictis pecuniis disponere, aut illas in alios usus, quam locorum Montium emptionem, et usus huiusmodi, convertere debeat;

Libris partitisque integra danda fides.

§ 10. Et libris, in quibus praedicta deposita describentur, eadem prorsus fides in iudicio et extra iudicium adhibeatur, quodque partitae ex dictis libris extractae et a praeceptore et magistro domus, necnon thesaurario seu capserio praedictis, vel duobus ex ipsis subscriptae, in iudicio et extra fidem faciant, perinde ac si parte citatâ et cum decreto iudicis extractae fuissent; dictusque thesaurarius seu capserius, et quicumque alii dicti banchi

1 Edit. Main. habet *repetentibus* (R. T.).

1 Ut turbatissimam seq. syntaxin reordines, huc refere verba quae uncinis inclusimus *qualibet hebdomadâ fieri solita*, quae extra locum suum vagantur (R. T.

ministri, ad omnem dictorum deponentium vel interesse habentium requisitionem, partitas ex dictis libris depositorum huiusmodi, ad effectum exhibendi in iudicio et extra illud pro creditorum suorum consequutione vel aliâ opportunâ probatione, tradere et extrahere[1];

Bona omnia archihospitalis pro depositorum securitate hypothecata.

§ 11. Ac pro huiusmodi pecunias deponentium securitate quaecumque dicti archihospitalis immobilia, mobilia ac semoventia bona in ampliori Camerae et quacumque aliâ iuris validâ formâ obligata et hypothecata sint et intelligantur, illaque sic obligata et hypothecata existant; dictique deponentes ad illa promptam et paratam exequutionem, ac si instrumenta publica obligatione Camerali vallata essent, habere, et, in eventum non restitutionis pecuniarum ab eis pro tempore depositarum dictorum bonorum realem, corporalem et actualem possessionem, seu quasi, absque vitio spolii et attentatorum ac alicuius iudicis seu Curiae decreto vel mandato, pro concurrenti pecuniarum eis tunc restituendarum quantitate, apprehendere, et apprehensam continuare, et[2] retinere, illaque quibusvis personis sub quibuscumque pactis et conditionibus et precio sibi beneviso locare, arrendare, ac illorum fructus et emolumenta percipere, exigere, levare, dictaque bona vendere et alienare, ac de eis libere disponere possint et valeant;

Pecuniae depositae sequestro non subiacent.

§ 12. Quodque pecuniae in dicto banco pro tempore deponendae, quamdiu in eo fuerint, a quoquam cuiusvis crediti occasione sequestrari non possint, et, quocumque sequestro non obstante, praedictus capserius, ad omnem et simplicem illorum, qui eas deposuerint, requisitionem, eis, etiam absque aliquâ poenâ et periculo iteratae solutionis, solvere et restituere possit et valeat, itidem perpetuo statuimus et ordinamus.

Poenae spirituales et corporeae contra ministros praedicta non observantes.

§ 13. Et pro praemissorum inviolabili observatione dicti archihospitalis praeceptori ac magistro domus, necnon ipsius banchi thesaurario seu capserio, aliisque illius ministris et personis, ac quibuscumque aliis, ad quos nunc spectat et pro tempore quomodolibet, spectabit, quosque dictum negotium tangit aut tangere poterit quomodolibet in futurum, ne (ultra alias poenas a iure communi inflictas) sub privationis quorumcumque beneficiorum et officiorum per eos pro tempore obtentorum, ac inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda, ac etiam perpetuae infamiae, necnon excommunicationis maioris latae sententiae (a qua nonnisi a nobis vel Romano Pontifice pro tempore existente, ac in mortis articulo, absolutionis beneficium consequi possint) ipso facto incurrendae poenâ, praemissis in toto vel in parte contradicere, aut ab eis, seu illorum aliquo, quovis praetextu, causâ vel occasione recedere audeant seu praesumant, sed ea ac eorum singula inviolabiliter et inconcusse observare et adimplere[1], ac ab aliis, quantum in se erit, observari et adimpleri mandent et faciant, itidem perpetuo praecipimus et mandamus.

Data facultas emendi loca Montium non vacabilium.

§ 14. Dictique archihospitalis praeceptori et aliis illius ministris praedictis, quod praedictas pecunias pro tempore, ut praefertur, deponendas, seu earum partem, in emptionem tot locorum Montium non vacabilium (ad hoc ut illarum restitutionis tempore adveniente dicta loca quantocitius vendi, dictaeque pecuniae, quibus debentur, restitui possint) convertere, et fructus interim ex eis provenientes, percipere, exigere et levare, ac in dicti archihospitalis usus et utilitatem convertere;

1 Heic subintellige *debeant* (R. T.).

2 Coniunct. *et* redundans videtur (R. T.).

1 Subintellige *debeant* (R. T.).

Data facultas statuta edendi, publicandi, *etc.* § 15. Quodque pro felici et salubri dicti banchi, ac illius personarum et rerum suarum regimine et directione, quaecumque statuta et ordinationes, capitula et decreta, licita tamen et honesta ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis non contraria, condere, et, quoties sibi opportunum videbitur, condita mutare, alterare et declarare, ac pro eorum arbitrio edicta publicare, imprimi et affigi facere, ac subscribere, aliaque in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna facere, dicere, gerere et exequi possint et valeant, similiter perpetuo concedimus et indulgemus.

Clausulae. § 16. Decernentes praesentes et desuper conficiendas litteras de subreptionis obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari seu impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi, vel retractari, seu invalidari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam vocari, aut adversus eas quodcumque, iuris et facti, vel iustitiae aut gratiae, remedium intentari, impetrari, vel concedi nullatenus umquam posse, sed illa semper et perpetuo validas et efficaces fore et esse, ac ab omnibus, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari debere; sicque ab omnibus et singulis censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio. § 17. Non obstantibus praemissis, necnon felicis recordationis Pauli II ac aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, quatenus opus sit, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon etiam dictorum archihospitalis et Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem archihospitali et Ordini, eiusque praeceptori, ac superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 18. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Transumptis danda fides.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XIII decembris MDCV, pontif. nostri anno I.

Dat. die 13 decembris 1605, pontif. an. I.

XXIII.

Revocatio exemptionum omnium a solutione onerum reverendae Camerae apostolicae quibuscumque concessarum, cum innovatione constitutionum desuper a praedecessoribus editarum[1].

1 Specialem revocationem exemptionum, quoad solutionem subsidii triennalis, habes notatam in Const. XXIX Pauli IV, *Cupientes*, tom. VI pa-

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In maximis rerum difficultatibus et in iis reddituum Camerae nostrae Apostolicae angustiis, in quibus (ob ingentes sumptus, tum ex causâ bellorum quae contra Turcas in Hungariâ superioribus annis gesta sunt, tum etiam ex caritate annonae qua urbs Roma et Status noster Ecclesiasticus diu multumque laboravit, per Sedem Apostolicam et Cameram praedictam praecipue factos) eadem Camera nunc constituta reperitur, aliquod ipsi Camerae levamen et subsidium afferre cupientes, ea interdum facere cogimur, quae libenter praetermitteremus, si aliâ ratione nostris et praedictae Camerae ac Sedis necessitatibus consulere valeremus.

Causae huius revocationis.

§ 1. Cum itaque, praeter diversas introituum Sedis et Camerae praedictorum alienationes et pignorationes, sive in perpetuum, sive ad tempus, nonnullis de causis a nostris praedecessoribus Romanis Pontificibus factas, plures immunitates ac exemptiones a solutionibus dohanarum et gabellarum, onerum, impositionum et vectigalium Camerae nostrae Apostolicae debitorum, nec non pleraeque aliae concessiones et gratiae infrascriptae diversis communitatibus, universitatibus, baronibus, domicellis et aliis nostris et sanctae Romanae Ecclesiae feudatariis et subditis, etiam qualificatis, ab eisdem praedecessoribus nostris ac a nobis forsan et Sede Cameràque praedictis, necnon a legatis et aliis officialibus, communitatibus et universitatibus, sive in perpetuum sive ad tempus concessae reperiantur, ex[1] hisque non solum eiusdem Camerae et Sedis Apostolicae redditus et proventus non modicam patiantur diminutionem, sed etiam, ut plurimum, id, quod divitibus et bonis temporalibus affluentibus per exemptiones et concessiones huiusmodi ex oneribus publicis ab eis debitis remittitur, in aliorum minus divitum et affluentium gravamen redundet, contra omnem iuris et aequitatis rationem et impositionum dictorum onerum naturam, quae omnes aequaliter, pro ratâ bonorum et rerum quae possident, comprehendere deberet (qua de causâ multae pauperum, atque communitatum et universitatum Status nostri Ecclesiastici querelae ad nos delatae fuerunt); nos, ut omnibus in praemissis iustitia aequaliter tribuatur et Camerae nostrae necessitatibus subveniatur, ab aequitate minime alienum esse existimavimus, ut ea quae ex gratiâ et privilegio, ab eâdem Sede et Camerâ et aliis quibuscumque eius officialibus et ministris atque communitatibus et universitatibus, diversi spersonis concessa fuerunt et subtracta, eidem Sedi et Camerae communitatibusque et universitatibus, a quibus onera eidem Camerae persolvuntur et caetera publica onera supportantur, iustitiâ et aequitate ac dictae Sedis et Camerae difficultatibus ita exigentibus, restituamus, quinimmo id aequius ferendum esse, quam si novis impositionibus populos nobis subditos, sicut in similibus occasionibus aliàs nostros praedecessores paedictos fecisse accepimus, gravaremus.

Innovatio bullarum editarum super revocatione exemptionum.

§ 2. Propterea motu proprio et ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, nonnullorum etiam praedecessorum nostrorum, et praesertim felicis recordationis Pauli III, Iulii III, Pii V et Clementis VIII Romanorum Pontificum, in similibus non tam forsan gravibus necessitatibus, vestigiis inhaerentes, quascumque eorumdem et aliorum Romanorum Pontificum (et praesertim ipsius

gina 557. Aliam autem revocationem generalem vide in Const. VI, Sixti V, *Inter varias*, tom. VIII pag. 578.

1 Perperam edit. Main. habet *et hisque* (R. T).

Pii V, quae incipit *Et si ea*[1], sub datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die VIII iunii MDLXVI, pontificatus sui anno I) editas constitutiones huiusmodi exemptionum et immunitatum revocatorias (quarum tenores praesentibus pro expressis ac de verbo ad verbum insertis et registratis haberi volumus) confirmantes, approbantes et innovantes,

Revocatio exemptionum omnium a solutione onerum Cameralium.

§ 3. Hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, omnes et quascumque exemptiones et immunitates a solutione subsidii triennalis, quatreni carnis, taxarum equorum, talearum, censuum, archivii, foglietlae, triremium, utensilium, nec non dohanarum, gabellarum, datiorum, impositionum et aliorum onerum cameralium quorumcumque, et quae etiam per communitates et universitates pro eorumdem onerum cameralium solutione et publicorum munerum supportatione indicta et imposita existunt, ac exigi solita sunt;

Concessionumque de poenis maleficiorum et aliis redditibus Camerae,

§ 4. Necnon caeteras gratias et concessiones, ac provisiones, et assignationes super Camerae praefatae redditibus et iuribus, poenarum quoque maleficiorum applicationes, appropriationes, ac illarum, et cancellariarum sive bancharum, tam civilium quam criminalium, ac secretariarum et illarum emolumentorum ac bonorum, et iurium ipsius Camerae, cuiusvis qualitatis et quantitatis, in praeiudicium ipsius Camerae per quoscumque praedecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam, etiam motu proprio et consistorialiter, ac S. R. E. camerarium et Cameram praedictas, seu etiam legatos, vicelegatos, gubernatores, officiales et ministros, quibusvis communitatibus, universitatibus, nec non familiis nobilibus, ducibus, marchionibus, comitibus et quibusvis aliis personis, quacumque dignitate fulgentibus, etiam ratione guberniorum et aliorum officiorum et munerum eis commissorum, et ex quavis causâ, etiam in recompensam laborum, damnorum passorum, expensarum vel meritorum, seu illorum intuitu, et aliâ quantumvis urgentissimâ ac de necessitate exprimendâ causâ, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, et cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu, scientiâ, et potestatis plenitudine similibus, etiam si in appaltuum seu locationum cameralium instrumentis promissum et cautum sit eas observari debere, appaltatoresque et conductores ad illarum observationem teneri, ac illas quomodocumque et qualitercumque hactenus, in genere vel in specie, concessas, datas, factas et emanatas, et inde sequuta quaecumque etiam auctoritate iudicis, perpetuo revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus et annullamus, ac viribus et effectu prorsus evacuamus: ac revocata, cassa, sublata, abrogata et annullata, viribusque et effectu vacua perpetuo fore et esse, neque in possessorio, neque in petitorio cuiquam suffragari posse seu debere;

Qui omnes Camerae restituti censeantur.

§ 5. Ac provisiones, assignationes, poenas maleficiorum, emolumenta, vectigalia, et alias res, bona et iura praedicta, ex huiusmodi nostrâ revocatione, restituta eidem Camerae (et non aliis quibus forsan locati et appaltati reperiuntur redditus et proventus dictae Camerae, licet, antequam exemptiones, concessiones et assignationes supradictae emanassent, aliter dispositum fuerit) omnino deberi (ac ad illa omnia et singula Cameram ipsam (necnon communitates et universitates pro gabellis ac datiis ab eis exigi solitis pro dictorum onerum cameralium et publicorum solutione et supportatione) eo ipso, absque aliâ adeptâ

[1] Huiusmodi Pii V Const. in *Bull.* non extat (R. T.).

seu recuperatâ possessione, restitutam et reintegratam fore et esse et censeri;

Clausulae praeservativae.

§ 6. Ac praesentes nostras litteras perpetuo validas et efficaces existere; nec ex eo, quod quicumque interesse habentes, et praetendentes, vocati et auditi non fuerint, de nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, seu alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, aut aliàs quovis praetextu infringi, revocari, aut adversus illas quodcumque gratiae vel iustitiae remedium impetrari ullatenus posse;

Clausula sublatâ, etc.

§ 7. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ac ipsum S. R. E. camerarium, Cameraeque Apostolicae clericos praesidentes (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Praeservatio exemptionumde iure competentium.

§ 8. Volumus autem, ac per easdem praesentes declaramus, nostrae intentionis non esse revocare exemptiones et immunitates quibusvis personis ecclesiasticis, tam saecularibus quam regularibus, de iure competentes;

Legatisque seu gubernatoribus praesentibus concessarum,

§ 9. Neque concessiones poenarum maleficiorum S. R. E. cardinalibus, ratione legationum et guberniorum illis commissorum, nominatim et in specie factas, quas unumquemque, legationibus seu guberniis praesentibus dumtaxat durantibus, iuxta concessiones eis respective factas, percipere posse permittimus.

Et ex causa onerosa datarum,

§ 10. Praeterea a praesenti nostrâ revocatione excipimus et exceptas esse volumus et declaramus immunitates, exemptiones, ac alias concessiones quibusvis communitatibus, universitatibus aut aliis particularibus personis ex causâ vere onerosâ, videlicet congruae et effectualis solutionis pecuniarum, concessas, quas tamen ipsae communitates, universitates et particulares personae in eâdem Camerâ, citato commissario generali, verificare, et in ipsâ Camerâ examinari et admitti facere teneantur, nisi aliàs pro talibus verificatae, examinatae et admissae fuerint, quia dicto casu ad novam probationem et verificationem eas teneri nolumus.

Vel ratione appaltuum,

§ 11. Excipimus etiam exemptiones et immunitates ratione appaltuum concessas;

Aut cardinalibus, vel cameralibus, sive curialibus competentium.

§ 12. Necnon S. R. E. cardinalibus ratione dignitatis cardinalatus, et cameralibus, qui in eâdem Camerâ sederunt, concedi solitas, ac etiam exemptiones, quibus ad praesens praelati et officiales Romanae Curiae, et praelati domestici, cubicularii secreti, et secretarii nostri gaudent;

Ob numerumque duodecim filiorum.

§ 13. Ac demum illas ob numerum duodecim filiorum concessas; quas tamen ad terminos constitutionis eiusdem Pii IV et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum super similium exemptionum declaratione editarum (et ad illas tantum, et pro eo tempore, et personis, ac eo modo et formâ, quibus de iure communi illis competit, ac aliàs iuxta ipsius iuris communis et supradictarum ac aliarum apostolicarum constitutionum dispositionem) reducimus; neque aliter, quam ut praefertur, illis, sive in petitorio sive in possessorio, suffragari volumus ac decernimus.

Praeceptum quod legati et gubernatores observent bullam Sixti V.

§ 14. Districtius inhibentes legatis, vicelegatis, gubernatoribus et officialibus praedictis, et aliis quibuscumque, ad quos spectat et in futurum spectabit, ne ex poenis maleficiorum, seu aliis Camerae praedictae iuribus quibuscumque, quidquam capiant seu percipiant, sed provisionibus eis assignatis contenti sint, et circa poenas maleficiorum constitutionem recolendae memoriae Sixti Papae V

etiam praedecessoris nostri, desuper editam, omnino attendant et observent.

Inhibitio Cameralibus, ne alias exemptiones admittant.

§ 15. Appaltatoribus vero, thesaurariis, vicethesaurariis, depositariis, commissariis, exactoribus et caeteris agentibus et ministris dictae Camerae, ne, contra praesentium formam, provisiones, concessiones, assignationesque praedictas de caetero solvant, aut exemptiones, gratias et immunitates (nisi ut supra exceptas et eas quas in eâdem Camerâ Apostolicâ ex causâ onerosâ praedictâ concessas fuisse, citato eiusdem Camerae commissario generali, verificatum, et quae pro talibus in eâdem Camerâ admissae fuerint) admittant; et, si secus solverint vel admiserint solutiones huiusmodi ac exemptiones ipsas nulli eorum[1] in eorum computis in eâdem Camerâ admitti volumus, sed eorum damno cessuras esse declaramus.

Exequutorum deputatio.

§ 16. Quocirca dilectis filiis camerario, vicecamerario, thesaurario et clericis praesidentibus Camerae praefatae, caeterisque ad quos spectat, committimus et mandamus, quatenus praesentem nostram constitutionem, et in ea contenta quaecumque, firmiter et inviolabiliter observent et faciant ab aliis observari.

Clausula derogatoria.

§ 17. Non obstantibus praemissis, et, quatenus opus sit, nostrâ de non tollendo iure quaesito, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis, privilegiis, indultis, concessionibus, exemptionibus, immunitatibus et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam in vim contractus, et quovis alio robore et cautelâ firmatis, editis, emanatis et seu factis, ac pluries et iteratis vicibus confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis (etiam si in eis caveatur expresse, quod nullo umquam tempore sub similium vel dissimilium exemptionum, immunitatum et gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis quibuscumque contrariis dispositionibus pro tempore edendis comprehendantur, sed semper ab illis exceptae, et, quoties illae emanarent, toties in pristinum et validissimum statum, etiam sub posteriori datâ per eos, quibus concessae sunt, eligendâ, restitutae, repositae et plenarie reintegratae, et denuo concessae sint et esse censeantur; necnon pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret), tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, specialiter et expresse ac latissime derogamus ac derogatum esse volumus.

Iussio publicandi.

§ 18. Caeterum, ut praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, et simili auctoritate decernimus, ut ad valvas basilicae Principis Apostolorum, et Cancellariae Apostolicae, ac in acie Campi Florae per aliquem ex cursoribus nostris publicari, et illarum exempla ibidem affixa relinqui, quae sic publicatae et affixae omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant et arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatae et intimatae fuissent;

Transumptorum fides.

§ 19. Utque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem fides in iudicio et extra habeatur, quae ipsis prae-

1 Subde *indemnitati*, vel quid simile (R. T.).

sentibus haberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII decembris MDCV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 23 decembris 1605, pontif. an. I.

XXIV.

Innovatio et extensio constitutionum Pii IV, Pii V, Gregorii XIII et Clementis VIII contra extrahentes de Statu Ecclesiastico terrisque ei etiam mediate subiectis frumenta, blada, legumina, animalia et alia annonam et grasciam concernentia, cum revocatione indultorum omnium et licentiarum quomodolibet similia extrahendi concessarum.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter gravissimas curas, quas pro nostro munere assidue sustinemus, illa postrema non est, in quam nobis totis viribus incumbendum esse ducimus, ut nimirum almam Urbem nostram et universam ecclesiasticam ditionem, annonae caritate iamdiu graviterque laborantem, quantum cum Domino poterimus, liberemus, utque frumentorum et aliarum rerum ad communem vitae usum et sustentationem pertinentium copiam in ipsâ Urbe et ecclesiasticâ ditione conservari, populosque nobis subditos fertilitate, quae eis a Domino conceditur, perfrui posse procuremus. Ad quae praestanda tum praecipuâ nostrâ erga ipsos subditos nostros caritate inducimur, tum nonnullorum piae memoriae Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, qui in hanc ipsam curam diligenter incubuerunt, exemplo movemur.

Pius IV prohibuit extractionem frumentorum.

§ 1. Dudum siquidem provide ac prudenter felicis recordationis Pius Papa IV ad praedictis opportune consulendum per suam editam constitutionem[1] sub datum Romae apud sanctum Marcum idibus augusti, anno sexto, quae incipit *Inter multiplices curas*, omnes et quascumque licentias et facultates extrahendi frumenta, blada et legumina ex provinciis, civitatibus, terris et locis S. R. E. mediate vel immediate subiectis, praeterquam ex causâ vere onerosâ, videlicet solutionis et exbursationis pecuniarum, eâtenus quomodolibet quibusvis concessas revocando, ne de caetero a dictis provinciis, civitatibus, terris et locis, frumenta, blada et legumina aliqui, praeterquam ex dictâ causâ, extraherent, sub certis poenis expresse prohibuit;

Pius V innovavit et extendit.

§ 2. Quam revocationem, prohibitionem, necnon alia in dictâ constitutione contenta, sanctae memoriae Pius Papa V per aliam suam constitutionem[2], quae incipit *Romani Pontificis providentia circumspecta*, confirmavit et innovavit, ac illam et illa ad licentias et facultates quodcumque genus grasciae (etiam in carnibus, ovibus, agnis et aliis animalibus, necnon oleo ac rebus aliis quibuscumque consistentis[3]) extendit et ampliavit;

Gregorius deinde XIII utramque Bullam ampliavit.

§ 3. Et deinde piae memoriae Gregorius Papa XIII per quasdam suas sub datum die XVIII decembris MDLXXVII, pontificatus sui anno VI[4], omnibus et singulis communitatibus, universitatibus, ac quibuscumque personis in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis suae ac excommunicationis latae sententiae poenis inhibuit, ne quovis praetextu, directe vel indirecte, cuiusvis generis frumenta, blada, legumina, atque animalia

1 Const. CXVII, *Inter multiplices*, tom. VII, pag. 376.

2 Const. CLXX, *Romani*, tom. VII, pag. 848.

3 Hic deest verbum *concernentes* vel *extrahendi* (R. T.).

4 Const LXXVI, *Volentes*, tom. VIII, pag. 196.

quaecumque extra Statum Ecclesiasticum extrahere et asportare auderent seu praesumerent; eos vero, qui contra inhibitiotionem huiusmodi commisissent, ultra praedictas, etiam amissionis frumentorum, bladorum, leguminum et animalium praedictorum, necnon quinque scutorum pro qualibet salmâ frumenti, bladorum, leguminum huiusmodi, et duorum scutorum pro quolibet capite animalis poenas, fisco et Camerae Apostolicae applicandas, ipso facto incurrere voluit ac decrevit; et deinde per alias eius in formâ Brevis litteras sub datum die I maii MDLXXVIII, eodem sui pontificatus anno VI[1], quod nulli, sibi et S. R. E. mediate vel immediate subiecti, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existerent, etiam si barones, domicelli, comites, marchiones vel duces et domini temporales existerent, sub excommunicationis maioris ac laesae maiestatis criminis, dominorum et bonorum suorum confiscationis, feudorum amissionis, et quorumvis privilegiorum suspensionis, et aliis etiam pecuniariis arbitrio suo imponendis, ac etiam in publicis edictis et proclamationibus per annonae praefectos pro tempore tam câtenus editis et emissis, quam in futurum edendis et emittendis contentis censuris et poenis, triticum, ordeum, legumina, ac omnis generis frumenta et fruges a terris et locis dicti Status Ecclesiastici, absque expressâ ipsius Gregorii praedecessoris et ab eo obtentâ in scriptis et eius manu signatâ licentiâ, extrahere vel extrahi facere, nullique ex praedictis eorum subditos et vassallos aut alias quascumque personas, quo minus triticum, ordeum, legumina, frumenta, fruges praedicta a quibusvis locis eis subiectis, quovis praextu, etiam moliturae, aut cuiusvis alterius oneris solutionis, ad almam Urbem afferrent, prohibere, aut per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, impedire auderent (quin potius illis sic afferrentibus omnem opem et favorem praestarent); ac insuper nulli aliquam tritici, ordei et leguminum, omnisque generis frumentorum et frugum quantitatem, nisi pro suo suarumque familiarum unius anni dumtaxat usu, emere valerent; et contrafacientes poenas praedictas incurrisse declararentur et aggravarentur ipso facto, statuit atque decrevit; non obstantibus etiam privilegiis, indultis, litteris et gratiis apostolicis, quibusvis personis, civitatibus, terris et locis, in genere vel in specie, etiam ex causâ onerosâ concessis;

§ 4. Demum recolendae memoriae Clemens Papa VIII praedictas constitutiones, demptâ ex illis excommunicationis poenâ, approbavit et confirmavit[1]: prout in eisdem constitutionibus et litteris respective (quarum omnium et singularum totos tenores, cum omnibus et singulis ibidem contentis et dispositis, pro expressis haberi volumus) plenius continetur.

Clemens VIII easdem bullas approbavit, dempta sententia excommunicationis.

§ 5. Cum autem, licet per praedictas et alias desuper editas constitutiones et prohibitiones satis praemissis provisum esse videatur, nihilominus quia[2] sicut accepimus, aliqui propriae salutis immemores, tot constitutionibus, prohibitionibusque ac poenis in illis appositis non obstantibus, frumenta, blada, legumina, animalia, oleum et alia id genus tam annonae quam grasciae concernentia extra Statum nostrum Ecclesiasticum absque licentiâ extrahere non verentur[3], alii vero praetextu diversorum privilegiorum, licentiarum et facultatum eis concessarum frumenta, aliaque praedicta ita continuo extrahunt, ut per continuas et immo-

Sed plerique dictis constitutionibus varios ob praetextus contraveniunt.

1 Breve huiusmodi in *Bull.* non extat (R. T.).

1 Constit. CLXV, *Frumenti*, tom. X, pag. 373.

2 Ista vox *quia* superflua sensum turbat (R. T.).

3 Demptâ antea voce *quia*, hic foret legendum *vereantur*, et paulo post *extrahant* (R. T.).

deratas extractiones huiusmodi Statum praedictum et illius loca exhauriant et exhausta relinquant, in maximum populorum et subditorum nostrorum damnum et praeiudicium; cumque experientiâ compertum sit ad conservandam tam in almâ Urbe nostrâ quam in reliquâ ecclesiasticâ ditione annonae copiam maxime conducere, ut nimia facilitas extrahendi ex dictâ Urbe et ditione frumenta, blada, legumina, oleum et animalia reprimatur, ac memoratae supradictorum nostrorum praedecessorum constitutiones diligenter et sine ullâ exceptione observentur;

Hic ideo Pontifex eas innovat, etiam quoad excommunicationis poenam circa extractionem frumentorum, etc.

§ 6. Nos, pro paternâ nostrâ erga nostros et Apostolicae Sedis subditos charitate, eorum utilitati et commodis in praemissis opportune prospicere cupientes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas supradictas Pii IV, Pii V et Gregorii XIII ac Clementis VIII, praedecessorum nostrorum, constitutiones et litteras in quibuslibet earum partibus, etiam quoad excommunicationis et alias ecclesiasticas censuras, quantum attinet ad frumentorum, bladorum, leguminum et olei extractionem tantum, et quoad caeteras poenas quascumque in eisdem constitutionibus et litteris contentas, non solum in quantum ad praemissorum, sed etiam in quantum ad aliarum rerum ad annonam et grasciam pertinentium extractionem attinet, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo innovamus, confirmamus et approbamus, illasque, adversus quascumque revocationes, suspensiones, limitationes et moderationes, in pristinum et eum, in quo antequam illae emanarent erant, statum restituimus, reponimus et plenarie reintegramus, illasque et earum singulas ab omnibus et singulis, quos concernunt, inviolabiliter de caetero observari debere, sub temporalibus et ecclesiasticis poenis et censuris praedictis in illis contentis, praecipimus, statuimus et ordinamus.

Indultaque omnia et licentias revocat, praeterquam ex causâ vere onerosâ, aut ratione cameralium, locationum concessa.

§ 7. Praeterea ad hunc effectum motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, omnia et singula, ac quaecumque privilegia, licentias et facultates frumenta, blada, legumina, animalia, oleum et alia id genus tam annonam quam grasciam concernentia, etiam in propriis eorum praediis, possessionibus, agris et terrenis pro tempore recollecta ex quibuscumque Status nostri Ecclesiastici temporalis provinciis ac civitatibus, terris, castris et locis eorumque territoriis et districtibus, nobis ditionique nostrae ecclesiasticae, mediate vel immediate, quomodolibet subiectis extrahendi, quibusvis communitatibus, universitatibus et personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, praeeminentiae, vel conditionis existentibus, etiam ratione legationum, guberniorum, et aliorum officiorum et munerum eis commissorum, et per quosvis Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos Sedemque et Cameram Apostolicam, et quosvis alios, et etiam nostrâ auctoritate, aut aliàs ex quavis causâ, etiam in recompensam laborum, damnorum passorum et ipsorum laborum, damnorum, vel meritorum intuitu, et aliâ etiam quantumvis rationabili, iuridicâ et privilegiatâ causâ sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam in vim contractus et cum quibusvis clausulis et decretis, etiam irritantibus, etiam quantumvis praegnantibus, insolitis et de necessitate exprimendis, etiam motu, scientiâ et potestate similibus, aut aliàs quomodocumque et qualitercumque (praeterquam dumtaxat ex causâ vere onerosâ, videlicet congruae solutionis et exbursationis pecuniarum, et aut ratione appaltuum et locationum introituum iuriumque et bonorum Sedis et Camerae

praedictorum) hactenus concessa, approbata, confirmata et innovata, illorum omnium et singulorum tenores veros, plenarios, et integros, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis insertis et registratis habentes, auctoritate et tenore praedictis perpetuo revocamus, cassamus, annullamus ac viribus vacuamus: ac revocata, annullata, cassata, invalida, viribusque et effectu vacua esse et fore, ac nemini ullatenus suffragari posse aut debere;

Clausulas huius bullae praeservativas apponit.

§ 8. Praesentes quoque litteras, etiam ex eo quod interesse habentes seu praetendentes ad hoc vocati et auditi non fuerint, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, aut propterea revocari, retractari, suspendi, limitari, aut in ius vel controversiam vocari, aut adversus illas quodcumque gratiae vel iustitiae remedium impetrari nullatenus posse;

Indultaque huiusmodi, aliàs in Camera non verificata, verificari debere.

§ 9. Omnes praeterea et singulos similes facultates et licentias extrahendi ex causâ, ut praefertur, onerosâ sibi concessas esse allegantes et praetendentes, antequam ipsi de caetero ullo umquam tempore illismet facultatibus et licentiis uti possint, illas in Camerâ Apostolicâ, citato eiusdem Camerae commissario generali, verificari[1] debere (nisi aliàs pro talibus verificatae, examinatae et admissae fuerint, quia dicto casu ad novam probationem et verificationem teneri nolumus).

Formamque utendi licentiis indultis praescribit.

§ 10. Ac deinceps perpetuis futuris temporibus nullos quarumcumque licentiarum et facultatum huiusmodi, nisi ex causâ onerosâ, ut praefertur, concessarum vel concedendarum vigore, etiamsi extractionem propriâ auctoritate faciendi illis permissum sit, extractiones frumentorum et aliorum praedictorum extra Statum nostrum praedictum aliquo pacto facere, nec etiam similes extrahendi licentias et facultates imposterum concedi posse aut debere, nisi chirographo (manu nostrâ aut Romani Pontificis pro tempore existentis, quoties extractio facienda erit, subsignato) praecedente, alioquin licentias et facultates huiusmodi, aliasque, chirographo praedicto non praecedente, pro tempore concedendas, et extractiones faciendas, nullas, nulliusque roboris et momenti fore et esse, ac ipsos extrahentes in poenas supradictas incidere et ad illarum exequutionem contra illos irremissibiliter procedi posse et debere;

Et ita et non aliter iudicari iubet.

§ 11. Sicque per sanctae Romanae Ecclesiae camerarium, thesaurarium, annonae praefectum et quosvis alios iudices ordinarios et delegatos, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos (sublatâ eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigeri attentari, decernimus, declaramus, statuimus et ordinamus.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 12. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non statutis et consuetudinibuas, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, concessionibus quoque, licentiis, facultatibus, privilegiis et litteris apostolicis, communitatibus, universitatibus et aliis etiam particularibus personis praedictis, etiam, ut praefertur, qualificatis, et quibusvis aliis quomodolibet, etiam consistorialiter, et de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio et assensu, et sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum deroga-

1 Lege potius *verificare* (R. T.).

toriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam inexcogitabilibus, et necessario exprimendis, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis (etiamsi in eis caveatur expresse, quod sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis quibuscumque contrariis dispositionibus pro tempore edendis minime comprehendantur, sed semper ab illis exceptae, et quoties illae emanarent, toties in pristinum et validissimum statum restitutae, repositae et plenarie reintegratae, et de novo etiam sub posteriori datâ, per eos quibus concessae fuerunt eligendâ, de novo concessae censeantur, et quod illis nullatenus, aut nonnisi certis modo et formâ in illis expressis derogari possit, et aliter factae derogationes nullae sint, quodque pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret), tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac formâ in iliis traditâ plene et ad unguem observatâ, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, ad effectum praemissorum specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse volumus; necnon omnibus illis, quae supradicti praedecessores nostri in eorum litteris voluerunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Hanc Bullam publicari mandat.

§ 13. Ut autem praemissa ad omnium notitiam deducantur, et ne aliquis de eis ignorantiam praetendere possit, volumus quod praesentes litterae per aliquem seu aliquos ex cursoribus nostris ad basilicae Principis Apostolorum de Urbe, et Cancellariae Apostolicae valvas et in acie Campi Florae affigantur et publicentur; et, cum inde amovebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa dimittantur, utque singuli legati, vicelegati, gubernatores, et alii supradictorum locorum officiales illas in eorum locis respective publicari faciant, quae, sic publicatae et affixae, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant et arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent;

Transumptisque credi praecipit.

§ 14. Utque illarum transumptis, etiam impressis manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die XXIII decembris MDCV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 23 decembris 1605, pontif. anno I.

Sequitur declaratio.

Quod ab immediate subiectis ad mediate subiecta loca, et a mediate subiectis locis ad loca extra Statum Ecclesiasticum, frumenta, blada et legumina, etiam tempore nundinarum et emporiorum, asportari non possint.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Pro peculiari ac paterno quem in subditos nostros gerimus charitatis affectu propensius intendentes, ut in Statu nostro temporali, hoc praecipue anno, quo sterilitatis rumor increbuit et illius praetextu frumenti pretium augeri dignoscitur, subditi ipsi ac pauperes ab omni annonae angustiâ releventur, quae praeiudicio et impedimento esse possunt, ea sollicito studio removemus.

Praecedentem constitutionem recenset.

§ 1. Sane, licet aliàs pro manutentione et conservatione annonae in Statu nostro praedicto satis opportune providerimus per nostras litteras, inter caetera, praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutiones, proclamata et bannimenta, super annonâ, et frumenta, blada, legumina a provinciis, civitatibus, terris et locis sanctae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis extrahendi prohibitione, eâtenus facta et emanata quaecumque confirmando, et ne in futurum illa, ut praefertur, extraherentur, expresse et sub gravissimis censuris et poenis prohibendo, ac quascumque licentias et facultates (praeterquam titulo vere oneroso, scilicet congruae solutionis et exbursationis pecuniarum, aut ratione appaltuum et locationum introituum iuriumque et bonorum Sedis et Camerae Apostolicae concessas) revocando, prout in eisdem litteris sub datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII decembris MDCV, pontificatus nostri anno primo, latius continetur, a nemineque dubio vertendum sit per nostras aliasque litteras et provisiones praedictas, quin frumenta, blada, legumina et id annonae genus, etiamsi in propriis bonis in Statu Ecclesiastico existentibus essent recollecta, a locis Sedi Apostolicae immediate subiectis ad loca eidem Sedi mediate subiecta, et a dictis locis sic mediate subiectis ad alia loca extra dictum Statum asportentur et conducantur, etiam prohiberi: nihilominus, quia a nonnullis super his accepimus dubitari, eoque ac diversorum etiam privilegiorum, licentiarum et facultatum praetextu frumenta et alia annonam concernentia a Statu praedicto extrahi, in litterarum et provisionum praedictarum[1] ac populorum et subditorum nostrorum maximum praeiudicium,

Quam declarat et excitata dubia amovet.

§ 2. Igitur omnem dubitationis materiam a medio tollere, ac nostrâ declaratione opportune desuper providere volentes, motu simili, ac ex certâ nostrâ scientiâ et de apostolicae potestatis plenitudine, earumdem litterarum nostrarum tenorem praesentibus pro expresso et inserto habentes, sub prohibitione litterisque nostris supradictis quaecumque loca eidem sanctae Romanae Ecclesiae mediate subiecta comprehendi et comprehensa fuisse et esse declaramus; et, quatenus opus sit, illas cum omnibus in eis contentis ad loca praedicta extendimus. Ita quod de caetero etiam nec liceat quibusvis communitatibus, universitatibus et personis etiam qualificatis, et cuiusvis status, gradus et praeminentiae existant, sub eisdem prioribus nostris litteris expressis et contentis poenis et censuris, etiam praetextu quorumvis privilegiorum et indultorum, etiam apostolicorum et a nobis et Sede praedictà concessorum et confirmatorum, ac etiam favore publicarum nundinarum, emporiorum, seu aliàs quoquo modo emanatorum, frumenta, blada et legumina etiam propria et in propriis possessionibus et bonis eorum existentia seu recollecta, a quibusvis provinciis, civitatibus, terris et locis eidem Romanae Ecclesiae immediate subiectis ad civitates, terras et loca eidem Ecclesiae mediate subiecta, etiam ipsarum nundinarum et emporiorum tempore, seu aliàs, minusque a dictis civitatibus et locis, sic mediate subiectis, extra Statum Ecclesiasticum, iuxta formam et tenorem earumdem nostrarum litterarum, asportare, conducere, seu asportari et conduci facere per se, vel alium, seu alios, quovis praetextu vel obtentu, absque speciali chirographo a nobis et pro tempore existente Romano Pontifice subsignato; sicque, *etc.*, sublatâ, *etc.*, irritum, *etc.*

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstantibus praemissis et

1 Forsan supplenda vox *contemptum* (R. T.).

omnibus et singulis, quae in prioribus nostris litteris voluimus non obstare, et quibusvis privilegiis, concessionibus indultis ac litteris apostolicis, etiam motu, scientiâ et potestate similibus, et cum quibusvis clausulis et decretis, etiam irritantibus ac derogatoriarum derogatoriis, posterioremque datam concedentibus, ac aliàs quomodolibet quibusvis concessis, factis et emanatis, et pluries etiam confirmatis, approbatis et innovatis; quibus, *etc.*, etiamsi, *etc.*, illorum tenores, *etc.*, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§ 4. Volentes quoque praesentis solam signaturam sufficere etiam absque aliâ datâ et registraturâ, regulâ quacumque contrariâ pariter non obstante.

Exemplis danda fides.

§ 6. Et illius transumptis, etiam impressis, et sigillo alicuius in dignitate ecclesiasticâ constituti[1], publicique notarii manu subscriptis, plenam in iudicio et extra fidem adhiberi.

PP. Subscriptio.

Placet, motu proprio C[2].

XXV.

Facultas episcopo Wratislaviensi cogendi eos, qui ex decreto Concilii Tridentini tenentur ad solutionem subsidiorum pro erectione seminarii dioecesani[3].

Venerabili fratri episcopo Wratislaviensi Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Facultas de qua in rubrica.

§ 1. Cum, sicut accepimus, nonnullae personae ecclesiasticae tuae civitatis et dioecesis Wratislaviensis seminario puerorum ecclesiastico in dictâ civitate iuxta Concilii Tridentini decreta instituto subventionem, ex eorumdem Concilii decretorum praescripto debitam, contribuere recusent, nos, eiusdem seminarii indemnitati prospicere cupientes, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ac plenam et amplam apostolicâ auctoritate facultatem concedimus, ut omnes et singulas personas ecclesiasticas, tam saeculares quam cuiusvis Ordinis et instituti regulares, cuiuscumque status, gradus, qualitatis et dignitatis fuerint, quae ad huiusmodi contributionem dicto seminario faciendam ex eiusdem Concilii decretorum ordinatione tenentur, ad eamdem contributionem faciendam, etiam per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, dictâ auctoritate nostrâ apostolicâ cogas et compellas.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quarumvis ecclesiarum, monasteriorum et Ordinum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII decembris MDCV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 23 decembris 1605, pontif. an. I.

XXVI.

Confirmatio constitutionis Pii V de civitatibus, terris et locis sanctae Romanae Ecclesiae non infeudandis, et

1 Supple de more solito vocem *munitis* (R.T).

2 Ex edit. Cherub. habetur quod cedula supradicta publicata fuit die 26 augusti 1606, pontif. an. II (R. T.).

3 Ex Regest. in Secret. Brevium.

declarationis Innocentii IX hac super re editae[1].

Paulus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter caetera, quae Romanum Pontificem pro officii sui munere decet omni studio providere, illud locum praecipuum censemus obtinere, quod ad temporalis sanctae Romanae Ecclesiae ditionis conservationem pertinet. Atque ideo nos, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris hanc ob causam provide sancita fuerunt, ea non solum ipsi inviolate curabimus custodire, sed etiam ab aliis perpetuo observari debere statuemus.

Pius V edidit bullam de non infeudandis.

§ 1. Dudum siquidem a felicis recordationis Pio Papa V praedecessore nostro editae fuerunt litterae huius tenoris: Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Admonet nos suscepti cura regiminis universalis Ecclesiae, etc. *(ut in loco citato in nota ad rubricam)*.

Successores confirmarunt.

§ 2. Quae quidem constitutio, veluti optima, et ad conservandam S. R. E. iurisdictionem et dignitatem plane salutaris, approbata, confirmata et innovata fuit ab iis qui eidem Pio V successerunt recolendae memoriae praedecessoribus nostris Gregorio XIII, Sixto V, Gregorio XIV, Innocentio IX,

Innocentius IX eam declaravit.

§ 3. Qui etiam de fratrum suorum tunc sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio et assensu declaravit eâdem constitutione prohibitam fuisse et prohiberi omnem et quamcumque infeudationem ac alienationem civitatum, terrarum, oppidorum et locorum Sedi Apostolicae tam mediate quam immediate subiectorum; non solum ne fiat, neve attentetur post eorum devolutionem, sed etiam antequam dictae civitates, terrae, oppida et loca praefata devolvantur, ac omnem[1] et quamcumque in perpetuum vel ad tempus prorogationem ac extensionem, infeudationem investiturarum et concessionum de dictis civitatibus, terris, oppidis et locis nondum finitarum; quorumque[2] incorporationem (quoad effectum impediendae infeudationis, alienationis, prorogationis et extensionis huiusmodi) non a die eorum devolutionis, sed a die ipsius Constitutionis, etiam antequam illa devolvantur, ipso iure cum omnibus clausulis et decretis in praedictâ Constitutione contentis, Camerae et Sedi Apostolicae factam censeri; adiecto etiam decreto et declaratione, ut promissio et iuramentum (praestitum et praestandum, de servandâ eiusdem[3] Pii praedecessoris praefati constitutione, per ipsum Innocentium et successores suos Romanos Pontifices ac praedictos S. R. E. cardinales) intelligatur de ipsâ Pii V praedecessoris constitutione per eum, ut supra, declaratâ, et secundum huiusmodi declarationem eamdem constitutionem ad unguem et inviolabiliter observari oportere ac debere, sicuti etiam se servaturum esse promisit, ac sancte et solemni more iuravit, prout in eiusdem Innocentii praedecessoris, sub datum pridie nonis novembris, pontificatus sui anno I, expeditis litteris latius continetur;

Clemens VIII approbavit.

§ 4. Et novissime a Clemente VIII iuxta eamdem Innocentii IX declarationem confirmata, approbata et innovata fuit.

Hic Pontifex easdem bullam approbat, iurat et vovet.

§ 5. Quare nos, cum primum ad apostolicae dignitatis gradum divinâ providentiâ vocati sumus, id ipsum ad exe-

1 Pii V Constitutio est num. LIII, *Admonet*, tom. VII pag. 560; et Innoc. IX est num I *Quae* tom. IX pag. 505. Videnda quoque est Constitutio II Clem. VIII *Ad Romani*, ib. pag. 620.

1 Edit. Main. legit *omnes*; nos emendavimus ex edit. Cherub. (R. T.).

2 Vide an non sit legendum *eorumque* (R. T.).

3 Err. edit. Main. habet *eidem* (R. T.).

quendum nostri pastoralis officii debitum praecipue pertinere existimantes, praeinsertas Pii praedecessoris litteras, ac omnia in eis contenta, etiam iuxta declarationem praedictam per ipsum Innocentium praedecessorem factam, ac desuper confectarum litterarum continentiam et tenorem, quem pariter praesentibus haberi volumus pro expresso ac ad verbum inserto, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, comprobamus, confirmamus et innovamus, easque firmiter et inviolate ac iuxta declarationem praedictam nos similiter servaturos esse promittimus et iuramus, atque per eos, ad quos spectat, pariter perpetuo observari praecipimus et mandamus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCV, tertio kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 decembris 1605, pontif. an. I.

XXVII.

De vocalium electione et votis in diffinitoriis et diaetis generalibus Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium, deque abbatis generalis ac procuratoris electione novitiorumque receptione[1].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis nostri muneris ratio postulat ut in illis auctoritatem nostram interponamus, per quae Congregationum et Ordinum regularium quieti et prospero statui opportune consulatur, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

In electione praelatorum et officiorum aequalitatem vocalium stabiliendam pontifex duxit.

§ 1. Ad Congregationem itaque Lateranensem Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini mentis nostrae aciem convertentes, et attente considerantes maxime convenire ut, in electione praelatorum, superiorum et officialium ipsius Congregationis, omnes illius Canonici regulares (nullâ nationum aut personarum acceptione vel exceptione habitâ) partem habere debeant; aequalitatem votorum et suffragiorum in diffinitorio, tam in capitulo quam in diaetis generalibus, stabiliendam duximus.

In definitorio igitur quinque vocales esse iubet; et quomodo eligendi.

§ 2. Motu igitur proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum serie statuimus et ordinamus, ut de caetero, pro huiusmodi votorum aequalitate in eodem diffinitorio, unus ex Marchiae Ecclesiasticae, alius ex Status et ducatus Mediolani, alius ex Marchiae Trivisanae, alius ex principatus Pedemontium coniunctim unà cum monasteriis Placentiae, Parmae, Mantuae, Regii, Mutinae et Vignolae, et alius ex Hetruriae[1], regni Neapolis et Genuae monasteriis eiusdem Congregationis (qui respective sic ad hunc effectum, pro unâ vice ex dictis monasteriis Hetruriae et Genuae, et pro aliâ ex Neapolis) perpetuis futuris temporibus eligi debeat.

Qui in omnibus capitulis e diaetis generalibus vocem habeant.

§ 3. Eligendi canonici vota in quibuscumque capitulis et diaetis generalibus dictae Congregationis habeant.

Quinque vota definitorium novum constituant, cum aliis quatuor definitorii antiqui in dictis capitulis et diaetis.

§ 4. Quae quinque vota diffinitorium novum constituunt, et simul cum quatuor votis diffinitorii antiqui novem votorum numerum constituunt, quae omnia intervenire debent in omnibus determinationibus in ipsis diaetis et capitulis generalibus faciendis.

1 De huiusmodi Congregatione habes in Constit. XXIX Paschalis II, tom. II, pag. 246.

1 Edit. Main. habet *Hetruria* (R. T.).

Abbas generalis ad triennium alternatim ex provinciis hic relatis eligatur.

§ 5. Praeterea ut abbas generalis totius Congregationis, iuxta formam litterarum in formâ Brevis felicis recordationis Gregorii Papae XIII praedecessoris nostri[1], ad triennium, et cum distinctione praescriptâ in constitutionibus dictae Congregationis per dictas litteras confirmatis, videlicet quod pro uno triennio ex provinciis vocatis iuxta antiquum usum Marchiae Ecclesiasticae et Trivisanae, et pro alio triennio ex provinciis iuxta eumdem antiquum usum nuncupatis Lombardiae, videlicet ducatus et Status Mediolani, Pedemontium, Parmae, Placentiae, Mutinae, Regii, Vignolae ac Hetruriae, regni Neapolis et Genuae, et ex his provinciis respective alternis vicibus iuxta distinctionem praedictam perpetuo eligi debeat, absque aliquâ nationum et provinciarum illius partis, ad quam pro tempore spectabit, exceptione.

Procurator generalis itidem ad triennium eligatur ex alterâ parte, ex qua abbas generalis illo triennio eligi non debet.

§ 6. Procurator vero generalis, qui in Romanâ Curiâ residere solet et insimul abbas monasterii Beatae Mariae de Pace de Urbe existit, semper eligatur pro uno itidem triennio ex alterâ parte duarum supradictarum, ex qua dicto triennio abbas generalis eligi non debet; illo autem triennio, quo procurator generalis et abbas dicti monasterii de Pace ex provinciâ Lombardiae extiterit, provinciae Ecclesiasticae unum monasterium, paris qualitatis monasterii praedicti de Pace, arbitrio diffinitorii assignari debeat.

Divisio monasteriorum et abbatiarum inter quasdam nationes facta revocatur; et praelaturae congregationis idoneis personis, absque nationum et personarum distinctione, concedantur.

§ 7. Cum autem aequum sit et rationi consonum, ut ii, qui sub eâdem regulâ militant, aequaliter onera sustineant, ac honoribus et praelaturis fruantur; nos menti et intentioni recolendae memoriae Clementis Papae VIII etiam praedecessoris nostri super hoc editae[2] inhaerentes, divisionem monasteriorum et abbatiarum et praelaturarum inter quasdam nationes, ut accepimus, factam, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo revocamus, cassamus et annullamus. Utque de caetero monasteria, abbatiae, praepositurae, prioratus et caeterae praelaturae ipsius Congregationis Canonicis cuiuscumque nationis et provinciae, meritis suffultis, absque aliquâ nationum et personarum exceptione assignari, et ad eas Canonici huiusmodi virtute ac meritis praestantes ac idonei, iuxta dictam Clementis intentionem, eligi debeant, perpetuo pariter statuimus et ordinamus.

Novitii qui, quot et quomodo recipiendi erunt in futurum.

§ 8. Ulterius (ut in quacumque natione et provinciâ novitii iuxta capacitatem, qualitatem et redditus cuiusque monasterii recipiantur) decernimus, ut in posterum in qualibet natione et provinciâ is tantum novitiorum numerus admittatur et recipiatur, qui pro implemento cuiusque monasterii praescriptus et in tariffâ assignatus fuit, ac in illis nationibus et provinciis earumque monasteriis, in quibus numerus praefixus exceditur, recipi nequeant aliqui novitii, donec ad numerum praescriptum pro singulo monasterio, tam canonici quam conversi, redacti fuerint. Verum, si in ipsis provinciis et nationibus, in quibus iam numerus praescriptus completus et etiam ultra dictum numerum novitii recepti reperiuntur, alicuius personae litterarum scientiâ, vitaeque ac morum integritate ac sanctitate maxime praeditae, quae in ipsam Congregationem admitti postulaverit, occasio oblata fuerit, illam cum voto diffinitorii pro duobus saltem partibus concordis (non tamen ultra sex personas in totum), donec canonici et conversi in dictis monasteriis ad praescriptum numerum redacti fuerint (absque praeiudicio monasteriorum, in quibus numerus praescriptus et assignatus completus non fuerit), recipiendi facultatem concedimus.

1 Breve huiusmodi non puto esse in *Bull.* (R. T.).

2 Ubinam reperiatur edita, nescio (R. T.).

Novitiatus hic enunciati comprobantur et in eis novitios iuxta decreta Clementis VIII recipi decernitur.

§ 9. Et ad hunc effectum novitiatus institutos, videlicet in Marchiâ Ecclesiasticâ Caesenae et Montis Bellii, in Statu et ducatu Mediolani in monasterio Casoretti in Mediolanensi sito, ac in dominio Venetorum Veronae, et in Hetruriâ Fesulis, et in regno Neapolis in monasterio Beatae Mariae de Pedecryptae, confirmamus et approbamus, ac in illis novitios, iuxta praesentium ac ordinationum decretorum iussu dicti Clementis praedecessoris factorum tenorem et numerum praescriptum, recipi posse concedimus.

Abbas generalis in depositione sui officii in procuratorem generalem neque procurator Ordinis in abbatem eligi possit, nisi lapso triennio post peractum ab eis officium.

§ 10. Praeterea (non modernorum abbatis et visitatorum ac procuratoris generalium causâ, qui alioqui, et praesertim ipse abbas generalis, cum[1] officiis hactenus laudabiliter functi sunt, neque propter aliqua eorum praeterita demerita, sed ut haec nostra constitutio, in ipsâ Congregatione de caetero perpetuo observanda, hoc tempore sine alicuius exceptione initium sumat) volumus, ac pari motu et auctoritate statuimus, ut neque abbas generalis, qui pro tempore fuerit, finito eius officio et factâ electione alterius abbatis, ad[2] officium generale, videlicet visitatoris aut procuratoris generalis, neque item e converso procurator generalis pro tempore in abbatem generalem, nisi absoluto triennio post peractum respective utrumque officium, eligi possit;

Nullus ex visitatoribus generalibus in abbatem generalem eligatur pro sequenti immediate triennio.

§ 11. Utque etiam nullus ex visitatoribus generalibus, finito triennio sui officii visitatoris generalis, in abbatem generalem pro sequenti immediato[3] triennio eligi valeat.

Observantia praedictorum omnibus praecipitur.

§ 12. Praecipientes in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis eiusdem Congregationis generali ac aliis abbatibus, diffinitoribus, praelatis et canonicis, caeterisque ad quos spectat et in futurum spectabit, ut praesentes nostras litteras observent et observari curent et faciant. Irritum nihilominus et inane decernentes quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariisque derogatur.

§ 13. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiisque quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis, eiusdem Congregationis superioribus et canonicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die XXX decembris MDCV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 decembris 1605, pontif. an. I.

---

1 Vel partic. *cum* redundat, vel leg. *suis* (R. T).
2 Praep. *ad* nos duximus adiungendam (R. T).
3 Vel potius legendum *immediate* (R. T.).

XXVIII.

Confirmatio unionis Congregationis fratrum sancti Ambrosii et Congregationis fratrum sancti Barnabae sub regulâ sancti Augustini viventium, et approbatio constitutionum pro earum bono regimine editarum, omniumque privilegiorum eisdem concessorum[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis nostri muneris debitum exposcit[2], ut ad ea libenter intendamus,

1 De prima Congregatione vide supra in Constit. XXXII Gregor. IX *Cupientes*, tom. IV pag. 578. Et de secunda vide Constit. VI Alexandri VI *Piae vitae*, tom. V pag. 366.
2 Perperam edit. Main. legit *exposuit* (R. T.).

per quae religiosorum statui et prospero gubernio opportune prospicitur, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Unio congregationis sancti Ambrosii et sancti Barnabae a Sixto V praefinita fuit in Constitutione editâ die XV augusti MDLXXX, quam praetermisi quia simpliciter unionem hic relatam continet.

§ 1. Volentes itaque Congregationes sancti Ambrosii ad Nemus Mediolanensis et sancti Barnabae provinciae Marchiae et Ianuae, sub regulâ sancti Augustini, aliàs a felicis recordationis Sixto Papa V praedecessore nostro invicem unitas[1], specialibus favoribus et gratiis benigne prosequi, ac earumdem Congregationum superiores et religiosos universos et singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus, eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati;

Confirmatio constitutionum et indultorum, ut in rubrica.

§ 2. Ex voto venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super consultationibus et negociis Episcoporum et Regularium deputatorum, constitutiones pro ipsarum Congregationum et earum monasteriorum seu domorum et religiosorum prospero gubernio et regimine editas, et in eàdem congregatione iussu nostro diligenter examinatas et approbatas, nec non etiam quaecumque privilegia, gratias, exemptiones, libertates, immunitates, concessiones, indulgentias et indulta eisdem Congregationibus illarumque monasteriis, domibus, superioribus, fratribus et aliis religiosis, in genere vel in specie, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et Apostolicam Sedem concessa (qualenus sint in usu et non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis non adversentur) auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictarum Congregationum et earum monasteriorum seu domorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die XXI ianuarii MDCVI, pontificatus nostri, anno I.

Dat. die 21 ianuarii 1605, pontif. an. I.

1 Const. Sixti V huiusmodi praetermisit Coquelines ut dicit ad marginem, ideoque non extat in edit. Main. (R. T.).

XXIX.

Quod fratres Congregationis Iesuatorum sancti Hieronymi ordinem sacerdotalem a quocumque episcopo idoneo, servatis servandis, assequi generalim valeant et exercere, prohibitionibus quibuscumque abrogatis: nonnullas tamen ordinationes observare teneantur[1].

1 Isti fratres vocabantur pauperes Iesuati, quorum Congregationem approbavit Martinus V in Const. XXII *Piae*, tom. IV pag. 730. Nomen autem *Iesuatorum S. Hieronymi* sortiti sunt tempore Alexandri VI in Const. XI *Ad Sacram*, tom. V, pag. 376. Eisque Clemens VII dedit privilegia Ordinis S. Augustini, cuius regulam profitentur, ut in eius Const. XLIV *Sacrae*, tom. VI pag. 158. Quinimo Pius V omnium Mendicantium privilegia eis communicavit, et inter eos connumerari declaravit in sua Const. LIX *Romanus* in h. n. edit. LXXVI, tom. VII pag. 636.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Religiosos viros, qui, sub suavi religionis iugo Dei obsequiis mancipati, maiori pietatis studio ac ardentiori charitatis affectu in holocaustis, sacrificiis et divinis obsequiis ultro illi placere ac magis gratum exhibere cupiunt famulatum, benigni favoris patrocinio libenter complectimur, ac gratiis prosequimur opportunis, prout illorum pia vota expostulant, ac aliàs in Domino salubriter conspicimus expedire.

Congregationis huius religiosis etiam post emissam professionem sacris initiari non consueverunt.

§ 1. Cum itaque (sicut dilectorum filiorum visitatorum et aliorum superiorum et fratrum Congregationis Iesuatorum nomine nobis expositum fuit), licet religiosi dictae Congregationis ex vetustissimo semperque observato instituto, etiam post emissam per eos in dictâ Congregatione professionem regularem, sacris ordinibus initiari non consueverint, et licet dudum bonae memoriae Gabriel episcopus Albanensis cardinalis Paleottus et Nicolaus tituli sanctae Praxedis presbyter cardinalis Senonensis nuncupati ac venerabilis frater Caesar episcopus Cremonensis, quibus felicis recordationis Gregorius Papa XIV praedecessor noster hoc negocium commiserat, ex causis tunc expressis, per quoddam eorum decretum statuerint ut dictae Congregationis religiosi, qui eo tempore ad sacros ordines promoti reperiebantur, ab illorum executione in perpetuum suspensi forent, et superiores, qui litteras dimissorias et alias quascumque concesserunt aut aliter quovis modo opitulatus fuerat[1] fratribus dictae Congregationis ut ad ordines promoverentur, ab eorum officiis depositi in posterum ad ea et alia in dictâ Congregatione obtinenda inhabiles essent et esse intelligerentur: quodque de caetero, sub poenâ perpetui carceris, ad huiusmodi ordines quisquam dictorum fratrum promoveri, aut ad hunc effectum litteras dimissorias concedere non posset: et ulterius nec cuiquam ex eisdem fratribus liceret gradum in sacrâ theologiâ vel aliâ facultate adipisci: quod decretum a praedicto Gregorio XIV, necnon a piae memoriae Clemente Papa VIII, etiam praedecessore nostro, confirmatum fuit, prout in dicto decreto et in litteris eorumdem praedecessorum desuper expeditis plenius continetur[1];

Sed ex causis hic expressis iste Pont. fratres initiatos et deinde ab exercitio sacrorum ordinum suspensos habilitat usque ad numerum centum sacerdotum.

§ 2. Nihilominus, tum quia nonnulli ex illis, qui, ut praefertur, sacris ordinibus initiati ab illorum executione suspensi fuerunt, adhuc superstites sunt, et alii etiam in dictâ Congregatione reperiuntur ad sacros ordines suscipiendos apti, tum etiam quia multi libentius in eamdem Congregationem ingrederentur, si eis ad sacros ordines suscipiendos et divinorum ministrationem aditus pateret, tum demum quia divinus cultus maiorem in ipsâ Congregatione susciperet incrementum, si eius religiosis, ab ignobili otio et a turpi ignorantiâ seiunctis, sacros ordines suscipere ac in illis ministrare ac divinis laudibus et obsequiis vacare liceret, propter praemissas et alias rationabiles causas cupiant supradicti visitatores et fratres aliquibus ex eis apostolicâ nostrâ auctoritate licentiam sacros ordines suscipiendi ac in illis etiam in altaris ministerio ministrandi et sacris servitiis se mancipandi benigne concedi: nos illorum pium desiderium huiusmodi, ad divini cultus augmentum et eorum Congregationis decorem et incrementum intendens, summopere in Domino commendantes,

1 Sic legit etiam Cherub.; ast vel aliquid deest, ex g. *quisque*, vel stante verborum syntaxi legendum *opitulati fuerant*, et paulo ante *concesserant* (R. T.).

1 Litterae huiusmodi Greg. XIV et Clem. VIII non extant in *Bull.* Main. (R. T.).

considerantesque non posse religiosos maiori cum fructu Dei obsequiis vacare, quam per divinarum litterarum scientiam, per altaris ministerium et divinorum officiorum usum; et propterea piis eorum votis favorabiliter annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, necnon decreti et litterarum Gregorii et Clementis praedictarum totos tenores, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, necnon singulares eiusdem Congregationis personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes: supplicationibus eorumdem visitatorum, superiorum et religiosorum nomine, per dilectum filium Isidorum Venetum, fratrem et procuratorem generalem dictae Congregationis, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: ex voto venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super consultationibus et negotiis Episcoporum et Regularium deputatorum, quibus hoc negotium examinandum et nobis referendum commisimus, in primis et ante omnia decretum et litteras Gregorii et Clementis praedecessorum supradictas, in quantum praesentibus adversantur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo revocamus et annullamus, et suspensionem ab executione ordinum, ut praefertur, factam, omnibus et singulis eiusdem Congregationis religiosis, qui ad ordines etiam sacros et presbyteratus, aliàs tamen rite, promoti extiterunt, ita ut quilibet eorum in susceptis ordinibus deinceps, quoad vixerint, etiam in altaris ministerio ministrare, et non susceptos suscipere, et in illis pariter ministrare libere possint, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, gratiose relaxamus, ac illos omnes et singulos ad ministrandum in susceptis ordinibus, atque ad ascendendum ad superiores et non susceptos ordines rehabilitamus. Praeterea, ut, comprehensis supradictis iam ad sacros ordines promotis, alii eiusdem Congregationis religiosi usque ad completum numerum centum dumtaxat in totâ Congregatione praedictâ ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines ab infrascriptis antistibus statutis a iure temporibus (sed hac primâ vice, etiam non servatis interstitiis a Concilio Tridentino designatis et anni circulo minime expectato), promoveri ac promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare (dummodo tamen praevio diligenti examine, ad hoc idonei reperti fuerint), auctoritate et tenore praedictis licentiam concedimus et indulgemus, ac cum illis super hoc opportune dispensamus: ac infrascriptis antistibus dictis religiosis ordines huiusmodi conferendi facultatem impertimur.

Non promotos ad sacros ordines, eidem gradibus cum promotis perfrui statuit.

§ 3. Volumus autem et pari auctoritate statuimus et ordinamus, ut religiosi dictae Congregationis, tam hactenus recepti quam in futurum recipiendi, qui in eàdem Congregatione ad ordines non ascenderint, a nullis propterea honoribus, gradibus et ministeriis dictae Congregationis excludantur, quinimo promiscue cum promotis vocem activam et passivam, in omnibus actibus et negotiis, sine aliquâ prorsus differentiâ, habere possint et debeant, et aequo cum eisdem promotis iure, honoribus, gradibus, ministeriis praedictis, caeterisque ipsius Congregationis privilegiis et praerogativis gaudeant et perfruantur;

Promotis decedentibus alii sufficiantur.

§ 4. Quodque in totâ Congregatione praedictâ ultra numerum centum ad sacros ordines promoveri non possint, sed

quandocumque aliqui ex numero promotorum ab hac vitâ migraverint, alii idonei in eorumdem demortuorum locum sufficiantur; ita ut sic ordinatorum numerus in totâ Congregatione perpetuo retineatur;

Antistites a quibus promoveri possint designat.

§ 5. Quodque illi, qui ad ordines promovendi erunt, litteras dimissorias a suis superioribus ad aliquem ex infrascriptis antistibus directas habeant, a quibus antistibus in eorum propriis civitatibus vel dioecesibus tantum, et non ab aliis, huiusmodi ordines suscipiant; videlicet in Urbe a dilecto filio vicario nostro, vel, de illius licentiâ, a quocumque catholico antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente ac in dictâ Urbe pontificalia exercente, necnon a venerabilibus fratribus Mediolanensi, Bononiensi et Senensi archiepiscopis, ac episcopo Patavino, vel ab aliis similibus antistibus, de ipsorum archiepiscoporum et episcopi licentiâ, in illorum respective civitatibus et dioecesibus pontificalia exercentibus: quibus et cuilibet eorum praedictos religiosos, ut praemissum est, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines promovendi licentiam et facultatem concedimus.

Promotos ad recitationes sacrarum horarum obligat, imo omnes idoneos.

§ 6. Praeterea statuimus et ordinamus ut sacerdotes, et alii ad sacros ordines hoc pacto pro tempore promoti, ex peculiari cuiusque obligatione horas canonicas in choro statuto ab Ecclesiâ tempore recitare debeant; in illis scilicet conventibus, in quibus quatuor saltem fratres reperientur in sacris ordinibus constituti, in aliis autem conventibus ubi pauciores quatuor erunt sacris ordinati, possint eas etiam privatim recitare;

Eosdem promotos ad orationem dominicam et salutationem angelicam non teneri declarat.

§ 7. Ipsi vero fratres ad sacros ordines promoti, nullatenus in posterum teneantur ad recitationem *Orationis Dominicae* et *Salutationis Angelicae* in illis temporibus, in quibus ad eam, priusquam easdem horas canonicas recitare deberent, ex praescripto suarum constitutionum loco earumdem horarum erant obligati;

Missarum celebrationis modum praescribit.

§ 8. Missas vero submissâ voce recitare contenti sint, et a solemnium celebratione abstineant, nisi sicubi ipsi solemniter celebrare iam hoc tempore consuevissent;

Saecularium confessiones audire prohibet.

§ 9. Quodque ad sacerdotium promoti, neque ullius saecularis personae, neque alterius Ordinis regularis ullo tempore, etiam de cuiuscumque episcopi vel superioris regularis licentiâ, confessiones audire possint, sed tantum illis sacerdotibus, qui ad confessiones audiendas idonei reperti et ab Ordinariis locorum approbati fuerint, liceat aliorum ipsius Congregationis religiosorum de sui superioris licentiâ confessiones audire;

Distillationem aquarum sacris initiatis vetat.

§ 10. Quodque[1] fratres ipsi aliquo sacro ordine initiati, suae dignitatis memores, exercitio distillationis aquarum nullo pacto vacent, neque earum venditionibus sese immisceant;

Eas mulieribus vendi, aut venales haberi vetat.

§ 11. Imo caeteri eiusdem Ordinis regulares, qui ad ordines promoti non fuerint, quibusque id exercitium[2] non adimitur, eiusmodi aquas distillatas, quod hactenus fecerunt, mulieribus deinceps nullo praetextu vendere, aut aliàs tradere debeant, neque venales habere seu exponere, sed tantum eas seorsum ab illis possint vendere aromatariis vel aliis particularibus personis.

Studiorum institutionem concedit.

§ 12. Insuper, ut religiosi dictae Congregationis magis fructuosi in Ecclesiâ Dei ministri evadere possint, eidem Congregationi et illius superioribus et religiosis, ut in eorum conventibus, ubi hoc commode fieri poterit, litterarum exercitationes seu studia erigere et instituere possint, in quibus tum humaniores litterae ac disciplinae, tum philosophia ac theologia legantur, ipsique iis operam

1 Erronee edit. Main. fert *quodquod* (R. T.).
2 Edit. Main. erron. habet *exercitum* (R. T.).

dare valeant, auctoritate et tenore praedictis, licentiam et facultatem concedimus et indulgemus.

Clausula praeservativa.

§ 13. Decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quopiam defectu, quavis de causâ et occasione vel praetextu, notari vel impugnari, infringi, suspendi, limitari vel retractari, aut revocari ullatenus posse, sed semper validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere;

Clausula *sublatâ*, etc.

§ 14. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausula derogatoria.

§ 15. Non obstantibus litteris Gregorii et Clementis praedecessorum praedictorum et quibusvis aliis prohibitionibus, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis et Congregationis Iesuatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat et ad effectum praemissorum specialiter et expresse ac latissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 16. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ contitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XVIII februarii MDCVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 18 februarii 1606, pontif. anno I.

Sequitur declaratio praeinsertae constitutionis[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sedis Apostolicae providentia circumspecta quandoque religiosam vitam agentibus ea concedit et indulget, quae regularibus eorum institutis vetita erant, prout maturo desuper habito consilio eorum animarum saluti et religionis propagationi in Domino iudicat expedire.

Constitutionem praecedentem enunciat.

§ 1. Sane cum aliàs fratres Congregationis, etc. *(Omittitur narrativa praecedentis Bullae).*

Et ad supplicationem congregationis.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii visitatores et alii superiores, ac fratres dictae Congregationis per dilectum etiam filium Isidorum Venetum, fratrem et procuratorem generalem eiusdem Congregationis, nobis nuper exponi fecerunt, pro divini cultus in ipsâ Congregatione augmento maxime expediat, ut aliqui ex illius fratribus ad subdiaconatus et diaconatus sacros ordines promoveantur, qui gradatim in locum demortuorum presbyterorum statim sufficiantur: ideo visitatores et superiores, ac fratres praedicti nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Habilitat alios

§ 3. Nos igitur praedictarum litterarum

1 Sequentes declarationes in hoc loco referuntur non ratione temporis, nam posterius editae fuerunt, sed ratione materiae (R. T.).

viginti quatuor fratres ad subdiaconatus et diaconatus ordinem respective.

tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem S. R. E. cardinalium consilio, ut ultra centum dictae Congregationis fratres in presbyteratus ordine constitutos[1], alii duodecim ad subdiaconatus ac alii etiam duodecim ad diaconatus sacros ordines de superiorum suorum licentiâ, modo et formâ in prioribus nostris litteris expressis, promoveri, et promoti in illis, etiam in altaris ministerio, ministrare[2] (ita quod quando aliqui ex numero promotorum huiusmodi e vivis decesserint, alii in mortuorum locum substituantur) apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus litteris Gregorii et Clementis, praedecessorum praedictorum, et quibusvis aliis prohibitionibus apostolicis, ac dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat et ad effectum praemissorum specialiter et expresse ac latissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Exemplorum fides.

§ 5. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XIII martii MDCVIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 13 martii 1608, pontif. an. III.

1 Vide hic p. 270 infra generalem habilitationem.
2 Subintellige *possint* (R. T.).

Sequitur declaratio circa personas huius Ordinis recitationi horarum canonicarum addictas.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ministerio sacri apostolatus officii licet immeriti praesidentes, ad ea, per quae divinus cultus et devotio augetur, libenter intendimus, et quae propterea ordinata fuisse dicuntur, apostolici muniminis firmitate, cum a nobis petitur, roboramus.

Statuit hic Pontifex promotos ad sacros ordines ad recitationem horarum canonicarum teneri.

§ 1. Aliàs siquidem statuimus et ordinavimus ut fratres Congregationis Iesuatorum ad sacros ordines pro tempore promoti ex peculiari cuiusque obligatione horas canonicas in choro, statuto ab Ecclesiâ tempore, recitare deberent, in illis scilicet conventibus, in quibus quatuor saltem fratres reperirentur in sacris ordinibus constituti; in aliis autem conventibus, ubi pauciores quatuor essent sacris ordinati, possent eas etiam, sed privatim, recitare; ipsi vero fratres ad sacros ordines promoti nullatenus imposterum tenerentur ad recitationem *Orationis Dominicae* et *Salutationis Angelicae* in illis temporibus, in quibus ad eam, priusquam easdem horas canonicas recitare debebant, ex praescripto suarum constitutionum loco earumdem horarum erant obligati, prout in nostris in simili formâ Brevis desuper expeditis litteris plenius continetur.

In Capitulo generali postea visum fuit magis expediens, quod omnes fratres recitationi horarum idonei, ad earum recitationem tene-

§ 2. Et (sicut dilecti filii Isidorus a Venetiâ, visitator generalis, ac definitores aliique vocales eiusdem Congregationis nobis nuper exponi fecerunt) illi subinde, animadvertentes ex recitatione horarum

antur, ideo supplicatur Papae pro comprobatione huius statuti.

canonicarum huiusmodi, cum spirituales fructus ipsi Congregationi provenire, tum christifideles recitationi earumdem horarum interessentes ad devotionem excitari, providà deliberatione desuper habità in eorum capitulo generali novissime celebrato (reservato nostro et Sedis Apostolicae beneplacito) ordinarunt et statuerunt, quod ex tunc de caetero quicumque ex fratribus dictae Congregationis recitationi dictarum horarum idonei essent, illi ad recitationem earumdem horarum tenerentur, et per horarum recitationem huiusmodi recitationi *Orationis Dominicae*, ex regularibus eorum institutis praescriptae, satisfacere censerentur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, Isidorus et definitores ac alii vocales praedicti plurimum cupiant ordinationem et statutum huiusmodi, pro eius subsistentià, per nos apostolicà auctoritate confirmari et approbari, ideo nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis providere de benignitate apostolicà dignaremur.

Hic ideo Pontifex illud confirmat.

§ 3. Nos igitur Isidorum ac definitores et alios vocales praedictos, necnon singulos dictae Congregationis fratres specialis gratiae favore prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causà latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, consilio, ordinationem et statuta praedicta, apostolicà auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac ab omnibus dictae Congregationis fratribus inviolabiliter observari mandamus.

Idemque iterum statuit.

§ 4. Et nihilominus, quod de caetero perpetuis futuris temporibus, quicumque ex dictae Congregationis fratribus recitationi horarum canonicarum habiles et idonei erunt, illi ad earumdem horarum recitationem perpetuo teneantur et obligati existant, ac per recitationem horarum canonicarum recitationi *Orationis Dominicae* et *Salutationis Angelicae*, ad quam iuxta regularia eorum instituta tenerentur, satisfaciant et satisfacere censeantur, similiter perpetuo statuimus et ordinamus.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicà, vel quavis firmitate alià roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Congregationi illiusque visitatori generali ac fratribus et aliis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus clausulis et decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut praesentium exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticà constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die XXIII septembris MDCVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 23 septemb. 1608, pontif. an. IV.

Subsequitur generalis habilitatio eorumdem Iesuatorum ad ordines sacros.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Onerosa pastoralis officii cura, meritis licet insufficientibus, nobis ex alto commissa postulat, ut christifideles praesertim sub suavi religionis iugo obsequiis altissimi mancipatos, quo ardentiori pietate et charitate in sacrificiis et divinis officiis illi placere magisque gratum valeant exhibere famulatum, specialibus Sedis Apostolicae favoribus gratiisque prosequamur opportunis, prout pia illorum vota postulant, et aliàs in Domino conspicimus salubriter expedire.

Hic Pontifex edidit praecedentes constitutiones. § 1. Alias siquidem postquam, etc. *(Omittitur relatio constitutionum, quae praecedunt).*

Ex quibus magnus in religione progressus evenit. § 2. Cum autem, sicut fratres dictae Congregationis nobis nuper exponi fecerunt, ex promotione eorumdem fratrum ad sacros ordines huiusmodi felici dictae Congregationis gubernio prosperaeque directioni hactenus notabiliter cum magno et evidenti illius progressu et divini cultus augmento consultum fuerit, et in dies maior illius progressus benedicente Domino futurus sit, si non solummodo centum, verum omnes praedictae Congregationis fratres, ad hoc aliàs idonei et capaces, ad eosdem sacros ordines promoveri possent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt dicti fratres, ut sibi opportunâ super praemissis licentiâ providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Et modo ad feliciorem progressum, generalem dat fratribus habilitationem ad Ordines. § 3. Nos igitur ad ea, per quae Congregationum, ad divini cultus augmentum et religionis propagationem institutarum, conservationi et manutentioni divinique cultus augmento salubriter consulitur, libenter intendentes, praedictae Congregationis fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ac praedictarum litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus eorum nomine nobis per dictum Isidorum nunc praedictae Congregationis visitatorem generalem super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, ut omnes et singuli praedictae Congregationis fratres, nunc et pro tempore existentes, de illorum superiorum licentià, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines statutis a iure temporibus a locorum Ordinariis vel aliis quibusvis antistitibus, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus, promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare (dummodo tamen praevio diligenti examine ad hoc idonei reperti fuerint et aliud eis non obsistat canonicum impedimentum, ac aliàs servatâ formâ sacri Concilii Tridentini, aliisque de iure servandis) libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate praedictâ, tenore praesentium, concedimus, et indulgemus, ac cum eis super hoc opportune dispensamus.

Decretum irritans apponit. § 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de

latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus Gregorii et Clementis praedecessorum praedictorum, ac nostris litteris praedictis et quibusvis aliis prohibitionibus, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam legitime praescriptis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 6. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, *etc.*

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXV ianuarii MDCXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 25 ianuarii 1611, pontif. an. VI

XXX.

Commissio vicario generali Viglevanensi confirmandi erectionem scholae et bibliothecae Ambrosianae, legesque pro earum regimine latas a Friderico cardinali Borromaeo, eique redditus nonnullos uniendi[1].

Paulus Episcopus
Servus Servorum Dei,

Dilecto filio vicario venerabilis fratris nostri episcopi Viglevanensis in spiritualibus generali, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium a necessitate atque utilitate scholarum petitum.

Copiosus in misericordiâ Dominus et in cunctis gloriosus operibus, a quo omnia dona defluunt, ad hoc nobis licet immeritis suae sponsae universalis Ecclesiae regimen committere et nostrae debilitati iugum apostolicae servitutis imponere voluit, ut tamquam de summo vertice montis ad infima reflectentes intuitum, quid pro huiusmodi illustrandâ Ecclesiâ ad fidei orthodoxae propagationem conferat, quidve statui fidelium quorumlibet conveniat, attentius prospiciamus, et (ut a fidelibus ipsis profligatis ignorantiae tenebris, illi per donum sapientiae in viâ mandatorum Domini conservari debeant, attendentes) eos ad quaerendum litterarum studia, per quae militantis Ecclesiae respublica regitur et divini nominis ac eiusdem fidei cultus protenditur omnisque humanae prosperitatis conditio augetur, sollicitudinis ope apostolicisque favoribus propensius excitemus. Quod ut commodius praestari possit, litterarumque studiis vacare volentium scholae ubique propagentur, pro illarum stabilitate et incremento eas congruis facultatibus communiri mandamus, ut ipsarum scholarum et illarum bibliothecarum conservatores sui muneris partes commodius obire, ac ex eisdem scholis optimarum disciplinarum proventus ad eiusdem militantis Ecclesiae gloriam communemque utilitatem et profectum maiori in dies cum fervore valeant provenire: prout pia praelatorum, praesertim fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, quos in partem laborum evocavit Altissimus, vota exposcunt, et nos, locorum et temporum qualitate pensatâ, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Fridericus

§ 1. Exposuit siquidem nobis nuper

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

cardinalis Borromaeus scholam Ambrosianam in collegio oblatorum.

dilectus filius noster Federicus tituli sanctae Mariae Angelorum in Thermis, presbyter cardinalis Borromeus nuncupatus, Ecclesiae Mediolanensis ex concessione et dispensatione apostolicà praesul, quod cum ipse Federicus cardinalis et praesul, singulari Dei munere et bonae memoriae Caroli olim sanctae Praxedis presbyteri cardinalis etiam Borromei nuncupati, ex concessione et dispensatione huiusmodi dictae Ecclesiae praesulis, pastorali curà et vigilantià, civitatem Mediolanensem ad iuventutem in bonarum artium studiis erudiendam, nec non ecclesiasticà disciplinâ bonisque moribus imbuendam, multis collegiis instructam et nobilitatam invenisset, idque adeo feliciter accidisse, ut plures inde prodiissent, qui philosophiae theologiaeque confectis spatiis, in publicis iisque celebrioribus accademiis doctores creati fuissent, et eo quoque tempore, cum magnâ clericalis ordinis utilitate et laude, haud multo pauciores prodirent; animadvertens tamen in ipsà civitate nullam adhuc scholam certam esse ad eum finem instructam, ut in eà velut palaestrà quadam, post exactum studiorum cursum paratamque rerum plurimarum notitiam, seorsim se aliqui exercentes catholicae fidei veritatem adversus impios haereticorum conatus scriptis et lucubrationibus aliquando tueri possent, ac certis aliis de causis adductus, in collegio sacerdotum Oblatorum nuncupatorum sancti Ambrosii in aedibus sancti Sepulchri dictae civitatis per eumdem Carolum cardinalem et praesulem instituto et opportuno civitatis loco sito, ad Dei omnipotentis laudem et sub patrocinio beatae Mariae Virginis, nec non divi Ambrosii patroni auspicio et dicti Caroli cardinalis et praesulis, unam scholam ambrosianam erexit, instituit et fundavit; illique sic erectae octo viros ecclesiasticos, tam ex seminarii alumnis quam aliunde accitos (quorum tres necessario semper sacrae theologiae addicti essent, reliqui vero aliis facultatibus bonisque artibus praepositi), a dicto Federico cardinale et praesule, quoad viveret, deligendos adscripsit et cooptavit, atque hi ut ex numero etiam Oblatorum sumerentur concessit, si vel in aedibus sancti Sepulchri, vel alibi sit ex Ordine quisquam ita insigniter eruditus, ut eo coetu dignus propter doctrinam et scientiam censeretur; ad hoc quatuor praeterea laicos liberalibus aeque disciplinis excultos et a se pariter deligendos adiunxit, ut horum aemulatione clerici ad studiorum labores forti animo subeundos alacrius excitarentur. Post eius vero ex hac vità decessum, si quem ex dictà scholà mori contingeret, reliqui ex eàdem scholà superstites alium in demortui locum proprio iure substituerent, qui vitam in sancti Sepulchri aedibus et collegio degerent, et ab instituto domus nullo modo recederent; ac, praeter victum et stipendium ex censu Congregationis Oblatorum exhiberi solitum, singulas pensiones a scholà assignandas consequerentur, quas pensiones item a scholà omnes consequi voluit et decrevit, dummodo institutum hoc et leges praeterea ac pacta separatim a se condenda diligenter tuerentur et servarent, alioquin cum ipsi, tum alii, sive clerici sive laici existerent, sive sancti Sepulchri, sive alias quasvis aedes incolerent, fructu huiusmodi carerent, neque pecuniae summam a scholà assignandam ullo modo perciperent: quin potius illud intelligerent, omnem eis facultatem esse ademptam condonationis, aut remissionis impetrandae aut impetratae, etiam ex mutuà cessione, concordiàque utendi; scirentque nihil omnino, quod eiusdem Federici cardinalis et praesulis patentibus desuper confectis litteris adversaretur, suffragaturum, etiamsi leges, ut supra, condendas vel in desuetudinem abiisse,

Nonnullas in ea servandas leges indixit.

vel interdum minus observatas fuisse assererent. Quoniam vero ad scholae huiusmodi usum ingenti sacrorum, profanorumque librorum copiâ opus esse non ignoravit, idque ad communem et publicam civitatis utilitatem pertinere maxime arbitratus est, aulam illam magnam (quam suis sumptibus in eodem collegio sancti Sepulchri, deiectis quibusdam antiquis aedibus, quae proximae erant, de consensu Congregationis, praepositi generalis et Oblatorum, ut patet ex instrumento publico, extruere est aggressus, brevique, ut sperat, perfectam et absolutam daturus) in publicam ecclesiasticam bibliothecam, non solum ad Ambrosianae scholae privatum, sede tiam omnium communem usum cum legibus et regulis infrascriptis, aliisque ex facultate apostolicâ, quandocumque sibi videretur, praescribendis destinavit et ordinavit: armariis praeterea, scriniis, tabulariis, in quibus libri ordine disponerentur, suo tempore instructurus. Huic vero bibliothecae antiquos codices manuscriptos atque impressos, aliosque omnes sacros, profanosque libros a se diligenter undique conquisitos sumptuque non mediocri comparatos dono dedit, atque in eam imponi ibique perpetuo ad privatam et publicam utilitatem adservari mandavit, excommunicationis latae sententiae poenam proponens illis, qui libros vendere, commodare, ex bibliothecâ efferre, aut quoquo modo distrahere non dubitarent, eorum absolutione soli Romano Pontifici reservatâ. Eruditum virum e numero atque ordine Oblatorum in ipsis sancti Sepulchri aedibus alendum cum annuo stipendio bibliothecae praefecit, eumque bibliothecarium nominavit. Quae vero ad bibliothecae custodiam, usum, conservationem ac nitorem librorum spectare aestimaret, facultate a nobis impetratâ, certis legibus praescriberet, quas leges, eo etiam vitâ functo, usque adeo religiose servari voluit, ut eas immutari, infringi, remitti vel contrahi non liceret, nisi auctoritas Apostolicae Sedis accederet, eisdemque legibus de verbo ad verbum derogaretur. Sed quum[1] frustra bibliothecam construxisset, atque omni librorum genere instruxisset, nisi etiam de eâ perpetuo conservandâ provisum foret, ne vel varietate temporum, vel hominum improbitate dissolvi, eiusque ius ad quemvis alium transferri queat: idcirco proprietatem ipsius ac dominium sibi, quamdiu viveret, reservans, post eius obitum penes Oblatorum Congregationem, ad publicum tamen et communem omnium usum et commodum esse decrevit. Quod ut firmum et perpetuum esset ex diversorum ordinum viris congregationem tuendae conservandaeque bibliothecae causâ ita conflavit, ut praeter praepositum sancti Sepulchri pro tempore existentem, quem in hunc coetum conservatorem adscripsit, ex singulis infrascriptis ordinibus civitatis caperentur; nimirum ex canonicis ordinariis nuncupatis dictae ecclesiae duo, ex reliquo clero etiam duo, unus ex sexaginta decurionibus concilii generalis, unus ex iurisperitorum collegio et unus ex collegio physicorum; archiepiscopum[2] vero Mediolanensem pro tempore existentem (cui a scholae doctoribus observantiam, cultum atque obsequium praestari perpetuo vult, cuique hoc suum institutum adeo probatum iri confidit, ut bibliothecae conservatoribus numquam sit suo studio, auctoritate et gratiâ defuturus) ideo credidit huiusmodi curâ implicari non debere, quod illum aliis assidue premi intelligat. Horum conservatorum munus esset redditus et bona, quae eidem bibliothecae a prae-

Bibliothecam paravit.

1 Erronee edit. Main. habet *quam* (R. T.).

2 Edit. Main. habet *archiepiscopus Mediolan. existen.*; sed *archiepiscopum Mediolanensem... existentem* legi debere quisque intelliget (R. T.).

dicto Federico cardinale et praesule addicta forent, quaeque liberali piorum hominum largitione relinqui contingeret, fideliter administrare; et quia redditus sunt ex bonis Ecclesiae, ideo unum ecclesiasticum ex eorum corpore quotannis thesaurarium per voces crearent, qui post annum exactum ipsimet congregationi reposcenti rationem bene gestae administrationis confestim redderet. Conservatores bis saltem in anno, vel saepius, si opus foret, in unum coacti de rebus ad bibliothecae conservationem spectantibus inter se conferrent: bis autem singulis annis, et crebrius, si ita res postularet, bibliothecam indicemque librorum, et libros ipsos inspicerent, eorumque numerum diligentissime recognoscerent, darent operam ut ex pecuniâ, quae ad emendos faciendosque libros relicta foret, bibliotheca semper nitida esset, atque omni genere sordium munda. Quod si in hoc exequendo per biennium negligentes essent, ad capitulum metropolitanum ius visitandi, vel eo negligente, ut supra, ad praefectum fabricae eiusdem ecclesiae spectaret; ipsoque facto, absque aliquâ iudicis ecclesiastici declaratione, qui ex canonicis ordinariis dictae ecclesiae in numerum conservatorum[1] receptus foret, huic indicendae congregationis vis perpetuo esset, congregationique in omnibus praeesset. Congregatio in sancti Sepulchri aedibus haberetur: si sacerdotes Oblati insigniter bibliothecae curam negligerent, eamque dissiparent, dissiparique permitterent, aut illius publicum et communem usum in proprium et privatum converterent, tunc ab omni iure, quod in et ad bibliothecam illis concessit, cecidisse, atque omnia ad templi maioris fabricae praefectos devoluta esse intelligerentur. Huius vero rei iudicium ad pro tempore existentem vicarium archiepiscopi Mediolanensis in spiritualibus generalem, ad quem et[1], si interdum lis, controversia vel differentia in praemissorum exequutione vel interpretatione oriretur, cognitionem eius et iudicium ita voluit pertinere, ut summatim sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, omni appellatione prorsus remotâ, quamcumque controversiam dirimeret; et ubi ad alium iudicem quam ecclesiasticum facto ipso conservatorum, doctorum vel in scholâ interesse habentium quoquo modo lis et iudicium devolveretur, tunc ipso facto illos iure administrationis, vel loco scholae privavit, et privatos esse voluit, prout in dictis suis litteris continetur.

Praedicta omnia pontificiâ auctoritate confirmari petitur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praemissa omnia in laudem Dei ac divini cultus augmentum, totiusque dictae civitatis illiusque personarum litteris et virtutibus praeditarum et praecipue necessitatibus oppressarum commodum et utilitatem, necnon fidei orthodoxae contra illius hostes propugnaculum bonarumque artium ampliationem cesserint et cedant, cupiatque propterea dictus Federicus cardinalis et praesul illa omnia pro firmiori illorum subsistentiâ per nos confirmari et approbari, aliaque infrascripta sibi benigne concedi; quare praedictus Federicus cardinalis et praesul nobis humiliter supplicavit, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Committitur vicario generali Viglevanensi praedictorum confirmatio.

§ 3. Nos igitur, eumdem Federicum cardinalem et praesulem specialibus favoribus et gratiis prosequentes, huius-

[1] Heic fort. deest vox *prior;* nam aliter, cum duo essent canonici conservatores, non satis constaret de quonam agatur: nempe ex duobus canonicis, ut supra, in numerum conservatorum receptis, ille praesid. qui *prior receptus foret;* sed haec ex merâ coniecturâ dicta sunt (R. T.).

[1] *Id. ad quem etiam;* male Main. leg. *etsi* (R. T.).

modi supplicationibus inclinati, discretioni tuae (cum venerabilis frater noster episcopus Viglevanensis ordinarius vicinior existat, ut dictus Federicus cardinalis et praesul asserit), per apostolica scripta mandamus, quatenus erectionem, institutionem, fundationem, adscriptionem, cooptationem, voluntatem, singula decreta, destinationem, ordinationem huiusmodi, omniaque et singula in eis contenta, ac inde sequuta et sequenda quaecumque, auctoritate nostrâ perpetuo approbes et confirmes, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicias, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, et solemnitatum quomodolibet requisitarum forsan omissarum, ac quosvis alios, etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, suppleas, eademque praemissa omnia et singula perpetuo et omni tempore subsistere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis omnibus et singulis, ad quos nunc quomodolibet spectat et spectabit in futurum, quosque id concernit et concernet quandocumque de caetero, firmiter et inviolabiliter perpetuo observari et adimpleri, nec ab illis umquam resiliri posse decernas;

Daturque facultas uniendi redditus mille scutorum ex collegio Ticinensi dismembrandorum.

§ 4. Et insuper pro ipsarum scholae et bibliothecae dote, ac illarum doctorum aliarumque personarum praedictarum sustentatione et manutentione, onerumque illis incumbentium supportatione a collegio Ticinensi Borromeo nuncupato dictae civitatis, per eumdem Carolum cardinalem etiam erecto, tot proprietates, census et alia bona stabilia ex beneficiis ecclesiasticis illi auctoritate apostolicâ unita, quae detractis infrascriptis ad manutentionem illius alumnorum et personarum sufficient, per dictum Federicum cardinalem et praesulem discernenda et specificanda, quorum annuus valor ad mille scuta, ad rationem sex librarum monetae imperialis pro quolibet scuto, iudicio dicti cardinalis et praesulis ascendat, ex nunc etiam perpetuo dismembres et separes, illaque sic dismembrata et separata, necnon alia quaecumque proprietates, res, iura et bona in quibusvis rebus consistentia, ac cuiuscumque quantitatis et speciei existentia per quoscumque christifideles quandocumque donanda, leganda, relinquenda et elargienda eisdem scholae et bibliothecae (ita quod liceat illarum conservatoribus, pro tempore existentibus, per se, vel alium, seu alios, eorum et dictarum scholae et bibliothecae nominibus, corporalem possessionem proprietatum, censuum et bonorum huiusmodi propriâ auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque percipere, exigere et levare, ac in dictarum scholae et bibliothecae usus, utilitatem, et necessitates convertere, Dioecesani loci, vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ) similiter perpetuo applices et appropries;

Legesque latas et ferenda confirmandi.

§ 5. Potremo pro dictarum scholae et bibliothecae felici successu ac regimine et administratione, necnon circa illarum quantitates, qualitates, conditiones, numerum, receptionem, admissionem, et alia quaecumque dictas scholam et bibliothecam quomodolibet concernentia, eidem Federico cardinali et praesuli, ut, quoad vixerit, quaecumque statuta, ordinationes, constitutiones, decreta et capitula (licita tamen et honesta ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis non repugnantia) facere, edere et condere, illaque pro rerum, temporum et personarum qualitate cassare, mutare, innovare, reformare, ac, illorum loco, alia de novo facere et edere libere et licite valeat, concedas et indulgeas: nec-

non postquam illa facta, reformata, ac de novo facta et edita fuerint, perpetuo valida et efficacia fore et esse, ac ab omnibus, ad quos pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, perpetuo inviolabiliter observari et adimpleri debere, ac, illo etiam vitâ functo, a quoquam, quavis auctoritate, causâque et occasione violari, infringi, restringi, immutari, vel etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices, nisi illis de verbo ad verbum insertis et expressis, derogari nullatenus umquam posse, pariter perpetuo statuas et ordines;

Clausulae. § 6. Praesentes quoque litteras semper validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, eâdem auctoritate nostrâ decernas.

Derogatio contrariorum. § 7. Non obstantibus praemissis, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, necnon quibusvis apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, specialibus et generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon collegiorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam iteratis, vicibus quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

1 Edit. Main. fert *prohibentes* (R. T.).

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCVI, quinto kalendas martii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 25 februarii 1606, pontif. an. I.

XXXI [1].

Renovatio litterarum Gregorii XIII super confirmatione taxae ab archiepiscopo Valentino efformatae pro dotatione ecclesiarum parochialium in regno Valentiae pro instructione Maurorum noviter conversorum erectarum, non obstantibus litteris Clementis VIII, quibus diversimode provisum fuerat super eâdem taxâ eiusque exactione [2].

Paulus Papa V,
Ad perpetuam rei memoriam.

Inter caeteras nostro muneri incumbentes curas, illa, quae nobis in beato Petro apostolorum principe a Christo Domino commissa est, pascendi oves eius, praecipue nobis cordi haeret; et propterea nostrae auctoritatis partes in iis li- Prooemium.

1 Ex regest. in Secret. Brev.

2 Super hac materia videre est Constit. Clementis VIII, CCLXXIV *Exponi* (in h. n. edit. CCLXXXV tom. X, pag. 784), et Constit. CCLXXVII *Apostolici* (in h. n. edit. CCLXXXVIII, ib. pag. 790).

benter interponimus, per quae de idoneis ad curam animarum exercendam ministris et ad eorum sustentationem sufficientibus redditibus provideri debere disponitur; idque eo libentius facimus, quo catholicorum etiam regum piis votis inde satisfactum iri, ac aliàs in Domino salubriter conspicimus expedire.

Pro instructione neoconversorum sub Carolo V nonnullae erectae fuerant parochiales ecclesiae.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Gregorio Papa XIII praedecessori nostro, nomine clarae memoriae Philippi II Hispaniarum regis, exposito, quod ipse Philippus rex, animadvertens superioribus temporibus multa fuisse olim in regno Valentiae oppida et loca à mahometanis infidelibus habitata, in quibus etiam, postquam idem regnum recuperatum fuerat, remanserant supra quindecim mille familiae infidelium, quae anno Domini MDXXVI ad fidem catholicam se converterant, ad quos bene sancteque in eàdem fide catholicâ erudiendos et instruendos, tunc Civitatensis et Dertusensis episcopi, auctoritate apostolicâ, et inclitae memoriae Caroli V Romanorum imperatoris eiusdem Philippi regis genitoris contemplatione, de anno eiusdem Domini MDXXXIV multa loca et illorum ecclesias a suis matricibus parochialibus antiquis dismembraverant, et eas numero supra centum et nonaginta in parochiales ecclesias erexerant: ex his vero, quasdam suis primitiis, reliquas autem triginta tantum libris annuis respective dotarant, statuendo quod dictae triginta librae, quae viginti octos ducatos auri vel circa constituebant solverentur, quemadmodum eàtenus erant solutae et tunc solvebantur; et in eàdem expositione subiuncto, quod propter tenuitatem redditûum praedictis ecclesiis pplicatoruma, et locorum, in quibus eaedem ecclesiae sitae erant, asperitatem, et quia oppida et loca praedicta, in quibus eaedem ecclesiae consistebant, variis periculis erant exposita, non paucae illarum propriis rectoribus caruerant, et tunc etiam iisdem carebant, et ipsi rectores, qui aliis ecclesiis erant praepositi, eâ eruditione doctrinâque praediti non erant, qua dictos noviter conversos in religionis christianae praeceptis, et illis quae ad salutem animarum erant necessaria, prorsus ignaros recte, ut decebat, in fide catholicâ instruere valerent; ac his de causis adductus idem Philippus rex, sanctissimoque zelo, et quod de animarum discrimine agebatur, motus, cum huic tanto malo aliquod salutare remedium adhiberi maxime cuperet, praesertim cum satis constaret, plurimos ex eis adhuc in suis perversis mahometicis erroribus impudenter impieque permanere, curaverat ut tunc archiepiscopus Valentinensis, ac Dertusensis et Oriolensis episcopi, aliique viri doctrinâ et rerum agendarum experientiâ et vitae integritate praediti, maturo ut par erat, consilio, ea cogitarent quae ad instituendos in viâ Domini noviter ad fidem conversos, in dicto Valentiae regno commorantes, eisque[1] non solum utilia, verum etiam salutaria et necessaria existimassent; et postremo idem Philippus rex ad eamdem civitatem Valentinensem veneralilem fratrem Ioannem patriarcham Antiochenum, et archiepiscopum Valentinensem ac tunc existentes Martinum Dertusensem et Gregorium Oriolensem episcopos, aliosque viros gravissimos convenire fecerat, ut de eàdem re agerent et consulerent, quae animarum saluti personarum praedictarum duxissent quomodolibet necessaria et opportuna; qui eâ re per plures dies examinata, variisque congregationibus et colloquiis inter eos habitis, existimaverant optimum factu, si per ipsum praedecessorem et Sedem Apostolicam, novae ecclesiae parrochiales in locis ad hoc op-

Quae cum parum essent dotatae, vel parochis destituebantur vel parochis tradebantur inhabilibus.

Philippus II episcopis mandavit, ut huic malo consulerent.

Illi censuerunt novas erigendas esse parochias.

1 Vel aliquid antea deest, ex q. *apta* vel pro *eisque* legendum *eis* (R. T.).

portunis erigerentur, illis etiam ab aliis ecclesiis parochialibus matricibus, ac quarum essent filiales seu suffraganeae, distinctis et penitus separatis, eisque rectores praeficerentur, qui animas non solum doctrinâ verbi, sed etiam exemplo boni operis, informare vellent et possent; ac ut tales invenirentur, qui pastoris munus recte obirent, et in ecclesiis suis assidue residerent, singulae dotes, alioquin tenues, ad summam centum librarum monetae in regno Valentiae cursum habentis, pro qualibet ecclesiâ parochiali, iam de dicto anno MDXXXIV erectâ, augerentur, ut ex eâ dote rector commode sustentari posset; eademque ratio in assignandâ dote ecclesiis quae a suis matricibus tunc dismembrarentur, et in parochiales erigerentur, servaretur; ac ut tam bona et necessaria institutio ad effectum perduceretur, a mensae archiepiscopalis Valentinensis, quae ad valorem annuum quadraginta millium ducatorum vel circa ascendebat, ac dignitatum et praepositurarum eiusdem ecclesiae Valentinensis, necnon aliarum antiquarum parochialium ecclesiarum et beneficiorum ecclesiasticorum in libro taxae comprehensorum quorumcumque, fructibus, redditibus et proventibus, perpetuo summa in eisdem litteris contenta dismembraretur, et seu ad solutiones ex tunc imposterum perpetuo faciendas, tunc et pro tempore existens archiepiscopus Valentinensis, ac alias dignitates et praeposituras in eâdem ecclesiâ ac alia beneficia in litteris huiusmodi expressa obtinentes, et alii, iuxta taxam ibidem insertam, tenerentur;

Earumque dotem ad centum libras augendam.

Eâque de causâ mensas episcopales, nonnullaque alia ecclesiastica beneficia taxarunt.

§ 2. Ac pro parte dicti Philippi regis eidem praedecessori humiliter supplicato, ut super eis opportune providere, de benignitate apostolicâ dignaretur: idem praedecessor, huiusmodi supplicationibus inclinatus, iuxta eas quae prudenter ac pie ab eisdem Ioanne patriarcha et archiepiscopo, unâ cum Dertusensi et Oriolensi episcopis praedictis, cogitata et considerata fuerant, decrevit, statuit, auxit, dismembravit, et in ipsâ dioecesi Valentinâ, apostolicâ auctoritate, erexit, divisit, ac mensae archiepiscopali Valentinae, iuxta taxam in fine litterarum ipsius praedecessoris descriptam, onera et solutiones annuas per eumdem Ioannem patriarcham et archiepiscopum, et pro tempore existentes ecclesiae Valentinae praesules et administratores, ac archidiaconatus dictae ecclesiae Valentinae ac praeposituras et alia beneficia in praedictâ taxâ contenta pro tempore obtinentes, ac in eisdem beneficiis successores quoscumque, et alios dominos temporales in eâdem taxâ comprehensos, eorumque successores, annis singulis, perpetuis futuris temporibus in locis et terminis constitutis integre faciendas, teneri et obligatos esse voluit[1]; decernens taxam praedictam nullo unquam tempore, etiam ad successorum praedictorum instantiam, quavis occasione vel causâ etiam urgenti et urgentissimâ annullari, invalidari aut ad minorem summam reduci posse, ac irritum et inane quidquid secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, cum clausulâ *sublatâ* ac aliis decretis et derogationibus, prout in ipsius praedecessoris, in formâ Brevis, sub die XVI iunii MDLXXVI desuper expeditis litteris, in quibus dicta taxa inserta fuit, plenius continetur[2].

Praedicta omnia, petente Philippo II, confirmavit Gregorius XIII.

§ 3. Et deinde eidem praedecessori pro parte ipsius Philippi regis denuo exposito, quod in praedictâ taxâ in supradictis litteris insertâ nonnulla per errorem exposita fuerant, quae aliter exponi debuissent, prout in libro a praedicto Ioanne patriarcha et archiepiscopo Valentinensi

Eodem Philippo nonnulla per errorem expressa fuisse asserente;

1 In praedictis aliquid deesse senties (R. T.).

2 Litterae huiusmodi Gregorii XIII non reperiuntur in *Bullario* (R. T.).

super dictarum parochialium erectionibus, dotationibus, dismembrationibus et aliis praedictis confecto, ad quem in omnibus et per omnia relationem ipse praedecessor haberi voluit, ex quo veritas omnium computationum, distributionum pro ratâ cuiusque, necnon calculationum in exequutione ipsius praedecessoris litterarum faciendâ, elici poterat, plenius contineri dicebatur; idcirco idem praedecessor per alias eius in eâdem formâ Brevis voluit, et apostolicâ auctoritate concessit et decrevit; quod priores litterae huiusmodi, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis et decretis, ac illarum vigore inde sequuta et sequenda quaecumque valerent, plenamque roboris firmitatem obtinerent, ac ab illarum datâ in omnibus et per omnia suffragarentur, perinde ac si ea quae in posterioribus expressa fuerant, in prioribus litteris huiusmodi pariter narrata fuissent, volens utrasque litteras praedictas perinde a dictâ die XVI iunii MDLXXVI, afficere, ac si personaliter unicuique intimatae fuissent; ita ut quaecumque personae, cuiusvis qualitatis et conditionis existentes in praedictis litteris comprehensae, ratione dotationis huiusmodi pro ratâ temporis contribuere et conferre omnino tenerentur, et ad[1] contributionem huiusmodi iuxta, earumdem litterarum formam, iuris et facti remediis opportunis, ac demum ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis cogi et compelli possent, quam ratam pecuniarum idem praedecessor ab eo tempore, usque quo posteriores litterae praedictae exequutioni demandatae fuissent, arbitrio Ordinariorum expendendam ad usum fabricae et ornamentorum parochialium ecclesiarum earumdem tunc de novo erectarum applicavit et appropriavit, nec easdem pecunias ad rectores praedictos, eo tempore durante, pertinere posse decrevit.

Gregorius alias litteras dedit et utrasque voluit observari.

Et solvi taxam in eisdem praescriptam.

§ 4. Praeterea omnia in capitulo *de Collectore* in suprammemorato libro expressa nominatim confirmavit et approbavit, eâdem clausulâ *sublatâ*, ac irritanti et aliis decretis, et derogationibus pariter adiectis, prout in eisdem posterioribus litteris, sub datum videlicet die XXX augusti MDLXXVII plenius similiter continetur[1].

Confirmavit pariter quae statuta fuerat de collectore.

§ 5. Quas quidem praedecessoris litteras venerabilis frater praedictus Ioannes patriarcha Antiochenus et archiepiscopus Valentinensis ac plerique in taxâ comprehensi susceperunt, admiserunt et amplexi fuerunt: dilecti vero filii capitulum canonici ecclesiae Valentinae capitulariter congregati, sub die XXI mensis augusti MDXCVII, promiserunt quod ipsi, perpetuis futuris temporibus, quolibet anno, et in terminis in praedictis litteris contentis, omnes illas quantitates, quae per taxam in litteris praedictis contentam ab ipsis persolvi debuissent, a die festivitatis beati Ioannis Baptistae eiusdem anni MDXCVII inclusive persolverent.

Archiepiscopus Valentinus taxam recipit.

Capitulum vero se soluturum spondet iuxta eamdem.

§ 6. Idem autem Philippus rex, mediantibus personis dicti Ioannis patriarchae et archiepiscopi, necnon ducis de Lerma, tunc marchionis Deniae, ac dicti regni proregis promisit, quod termini usque tunc decursi eisdem capitulo et canonicis remitterentur et condonarentur: hoc etiam adiecto quod huiusmodi remissio et condonatio, auctoritate apostolicâ confirmaretur, ac aliâs, prout publico desuper confecto instrumento, ac litteris etiam dicti Philippi regis plenius dicitur contineri.

Philippus rex non factas solutiones condonat capitulo.

§ 7. Deinde vero piae memoriae Clemens Papa VIII, etiam praedecessor noster, ad supplicationem dignitatum et praepositarum ac canonicorum ecclesiae

Sed eumdem capitulum hac super re litem agere [illegible].

1 Praeposit. *ad* nos addidimus (R. T).

1 Istae quoque litterae in *Bullario* non extant (R. T.).

Valentinae et aliorum forsan litis consortium, causam et causas, quas ipsi habebant seu habere volebant et intendebant contra et adversus rectores ecclesiarum parochialium et dioeces. Valentin.[1] pro instructione Maurorum huiusmodi erectarum et erigendarum, omnesque alios interesse habentes, super assignatione seu dotatione redditum dictarum parochialium, dilecto filio magistro Horatio Lancellotto, capellano nostro, tunc suo et causarum sacri Palatii Apostolici auditori, audiendam, cognoscendam, sineque debito terminandam et decidendam per speciale rescriptum commisit.

Clemens VIII causam auditori Camerae cognoscendam committit.

Ac nuncio apostolico mandat ut taxam a Gregorio praescriptam solvi omnino curet pro dotatione parochiarum.

§ 8. Et postea, per quasdam sub datum die XIII septembris MDCI[2], tunc existenti suo et apostolicae Sedis apud charissimum in Christo filium nostrum tunc suum Philippum tertium, etiam Hispaniarum regem catholicum, nuncio, ex causis tunc expressis, dedit in mandatis, ut per se, vel alium, seu alios, quos ad id duxisset deputandos, quoad quinquaginta quinque parochiales ecclesias ex praedictis, quarum fructus ad summam centum librarum non ascendebant, ad exequutionem taxae suprascriptae pro concurrenti quantitate eius summae, quae tunc deficiebat ad conficiendam summam librarum centum pro unaquaque ex eisdem parochialibus, procedi, auctoritate apostolicâ, curaret et faceret, ac quoscumque eorum, qui iuxta dicti Gregorii praedecessoris litterarum dispositionem huiusmodi parochialium dotationi contribuere tenebantur, ad contributionem debitam, et quae pro tempore deberetur, taxae tunc ad eos spectantis pro concurrenti sive quantitate huiusmodi, ultra poenam a Gregorio praedecessore inflictam, quoad laicos, etiam per privationem decimarum sive primitiarum, quas percipiebant, ac per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione pospositâ, praedictâ auctoritate, cogeret et compelleret: pro aliis vero parochialibus ecclesiis, quarum fructus, ut ipsi contribuere debentes asserebant, iam ad summam centum librarum ascendebant, terminum unius anni ad id docendum praefigeret, eoque elapso, ac nihil quod relevarent[1] dicto, ad exequutionem et exactionem taxae huiusmodi, pro concurrenti quantitate, pariter omni et quacumque appellatione remotâ, procedi curaret et faceret: sed si infra terminum unius anni constitisset fructus aliquarum ex dictis parochialibus ecclesiis ad dictam summam centum librarum, ut praedicebatur, non ascendere, quoad huiusmodi parochiales, exequutionem et exactionem taxae praedictae idem Clemens praedecessor noluit retardari, voluitque etiam ut interim non retardaretur exequutio quoad eos qui tunc taxam persolvebant; verum, si factâ liquidatione constitisset proprios fructus aliquarum ex dictis parochialibus ecclesiis libras centum excedere, respectu harum parochialium aliqua contributio non fieret, si vero fructus unâ cum taxâ contributionis dictas libras excessisset, contributio praefata pro concurrenti quantitate ad libras centum reduceretur, quia mentis ipsius Clementis praedecessoris erat, ut illis parochialibus, quas, sine huiusmodi contributione, redditum annuum centum librarum habere constitisset, huiusmodi contributio fieri minime deberet. Ex illarum tamen parochialium propriis fructibus, si quae essent, quae tunc, absque dictâ contributione, summam praefatam librarum centum excederet, nihil prorsus ex eâdem summa excedente, pro dotatione aliarum parochialium detrahi voluit, sed totum

1 Sic Main.; forsan leg. in dioecesi Valentinâ.

2 Litterae Clementis VIII sub hac datâ de hac materiâ non habentur in *Bullario* (R. T.).

1 Forsan legend *relevaret* (R. T.).

id quod dictam summam centum librarum excessisset, cuiuslibet ex dictis parochialibus ecclesiis beneficio cedere decrevit et declaravit[1].

Causasque coram auditore Camerae pendentes ad se avocat, imposito partibus silentio,

§ 9. Ac successive per aliàs sub datum XXX aprilis MDCII, ne occasione supradictae commissionis causae seu causarum praedicto Horatio auditori factae, aut alià quacumque de causâ, aliqua lis seu controversia super praemissis oriretur, causam et causas a praefato Horatio auditore et quibusvis aliis iudicibus ad se avocavit, illasque, circumscriptis litteris dicto nuncio, ut praefertur, directis, per eumdem nuncium exequutioni demandandis, extinxit, perpetuumque super illis tam praefatis dignitates obtinentibus, canonicis et praepositis, quam aliis quibuscumque silentium imposuit[2]. Ac demum per alias eius in eâdem formâ Brevis confectas litteras, sub datum die II augusti MDCIII, declaravit quod per litteras super avocatione causae et causarum praefatarum et extinctione litis emanatas, occasione verborum *circumscriptis litteris nostris per dictum nuncium exequutioni demandandis* in eisdem litteris appositorum, primo dictis eius litteris super exequutione taxae dicto nuncio directis non erat nec censeri poterat derogatum: quinimo voluit, statuitque et ordinavit ut eaedem eius litterae praefato nuncio directae, illarum formâ in omnibus et per omnia servatâ, a praefato nuncio illiusque subexequutoribus, tam eâtenus deputatis quam deinceps deputandis quibuscumque, debitae exequutioni demandarentur: ac aliàs prout in singulis litteris praefatis plenius pariter continetur[3].

Nonnullisque appositis pro claritate rei declarationibus.

1 Uti iam supra monuimus pag. 25 nota 2, hae litterae desunt (R. T.).

2 De hisce quoque litteris vide ib. nota 3 (R.T.).

3 Hic innuitur Const. CCCXXII eiusdem Clemens VIII superius edita pag. 24 huius vol. et praesertim § 4 et 5 illius Const. ib. p. 26 (R.T.).

Philippus III rex exponit Clementis literas non sine partium contentione exequutioni posse demandari,

§ 10. Cum autem, sicut dicti Philippi III regis nomine eidem Clementi praedecessori primum, ac nobis deinde ad summi apostolatus apicem, divinâ disponente clementiâ, assumptis expositum fuerit[1], licet supra memoratae ipsius Clementis praedecessoris litterae dicto nuncio directae super exequutione dictae taxae satis rationabiles videantur, nihilominus, maturâ desuper habitâ consultatione, compertum fuerit illas sine maximâ difficultate ac totius fere status praefatarum parochialium ecclesiarum revolutione et perturbatione observari ac exequutioni demandari non posse, quinimo graves controversias diuturnasque lites exinde verisimiliter orituras; ac propterea consultius fore ut, illarum exequutione praetermissâ, ad taxae iampridem in supra memorato libro a dicto Ioanne patriarcha et archiepiscopo confecto stabilitae et per praefatum Gregorium praedecessorem de annis MDLXXVI et MDLXXVII confirmatae, atque ad ipsius Gregorii praedecessoris litterarum praefatarum exactam exequutionem, et iuxta acceptationes ab ipsis archiepiscopo, dignitates obtinentibus, capitulo et canonicis ecclesiae Valentinae, caeterisque tam laicis quam ecclesiasticis in eâdem taxâ comprehensis olim factas, ac aliàs iuxta earumdem litterarum formam, in omnibus et per omnia procedatur: quare pro parte eiusdem Philippi regis nobis fuit humiliter supplicatum ut super his opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Taxamque ab archiepiscopo Valentinensi iam pridem efformatam et Gregorii XIII litteras petit roborari.

Paulus itaque, de consilio nonnullorum cardinalium,

§ 11. Nos qui, vivente ipso Clemente praedecessore, cardinalatus honore fungebamur, ac quibus, unà cum dilectis filiis nostris Pompeio sanctae Balbinae Arrigonio, ac Hieronymo sancti Blasii de Annulo Pamphilio, necnon tunc in humanis agente Paulo Æmilio sancti Marcelli titulorum nuncupatis presbyteris

1 Videretur potius legendum *fuit* (R. T.).

cardinalibus, negotium hoc ab ipso Clemente praedecessore demandatum fuerat, auditis partium agentibus, procuratoribus et advocatis, et nominatim dilecto filio Francisco de Quesada canonico ecclesiae Gadicensis I. U. D., ab eodem Philippo rege hac de causâ ad Romanam Curiam destinato, quique deinde ad summi apostolatus apicem assumpti idem ipsum negocium Pompeio et Hieronymo praedictis, necnon dilectis etiam filiis nostris Flaminio S. Mariae de Pace Plato, et Laurentio sancti Laurentii in Pane et Perna Blanchetto, necnon bonae memoriae Francisco sanctae Crucis in Hierusalem Avilae tunc in humanis agenti, et Antonio sancti Matthaei in Merulanâ etiam titulorum Zapatae nuncupatis presbyteris cardinalibus, per eos diligenter examinandum et nobis referendum commisimus, auditâ corumdem cardinalium, qui negotium ipsum mature ac diligenter examinaverunt, relatione, ulteriorum litium et controversiarum anfractus e medio tollere, ac statui et conservationi dictarum parochialium, ac ut in illis personae idoneae ad instructionem dictorum noviter conversorum, eorumque animarum curam exercendam deputari et manuteneri perpetuo possint, opportune prospicere, simulque dicti Philippi regis id ipsum enixe postulantis votis favorabiliter annuere volentes, ac rectores dictarum noviter erectarum ecclesiarum, necnon capituli huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, ac singularum Gregorii et Clementis praedecessorum praefatorum litterarum, necnon taxae ac libri supra memorati ab ipso Ioanne patriarcha et archiepiscopo confecti, et acceptationum seu admissionum dictae taxae ab ipso Gregorio praedecessore confirmatae per dictos[2] archiepiscopum, capitulum et canonicos, ac alios factarum, necnon instrumentorum, seu aliorum documentorum desuper confectorum tenores, causarumque ac litium praefatarum status et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium, eorumque et aliorum quorumcumque contradictiones, oppositiones, praetextus et iura, caeteraque necessaria, etiam speciali notâ digna, praesentibus, perinde ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, pro expressis et insertis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, causas et differentias omnes et singulas praefatas in eisdem prorsus statu et terminis, in quibus ad praesens reperiuntur, a quibuscumque iudicibus ordinariis et delegatis, etiam causarum Palatii Apostolici auditoribus, coram quibus forsan pendent, ad nos harum serie avocamus, ipsasque lites, causas et differentias et controversias penitus et omnino perpetuo extinguimus et annullamus, partibusque ipsis et unicuique illarum, caeterisque omnibus et singulis interesse quomodolibet habentibus vel praetendentibus, quique imposterum habere vel praetendere quomodocumque poterunt, perpetuum super praemissis omnibus et singulis silentium imponimus.

Lites omnes motas, vel adhuc pendentes extinguit,

Praeterea primo et secundo dictas ipsius Gregorii praedecessoris litteras, ac librum taxamque memoratos, a praedicto Iohanne patriarcha et archiepiscopo confectos, cum omnibus in eis contentis et dispositis, necnon quascumque acceptationes, tam ab archiepiscopo et aliis quibuscumque ecclesiasticis et laicis in dictâ taxâ comprehensis, quam a capitulo et cano-

Gregoriique litteras et taxam ab archiepiscopo Valentinei si praescriptam confirmat,

2 Edit. Main. legit *praedictos* (R. T.).

nicis cum qualitatibus, pactis, conditionibus, reservationibus et protestationibus in eis contentis, ut praefertur, factas, necnon promissionem a Philippo II rege dictis capitulo et canonicis super remissione et condonatione terminorum taxae eos tangentis decursorum emanatam (iuxtà quam promissionem eisdem capitulo et canonicis dictos terminos, etiamsi ex dispositione litterarum Gregorii praedecessoris praefati ad usum fabricae et ornamentorum parochialium ecclesiarum earumdem tunc denuo erectarum applicata et appropriata essent, ac promissio, remissio, condonatio et acceptatio praefatae minus legitime factae fuissent, apostolicâ auctoritate, gratiose remittimus et condonamus), ac omnia instrumenta et documenta desuper confecta et inde sequuta quaecumque, eâdem auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ac omnes et singulos tam iuris quam facti et solemnitatum, tam de iure communi quam aliàs requisitarum (et tam[1] ex eo quod personae in illis comprehensae, seu aliàs interesse habentes, citatae vel aliàs vocatae non fuerint[2], liquidatione), aut alios etiam substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Et, quae earum vigore gesta sunt, rata habet.

Declarat laudatas Clementis litteras nemini posse suffragari.

§ 12. Praeterea supradictas Clementis praedecessoris litteras per modernum, aut pro tempore existentem, nostrum et apostolicae Sedis nuncium ulterius exequutioni minime demandandas esse, sed binas litteras dumtaxat Gregorii praedecessoris huiusmodi, et taxam in illis approbatam et in dicto libro praescriptam, ab omnibus et quibuscumque personis tam ecclesiasticis quam laicis, quacumque dignitate vel excellentiâ aut praeeminentiâ praeditis, quas illae concernunt seu tangunt (firmâ tamen et illaesâ remanente remissione et condonatione terminorum usque ad festivitatem sancti Ioannis Baptistae anni MDXCVII decursorum, capitulo et canonicis praedictis factâ et per nos, ut praemittitur, approbatâ) ad unguem et iuxta illarum ac praesentium nostrarum seriem et tenorem observandas esse, illasque plenissimum robur et vim obtinuisse et obtinere, ita ut per litteras Clementis praedecessoris huiusmodi nihil ipsis Gregorii etiam praedecessoris litteris detractum, nec quidquam ex taxâ in illis et memorato libro praescriptâ imminutum sit aut esse censeatur, neque dictos capitulum et canonicos, aut quoscumque alios in dictâ taxâ comprehensos, praetextu seu vigore dictarum Clementis praedecessoris litterarum, aut inaequalitatis taxae, aut quod dicti contribuentes non fuerint ad liquidationem fructuum primitialium vel decimalium, nec ad taxam faciendam legitime citati aut vocati, aut quod quaelibet ex dictis parochialibus ecclesiis (quibus contributio ex eâdem taxâ iuxta praescriptum litterarum dicti Gregorii praedecessoris est assignata congrua[1]) centum ac etiam longe ultra centum librarum assignationem ex primitiis, aut aliis redditibus hodie habeant, vel imposterum habere contingat, aut alio quovis quaesito colore vel causâ, etiam urgenti, solutionem taxae eos tangentis, tam pro terminis decursis, quam decurrendis, ulterius differre vel remorari posse, sed ad praedictorum terminorum integram solutionem, iuxta praesentium tenorem, omnino perpetuo teneri et obligatos fore, ac infrascriptis censuris et poenis cogi et compelli posse ac debere volumus, statuimus, decernimus et declaramus.

Inhibitiones

§ 13. Ne autem praefatarum Gregorii

1 Probabiliter legend. *etiam* pro *et tam* (R. T.).

2 Videretur legendum *vocatae non fuerint ad liquidationem* (R. T.)

1 Videretur repetenda vox *centum* (R. T.).

contra praesentium formam non valent, nisi expediantur iuxta leges hic expressas.

praedecessoris, et praesentium litterarum exequutio aliquarum forsan commissionum aut inhibitionum praetextu seu vigore ulterius retardetur, volumus et pariter declaramus quascumque commissiones, et illarum vigore etiam ab ipsis Palatii Apostolici auditoribus, aut aliis quibuscumque iudicibus, commissariis et delegatis, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, emanandas inhibitiones infrascriptos exequutores, eorumque subexequutores, aut ipsarum parochialium ecclesiarum rectores, seu taxae huiusmodi collectores aut exactores nullatenus afficere, neque illos propterea ab huiusmodi exequutione impediri vel retardari posse, nisi commissiones praedictae in Signaturâ nostrâ, vel pro tempore existentis Romani Pontificis (citatis rectoribus praefatarum ecclesiarum, vel eorum procuratoribus, si in Romanâ Curiâ adsint, et quorum intererit aut interesse poterit quomodolibet in futurum, necnon audito catholici regis oratore apud nos et Apostolicam Sedem pro tempore residente, et causâ cognitâ, praesentiumque nostrarum et dicti Gregorii praedecessoris litterarum tenoribus ad verbum in illis insertis) propositae, et manu nostrâ, seu eiusdem pro tempore existentis Romani Pontificis, subscriptae emanaverint.

Clausulae praesentium praeservativae.

§ 14. Decernentes praesentes litteras (etiam ex eo quod capitulum, canonici et beneficiati praedicti, aut quicumque alii quavis auctoritate fungentes seu officio, honore vel dignitate tam ecclesiasticâ quam mundanâ pollentes, in praemissis seu circa ea quomodolibet interesse habentes seu habere praetendentes, ad hoc vocati seu moniti, et causa vel causae, propter quas praemissas emanarunt, coram nobis seu etiam coram Ordinario loci, aut aliàs quomodolibet examinatae et iustificatae non fuerint, nec praemissis consenserint, seu quibusvis aliis de causis, etiam inexcogitatis) de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quovis alio defectu impugnari, aut ad terminos iuris seu gratiae reduci, vel in ius aut controversiam sub quocumque praetextu, etiam iusto et rationabili, seu aliàs quomodolibet infringi vel revocari nullatenus posse, sed illas semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter observari; necnon sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, derogationibus, Cancellariae Apostolicae regulis, aut aliis contrariis dispositionibus a nobis vel aliis Romanis Pontificibus successoribus nostris, etiam ex quibusvis, quantumvis iustissimis causis, etiam ad capituli et canonicorum et beneficiatorum huiusmodi, aut aliorum quorumcumque instantiam, intuitum vel contemplationem, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet emanatis et emanandis, nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas ac de novo etiam sub posteriori datâ (per rectores de novo erectarum parochialium ecclesiarum huiusmodi, vel eos, quorum pro tempore quomodolibet intererit seu interesse poterit, eligendâ) concessas esse censeri; sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores praedictos, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) ubique et in quacumque in-

stantiâ iudicari et definiri debere, nec non irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores designati.

§ 15. Quocirca venerabilibus fratribus modernis et pro tempore existentibus archiepiscopo Valentinensi et episcopo Segobricensi, ac dilectis filiis causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, ac nostro et dictae Sedis in regnis Hispaniarum huiusmodi nuncio, per praesentes mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, ubi, quando et quoties opus fuerit, seu quoties pro parte rectorum parochialium ecclesiarum noviter erectarum huiusmodi, aut eorum collectoris, vel alicuius eorum fuerint requisiti, faciant auctoritate nostrâ praesentes et dicti Gregorii praedecessoris litteras ac in eis contenta quaecumque ab omnibus, quos illa concernunt, in futurum inviolabiliter observari, ac debitae exequutioni demandari: necnon taxas in illis et praedicto libro contentas, illarumque terminos decursos et decurrendos (non tamen, ut praefertur, remissos, et dictis capitulo et canonicis, ut praefertur, condonatos) exigi, illosque dictis parochialibus et earum rectoribus, quibus respective debentur, realiter et cum effectu persolvi curent et faciant: non permittentes eos vel eorum quemlibet desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari aut perturbari; et ipsos taxarum earumdem debitores, quoad laicos videlicet, etiam per privationem decimarum et primitiarum, quas percipiunt, et ulterius (tam quoad ipsos quam quoad alios contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes eisque auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe seu indirecte quomodolibet praestantes) per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, iuxta tenorem dictarum litterarum eiusdem Gregorii praedecessoris, necnon alia opportuna iuris et facti remedia, omni et quacumque appellatione postpositâ atque remotâ, compescendo, ac, legittimis super his habendis servatis processibus, illos sententias, censuras et poenas praedictas incurrisse et in illas incidisse declarando, ac etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio.

Derogatio contrariorum.

§ 16. Non obstantibus litteris Clementis praedecessoris praedicti, aliisque praemissis, nec non recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII similiter praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis editâ de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis extra suam civitatem vel dioecesim, vigore earumdem praesentium, ad iudicium non trahatur, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, ac nostrâ revocatoriâ unionum effectum non sortitarum, et de non tollendo iure quaesito, ac de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, et exprimendo vero valore tam beneficii uniendi, quam illius cui uniri petitur[1], ac de supplendis defectibus in specie, et non in genere, necnon praestando consensu in pensionibus, aliisque regulis, seu constitutionibus Cancellariae Apostolicae, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, et consistorialiter, ac aliâs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et

1 Haec formula hic adhibita confirmat nostram coniecturam pag. 84 a not. 2 (R. T.).

singulis, etiamsi de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus, ac omnibus illis, quae dictus Gregorius praedecessor voluit non obstare, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Contra non solventes exequutio super eorum praebendis facienda.

§ 16. Volumus autem quod (pro exactione terminorum, iuxta taxam in memorato libro contentam, a supradicto festo sancti Ioannis Baptistae anni MDXCVII inclusive, usque ad datam praesentium decursorum, et hactenus non solutorum, ac per praedictos capitulum seu canonicos ecclesiae Valentinae debitorum) contra singulares personas canonicatus et praebendas in dictâ ecclesiâ obtinentes, pro ratâ temporis quo possessionem canonicatuum ac praebendarum adeptae fuerint, non autem contra mensam capitularem vel alias massas communes, pro reliquo vero tempore, contra eorum in canonicatibus et praebendis praedecessores sive praedecessorum haeredes et bona, exequutio fiat;

Transumptis credi iubet.

§ 17. Quodque praesentium exemplis, etiam impressis, manu notarii pubblici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate eclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die VI martii MDCVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 6 martii 1606, an. pontif. I.

XXXII.

Confirmatio reductionis monachorum sancti Basilii in unam Congregationem, et approbatio gratiarum et privilegiorum eidem Ordini concessorum.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iniuncti nobis apostolici muneris ratio postulat ut sacrarum Religionum in militanti Ecclesiâ, suaves in Domino fructus praestantium, paternam curam gerentes, ea quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa sunt, quo validius perpetuo subsistant, apostolicae confirmationis robore libenter communiamus.

Antiquitatem huius religionis recenset Pontifex a constitutione Gregorii XIII laudatam.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, felicis recordationis Gregorius Papa XIII, praedecessor noster, animadvertens[1] Ordinem sancti Basilii caeteros omnes Regulares antiquitate praecedere, ac ex eo Dei Ecclesiam christianamque rempublicam ab ipsius Ordinis initio uberes fructus recepisse, ut dicti Ordinis monachi commodius Altissimo famulari regularemque observantiam servare possent, per quamdam suam perpetuo valituram constitutionem eos in unam Congregationem redegit;

Idem Gregorius concesserat eidem privilegia Congregationis Cassinensis.

§ 2. Nonnullaque privilegia, gratias et immunitates, illasque praecipue quibus Congregatio Cassinensis illiusque monachi potiuntur et gaudent, dictae Congregationi sic erectae concessit[2];

1 Synt. absolutior evadet legendo *animadverteret* (R. T.).

2 Praedicta omnia habentur in Const. CIX ipsius

Mensisque monachalibus bona stabilia assignari iusserat, et mensam conventualem et abbatialem separari.

§ 3. Cui etiam Congregationi monasteria omnia dicti Ordinis ubique existentia perpetuo univit, et, donec monasteria ipsa in commendam manerent, mandavit ut mensa conventualis in tot bonis stabilibus, pro victu et vestitu ac visitatione monachorum aliisque necessariis expensis (ad quae commendatarii, iuxta canonicas sanctiones ac praesertim tenore litterarum Eugenii Papae IV similiter praedecessoris nostri[1], tenentur), perpetuo separaretur[2].

Sixtus V commisit Bruto Farneto ut perficeret separationem praedictam.

§ 4. Cumque, separationibus huiusmodi tunc minime perfectis, eiusdem Gregorii superveniente obitu, Sixtus V piae memoriae ad summi apostolatus apicem assumptus fuisset, idem Sixtus Bruto Farneto per alias suas litteras dedit in mandatis, ut in illis monasteriis, in quibus separationes factae, ut praefertur, minime fuerant, constitutionem Gregorii exequeretur, mensasque separatas revideret[3].

Clemens VIII Theodorum abbatem constituit exequutorem dictae separationis.

§ 5. Verum, cum ipse Brutus praemissa totaliter adimplere minime potuisset, ipso etiam ac successive dicto Sixto pontifice vitâ functo, Clemens VIII recolendae memoriae, volens ut tam pium necessariumque opus omnino sortiretur effectum, eamdem facultatem dilecto filio Theodoro de Savoca ipsius Ordinis abbati generali per alias litteras dedit, prout in omnibus dictis litteris plenius continetur[4]; qui Theodorus divinâ favente clementiâ plures separationes fecit, factasque etiam iuxta sibi tributam facultatem revidit.

Hic modo Pontifex confirmat eiusmodi separationes.

§ 6. Nos quieti et perpetuae tranquillitati ac Religionis ipsiusque Theodori abbatis generalis et monachorum indemnitati consulere eosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad Theodori seu monachorum vel alicuius alterius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ex voto venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super consultationibus et negociis Episcoporum et Regularium deputatorum, praedictas praedecessorum nostrorum litteras, ac separationes praedictas, tam Bruti et Theodori, ac[1] quorumvis aliorum, in vim litterarum praedictarum factas cum omnibus inde sequutis,

Confirmat etiam privilegia per Greg. XIII, Sixtum V et Clementem VIII concessa.

§ 7. Ac praedicta omnia privilegia cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, decretis et declarationibus, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, et solemnitatum, etiam de iure necessariarum, vel aliàs quomodolibet requisitarum, forsan omissarum et alios defectus (si qui intervenerint in eisdem) supplemus; illasque et illa Ordini praedicto, illiusque abbati ge-

Gregorii XIII quae legitur in *Bull* tom. VIII pag. 307 (R. T.).

1 Eugenii IV habetur quidem in *Bullario* de hoc Ordine una Constit. tom. V pag. 81, sed non ea videtur, quae hic innuitur (R. T.).

2 Edit. Main. leg. *separarentur*; at videtur mensa conventualis separanda: de his vide praecit. Const. § 11 et 16, ib. pag. 309 et seq (R. T).

3 Constit. Sixti V hic cit. in *Bullario* non est (R. T).

4 Clementis VIII duae habentur in *Bull.* de hac re et de Ordine isto Const.; altera in tom. IX pag. 623; altera in tom. X pag. 376 (R. T.).

1 Non male legeres *quam* pro *ac* (R. T.).

nerali, abbatibus, prioribus aliisque superioribus et fratribus suffragari, eosque universos et singulos illis frui, uti et gaudere, ubi, quando et quoties opus fuerit, posse et debere, in omnibus et per omnia[1];

Annullatque quidquid fuerit factum contra dictas literas apostolicas.

§ 8. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, ac causarum Palatii Apostolici auditores et S. R. E. cardinales, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores huius constitutionis deputat.

§ 9. Quocirca dilectis filiis Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori et apostolicae Sedis delegatis et nunciis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, faciant auctoritate nostrâ praesentes litteras et in eis contenta quaecumque eorum effectum sortiri, illisque omnes quos concernunt pacifice frui et gaudere; non permittentes quempiam desuper contra praesentium tenorem per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas et alia opportuna iuris et facti remedia (appellatione quacumque postpositâ) compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulas derogatorias apponit.

§ 10. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eiusdem Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Ordini illiusque abbati generali seu abbatibus et prioribus aliisque superioribus et rectoribus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, expressa vel individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fidem transumptis tribuit.

§ 11. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XVII martii MDCVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 17 martii 1606, pontif. an. II.

1 Deest hic vel in fine § seq. verbum *decernimus* (R. T.).

XXXIII.

Legato Avenionensi eiusque vicelegato conceditur facultas confirmandi transactionem super bullo regio in pannis sericis, qui in civitate Avenionensi

conficiuntur et per Galliae regnum transvehuntur, apponendo[1].

Dilecto filio nostro Cynthio tituli sancti Petri ad Vincula presbytero cardinali sancti Gregorii nuncupato, moderno et pro tempore existenti nostro et Apostolicae Sedis in civitate Avenionensi et Comitatu nostris Venayssino de latere legato, ac eius vicelegato

Paulus Papa V.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Clemens VIII transactionis de qua in rubrica, confirmationem singulis trienniis a Sede apostolica petendam voluit.

§ 1. Expositum nobis nuper fuit, pro parte dilectorum filiorum consulum et consilii civitatis nostrae Avenionensis, per dilectos filios Franciscum de Berton scutiferum de Criglion christianissimi Franciae regis cubicularium et Laurentium Ioannis U. I. D. et legationis Avenionensis secretarium, eorum apud nos oratores, quod, cum felicis recordationis Clemens Papa VIII, praedecessor noster, novissime per eius in formâ Brevis litteras sub datâ die XIV[2] iulii MDCIV, pontificatus sui anno XIII, expeditas quamdam transactionem, inter dictos consules et consilium ex unâ et redemptorem seu appaltatorem regium regni Franciae ex alterâ partibus[3] (super signo seu bullo regio in pannis sericis, qui in civitate Avenionensi conficiuntur et per Galliae regnum transmittuntur, apponendo) cum interventu eiusdem Clementis praedecessoris in dictâ civitate vicelegati initam, apostolicâ auctoritate confirmaverit et approbaverit, sedinter alia voluerit et ordinaverit, ut praedictae transactionis et aliarum similium confirmatio ab ipso praedecessore eiusque successoribus Romanis Pontificibus per dictos consules et communitatem Avenionensem de triennio in triennium peteretur, ita quod, si elapso triennio huiusmodi absque novâ confirmatione iura praedicti bulli exigerentur, tales exigentes et consilium eiusdem civitatis in poenam scutorum decem millium auri Camerae Apostolicae applicandorum ipso facto incurrerent, prout in dictis litteris plenius continetur[1];

Consules et communitas Avenionenses hoc sibi incommodum esse asserunt.

§ 2. Cumque dictis consilio et communitati valde incommodum et dispendiosum futurum sit singulo triennio ad Romanum Pontificem et Apostolicam Sedem pro huiusmodi confirmatione obtinendâ transmittere; propterea nobis eorumdem consilii et communitatis nomine humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Paulus eamdem confirmationem legato committit.

§ 3. Nos eorumdem consulum et communitatis commodis, quantum cum Domino possumus, prospicere cupientes, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, nostro et Apostolicae Sedis nomine, transactionem praedictam singulo triennio ad petitionem consulum et communitatis praedictorum apostolicâ auctoritate, cum praesentium litterarum insertione, et non aliàs, confirmandi et approbandi (ita tamen ut, nisi ipsi consules et communitas huiusmodi confirmationem petierint, in poenam praedictam tam ipsi quam iura bulli praedicti deinceps exigentes incurrant) eâdem apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et impertimur.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Vel potius XXIII, ut postea dicemus (R. T.).

3 Vocem *initam* hic omittimus, quia postea sequitur (R. T.).

1 Praedictas Clementis VIII vide supra pag. 104 h. vol., ubi datae leguntur die XXIII iulii (R. T.).

§ 4. Non obstantibus voluntate dicti Clementis praedecessoris ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 1 aprilis MDCVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 aprilis 1606, pontif. an. I.

XXXIV.

Avenionensibus restituitur facultas locandi piscationem in flumine Rhodano ab omni onere immunis.

Dilectis filiis consulibus ac communitati et hominibus civitatis nostrae Avenionensis

Paulus Papa V.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Vestra singularis in nos et Apostolicam Sedem fides et devotio promeretur ut illa vobis concedamus, quae vestris commoditatibus fore conspicimus opportuna.

Clemens VIII facultatem de qua in rubrica concesserat communitati Avenionensi dummodo Camera Apostolica redditum, quem percipiebat, non amitteret.

§ 1. Cum itaque (sicut pro parte vestrâ inter alia exposuerunt dilecti filii Franciscus de Berton scutifer de Criglion christianissimi Franciae regis cubicularius et Laurentius Ioannis U. I. D. et legationis Avenionensis secretarius, vestri ad praestandum nobis nomine vestro obedientiam destinati oratores) felicis recordationis Clemens Papa VIII, praedecessor noster, eius et Apostolicae Sedis tunc existenti in civitate Avenionensi vicelegato commiserit[2], ut vobis auctoritatem locandi piscationem piscium capporum[3] nuncupatorum in flumine Rhodani (quam, ut asserebatis, pridem habebatis, sed tunc novissime idem vicelegatus in favorem Camerae Apostolicae locaverat) restitueret, quatenus tamen eadem Camera redditum annuum duodecim scutorum exinde non amitteret;

Paulus eamdem liberam reddit ab omni onere.

§ 2. Cumque iidem oratores nobis nomine vestro supplicaverint, ut ex nostrâ liberalitate concedere velimus, quod in posterum vos possitis integre totâ piscium praedictorum piscatione frui; nos propterea vobis consulere, ac vos amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, et quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, alisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus per dictos oratores nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, et gratiam praedictam ampliantes et extendentes, vobis absque ullâ reservatione liberam facultatem et auctoritatem piscationem praedictorum piscium imposterum locandi et dislocandi auctoritate apostolicâ tenore praesentium restituimus et reintegramus, et, quatenus opus sit, illam denuo vobis concedimus.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus praedicti Clementis praedecessoris, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Camerae nostrae Apostolicae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Vide superius Const. CCCXLIV eiusdem Clemens VIII, pag. 81 huius vol. (R. T.).

3 Superius loco cit. legitur *copporum* (R. T.).

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die III aprilis MDCVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 3 aprilis 1606, pontif. an. I.

XXXV.

Privilegia curialium, incolarum Urbis et civium Romanorum, in ipsa Urbe et intra decem milliaria (non tamen extra residentiam) decedentium, quoad dispositionem et successionem suorum bonorum ibidem existentium[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius declarationis.

In eminenti apostolicae dignitatis speculâ, meritis licet imparibus, supernâ dispositione constituti[2], inter caeteras curas, quae ex iniuncto nobis apostolicae servitutis officio incumbunt, illa praecipua est ut alma Urbs nostra beatorum Petri et Pauli Apostolorum martyrio consecrata, ad quam omnes christifideles ex universis mundi partibus tamquam ad communem patriam et portum cunctarum gentium et nationum atque adeo ad magistram veritatis et religionis confluunt, iis demum gratiis et privilegiis exornetur, per quae omnes, qui ad eam undique veniunt illamque incolunt, nunc ac perpetuis futuris temporibus sine ullâ animi molestiâ in illâ stare et permanere, et Romanae Ecclesiae, Sedique Apostolicae adiumento esse possint;

Sixtus IV, Iulius III et Pius IV indicati in rubrica indulta curialibus concesserunt.

§ 1. Ac animadvertentes, aliàs felicis recordationis Sixtum IV, Iulium III, Pium IV et nonnullos alios praedecessores nostros Romanos Pontifices, ut eiusdem Urbis decori, illamque incolentium et curiam praefatam sequentium indemnitati consulerent, curialibus et incolis praedictis diversa, praesertim de eorum bonis testandi seu aliàs disponendi, privilegia, facultates et indulta concessisse, prout in eorumdem praedecessorum litteris desuper expeditis latius continetur; quae, temporum fortasse iniuriâ, aut aliàs diversas ob causas, imminuta aut alias abrogata dicuntur;

Privilegia de quibus in rubrica, eidem confirmantur.

§ 2. Volentesque nos, qui in eâdem Urbe nati sumus, curialium et incolarum praedictorum indemnitati et tranquillitati consulere, ac tam eos quam Romanos cives originarios pari favoris et gratiae praerogativâ prosequi, eorumdem praedecessorum vestigiis inhaerendo, motu proprio et ex certâ scientiâ, maturâ deliberatione et merâ liberalitate nostris, deque apostolicae nobis attributae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione statuimus, decernimus et declaramus, quod, posthac perpetuis futuris temporibus, omnes et singuli Romanam Curiam sequentes, seu ipsam Urbem incolentes, necnon ipsi Romani cives originarii, nunc et pro tempore existentes, etiam clerici, et in sacris, etiam presbyteratus, ordinibus constituti, caeteraeque omnes et quaecumque aliae personae ecclesiasticae, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis, etiam abbatiali, episcopali, archiepiscopali, patriarchali, et etiam maiori et quavis aliâ ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate fulgentes, et quaecumque beneficia ecclesiastica saecularia et quorumvis Ordinum regulâria, aut aliàs quomodolibet qualificata et speciali notâ digna, obtinentes, necnon quascumque pensiones annuas

1 Quoad huiusmodi privilegia habemus etiam Sixti IV Constit. IX *Etsi universis* (in h. n. edit. est VI, tom. V, pag. 211); et Iulii III Constit. V *Cupientes* tom. VI pag. 412, ac Pii IV Const. XXVIII *Decens* (in h. n. edit. XXIII, tom. VII pag. 28); et signanter, quoad aedificantes in Burgo Pio Urbis, extat alia eiusdem Pii Constit. CXIX *Romanum*, ib. pag. 381).

2 Supple: *considerantes quod* (R. T.).

super quarumvis mensarum patriarchalium, archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, ac dignitatum, canonicatuum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, ut praefertur, vel aliàs quomodolibet qualificatorum, fructibus, redditibus et proventibus, aut ipsos fructus, redditus et proventus loco pensionum annuarum sibi apostolicâ auctoritate quomodolibet reservatas et assignatas ac reservatos et assignatos habentes et obtinentes, qui in dictâ Urbe vel eius disctrictu intra decem miliaria ab ipsâ Urbe (non tamen extra debitam residentiam) decesserint, de omnibus suis bonis mobilibus et immobilibus ac semoventibus, iuribus et actionibus quibuscumque, necnon iocalibus et pecuniis, ac rebus aliis in dictâ Urbe et eius districtu intra decem milliaria huiusmodi consistentibus et seu existentibus, ac etiam provenientibus ex quibuscumque fructibus, redditibus et proventibus, ac iuribus, obventionibus et emolumentis, etiam decimalibus, dictarum ecclesiarum et beneficiorum, ut praefertur, quomodolibet qualificatorum, quae in titulum, vel commendam, aut administrationem, vel aliàs quomodolibet, etiam ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis obtinent, et seu antea obtinuerunt, vel imposterum obtinebunt, necnon etiam ex quibusvis fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis ecclesiasticis, atque pensionibus annuis super similibus fructibus, redditibus et proventibus, ac etiam distributionibus quotidianis sibi reservatis, concessis, constitutis et assignatis, necnon ex emolumentis quorumcumque Romanae Curiae officiorum, etiam administrationem habentium, et locorum Montium vel censuum, ac aliàs provenientibus, quae ipsi pro tempore habuerunt et obtinuerunt, ac habent et obtinent, habebuntque et obtinebunt in futurum, cuiuscumque qualitatis, quantitatis et summae, ac pretii et valoris existant, per eos et eorum quemlibet acquisitis et acquirendis, et in eâdem Urbe et in illius districtu infra decem miliaria, ut supra, consistentibus, disponere, et tam donatione inter vivos vel causâ mortis, seu testamento, legato et fideicommisso, quam aliâ quavis dispositione inter vivos, seu ultimâ voluntate in favorem consanguineorum et affinium suorum, collegiorumque, universitatum et locorum piorum ac quarumvis aliarum personarum, etiam penitus extranearum, disponere et ordinare, ac in eisdem rebus, et bonis consanguineos, et affines, collegia et universitates, ac loca, et personas praefatas, haeredes universales vel particulares pro eorum libito voluntatis facere, de illisque libere et licite pro libito voluntatis disponere possint et valeant, plenam et liberam eis et cuilibet eorum licentiam et facultatem omnimodam concedimus et impertimur.

Quid ad illegitimos spectet, si personae ecclesiasticae pro eis disponant.

§ 3. Declarantes, quod, si contingat dictos clericos et alias ecclesiasticas personas praefatas disponere de ipsorum bonis in favorem illegitimorum (non tamen ex eorum proprio corpore procreatorum), tunc ex eo casu, quoad bona et iura et alias res ipsorum disponentium mere patrimonialia et laicalia in dictâ Urbe et illius districtu, ut supra, consistentia, nec Camera, nec ipsi illegitimi in illis ullo modo succedant, sed ad venientes ab intestato iuxta iuris dispositionem spectent et pertineant, quavis aliâ Constitutione forsan contrarium disponente non obstante.

Curialibus, incolis et civibus eisdem in Urbe et infra decem milliaria, non tamen extra debitam residentiam, decedentibus haeredes ab intestato succedunt in eorum bonis ibi existentibus.

§ 4. Praeterea motu, scientiâ et potestate similibus decernimus et ordinamus quod si dicti curiales seu incolae Urbis, Romanique cives originarii, aliique praedicti in Urbe et districtu praedictis (non tamen extra eorum debitam residentiam) ab intestato decesserunt, eorum bona,

pecuniae, iocalia, iura, actiones et res huiusmodi, etiam ex bonis et redditibus ecclesiasticis supradictis provenientia, per eos ut supra acquisita, in dictâ Urbe et eius districtu intra decem milliaria, ut praefertur, consistentia, ad eorum haeredes ab intestato venientes libere deveniant, nec illa ad Romanum Pontificem aut Sedem et Cameram Apostolicam spectare et pertinere dici vel praetendi possit, minusque ministri vel agentes dictae Camerae (etiam sub praetextu quod dicti haeredes in Urbe non reperiantur) dictorum bonorum possessionem apprehendere vel sequestrare, aut[1] de illis inventaria conficere, aut in illis quovis modo se intromittere valeant.

Clausulae pro huiusce concessionis firmitate.

§ 5. Districtius inhibentes modernis et pro tempore existentibus S. R. E. camerario, et dictae Camerae generalibus thesaurario, commissario, necnon praesidentibus, clericis, nunc et pro tempore existentibus, omnibusque et singulis spoliorum et iurium Camerae Apostolicae collectoribus, vel subcollectoribus, ac aliis ministris, quocumque nomine nuncupatis, ne haeredes et successores quoscumque etiam ab intestato dictorum curialium ac incolarum et civium Romanorum in Urbe ac illius districtu praefato pro tempore decedentium, super praedictis bonis, pecuniis, iocalibus, iuribus, actionibus et rebus quibuscumque per dictos curiales, incolas Romanosque cives originarios pro tempore in Urbe praedictâ et infra illius districtum huiusmodi decedentes, ut praefertur, acquisitis, contra praesentium nostrarum litterarum formam, etiam sub praetextu seu causâ illicitae negotiationis, molestare, perturbare, inquietare, et se in haereditatibus et bonis praefatis quovis modo immiscere, aut illa petere, seu sibi aut Camerae praefatae vindicare, seu de illis inventarium conficere audeant seu praesumant.

Sublatâ omnibus aliter iudicandi potestate.

§ 6. Decernentes sic nostrae mentis et incommutabilis voluntatis existere, ac ita, et non aliter, per camerarium, thesaurarium, commissarium, praesidentes et clericos praefatos, ac alios quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, quavis auctoritate fungentes (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum prorsus, nullum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Camerae praefatae et ecclesiarum, in quibus dicta beneficia forsan fuerint, aut monasteriorum et Ordinum, quorum illa extiterint, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, necnon privilegiis, concessionibus, indultis et litteris apostolicis, illis, necnon camerario, thesaurario, commissario, Camerae praesidentibus et clericis, aliisque praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, per quoscumque Romanos Pontifices, etiam praedecessores nostros, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et apostolicae potestatis plenitudine similibus, aut aliàs quomodolibet, etiam consistorialiter, concessis et approbatis ac innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et ad verbum expressa mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores

1 Edit. Main. inepte legit ut (R. T.).

huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, ad effectum praesentium, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus (ac suos effectus adversus declarationem, voluntatem, statutum et ordinem nostras[1] huiusmodi sortiri aut vendicare non posse neque debere, volumus et decernimus) caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 8. Caeterum, quia difficile foret praesentes nostràs litteras ad singula quaeque loca deferri, volumus et declaramus quod illarum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die VIII aprilis MDCVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 8 aprilis 1606, pontif. an. I.

XXXVI.

Concessio ecclesiae sancti Laurentii in Lucina de Urbe (cum suppressione collegiatae) Congregationi clericorum Regularium Minorum nuncupatorum[2].

Paulus Episcopus
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

In apostolicae dignitatis culmine et potestatis plenitudine summâ Redemptoris nostri benignitate, meritis licet imparibus, constituti, circa ea, quae ad ecclesiarum quarumlibet, praesertim in almâ Urbe consistentium et curam animarum habentium, prosperiorem statum et directionem, ac in eis divini cultus, religionis, et spiritualium operum, simulque ministrorum idoneorum augmentum, necnon christifidelium salutem et profectum pertinere noscuntur, propensis studiis intendimus[1], ac in his pastoralis officii nostri partes, etiam per suppressiones beneficiorum ibidem erectorum, ministerium salubriter interponimus[2], prout, ecclesiarum earumdem ac personarum et locorum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae concedendi ecclesiam S. Laurentii in Lucina clericis regularibus minoribus.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, ecclesia sancti Laurentii in Lucinâ de dictâ Urbe (quae titulus presbyteri cardinalis, ac etiam parochialis existit, et in qua unus archipresbyteratus, dignitas inibi principalis, cui cura animarum parochianorum ipsius ecclesiae imminet, necnon sex canonicatus et totidem praebendae, ac tria beneficiata[3] nuncupata perpetua simplicia beneficia ecclesiastica, quorum, dum vacant, collatio et omnimoda dispositio ad pro tempore existentem tituli sancti Laurentii huiusmodi presbyterum cardinalem, cessantibus reservationibus et affectionibus apostolicis, pertinet, instituta reperiuntur) parochiam longe lateque patentem et diffusam, ac copiosâ parochianorum multitudine refertam habeat, et difficile sit ut illius archipresbyter pro tempore, quod[4] licet duos capellanos ad eius nutum amovibiles in parochialibus functionibus et ministeriis sibi assistentes manutenere soleat, curae animarum tot parochianorum huiusmodi exercitio, et sacramentorum ecclesiasticorum administrationi, aliisque parochialibus officiis et ministeriis huiusmodi, eâ, qua decet, diligentiâ et so-

1 Aptius legeretur *nostra* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. habet *intendamus* (R. T.)
2 Ibid. legitur *interponamus* (R. T.).
3 Sic legit edit. Main. (R. T.).
4 Istam vocem *quod* superfluam esse et sensum turbare quisque facile sentiet (R. T.).

licitudine vacare, et ipsos parochianos in catholicae fidei articulis et pie vivendi praeceptis, nec non aliis, quae ad animarum salutem necessaria sunt, commode instruere valeat; et dilecti filii religiosi Congregationis clericorum et presbyterorum Regularium Minorum nuncupatorum ad huiusmodi exercitia et ministeria obeunda valde idonei noscantur, et, si in dictâ ecclesiâ introducerentur, aliaque infrascripta fierent et ordinarentur, procul dubio, ipsi religiosi dictorum parochianorum et aliorum christifidelium ad eamdem ecclesiam pro tempore confluentium confessionibus audiendis sacramentis ministrandis et verbi Dei concionibus habendis sedulo intenderent, ac eorum exemplari vitâ et sanâ doctrinâ parochianos et alios christifideles praedictos ad devotionem, pietatem et religionem excitarent salubriterque dirigerent, et exinde dicta ecclesia celebrior redderetur, ac cura animarum aliaque officia parochialia cum maiori charitatis zelo exercerentur, et nedum divini cultus ac bonorum operum ac instituti dictae Congregationis incremento, sed etiam parochianorum et aliorum christifidelium praedictorum profectui et spirituali consolationi animarumque saluti per amplius consuleretur;

Collegiata in ea beneficiisque suppressis.

§ 2. Nos, qui dudum inter alia decrevimus et declaravimus nostrae intentionis fore, quod deinceps per quamcumque concessionem seu gratiam vel litteras apostolicas, etiamsi motu proprio et ex certâ scientiâ emanarent, nulli ius sibi[1] quomodolibet tolleretur, praedictis et aliis rationalibus causis adducti, ac religiosos Congregationis huiusmodi eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon ecclesiae sancti Laurentii, eiusque archipresbyteratus, canonicatuum, praebendarum et beneficiorum huiusmodi fundationes et erectiones, ac domorum, praediorum, possessionum, censuum et quorumcumque aliorum bonorum ad illa eorumque mensam capitularem seu massam comunem quomodolibet spectantium et pertinentium qualitates, quantitates denominationes, situationes, confines et circumstantias, fructuumque, reddituum et proventuum veros etiam annuos valores, ac caetera omnia hîc de necessitate seu aliàs exprimenda, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, motu simili, non ad dictorum religiosorum vel alicuius pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex merâ deliberatione et certâ scientiâ nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, in dictâ ecclesiâ archipresbyteratum, necnon canonicatus et praebendas, ac beneficia praedicta, ex nunc prout ex tunc, et e contra, cum primum per cessum, etiam ex causâ permutationis, in Romani Pontificis seu dicti tituli presbyteri cardinalis pro tempore existentis manibus, seu decessum, aut privationem vel quamvis aliam dimissionem seu amissionem illa ad praesens obtinentium, vel aliàs quomodolibet et ubicumque, etiam apud Sedem Apostolicam, seu in Romanâ Curiâ, vel extra eam, simul vel successive, vacabunt (etiamsi actu[1], praemissis sive aliis quibusvis modis et ex quorumcumque personis, vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad Se-

1 Fortasse supplenda vox *quaesitum* (R. T.).

1 Totas sequentes formulas require superius pag. 85 et 93 huius vol. (R. T.).

dem praedictam legitime devoluta, ac archipresbyteratus, canonicatus, praebendae et beneficia huiusmodi dispositioni apostolicae specialiter, vel ex eo quod illa obtinentes nostri seu aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum vel successorum nostrorum, aut alicuius sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis, etiam viventis et in dictâ Cûriâ praesentis, familiares, continui commensales, seu dictae Sedis notarii, subdiaconi, acolythi, capellani, aut quicumque alii Sedis et Curiae praedictarum officiales quocumque nomine nuncupati fuerint, seu ex quibusvis aliis causis generaliter reservata, seu ex generali reservatione affecta existant, ac super eis[1] inter aliquos lis, cuius statum etiam praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa), illorumque omnium et singulorum essentiam et quantitates ac mensam capitularem seu massam communem huiusmodi, capellanias quoque et alia beneficia eidem mensae seu massae quomodolibet unita, necnon titulum et denominationem collegiatae ac quaecumque insignia collegialia, perpetuo supprimimus et extinguimus; illorumque sic suppressorum et extinctorum omnia et singula praedia, tam rustica quam urbana, casalia, domus, proprietates, terras, possessiones, census, livellos, canones, Montium non vacabilium portiones et loca, et quaecumque alia bona immobilia et stabilia quomodolibet nuncupata, et ubilibet existentia, cum iuribus et pertinentiis suis universis (exceptis dumtaxat duabus domibus eidem ecclesiae sancti Laurentii a dextero illius latere adhaerentibus, et ad dictam mensam capitularem pertinentibus, quae diversis personis etiam laicis ad certum tempus sub annuis seu menstruis vel aliis responsionibus seu pensionibus insimul ad summam octuaginta scutorum similium vel circa ascendentibus locatae reperiuntur, necnon cameris, mansionibus et habitationibus supra porticum ipsius ecclesiae sancti Laurentii extructis, in quibus illius sacrista, qui etiam amovibilis existit, ac dicti duo capellani commorari solent, necnon infrascripto canone annuo nonaginta scutorum) nostrae et dictae Sedis dispositioni, ad effectum ex illis nonnulla alia beneficia ecclesiastica erigendi et dotandi, reservamus; necnon apud ipsam ecclesiam sancti Laurentii, et in duabus domibus illi adhaerentibus, ac cameris, et mansionibus et habitationibus praedictis, unam domum regularem dictae Congregationis, per unum praepositum ad instar aliarum domorum regularium eiusdem Congregationis iuxta illius ritus, mores, consuetudines et instituta regendam, gubernandam, administrandam et reformandam [pro perpetuis usu et habitatione triginta ad minus religiosorum Congregationis huiusmodi, computato dicto praeposito, qui ibidem in humilitatis spiritu et piae vitae studiis perpetuum Altissimo famulatum impendere, ac loco archipresbyteri, canonicorum et beneficiatorum ipsius ecclesiae sancti Laurentii, missas etiam conventuales, horas canonicas, diurnas et nocturnas, caeteraque divina officia singulis diebus celebrare et recitare, ac aliàs eidem ecclesiae sancti Laurentii in divinis laudabiliter deservire, nec non curam animarum parochianorum aliaque officia et ministeria parochialia huiusmodi per unum vel plures ipsius Congregationis presbyteros idoneos (per dictum praepositum pro tempore existentem deputandos et amovendos, ac a dictae Urbis vicario etiam pro tempore existenti approbandos) exerceri facere, et quaecumque alia onera (quibus ipsi archipresbyter, canonici et beneficiati ratione archi-

Reservatisque pro dictis clericis nonnullis domibus pro eorum habitatione;

Qui quidem clerici saltem triginta esse debeant.

[1] Nempe: *ac etiam si super eis* (R. T.).

presbyteratus necnon canonicatuum ac praebendarum ac beneficiorum praedictorum ex illorum fundationibus, seu fidelium dispositionibus vel legatis, aut aliàs quomodolibet adstricti et obligati existunt) subire et adimplere debeant; et cum primum ibidem introducti fuerint, dilecti filii moderni archipresbyter, canonici et beneficiati ecclesiae sancti Laurentii huiusmodi, ab illius servitio ac residentiâ apud eam faciendâ, necnon omnibus et singulis functionibus, officiis, exercitiis, oneribus et obligationibus praedictis tutâ conscientiâ liberi et exempti censeantur; et nihilominus quoad vixerint, seu donec ipsi ad alterius sacri loci servitium cum huiusmodi vel aliis saltem equivalentibus redditibus annuis per nos seu dictam Sedem traducti vel translati aut aliàs adscripti fuerint, archipresbyter videlicet duas ex octo partibus emolumentorum, ratione exercitii curae animarum huiusmodi provenientium, sibi per eosdem praepositum et religiosos in fine cuiuslibet mensis consignandas, et tam ipse quam singuli canonici et beneficiati nunc existentes praedicti omnia et singula fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta ad archipresbyteratum, canonicatus, praebendas, beneficia et mensam capitularem seu massam communem huiusmodi, tam coniunctim quam divisim, spectantia et pertinentia, pro suâ cuiusque ratâ parte, ut prius, percipere, exigere, levare, ac in suos usus et utilitatem convertere libere et licite valeant, in omnibus et per omnia; perinde ac si apud dictam ecclesiam sancti Laurentii personaliter residerent, necnon missas, horas canonicas et alia divina officia ibidem celebrarent et recitarent, illisque interessent, et caetera onera praedicta respective subirent et supportarent], etiam perpetuo erigimus et instituimus;

Archipresbyter et canonici a residentia liberantur, praebendaeque ipsis ad eorum vitam reservantur.

Ecclesiaque, omniaque supellectilia, domusque praeposito clericisque traduntur.

§ 3. Illique sic erectae et institutae, necnon praeposito et religiosis in eâ pro tempore degentibus usum dictae ecclesiae cum duabus domibus illi adiacentibus, ac cameris, mansionibus et habitationibus praedictis, necnon paramentis, ornamentis, ac omni et quacumque sacrâ et profanâ supellectile, sanctorumque corporibus et aliis sacris reliquiis, quantumvis principalibus et insignibus, caeterisque rebus in ecclesiâ sancti Laurentii et sacristiâ praedictis existentibus eis sub inventario consignandis, absque eo quod archipresbyter, canonici et beneficiati praedicti quidquam inde auferre vel amovere possint, ex nunc [ita quod liceat Congregationi seu pro tempore existentibus praeposito et religiosis praedictis illorum omnium corporalem, realem et actualem possessionem, per se, vel alium, seu alios, eorum ac dictae domus regularis nominibus, propriâ auctoritate, absque spolii et attentatorum vitio, ac dilecti filii nostri Evangelistae eiusdem tituli sancti Laurentii presbyteri cardinalis Cusentini nuncupati eiusque in titulo huiusmodi successorum, seu pro tempore existentis nostri in dictâ Urbe et illius districtu vicarii in spiritualibus generalis, aut alterius cuiuscumque iudicis mandato, decreto vel ministerio, libere apprehendere et perpetuo retinere, ac ibidem[1] necnon fabricae eiusdem ecclesiae sancti Laurentii fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque, etiam in anniversariis, mortuariis, funeralibus, suffragiis, oblationibus, eleemosynis et quibuscumque aliis rebus (non tamen hactenus dictae mensae capitulari seu massae communi incorporatis quae capitulo et canonicis praedictis libere remaneant) consistentia, ac etiam ratione curae animarum et administratione sacramentorum huiusmodi prove-

1 Fortasse hic deest *commorari*, (R. T.).

nientia, percipere, exigere, levare, locare, arrendare, administrare, atque in suos communes, necnon ecclesiae sancti Laurentii fabricae et sacristiae praedictarum usus utilitatem et necessitates convertere (titulo tamen sancti Laurentii huiusmodi illiusque palatio, iuribus, pertinentiis, honoribus, et, praeterquam in personas praepositi et religiosorum domus regularis huiusmodi eorumque res et bona, iurisdictionibus pro tempore existenti eiusdem tituli presbytero cardinali salvis et illaesis remanentibus), cum hoc quod ipsi praepositus et religiosi tam paramentorum, ornamentorum et aliorum supellectilium, eorum videlicet, quae propriis capituli, archipresbyteri et canonicorum praedictorum, ac suae mensae capitularis sumptibus et impensis facta fuisse constabit, quam duarum domorum huiusmodi pretium, in emptionem tot locorum Montium non vacabilium de dictâ Urbe seu aliorum bonorum stabilium pro dote seu augmento dotis aliorum beneficiorum, ut praefertur, erigendorum unico contextu convertendum, iuxta aestimationem desuper a peritis utrinque eligendis faciendam, et seu arbitrio praedicti cardinalis titularis, intra tempus eis ad id praescribendum, eisdem capitulo, archipresbytero et canonicis persolvere, et interim illis annuas seu menstruas aut alias pensiones seu responsiones per eos ex dictis duabus domibus percipi solitas temporibus debitis praestare teneantur] similiter perpetuo concedimus et assignamus.

Salvis iuribus cardinalis titularis.

Canonicatus, aliaque beneficia non resignanda, sed conferenda iuxta modum infra recensendum.

§ 4. Ut autem supressio et extinctio praedicta suum quantocitius sortiantur effectum, statuimus et ordinamus quod archipresbyteratum et canonicatus, et prebendas necnon beneficia huiusmodi ad praesens obtinentes illa nonnisi ad effectum suppressionis et extinctionis praedictarum resignare seu iuri, ipsis ac eorum cuilibet in illis vel ad illa quomodolibet competenti, cedere ullatenus possint, et, si eos aliter quovis modo resignare vel dimittere aut iuri cedere contigerit, resignationes seu dimissiones vel cessiones huiusmodi in odium et praeiudicium ipsorum resignantium, seu dimittentium, vel cedentium, ac in favorem suppressionis et extinctionis huiusmodi factae censeantur eo ipso, et tam in his singulis casibus, quam etiam eisdem modernis archipresbytero, canonicis et beneficiatis quandocumque et ubicumque decedentibus, suppressio et extinctio praedicta[1] suum plenarium et integrum effectum sortiri debeant; neque archipresbyteratus, canonicatus, praebendae et beneficia huiusmodi, illorum vacatione, ut praefertur, vel aliàs quomodolibet occurrente, apostolicâ vel ordinariâ auctoritate cuiquam conferri, nec aliter disponi, nec aliqui in resignantium, dimittentium, cedentium vel decedentium locum ibidem suffici, surrogari, recipi vel admitti valeant; et, si aliquibus (etiam cum speciali de verbo ad verbum praesentium seu litterarum apostolicarum desuper conficiendarum et in eis contentorum quorumcumque mentione, derogatione vel suspensione) sine expresso praepositi et religiosorum ac totius Congregationis huiusmodi consensu in scriptis formaliter habito conferantur, aut de illis disponatur, collationes, dispositiones, derogationes et suspensiones huiusmodi nullae et invalidae existant, nec alicui suffragentur, sed suppressioni et extinctioni praedictis eo ipso locus factus sit et esse censeatur: si vero aliqui ex modernis archipresbytero, canonicis et beneficiatis, ante translationem de eis, ut praefertur, faciendam, decesserint, portio sic pro tempore decedentium aliis superstitibus nullatenus accrescat, sed u-

1 Vel heic legendum *praedictae*, vel paulo post legendum *debeat* (R. T.).

sibus per nos seu Sedem praedictam designandis cedat eo ipso.

Huic domui privilegia omnia, quibus aliae eiusdem Congregationis domus fruuntur, communia redduntur.

§ 5. Insuper eidem domui regulari, ac pro tempore existentibus illius praeposito, religiosis et personis, ut omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, praerogativis, concessionibus, favoribus, facultatibus, indultis et aliis gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, aliis dictae Congregationis domibus, in genere vel in specie, pro tempore concessis, et quibus illae earumque praepositi, religiosi et personae pro tempore existentes, de iure vel consuetudine, seu ex privilegio aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt in futurum, similiter et pariformiter, absque ullà prorsus differentiâ, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant et debeant, in omnibus et per omnia (perinde ac si illa omnia domui regulari per praesentes erectae illiusque praeposito, religiosis et personis praedictis specialiter et expresse concessa fuissent) pariter perpetuo indulgemus.

Clausulae pro huiusce constitutionis firmitate.

§ 6. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore (etiam ex eo quod causae, propter quas emanarunt, coram dicto vicario vel alibi examinatae, verificatae et approbatae, ac Evangelista cardinalis, necnon capitulum, archipresbyter, canonici et beneficiati praedicti, vel quicumque alii in praemissis vel circa ea interesse quomodolibet habentes ad hoc vocati et auditi non fuerint, nec eisdem consenserint, aut quovis alio etiam enormis et enormissimae laesionis praetextu, vel ex quacumque aliâ quantumvis legitimâ et iuridicâ causâ) de subreptionis, obreptionis vel nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, annullari, retractari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus eas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut etiam motu simili concedi posse, neque sub quibusvis suppressionum, unionum et aliarum similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos, vel quoscumque alios Romanos Pontifices successores nostros, dictamque Sedem, etiam in crastinum assumptionis eorumdem successorum nostrorum ad summi apostolatus apicem, vel aliàs, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, et de eiusdem S. R. E. cardinalium pro tempore existentium consilio, sub quibuscumque tenoribus et verborum formis, ac ex quibusvis causis pro tempore faciendis, etiamsi in illis de eisdem praesentibus, earumque toto tenore et datâ specialis, specifica, expressa ac de verbo ad verbum mentio fiat (nisi Congregationis ac praepositi ac religiosorum praedictorum ad id expressus accesserit assensus ut praefertur), ullatenus comprehendi, sed tamquam in divini cultus, religionis et bonorum operum augmentum salutemque et exactiorem curam animarum tendentes semper et omnino ab illis exceptas, et quoties emanabunt, toties in pristinum et validissimum ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ, per pro tempore existentes praepositum et religiosos praedictos quandocumque eligendâ, concessas fore et esse, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac praedictos cardinales etiam de

latere legatos (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Canon centum scutorum super palatio cardinalis tutelaris restituitur ab omni ipsi onere liber.

§ 7. Et, quia aliàs felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster (per eum accepto, quod bonae memoriae Innicus olim episcopus Portuensis cardinalis de Aragoniâ nuncupatus, cui, tunc in humanis agenti, dictum palatium, per eum, quoad viveret, tenendum, habitandum, possidendum et usufructuandum, cum suis iuribus et pertinentiis universis apostolicâ auctoritate reservatum existebat, canonem annuum nonaginta scutorum similium antea sibi et pro tempore existenti dicto cardinali titulari super magnâ domo quondam Horatii Incellari illiusque viridario, e conspectu ac sub proprietate directoque dominio eiusdem palatii consistentibus, debitum exsolvi solitum, capitulo ecclesiae sancti Laurentii huiusmodi ad ipsius Innici cardinalis vitam dumtaxat, et non ùltra, liberaliter cesserat et donaverat) easdem cessionem et donationem, sub praetextu quod illae in exequutionem decreti ab ipso praedecessore in dictae ecclesiae sancti Laurentii visitatione emanati (quo cavebatur quod pro tempore existens cardinalis titularis ipsius ecclesiae sancti Laurentii, vel quilibet alius qui dicti palatii commodum sentiret, centum scuta in emendis et conficiendis paramentis et ornamentis ad sacra et divina in eâdem ecclesiâ sancti Laurentii decenter peragenda annis singulis expendere et persolvere deberet) factae fuissent, nedum vitâ dicti Innici episcopi et cardinalis, ac usu, habitatione, commodo et usufructu palatii huiusmodi durantibus, verum etiam perpetuis temporibus validas existere (ita ut responsio dicti annui canonis semper ad praedictos capitulum[1] pertineret, ac eis in perpetuum a dicto Horatio eiusque in magnâ domo praedictâ successoribus persolvi deberet, nec[2] dictus cardinalis titularis pro tempore existens, seu quilibet alius qui dicti palatii usum, habitationem aut commodum qualitercumque haberet et sentiret, aliquid iuris amplius in responsione annui canonis huiusmodi habere aut praetendere quomodolibet possent[3], ac omni et toto iure ipsis vel aliis praedictis desuper quomodocumque competente privati censerentur, sed annuus canon et illius responsio huiusmodi esset et intelligeretur esse sub omni iure, proprietate et directo dominio ipsius ecclesiae sancti Laurentii), reliqua autem decem scuta usque ad summam centum scutorum praedictorum tam a dicto Innico episcopo et cardinale, quam aliis futuris cardinalibus tituli sancti Laurentii huiusmodi, seu dicti palatii possessoribus, aut aliàs commodum ex eo sentientibus, annuatim persolvi, ac in usum paramentorum et ornamentorum praedictorum per dictos capitulum et canonicos impendi atque converti debere decrevit; et nihilominus annuum canonem illiusque responsionem huiusmodi in eumdem usum applicavit et appropriavit, prout in ipsius praedecessoris litteris desuper sub annulo Piscatoris expeditis plenius continetur[4]: indemnitati eiusdem cardinalis titularis pro tempore existentis hâc in parte prospicere volentes, ipsum ac dictum eius palatium adversus decretum et litteras praedecessoris huiusmodi, ac in pristinum, et eum, in quo antea quomodolibet erant, statum in omnibus et per omnia, perinde ac si nullatenus emanassent, restituimus, reponimus et plenarie

1 Facile deest *et canonicos* (R. T.).
2 Legimus *nec* pro *ne* (R. T.).
3 Legimus *possent* pro *possint* (R. T.).
4 Hae litt. Clementis VIII in *Bull.* non sunt (R. T).

reintegramus, dictumque annuum canonem nonaginta scutorum ad ius, proprietatem et directum dominium cardinalis titularis pro tempore existentis eiusque palatii huiusmodi reducimus, ac illa omnia ab ecclesiâ sancti Laurentii, illiusque mensâ capitulari et sacristiâ praedictis, similiter perpetuo separamus et dismembramus; sicque separata et dismembrata praedicto palatio (ita ut de illius pertinentiis penitus et omnino sit ac esse censeatur) itidem perpetuo applicamus et appropriamus, necnon Evangelistam cardinalem, eiusque in titulo et palatio huiusmodi successores praedictos, nedum a solutione et praestatione annui canonis nonaginta et residui decem usque ad summam centum scutorum pro usu paramentorum et ornamentorum iuxta decreta et litteras praedecessoris huiusmodi faciendâ, sed etiam quibuscumque sumptibus et impensis (ad ecclesiae sancti Laurentii, illiusque fabricae et sacristiae, necnon paramentorum et ornamentorum huiusmodi, necnon cuiuscumque alterius sacrae et profanae supellectilis manutentionem, reparationem et restaurationem, ac etiam praepositi et religiosorum praedictorum sustentationem, ac quorumcumque onerum illis respective incumbentium supportationem necessariis) similiter perpetuo eximimus, ac penitus et totaliter liberamus.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus priori decreto et declaratione, aliisque praemissis, necnon piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque ecclesiae sancti Laurentii, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illi ac pro tempore existenti eiusdem tituli sancti Laurentii presbytero cardinali, necnon capitulo, archipresbytero, canonicis et beneficiatis praedictis, aliisque personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, per dictum Clementem et alios quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos et dictam Sedem eiusque legatos, quavis causâ et occasione, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ad de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae poenales.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, suppressionis, extinctionis, reservationis, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, statuti, ordinationis, indulti, decreti, restitutionis, repositionis, reintegrationis, reductionis, separationis, dismembrationis, applicationis, appropriationis, exemptionis, liberationis, voluntatis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCVI, quarto decimo kalendas maii, pontificatus nostri anno I[1].

Dat. die 18 aprilis 1606, pontif. an. I.

XXXVII.

Confirmatio omnium gratiarum et privilegiorum Congregationis monachorum Coelestinorum Ordinis sancti Benedicti: et subiectio monasteriorum Galliae abbati generali, cum prohibitione habendi recursum extra Ordinem et cogendi capitulum generale absque interventu dicti abbatis[2].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iniuncti nobis apostolici muneris ratio postulat, ut, sacrarum religionum in militanti Ecclesiâ suaves in Domino fructus assidue praestantium paternam curam gerentes, privilegia, gratias et indulta illis a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa, quo validius perpetuo subsistant, apostolicae confirmationis robore libenter communiamus.

Confirmatio omnium gratiarum et privilegiorum.

§ 1. Volentes igitur universam Congregationem Coelestinorum Ordini sancti Benedicti, quam etiam nos, antequam ad summi apostolatus apicem assumpti essemus, semper non modico prosequuti sumus amore et ex qua uberrimi in eâdem Dei Ecclesiâ fructus ad ipsius Omnipotentis Dei laudem et christianae reipublicae spirituale commodum ac utilitatem ab ipsius Congregationis initio semper prodierunt, et in dies prodeunt, ac dilectos filios abbatem generalem et procuratorem ac monachos eiusdem Congregationis universos specialibus favoribus et gratiis prosequi, et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad Celsi Romani abbatis generalis seu procuratoris vel monachorum dictae Congregationis instantiam, sed ex certâ nostrâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, praerogativas, favores, conservatorias, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, aliaque privilegia et indulta spiritualia et temporalia, etiam per modum communicationis et extensionis inter se et cum aliis Congregationibus et Ordinibus Mendicantium et non Mendicantium, eidem Congregationi Coelestinorum dicti Ordinis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac[1] nos et Apostolicam Sedem, sub quacumque verborum formâ et expressione, etiam per solam Signaturam et vivae vocis oraculo, aut aliâs quomodolibet, concessa ac semel seu pluries confirmata, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, decretis et declarationibus, ac singulas litteras, tam sub plumbo quam in formâ Brevis, aut aliàs, desuper confectas (quarum tenores et formas, datas, effectus, decreta et alia in illis contenta, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus) quatenus Sacri

1 Sex post dies Paulus Papa privilegia omnia a decessoribus suis sanctae Lauretanae Domui concessa confirmavit in formâ communi Brevis, quod incipit *Sacrae Domus Lauretanae*.

2 De institutione et statu huius Congregationis vide in Constitut. I Coelestini V *Et si cunctos*, tom. IV pag. 116.

1 Edit. Main. legit *ad* (R. T.).

Concilii Tridentini decretis, necnon regularibus dictae Congregationis institutis a Sede Apostolicâ approbatis, non adversentur, ac revocata non sint; nec sub aliquibus revocationibus comprehensa, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, et solemnitatum, etiam de iure necessariarum, aut aliàs quomodolibet requisitarum, forsan omissarum, et alios defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus, illasque et illa Congregationi[1] praedictae, monachis, monialibus et oblatis, etiam per modum communicationis et extensionis huiusmodi, suffragari, eosque illis frui, uti et gaudere, ubi, quando et quoties opus fuerit, posse et debere in omnibus et per omnia decernimus.

Abbatis generalis auctoritas tam in Italia quam in Gallia et ubique locorum monasteria visitandi.

§ 2. Praeterea motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus volumus et declaramus, quod abbas generalis debeat eligi, prout hactenus factum fuit, ac pariter quod ipse abbas generalis pro tempore existens possit et debeat visitare quaecumque suae Congregationis praedictae monasteria, tam in Italiâ quam in Galliâ et ubique locorum existentia, quando et quoties ei videbitur, etiam nullâ visitationis intimatione seu notificatione praecedente, cum observatione regulae ac constitutionum eiusdem Congregationis. Praeterea, quod venientes ad Urbem ex provinciâ Galliae, et ex quacumque aliâ provinciâ, ad ipsum abbatem generalem absque licentiâ et obedientiâ suorum provincialium et superiorum, et maxime si sint apostatae, profugi vel vagi, si generalis cognoverit absque causâ legitimâ illos venisse, debeant puniri iuxta formam constitutionum, et statim remitti ad suos superiores, prout remitti debeant, si venerint, absque huiusmodi suorum superiorum licentiâ et obedientiâ, etiam pro eorum devotione, secus autem si velint accedere ad Urbem, tamquam ad Apostolicam Sedem pro negotiis et recursibus habendis, tunc enim volumus liberum esse unicuique ad eam confluere, nec licere superioribus cuique prohibere.

Prohibitio habendi recursum extra Ordinem ad iudices et personas, etc.

§ 3. Ad haec, quod nullus praelatus, provincialis, abbas, prior vel monachus, secrete vel palam, directe vel indirecte, per seipsum vel per alios, ex quacumque causâ vel occasione, possit ad quoscumque iudices, cuiuscumque dignitatis et qualitatis fuerint, habere recursum pro negotiis spectantibus ad Congregationem eiusque monasteria, in genere vel in specie[1], ad particulares personas, nisi ad suum abbatem generalem in Italiâ existentem, vel ubique locorum, ubi erit, vel in regno Galliae ad suos provinciales, vel ad capitula provincialia: qui contravenerit, poenam excommunicationis ipso facto[2] (atque indignationis nostrae), a qua nonnisi a Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, absolvi possit, et perpetuo privatus intelligatur quocumque gradu, honore et dignitate religionis, et careat voce activâ et passivâ.

Capitulumque generale absque dicti abbatis praesentia celebrandi.

§ 4. Postremo, quod capitula pro tempore facienda, tam in Galliâ quam in quibuscumque aliis provinciis, debeant vocari capitula provincialia, non autem generalia, ita ut capitulum generale intelligatur illud quod celebrabitur cum assistentiâ generalis caeterorumque patrum definitorum.

Clausulae praeservativae.

§ 5. Praesentes quoque litteras ullo[3] umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae vel

1 Fors. legend. *Congregationis praedictae monachis* etc. (R. T.).

1 Forsan supplendum *neque ad alias* (R. T.).
2 Supplendum *incurrat* (R. T.).
3 Seu potius lege *nullo* (R. T.).

quopiam alio defectu (seu etiam ex eo quod provincialis provinciae Galliae, ac prior et monachi Congregationis et Ordinis praedictorum, et forsan alii interesse, etiam aliarum provinciarum, in praemissis habentes seu putantes, ad hoc vocati non fuerint) notari, impugnari, invalidari, aut ad terminos iuris[1] vel in ius seu controversiam vocari posse, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus vel aliis contrariis dispositionibus comprehendi;

Decretum irritans.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices, et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, ac causarum Palatii Apostoli auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) ubique iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane decernimus si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum deputatio.

§ 7. Quocirca dilecto filio causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus per se, vel alium, seu alios faciat[2], auctoritate nostrâ praesentes litteras et in eis contenta quaecumque plenum eorum effectum sortiri, illisque Congregationem et monachos praedictos pacifice frui et gaudere; non permittens[3] quemquam desuper contra praesentium tenorem per quoscumque indebite molestari; contradictores quoslibet ac rebelles, et praemissis non parentes, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

1 Supple *reduci* (R. T.).

2 Edit. Main. habet *faciant* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *permittentes* (R. T.).

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus felicis recordationis Martini V et Eugenii IV, Bonifacii VIII ac Adriani VI et Clementis VII ac aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac in Lateranensi et aliis conciliis generalibus editis, ac Ordinis et Congregatsonis huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua mentio pro illorum sufficienti derogatione habenda foret, eorum tenores praesentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse harum serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§ 9. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIX aprilis MDCVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 aprilis 1606, pontif. an. I.

XXXVIII.

Sequitur confirmatio privilegiorum provinciae Franciae eiusdem Ordinis, ac unionis olim factae monasterii sancti Benedicti terrae Nursiae Spoletanae dioecesis dictae Congregationis illi provinciae[1].

Dilectis filiis provinciali et monachis Congregationis Coelestinorum Ordinis sancti Benedicti provinciae Franciae

Paulus Papa V.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem ea, quae a suis praedecessoribus religiosis provinciis et personis provide concessa sunt, ut firma et illibata persistant, suae confirmationis robore communire, prout in Domino salubriter conspicitur[2] expedire.

Provinciae Franciae privilegia omnia confirmantur.

§ 1. Proinde nos, vos ac vestram provinciam specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et vestrum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus vestro nomine nobis humiliter porrectis inclinati, omnia et singula privilegia, gratias, immunitates, libertates, exemptiones, concessiones, indulta et indulgentias vestrae provinciae et illius monasteriis et locis regularibus ac vobis, in genere vel in specie, aut aliàs quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Apostolicam Sedem ac eiusdem Apostolicae Sedis de latere legatos vel nuncios quomodolibet concessa, confirmata et approbata, quatenus sint in usu, et non sint revocata, nec sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis non adversentur (salvis litteris nostris nuper pro confirmatione privilegiorum universae Congregationis Coelestinorum, et visitatione monasteriorum Franciae emanatis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus), apostolicâ auctoritate, tenore presentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus.

Confirmatur etiam unio monasterii Nursiae aliàs facta.

§ 2. Praeterea, quia, ut accepimus, monasterium sancti Benedicti terrae Nursiae Spoletanae dioecesis Congregationis Coelestinorum olim vestrae provinciae apostolicâ auctoritate unitum et incorporatum fuit, nos huiusmodi unionem pariter confirmamus et approbamus, et, quatenus opus sit, idem monasterium cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, sine tamen praeiudicio aliorum monasteriorum Italiae vestrae provinciae per Romanos Pontifices praedecessores nostros unitorum, de novo eidem provinciae vestrae auctoritate et tenore praedictis perpetuo unimus, annectimus et incorporamus; ita ut liceat tibi, fili provincialis, et aliis superioribus istius provinciae priorem et monachos eiusdem vestrae provinciae in eodem monasterio Nursiae constituere et deputare, idemque monasterium regere et gubernare, prout in aliis provinciae Franciae monasteriis instituere et deputare, ac regere et gubernare valeatis[1].

Clausulae.

§ 3. Decernentes sic, et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et dele-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Fortasse legendum *conspicit* (R.T).

1 Potius videtur esse legendum *valetis* (R. T.).

quopiam alio defectu (seu etiam ex eo quod provincialis provinciae Galliae, ac prior et monachi Congregationis et Ordinis praedictorum, et forsan alii interesse, etiam aliarum provinciarum, in praemissis habentes seu putantes, ad hoc vocati non fuerint) notari, impugnari, invalidari, aut ad terminos iuris[1] vel in ius seu controversiam vocari posse, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus vel aliis contrariis dispositionibus comprehendi;

Decretum irritans.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices, et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, ac causarum Palatii Apostoli auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) ubique iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane decernimus si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum deputatio.

§ 7. Quocirca dilecto filio causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus per se, vel alium, seu alios faciat[2], auctoritate nostrâ praesentes litteras et in eis contenta quaecumque plenum eorum effectum sortiri, illisque Congregationem et monachos praedictos pacifice frui et gaudere; non permittens[3] quemquam desuper contra praesentium tenorem per quoscumque indebite molestari; contradictores quoslibet ac rebelles, et praemissis non parentes, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

1 Supple *reduci* (R. T.).
2 Edit. Main. habet *faciant* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *permittentes* (R. T.).

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus felicis recordationis Martini V et Eugenii IV, Bonifacii VIII ac Adriani VI et Clementis VII ac aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac in Lateranensi et aliis conciliis generalibus editis, ac Ordinis et Congregatsonis huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua mentio pro illorum sufficienti derogatione habenda foret, eorum tenores praesentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse harum serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§ 9. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIX aprilis MDCVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 aprilis 1606, pontif. an. I.

XXXVIII.

Sequitur confirmatio privilegiorum provinciae Franciae eiusdem Ordinis, ac unionis olim factae monasterii sancti Benedicti terrae Nursiae Spoletanae dioecesis dictae Congregationis illi provinciae[1].

Dilectis filiis provinciali et monachis Congregationis Coelestinorum Ordinis sancti Benedicti provinciae Franciae

Paulus Papa V.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem ea, quae a suis praedecessoribus religiosis provinciis et personis provide concessa sunt, ut firma et illibata persistant, suae confirmationis robore communire, prout in Domino salubriter conspicitur[2] expedire.

Provinciae Franciae privilegia omnia confirmantur.

§ 1. Proinde nos, vos ac vestram provinciam specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et vestrum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus vestro nomine nobis humiliter porrectis inclinati, omnia et singula privilegia, gratias, immunitates, libertates, exemptiones, concessiones, indulta et indulgentias vestrae provinciae et illius monasteriis et locis regularibus ac vobis, in genere vel in specie, aut aliàs quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Apostolicam Sedem ac eiusdem Apostolicae Sedis de latere legatos vel nuncios quomodolibet concessa, confirmata et approbata, quatenus sint in usu, et non sint revocata, nec sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis non adversentur (salvis litteris nostris nuper pro confirmatione privilegiorum universae Congregationis Coelestinorum, et visitatione monasteriorum Franciae emanatis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus), apostolicâ auctoritate, tenore presentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus.

Confirmatur etiam unio monasterii Nursiae aliàs facta.

§ 2. Praeterea, quia, ut accepimus, monasterium sancti Benedicti terrae Nursiae Spoletanae dioecesis Congregationis Coelestinorum olim vestrae provinciae apostolicâ auctoritate unitum et incorporatum fuit, nos huiusmodi unionem pariter confirmamus et approbamus, et, quatenus opus sit, idem monasterium cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, sine tamen praeiudicio aliorum monasteriorum Italiae vestrae provinciae per Romanos Pontifices praedecessores nostros unitorum, de novo eidem provinciae vestrae auctoritate et tenore praedictis perpetuo unimus, annectimus et incorporamus; ita ut liceat tibi, fili provincialis, et aliis superioribus istius provinciae priorem et monachos eiusdem vestrae provinciae in eodem monasterio Nursiae constituere et deputare, idemque monasterium regere et gubernare, prout in aliis provinciae Franciae monasteriis instituere et deputare, ac regere et gubernare valeatis[1].

Clausulae.

§ 3. Decernentes sic, et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et dele-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Fortasse legendum *conspicit* (R.T).

1 Potius videtur esse legendum *valetis* (R.T.).

gatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Nursini monasterii monachi abbati generali subiecti.

§ 4. Volumus autem ut in praedicto monasterio tot monachi vestrae provinciae manuteneantur, quot ex redditibus eiusdem monasterii sustentari poterunt, qui dilecto filio Celso Romano moderno et pro tempore existenti abbati generali totius Congregationis Coelestinorum obedire, illiusque visitationi et correctioni subesse teneantur.

A quo tamen ipsum monasterium dictae provinciae tradatur.

§ 5. Quocirca eidem Celso moderno et pro tempore existenti abbati generali per praesentes committimus et mandamus, ut monasterium praedictum vobis iuxta tenorem praesentium consignari curet et faciat, vobisque et futuris priori et monachis eiusdem monasterii praecipimus ut eidem abbati generali debitam obedientiam et reverentiam promptam exhibere studeatis.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac nostrâ de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac de exprimendo vero valore beneficii, cui aliud uniri peteretur, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XIII maii MDCVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 13 maii 1606, pontif. anno I.

XXXIX.

Quod clerici regulares Congregationis Ministrantium Infirmis ad quoscumque alios, etiam Carthusianorum, Ordines et religiones migrare nequeant, absque Sedis Apostolicae licentiâ speciali [1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanum decet Pontificem, universo gregi Dominico divinâ institutione praepositum, pastorali sollicitudine providere, ut regularium Ordinum recte instituta conserventur, et eorum disciplina nullâ ex parte detrimentum patiatur, sed quae pro eorum regimine constituta sunt, si temporis processus ita opus esse ostendit, provide corrigere aut mutare, prout conspicit in Domino expedire.

Gregorii XIV constitutio recensetur.

§ 1. Sane, dilectus filius praepositus generalis clericorum regularium Congregationis Ministrantium Infirmis nuper exponi nobis fecit, quod in litteris apostolicis erectionis dictae Congregationis eius religiosis professis transitus ad Ordinem Carthusianorum tantum, nullâ etiam aliâ ad id Sedis Apostolicae licentiâ requisitâ, permittitur.

Multi ad alios laxiores Ordines migraverunt.

§ 2. Quoniam vero praecipuum eorumdem clericorum institutum est infirmis hospitalium et aliis christifidelibus morientibus die nocteque, donec animam Creatori reddant, ac praeterea pestilentiâ laborantibus ministrare, eisque omnibus solemni voto se obstringunt; quae

1 Congregationem istam probavit Sixtus V in Constit. XXXV, *Ex omnibus*, tom. VIII pag. 669. Gregorius vero XIV prohibuit, hosce clericos ad alium praeter Carthusianorum Ordinem transire Constit. XL *Illius* (in h. n. edit. XLI, tom. IX pag. 479 et proprie § 34 pag. 485).

quidem quoniam non levia onera videntur, multi religiosi, occasione acceptâ praedictae permissionis libere ad Carthusianorum Ordinem transeundi, ad laxiores commigrarunt religiones; proinde timeri verisimiliter potest ne imposterum in dies plures idem facere procurent.

Petit praepositus Congregationis a Paulo ne etiam ad Carthusianorum Ordinem, absque Pontificis licentia, transire liceat.

§ 3. Propterea ad huiusmodi malum prohibendum, et dictam Congregationem conservandam, dictus praepositus generalis cupit ipsius religiosis transitum ad quoscumque alios Ordines et religiones, etiam Carthusianorum eorumdem, sine speciali nostrâ et Romani Pontificis pro tempore existentis licentiâ prohiberi, et ideo nobis humiliter supplicari fecit, ut super hoc opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Ita decernit Paulus.

§ 4. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, ac de consilio venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super consultationibus et negotiis Episcoporum et Regularium praepositorum, religiosos eiusdem Congregationis Ministrantium Infirmis ad ipsum etiam Carthusianorum Ordinem sine speciali nostrâ et Romani Pontificis pro tempore existentis aut cardinalium supradictae congregationis Episcoporum et Regularium licentiâ (firmâ manente prohibitione generali transeundi ad quascumque alias Religiones praeter Carthusianos, quae in dictis litteris apostolicis et seu constitutionibus eiusdem Congregationis Ministrantium Infirmis continetur) transire, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo prohibemus.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 5. Non obstantibus praemissis litteris ac costitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die XVI maii MDCVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 16 maii 1606, pontif. an. II.

XL.

Indulgentiarum quoquo modo religionibus et Ordinibus regularibus concessarum revocatio, et alia indulgentiarum nova concessio.

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex in Beati Petri sede constitutus, cui inter alia coelestis indulgentiarum thesauri dispensandi cura incumbit, sollicite prospicere debet, ac solerter, ut huiusmodi indulgentiarum dispensatio et usus ad Dei gloriam et animarum salutem praecipue dirigatur, et ne ex illarum multiplicitate confusio aut inanis interpretatio exoriatur.

Clemens VIII abusus circa indulgentias corrigere voluit.

§ 1. Proinde, cum felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster magnâ cum diligentiâ et sollicitudine procuraverit abusus et corruptelas tum in communicando indulgentiarum thesauros, tum in modo illos recipiendi irreptos tollere; et propterea suâ quadam Constitutione [1] formam aggregandi, instituendi et recte administrandi societates et confraternitates praescripserit; licet morte praeventus hanc piam eius voluntatem ad finalem exequutionem deducere, neque etiam, ut cogitaverat, circa indulgentias a plerisque Romanis Pontificibus praedecessoribus religionibus et Ordinibus monasticis et mendicantibus diversis temporibus concessas aliquid deliberare potuerit;

Idipsum hic Pontifex cardinalium examinandum commisit.

§ 2. Nos, qui, nullis nostris meritis, sed solâ Dei benignitate, ad summi apostolatus officium vocati sumus, susceptum a tanto Pontifice pium hoc opus ad optimum finem perducere cupientes, ubi primum catholicae ecclesiae regimen suscepimus, venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus,

1 Vide supra pag. 138 h. vol. (R. T.)

ad hoc opus a dicto Clemente praedecessore deputatis, de quorum numero tempore ipsius Clementis praedecessoris eramus, iniunximus ut in illo opere ad ulteriora progrederentur, et indulgentias regularibus concessas recognoscerent, iisque recognitis, rem nobiscum communicarent.

Qui Ordinum regularium indulta examinarunt, et indulgentias iam concessas revocandas et alias de novo concedendas esse censuerunt.

§ 3. Cum itaque praefati cardinales privilegia, concessiones et gratias praedictis Religionibus et Ordinibus concessas diligenter inspexerint et examinaverint, ac eorumdem Ordinum superiores et officiales pluries audiverint, ac circa easdem indulgentias varia dubia et incertitudines et confusiones adesse compererint, et ex iudicio eorumdem etiam Regularium vel aliquorum ex illis nobis proposuerint valde expedire, pro eorum maiori securitate et beneficio, ut indulgentias ipsis Religionibus et Ordinibus ad instar vel per communicationem aut alias particulares illis concederemus;

Hic itaque Pontifex has de novo Indulgentias eis concedit, videlicet:

§ 4. Nos, maturâ super hoc consultatione praehabitâ, cupientes personis regularibus quibuscumque quorumvis Ordinum tam Monasticorum quam Mendicantium spirituale solatium et iuvamen afferre, infrascriptas indulgentias et gratias (quas personis regularibus intra claustra, aut extra, cum licentiâ tamen suorum superiorum legittimâ de causâ illis concessâ, degentibus tantummodo suffragari debere declaramus) concedendas duximus.

Habitum regularem suscipientibus:

§ 5. Omnibus igitur christifidelibus, qui canonice et iuxta ordines cuiuslibet Religionis et constitutiones apostolicas habitum regularem a legitimis superioribus causâ profitendi in illo susceperint, die primo ingressus in ipsam Religionem, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam;

Professionem emittentibus;

§ 6. Ac cuilibet novitio, qui poenitens confessus, ac sacrâ communione refectus post completum probationis annum professionem emiserit, etiam plenariam;

In festo principali sui Ordinis, communicantibus vel celebrantibus, etc.

§ 7. Necnon cuilibet religioso inter claustra sui monasterii viventi, qui in festo principali sui Ordinis confessus et sacrâ communione refectus fuerit, aut missam recitans[1] pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, Romani Pontificis salute ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderit, etiam plenariam;

In mortis articulo poenitentibus, etc.

§ 8. In cuiuslibet vero mortis articulo, si pariter vere poenitens et confessus ac sacrâ communione refectus, vel, quatenus id facere nequiverit, saltem contritus nomen Iesu ore, si potuerit, sin autem corde devote invocaverit, etiam plenariam;

Missam primam celebrantibus, vel illi praesentibus.

§ 9. Qui vero ad presbyteratus ordinem canonice promotus et confessus primam missam celebrabit, nec non etiam iis religiosis, qui pariter confessi ac sacrâ communione refecti eidem missae interfuerint, aut ipso die missam similiter celebrabunt, etiam plenariam;

Spiritualia exercitia facientibus.

§ 10. Iis vero, qui, de suorum superiorum licentiâ, a negotiis per decem dies alieni in cellâ commorabuntur, aut ab aliorum conversatione separati in piorum librorum et aliarum rerum spiritualium animos ad devotionem et spiritum inducentium lectionibus operam suam dederint, addendo saepe considerationes et meditationes mysteriorum fidei catholicae, divinorum beneficiorum, quatuor novissimorum, passionis Domini nostri Iesu Christi, et aliorum exercitiorum, orationum iaculatoriarum, aut vocalium, saltem per duas horas in diem et noctem, orationibus mentalibus sese exercendo, faciendo eodem tempore confessionem generalem aut annualem vel ordinariam, sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, aut missam ce-

1 Aptius legendum *recitaverit, et*... (R. T.).

lebraverint[1], quoties pro quolibet praedictorum exercitiorum, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Claustralibus suas ecclesias visitantibus.

§ 11. Praeterea iidem Religiosi intra claustra viventes, qui suam ecclesiam devote visitaverint, et ut praefertur oraverint, consequantur easdem indulgentias (quas visitantes ecclesias Urbis et extra eam diebus stationum consequuntur) in omnibus diebus, perinde ac si ipsas Urbis ecclesias personaliter visitarent.

Aliisque diebus orantibus.

§ 12. Omnibus item religiosis intra claustra, ut supra, viventibus, qui quinquies *Orationem Dominicam* et toties *Salutationem Angelicam* ante altare eorum ecclesiae in quolibet die recitaverint[2], quinque annos et totidem quadragenas;

Itinerantibus;

§ 13. Iis vero qui de suorum superiorum licentiâ in itinere existentes, aut extra claustra degentes tamquam praedicatores et lectores, quinquies eamdem *Orationem Dominicam*, et toties *Salutationem Angelicam* ante quodlibet altare similiter dixerint, etiam quinque annos et totidem quadragenas;

Orationem mentalem facientibus.

§ 14. Necnon etiam eisdem Religiosis, qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediae horae orationem mentalem fecerint, ac confessi et sacrâ communione ultimâ dominicâ mensis huiusmodi refecti fuerint, sexaginta annos et totidem quadragenas;

Culpas proprias in capitulo accusantibus.

§ 15. Qui vero contrito corde et poenitentes eorum culpas et peccata ac imperfectiones in capitulis culparum accusabunt, et spiritualiter communicabunt, et exercitium virtutum facient, tres annos et totidem quadragenas;

Missiones ad terras infidelium *etc.* acceptantibus, *etc.*

§ 16. Quotiescumque autem de licentiâ Summi Pontificis aut suorum superiorum in ditiones et terras infidelium aut haereticorum ad concionandum, aut catholicos docendum, vel infideles et haereticos ipsos ad fidem catholicam convertendum et Ecclesiae gremium reducendum missi fuerint, si poenitentes et confessi, ac sanctissimâ Communione refecti fuerint, vel missam celebraverint, ut melius ad huiusmodi opus sese parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet quando itineri se accingent, et quando in provinciam, ubi praedicta opera eis exercenda erunt, ingressi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino pariter concedimus et elargimur.

Orationi quadraginta horarum adstantibus.

§ 17. Et insuper cum superior in visitationibus generalibus orationes *quadraginta horarum* pro bono visitationis progressu collocare voluerit, iis Religiosis qui dictis orationibus saltem spatio duarum horarum in diverso tempore interfuerint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, Romani Pontificis salute ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione, nec non disciplinae et observantiae regularis augmento pias ad Deum preces, ut supra dictum est, effuderint, si confessi et sacrâ communione refecti fuerint, aut missam celebraverint, plenariam similiter omnium peccatorum indulgentiam et remissionem, ut praefertur, concedimus.

Eisdem indulgentiis moniales fruantur.

§ 18. Volumus autem ut omnes supradictae indulgentiae et gratiae Religiosis regularibus cuiusvis Ordinis tam Monastici quam Mendicantis dumtaxat, ut praefertur, concessae, etiam omnibus monialibus cuiusvis regulae approbatae, et intra claustra cum tribus votis solemnibus viventibus et perpetuam clausuram servantibus (tam Ordinariis locorum quam etiam regularibus cuiuscumque Ordinis, regulae et instituti subiectis) suffragentur, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

1 Videretur legendum *toties quoties* (R. T.).
2 Vocem *recitaverint* deesse duximus (R. T.).

Revocatio aliarum indulgentiarum.

§ 19. Caeterum omnes et singulas indulgentias quibuscumque Ordinibus et Institutis regularibus[1] huiusmodi, etiam Mendicantibus, et quibuslibet personis regularibus, tam vigore privilegiorum et litterarum, apostolicarum, quam vivae vocis oraculo, aut aliàs quovis modo per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et Apostolicam Sedem hactenus concessas, confirmatas, approbatas et innovatas, auctoritate et tenore praedictis perpetuo revocamus, cassamus, annullamus et abrogamus, et ad praesentium nostrarum litterarum praescriptum reducimus et moderamur.

Derogatio contrariorum.

§ 20. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eorumdem Ordinum et Institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam *Mare magnum* et *Bulla aurea* nuncupatis, eisdem Ordinibus et Institutis, eorumque monasteriis, conventibus, collegiis, domibus, superioribus et personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 21. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem fides habeatur ubique, quae praesentibus ipsis originalibus litteris haberetur.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII maii MDCVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 23 maii 1606, pontif. an. II.

XLI.

Declaratio iurisdictionis vicarii Papae tamquam iudicis causarum archiospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem ea quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris in favorem piorum locorum et insignium, praesertim hospitalis nostri sancti Spiritus in Saxia de Urbe, concessa fuerunt, suae confirmationis robore communire, ac aliàs desuper opportune providere, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

Clementis VIII Constitutio citata in notâ ad rubricam.

§ 1. Aliàs siquidem a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro, emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet (*Omittitur insertio huius Bullae, siquidem eam habes loco indicato in notâ ad rubricam*).

Confirmatio dictae Constitutionis.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, diversae causae, in quibus dictum hospitale seu alii ab eo dependentes interesse habent, coram sanctae Romanae Ecclesiae camerario ac thesaurario generali et clericis praesidentibus dictae Camerae pendeant, de quibus in praeinsertis litteris non fit mentio, cumque propterea dicta-

1 Concessionem huius iurisdictionis habes supra in Constit. CCCLXIV Clementis VIII, *Cum sicuti* (in h. n. edit. CCCLXXVI superius relata pagina 178). Institutionem istius archihospitalis et alia ad illud spectantia vide in Constit. XI Innocentii III, *Inter*, tom. III, pag. 189.

rum causarum expeditio retardetur in maximum dicti hospitalis praeiudicium; nos eiusdem hospitalis commoditati ac minori dispendio celerique causarum huiusmodi expeditioni consulere simulque super praemissis providere volentes, motu proprio et ex certâ nostrâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine praeinsertas litteras Clementis praedecessoris (salvis tamen infrascriptis) apostolicâ auctoritate et tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus, ac illas perpetuo valere et observari debere volumus et ordinamus.

Declaratio quod in causis spectantibus ad Cameram Apostolicam vel magistros viarum Urbis, procuratores hospitalis eligant pro iudice camerarium vel unum ex clericis Camerae quem voluerint.

§ 3. Praeterea omnes et quascumque causas huiusmodi, non solum a quibuscumque iudicibus iuxta praeinsertarum litterarum tenorem, sed etiam a thesaurario, clericis praesidentibus et camerario praefatis, ac aliis quibuscumque iudicibus cameralibus in eisdem statu et terminis in quibus reperiuntur, et in quibus monasteria, pia loca et capitula cuiusvis praeeminentiae, etiam basilicarum Urbis, principaliter veniunt ad causam (praeterquam ubi de interesse Camerae agitur vel aliàs commissarius noster venit pro suo interesse ad causam, aut de causis ad camerarium et Cameram ex constitutionibus apostolicis privative quoad alios, vel ad magistros viarum spectantibus) ad nos harum serie avocamus: illasque camerario et clericis praesidentibus annonae, grasciae, dohanarum, Ripae, Ripettae et alias ad iurisdictionem dictorum clericorum spectantes cumulative[1], ita ut sit in electione eiusdem hospitalis procuratorum, quem maluerint, ex camerario vel clerico praesidente, in singulis causis occurrentibus eligere, ita quod, etiamsi coram altero ex praedictis conventi fuerint, antequam in iuridictionem consenserint semper variare et alterum eligere possint, uno autem electo per dicti hospitalis praeceptores non possit[1] variari, et alter se in eâdem causâ intromittere non possit, sed illi in dictâ causâ inhibitum sit et esse censeatur;

Et in causis obligationis in forma Camerae, eligant auditorem Camerae vel vicarium.

§ 4. Quo vero ad caeteras causas, in quibus agitur vigore obligationis cameralis, sit in electione dictorum hospitalis praeceptorum agere, vel coram auditore Camerae[2], aut coram vicario.

De reliquis vicarius sit iudex privative quoad alios.

§ 5. Reliquas autem causas, quae non sunt de iurisdictione dictorum camerarii, clericorum et magistrorum viarum, ut supra, et quae aliàs non sunt cognoscendae coram dictis camerario, clericis et cameralibus ac viarum magistris, praedicto vicario privative[3] quoad dictam Cameram et alios quoscumque supradictos, servatâ formâ in omnibus supradictis causis (tam quoad ordinariorum processum quam[4] ad appellationem interponendam) praeinsertarum litterarum.

Decretum irritans et clausula sublatâ, etc.

§ 6. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et

1 Fortasse hic deest verbum *committimus*, et tota periodus sic est construenda: *illasque causas et alias ad iurisdictionem dictorum clericorum spectantes committimus cumulative camerario et clericis praesidentibus...* cumulative, inquam, *ita ut sit in electione*, etc.: at fateor me non satis intelligere (R. T.).

1 Erronee edit. Main. legit *possint* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *camerarii* (R. T.).

3 Heic iterum subintellige *committimus*; privative, inquam, *quoad dictam Cameram et alios quoscumque supradictos* (R. T.).

4 Subintellige *quo*, idest: *tam quoad ordinariorum processum quam quoad appellationem interponendam*: sed lege etiam *ordinarium* loco *ordinariorum* (R. T.).

auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Declaratio quoad causas pendentes coram aliis iudicibus.

§ 7. Ulterius, ad consulendum indemnitati, tum ipsius hospitalis tum etiam aliorum litigantium, ac parcendum expensis, volumus et praedictâ auctoritate decernimus, quod in causis iam coram aliis iudicibus instructis, et nunc vigore praeinsertarum litterarum avocatis, partes ipsae acta transportari facere non teneantur, sed causas easdem coram dicto vicario seu clericis praesidentibus, ut praemissum est, firmis tamen remanentibus notariis, prosequi libere valeant;

Facultas dictorum iudicum prorogandi fatalia.

§ 8. Et quod praedicti iudices absque novâ commissione, toties quoties opus fuerit, possint prorogare fatalia, et adversus lapsum restituere, iuxta facultates a nostris praedecessoribus concessas auditoribus nostri Palatii Apostolici.

Clausulae derogatoriae.

§ 9. Non obstantibus felicis recordationis Pauli III a tergo: *Dilecto filio nostro in almâ Urbe vicario, etc.*, de causis in Camerâ Apostolicâ, ubi de interesse illius agitur, cognoscendis, et eiusdem Pii IV de gratiis eiusdem Camerae interesse concernentibus in eâdem Camerâ praesentandis et registrandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae dictus praedecessor in praeinsertis litteris voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris die III iulii MDCVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 3 iulii 1606, pontif. an II.

XLII.

Carolo Emanueli Sabaudiae duci tres decimae ab ecclesiasticis intra triennium persolvendae conceduntur, ita tamen ut summam triginta millia scutorum non excedant[1].

Venerabili fratri Petro Francisco episcopo Saonensi nostro et Apostolicae Sedis apud dilectum filium nobilem virum Carolum Emanuelem Sabaudiae ducem nuncio

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Caroli Emanuelis de fide catholicâ merita zelusque eam defendendi.

Praestantia dilecti filii nobilis viri Caroli Emanuelis Sabaudiae ducis et Pedemontium principis in nos et Apostolicam Sedem merita poscunt, ut illi, qui pro catholicâ religione in suis dominiis tuendâ gravissimis assidue sumptibus premitur, quibus suppeditandis ipsius redditus nequaquam sufficiunt, de aliquo subventionis auxilio ex Apostolicae Sedis benignitate libenter prospiciamus.

Tres decimae ei conceduntur intra triennium exigendae.

§ 1. Motu igitur proprio, ac ex certâ scientiâ, maturâque deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, indicimus et imponimus tres integras decimas, intra triennium ab initio currentis anni MDCVI numerandum, unam scilicet quolibet anno respective exigendas omnium et singulorum fructuum, reddituum et proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum quorumcumque, tam certorum quam incertorum, secundum verum annuum valorem quarumcumque cathedralium, etiam metropolitanarum, collegiatarum et parochialium, aliarumque ecclesiarum et monasteriorum et conventuum, ac etiam mensarum archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, capitularium et conventualium, prioratuum quoque, praepositurarum, praeceptoriarum, canonicatuum, praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, officiorum, caeterorumque beneficiorum ecclesiasticorum,

cum curâ et sine curâ, saecularium, ac sancti Benedicti, sancti Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, Silvestrinorum et quorumcumque aliorum Ordinum (non tamen Mendicantium) utriusque sexus, necnon Congregationum regularium ac hospitalium actu pauperum hospitalitatem non exercentium, ac Militiarum quarumcumque (non tamen sanctorum Mauritii et Lazari, ac hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, quae pro sui tutelâ contra Turcas et alios infideles alienis auxiliis continuo egent) in universo ducatu Sabaudiae et principatu Pedemontium, necnon Niceae Provinciae nuncupatae, et toto eius districtu ac territorio, et Statu Oneliae, ac in reliquâ temporali ditione dicti Caroli Emanuelis ducis ultra et citra montes existentium, a venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, praelatis, capitulis, conventibus, canonicis, rectoribus, caeterisque personis ecclesiasticis, saecularibus et quorumvis Ordinum et Milititiarum regularibus (etiam exemptis ac nobis et Apostolicae Sedi immediate subiectis) ecclesias, monasteria et alia beneficia ecclesiastica (saecularia vel regularia et militaria supradicta) in titulum, commendam, administrationem, aut aliàs quomodolibet obtinentibus, necnon ab aliis etiam, quibus fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta huiusmodi ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum supradictorum loco pensionum annuarum aut super illis pensiones annuae (etiam a similium decimarum solutione quantumcumque liberae et exemptae, et sub quibusvis obligationibus, etiam in formâ Camerae Apostolicae, et iuramento, etiam de non contraveniendo, ac fortasse etiam de non impetrando gratias apostolicas contra huiusmodi exemptiones et concessis non utendo, vallatae) reservatae[1] fuerint, et, intra triennium praedictum dumtaxat, reservabuntur, cuiuscumque praeeminentiae, dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existant (exceptis tamen sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, et, quoad parochialium ecclesiarum aliorumque beneficiorum personalem residentiam requirentium, quorum singulorum fructus, redditus, proventus, iura, obventiones ac distributiones quotidianae[2], aliaque emolumenta, tam certa quam incerta, valorem annuum centum scutorum monetae illarum partium vere et realiter non excedunt, possessores, arbitrio tuo remittimus, quos ab huiusmodi decimarum solutione liberos et exemptos esse volueris et declaraveris[3]); quos omnes supradictos unicâ singulis annis, dicto triennio durante, solutione intra terminum a fraternitate tuâ praefigendum decimam huiusmodi persolvisse[4], ita ut qui pensiones solvere debent, etiam nomine pensionariorum decimas huiusmodi persolvant, et deinde in proximis terminis

1 Aptius forsan legeretur *reservata* (R. T.).

2 Perperam edit. Main. legit *quotidianas* (R. T).

3 Sensus totius parenthesis videtur fere esse huiusmodi: *exceptis cardinalibus; quoad porro possessores beneficiorum residentialium, quorum fructus non excedunt annuum valorem centum scutorum, arbitrio suo remittimus iudicare, quos ex iis volueris aut declaraveris esse exemptos:* vel aliter: *exceptis primo cardinalibus, et deinde exceptis etiam possessoribus beneficiorum residentialium, quorum fructus non excedunt annuum valorem centum scutorum, quos (nam arbitrio tuo remittimus) tu volueris et declaraveris esse exemptos,* etc. Ast ad hunc sensum conficiendum lectio Mainardiana vel errata vel defectiva videtur (R. T.).

4 Etiam hic vel non intelligo, vel aliquod mendum irrepsit: sensus videtur esse huiusmodi: *quos omnes supradictos* (exceptis iis tantummodo qua in parenthesi nominati fuerunt) *unicâ singulis annis solutione persolvisse necessum erit* vel *obligamus; ita ut,* etc. (R. T.).

persolvendarum pensionum eam ratam sibi retineant ad rationem decem pro centenario, nisi eiusdem decimae collectores aut subcollectores ab ipsismet pensionariis eam exigere voluerint.

Nulla in contrarium obstante exemptione.

§ 2. Decernentes nullas omnino immunitates et exemptiones, etiam ex causâ resignationis, cessionis iurium, concordiae, conventionis, aut quacumque aliâ gravi et onerosâ occasione, quocumque modo concessas et dicto triennio durante concedendas (etiamsi possessores, usufructuarii, aut alii pensiones huiusmodi solvere habentes, iuri et actioni petendae vel retinendae portionis et ratae partis pensionarios contingentis iureiurando renunciaverint, et illa libere donaverint, ac facultati repetendi similiter renunciaverint, atque in formâ Camerae Apostolicae amplissimâ caverint) eosdem pensionarios aliquo modo excusare, seu integram solutionem huiusmodi minuere vel impedire posse;

Clausulae.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Nuncius apostolicus huiusmodi decimarum collector.

§ 4. Ut autem supradicta diligenter et fideliter exequutioni demandentur, fraternitatem tuam, cuius fides et prudentia nobis iam pridem cognita et probata existit, ac pro tempore existentem nostrum et Apostolicae Sedis apud eumdem Carolum Emanuelem ducem nuncium, generalem decimarum huiusmodi collectorem [1] cum omnibus privilegiis, iurisdictionibus et iuribus huiusmodi collectoribus de iure vel consuetudine quomodolibet competentibus, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, facimus, constituimus et deputamus.

Facultas ad id eidem concessae.

§ 5. Mandantes tibi ut huiusmodi decimas, a te vel subcollectoribus tuis iuxta declarationes infrascriptas deputandis exigendas, eidem Carolo Emanueli duci, vel ab eo deputato, integre consignari cures; dantes tibi plenam, liberam et absolutam potestatem et auctoritatem supradictos omnes, tam coniunctim quam divisim, ad integram huiusmodi decimae solutionem, etiam per edictum locis publicis affigendum, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, monendi et requirendi; non parentes, contumaces et fraudantes in censuras et poenas incidisse declarandi; proprietates, fructus, res et bona ipsorum apprehendendi et usque ad satisfactionem retinendi; contradictores, perturbatores, molestatores et rebelles quoscumque, eisque auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, quovis quaesito colore praestantes, cuiuscumque dignitatis, gradus et ordinis fuerint, praedictis aliisque censuris et poenis ecclesiasticis, necnon pecuniariis, caeterisque iuris et facti remediis opportunis, compellendi, illasque etiam iteratis vicibus aggravandi, dignitatibus, beneficiis et officiis omnibus privandi et amovendi, et ad futura inhabiles faciendi, interdictum ecclesiasticum apponendi, auxilium brachii saecularis, quandocumque opus fuerit, invocandi; ad sanitatem vero reversos, qui debite satisfecerint, ab omnibus censuris et poenis supradictis in formâ Ecclesiae consuetâ absolvendi, super irregularitate forsan incursâ dispensandi, et ad pristinum statum omnino restituendi; praeterea collectores et subcollectores fide et facultatibus idoneos in universo ducatu Sabaudiae et principatu

1 Eo tempore nuncius erat ipse episcopus Saonensis, ideoque de uno collectore sermo est (R.T.).

Pedemontium, necnon Niceae Provinciae nuncupatae et toto eius districtu ac territorio et Statu Oneliae, ac in reliquâ temporali ditione huiusmodi, quotquot videris expedire, cum simili aut limitatâ, non tamen absolvendi potestate, ut infra dicetur, constituendi, eumque vel eos arbitrio tuo revocandi, negligentes et morosos removendi, ac alium seu alios subrogandi, quotiescumque tibi videbitur; in delinquentes et contumaces per te, vel alium, seu alios, etiam simpliciter et de plano ac sine strepitu ac figurâ iudicii, inquirendi, et meritis poenis puniendi; modos et formas in praedictis servandos praescribendi, dubia quaecumque in praemissis forte oritura declarandi, et prorsus omnia et quaecumque circa ea necessaria et opportuna faciendi, statuendi et exequendi, etiamsi talia forent, quae mandatum exigerent magis speciale, quam praesentibus est expressum.

Modus verificandi cuiusque beneficii redditum.

§ 6. Verum pro verificando vero valore singulorum beneficiorum volumus et decernimus ut locorum Ordinarii in suâ quisque dioecesi, vocato clero unà cum duabus personis a praedicto Carolo Emanuele duce deputandis, declarare debeant quantum cuiusque beneficii ratione pro huiusmodi decimâ debeatur. Si quis se super huiusmodi declaratione gravatum senserit, gravaminis cognitio ad te pertineat.

Decimasque colligendi.

§ 7. Exactionem autem huiusmodi decimarum iuxta dictam declarationem in qualibet dioecesi a duobus collectoribus, ab episcopo et clero nominandis, et a te per tuas patentes litteras deputandis, faciendam esse; pecunias autem penes personas fide et facultatibus idoneas quemlibet episcopum deputandas curare, illasque postea statutis solutionum temporibus in manus tuas transmittere debere volumus et declaramus. Tu vero pecunias praedictas eidem Carolo Emanueli duci, aut ab eo deputato, consignare curabis.

Decem millia scuta solummodo quolibet anno exigenda.

§ 8. Caeterum, quia non intendimus eidem Carolo Emanueli duci ultra summam annuam decem millium scutorum auri in auro ratione huiusmodi decimarum ex qualibet ex dictis ditionibus, videlicet ducatus Sabaudiae, et principatus Pedemontium, et Niceae cum Statu Oneliae, concedere, volumus ut, si decimae in qualibet ex dictis ditionibus colligendae summam praedictam decem millium scutorum excesserint in notabili quantitate, tu illas (ratam partem in qualibet dioecesi respective minuendo) ad dictam summam in qualibet ex dictis ditionibus reducas, ita tamen ut, si in alterâ ex eisdem ditionibus decimae huiusmodi ad summam decem millium scutorum non ascenderint, et in alterâ eamdem summam excesserint, non debeant nec possint ex decimis unius excedentis suppleri decimae alterius ditionis deficientis.

Leges nonnullae servandae.

§ 9. Ad huiusmodi autem decimarum solutionem clerum civitatis et dioecesis salutiarum [1] ad instar aliorum teneri volumus et declaramus. Volumusque etiam ut tu ex decimis in principatu Pedemontium et Niceae ac Statu Oneliae praedictis (non autem in ducatu Sabaudiae), ut praefertur, exigendis, postquam exactae fuerint, decimam partem pro tuâ provisione retinere possis; ita tamen ut clerus nihil ratione huiusmodi provisionis, aut aliâ quavis de causâ, ulterius solvat, quam integras decimas supradictas. Tu vero ex singulis decem, per te pro tuâ decimâ parte ut supra exactis, duo nostro et sanctae Romanae Ecclesiae camerario cum effectu persolvas.

Contraria tolluntur.

§ 10. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali

1 Ita in editione Main.; sed forsitan legi debet *Salutiarum* (R. T.)

editâ de duabus dietis, ac aliis apostolicis constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, congregationum, hospitalium, militiarum et locorum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis; quodque[1] praelatis et personis praedictis, eorumque ecclesiis et locis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto, necnon personis, earumque nominibus, cognominibus, ecclesiis, monasteriis, Ordinibus et locis huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, in genere et in specie, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, et solutiones decimarum aliter quam secundum antiquam taxam et nisi in universali decimarum per orbem impositione fieri prohibentibus, necnon promissionibus, donationibus, obligationibus, iuramentis, renunciationibus, vinculis et cautelis in assignatione praedictarum pensionum factis (quibus per impositionem decimae huiusmodi neminem teneri, neque eas quoad praemissa contra quemquam locum habere declaramus), aliisque indultis, et litteris apostolicis, generalibus et specialibus, cuiuscumque tenoris existant (per quae praesentibus non expressa aut omnino non inserta effectus earum impediri quomodolibet valeat vel differri et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis), quae omnia contra praedicta nolumus cuiquam suffragari, caeterisque contrariis quibuscumque.

Clementis V constitutio servanda.

§ 11. In percipiendâ verò decimâ praedictâ Constitutionem piae memoriae Clementis Papae V, etiam praedecessoris nostri, in Concilio Viennensi editam[1], ac praesertim quoad monetam currentem exigi, quodque nec calices, nec libri caeteraque ecclesiarum ornamenta divino cultui dicata, aliaque supellex ecclesiastica ex causâ pignoris capi, recipi, vel distrahi, aut aliâs quomodolibet occupari debeant: quinimo volumus ut illius occasione ecclesiae, monasteria aliaque pia et sacra loca quaecumque debitis propterea non fraudentur obsequiis, ac divinus in iis cultus ac solitus Altissimo famulantium et ministrorum numerus nullatenus minuatur, neque eis quoquomodo iniuncta onera, aut pia, quae exerceri solent, opera et officia ullo modo minuantur seu negligantur, sed illorum congrue supportentur onera consueta. Nec quisquam etiam plura, aut fortasse beneficia, aut pensiones quanticumque valoris obtinens pro quietantiâ ultra vigesimam partem unius aurei nummi solvere cogatur.

Transumptis danda fides.

§ 12. Praesentium vero litterarum exempla etiam impressa notarii publici manu subscripta, ac tuo sigillo obsignata, eamdem in iudicio et extra illud ubique locorum fidem facere, quam ipsae originales facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die VI iulii MDCVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 6 iulii 1606, pontif. an. I.

XLIII.

Extensio et nova concessio gratiarum et privilegiorum Congregationi Regulari Beatae Mariae Fuliensis monachorum Ordinis Cisterciensis[2].

1 Idest: *et non obstante quod* (R. T.).

1 Quam in *Bull.* reperire non valeo (R. T.).

2 Institutionem et alia de hac Congreg. vide

Paulus Episcopus
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Diviná disponente clementiâ in eminenti apostolatus speculâ, meritis licet imparibus, constituti, animo revolventes, quod, etsi ea, quae pro salutari et quieto[1] christifidelium quorumlibet (praesertim, sub Religionis iugo regularibusque piae vitae institutis, virtutum Domino famulantium) laudabili et providâ Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum ordinatione concessa et facta dignoscuntur, plenam roboris obtineant firmitatem, illis nihilominus nostrae approbationis et innovationis robur adiicimus, ut eo firmius illibata perdurent, quo saepius erunt Sedis Apostolicae praesidio communita, efficacemque[2] operam circa earumdem conservationem libenter adhibemus, ut fideles ipsi, privilegiis et gratiis sibi concessis huiusmodi in Domino plene gaudentes, in pacis et tranquillitatis amoenitate conquiescant, ac in eorum instituti Regularis observantiâ et mandatorum Domini semitâ ac erga dictam Sedem devotione ferventius perseverent.

Sixtus V hanc Congregationem instituit, eique privilegia concessit ut hic in rubrica.

§ 1. Sane, pro parte dilecti filii Ioannis a sancto Hieronymo, vicarii generalis Congregationis Regularis beatae Mariae Fuliensis nuncupatae, nobis exhibita petitio continebat, quod aliàs, postquam felicis recordationis Sixtus Papa V praedecessor noster, *etc. (Omittuntur reliqua, quia Sixti V Constitutio legi potest loco citato in nota ad rubricam)*.

Clemens VIII illa ampliavit ut in constit. hic citat.

§ 2. Piae memoriae Clemens Papa VIII, etiam praedecessor noster, ob laudabilem vitam et plurimas alias virtutes et opera fructuosa, *etc. (Omittitur residuum quia legitur,* tom. x, pag. 471).

Congregatio nunc supplicat Pontifici pro confirmatione et extensione dictorum privilegiorum.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ioannes vicarius generalis, prae caeteris sibi, iuxta statuta et ordinationes ipsius Congregationis, usque ad proximam illius capituli generalis celebrationem demandati officii vicariatus generalis dictae Congregationis, post obitum quondam Petri a sancto Bernardo superioris generalis eiusdem Congregationis ad praesens defuncti, incumbentibus sollicitudinibus, hanc curam potissimam suam existimans, ut per Sixtum et Clementem praedecessores praefatos concessa et approbata in suo robore conserventur, propterea praemissa omnia, etiam munimine nostro roborari summopere desideret; pro parte eiusdem Ioannis vicarii generalis nobis fuit humiliter supplicatum, ut singulis litteris eidem Congregationi concessis praedictis, pro illarum viridi observantiâ, etiam robur nostrae confirmationis adiicere, aliàsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Qui iuxta petita concedit.

§ 4. Nos igitur, qui dictae Congregationis Fuliensis et monachorum eius statum prosperum et tranquillum (propter uberes fructus, quos Congregatio ipsa, multâ praefulgens gloriâ meritorum et gratiâ sanctitatis, in agro militantis Ecclesiae hactenus produxit utiliter ac producit, et in futurum producturam fore spe firmâ tenemus) intensis desideramus affectibus, praedictorum Sixti et Clementis, ac aliorum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, ipsumque Ioannem vicarium generalem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine,

in Constit. XLIV Sixti V, *Religiosos*, t. VIII p. 700.

1 Hic statim supple *statu* vel *regimine* vel aliquid simile, nam in sequentibus necessarium huiusmodi substantivum frustra requires (R. T.).

2 Videtur legendum *efficacem*, ut syntaxis incepta per verba *animo revolventes*, quae adhuc manet suspensa, suum tandem exitum et complementum accipiat; vel ab initio legendum fuit *animo revolvimus* (R. T.)

quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, eiusdem Ioannis vicarii generalis supplicationibus huiusmodi in hac parte etiam inclinati, Sixti et Clementis praedecessorum litteras huiusmodi eidem Congregationi Fuliensi, ac illius monasteriis, prioratibus, oratoriis et locis, necnon eorum superioribus, abbatibus, monachis, monialibus et religiosis, in genere vel in specie, sub quacumque verborum formâ concessas, ac omnia et singula in eis contenta (quatenus sint in usu, et dicti Concilii Tridentini decretis ac aliis canonicis sanctionibus non contrarientur, nec sub ullis revocationibus apostolicis comprehendantur) apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, ac illa perpetuae firmitatis robur obtinere debere decernimus.

Extenditque et communicat privilegia aliorum quorumcumque Ordinorum monasticorum.

§ 5. Et insuper (ut monachi et religiosi Congregationis huiusmodi tanto ferventius divinis beneplacitis insistant, quanto maioribus se viderint spiritualibus gratiis fore munitos) omnia et singula privilegia, praerogativas, concessiones, favores, facultates, declarationes, conservatorias, immunitates, exemptiones, libertates, caeterasque gratias, praeeminentias et indulta cuiusvis generis existentia, et spiritualia et temporalia, qualiacumque illa sint, quae tam eidem Cisterciensi Ordini ac abbati monasterii Cistercii ac eiusdem Cisterciensis Ordinis[1] capitulo etiam generali ac quibusvis monasteriorum abbatibus, etiam quatuor primis, videlicet, de Firmitate, Pontiniaco, Claravalle et Morimundo, quam etiam aliis Religionibus monasticis eorumque professoribus ac utriusque sexus eorum monasteriis, ecclesiis, necnon dilectis filiis earumdem Religionum generalibus, praesidentibus et quibusvis superioribus, praelatis et capitulis, etiam generalibus et provincialibus, seu intermediis, eorumque definitoribus, abbatibus, prioribus, abbatissis, monachis, monialibus, novitiis, fratribus, conversis, donatis, ac quibusvis eorum et earum utriusque sexus regularibus personis, tam in dictâ urbe, quam etiam in quibuscumque mundi partibus consistentibus, et illorum intuitu, aut aliàs quomodolibet, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, seu per nos et successores nostros, aut alios auctoritatem habentes, concessa sunt et concedentur, quibus de iure, usu, consuetudine, vel privilegio, seu concessione apostolicâ, vel imperiali, archiepiscopali, episcopali, in genere vel in specie, ac tam coniunctim quam divisim, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt vel poterunt in futurum (quorum[1] concessorum tenores praesentibus pro expressis habentes, ac si de verbo ad verbum insererentur, etiamsi talia sint, quae specialem et individuam requirerent mentionem, et seu particularem insertionem) ad dictam Congregationem Fuliensem ac singula illius tam virorum quam mulierum monasteria illorumque superiores, praelatos et quascumque utriusque sexus regulares personas, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo extendimus, illaque eis communicamus, et de novo concedimus ac suffragari volumus. Ita tamen quod dicta Congregatio Fuliensis, illiusque utriusque sexus monasteria, prioratus, grangiae, domus, ecclesiae, oratoria, collegia, pia et charitativa loca, res et bona, sanctorumque festivitates, conventus et capitula, etiam generalia, par-

1 Coniunct. *et* hic interiectam delemus (R. T.).

1 Vel hic lege *horum* vel paulo post *habemus* (R. T.).

ticularia seu provincialia, eorumque superiores generales et seniores assistentes, definitores, visitatores, abbates, abbatissae, priores et quicumque alii superiores, necnon officiales, ministri, monachi, moniales, novitii, conversi, donati, familiares, procuratores et negotiorum gestores, benefactores et aliae singulares utriusque sexus regulares personae sub eorum curâ et secundum eiusdem Congregationis instituta nunc et pro tempore degentes et existentes, praemissis omnibus et singulis, aeque pariformiter respective, et absque ullà penitus differentià, singula singulis concernentia (perinde ac si ea omnia illis et eorum singulis principaliter et expresse, et non ad instar concessa, ac si in eis talis Congregatio Fuliensis, illiusque capitula, monasteria, ecclesiae dictique superiores, praelati ac utriusque sexus personae, res et bona expressa, praenominata[1], necnon a principio in favorem eorumdem a Sede Apostolicâ emanassent, et immediate concessa essent et fuissent), in quantum eidem Congregationi expediat, eiusque gubernio et constitutionibus non adversentur, uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant.

Decernit quod praesentes litterae non comprehendantur sub quibuscumque revocationibus, et arum quodque de vitio subreptionis notari non possint.

§ 6. Et insuper praesentes litteras sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, aut derogationibus similium vel dissimilium gratiarum, concessionum et aliorum quorumcumque nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse et censeri debere, ac quovis quaesito colore vel ingenio de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae defectu notari vel impugnari nullatenus posse, sed illas semper validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et inviolabiliter observari, ac eidem Congregationi Fuliensi, illiusque superiori generali et monachis perpetuo suffragari;

Apponit decretum irritans.

§ 7. Sicque, et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, et ipsius sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, in quibusvis causis et instantiis, iudicari et definiri debere; necnon, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Deputat iudices cum amplissimis facultatibus pro illarum exequutione.

§ 8. Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Tolosano et episcopo Parisiensi, ac dilecto filio causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi, ubi et quando opus fuerit (ac quoties pro parte dicti Ioanni vicarii generalis, necnon pro tempore existentis superioris generalis, ac dictorum filiorum abbatum et aliorum superiorum dictae Congregationis Fuliensis, in praemissis ius et interesse quomodolibet habentium, seu alicuius eorum, desuper fuerint requisiti) solemniter publicantes, eisque in eisdem praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrà praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari, ac etiam vicarium generalem pro tempore existentem, aliosque superiores et abbates Congregationis et interesse habentes huiusmodi, necnon eorum singulos, illis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos aut aliquem eorum desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes, per

1 Melius fortasse legeretur *praenominata, expressa,* nempe, *fuissent* (R. T.).

sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII, similiter praedecessoris nostri, qua cavetur expresse, ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis tunc expressis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a praedictâ Sede deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere audeant, vel praesumant, et in concilio generali editâ de duabus, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque quibusvis apostolicis, nec non in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac etiam aliorum monasteriorum, ecclesiarum, Ordinum statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis ac litteris apostolicis, illis vel alicui eorum, et praesertim eidem Cisterciensi Ordini ac abbati monasterii Cistercii, superioribus et personis, per quoscumque Romanos Pontifices pariter praedecessores nostros et Sedem praedictam, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu simili, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potentatis plenitudine, etiam forsan consistorialiter, aut aliâs quomodolibet, in genere vel in specie, concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ac nemini in praeiudicium praemissorum suffragari posse aut debere decernimus: necnon omnibus illis, quae Sixtus et Clemens praedecessores praedicti in dictis suis litteris voluerunt non obstare, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus, communiter vel divisim, a dictâ sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Decernit quod transumptis harum litterarum plena fides adhibeatur.

§ 10. Et quia difficile foret praesentes litteras originaliter ad omnia et singula loca, in quibus opus esset, deferri, volumus et praedictâ auctoritate apostolicâ decernimus quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, aut manu superioris generalis, et sigillo eiusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae originalibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, *etc.* Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, *etc.*

Datum Romae apud sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo sexto, v idus iulii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 11 iulii 1606, pontif. an. II.

XLIV [1].

Sequitur alia non absimilis eidem Congregationi Fuliensi gratiarum concessio.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

In supereminentis apostolicae dignitatis speculâ, supernâ dispositione, meritis licet imparibus, constituti, ex incumbente nobis apostolicae sollicitudinis officio circa curam ecclesiarum et monasteriorum omnium solertiâ reddimur indefessâ solliciti, ut, iuxta debitum pastoralis officii, eorum occurramus dispendiis, et profectibus, divinâ cooperante clementiâ, salubriter intendamus.

Clemens VIII Congregationem Beatae Mariae Fuliensis a regimine abbatis generalis Ordinis Cisterciensis exemit.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, licet aliàs felicis recordationis Clemens Papa VIII, praedecessor noster, Congregationem beatae Mariae Fuliensis Cisterciensis Ordinis, illiusque superiorem generalem, abbates, abbatissas, priores, monachos, moniales et alias quascumque singulares personas, necnon monasteria, grangias, loca et bona quaecumque tunc praesentia et futura et ad eos quomodolibet spectantia et pertinentia, et quae deinceps spectarent et pertinerent illisque concederentur vel ad illos devolverentur, ab omni iurisdictione, gubernatione, regimine, subiectione, administratione, obedientiâ, visitatione, correctione et emendatione abbatis generalis Ordinis Cisterciensis et aliorum pro tempore existentium abbatum, praelatorum et superiorum eiusdem Ordinis Cisterciensis, auctoritate apostolicâ perpetuo exemerit, dictamque Congregationem ac superiorem generalem, necnon abbates, abbatissas, priores, monachos, moniales, monasteria et bona praedicta sub immediatam suam et Sedis Apostolicae protectionem, regimen, subiectionem, gubernationem et obedientiam receperit;

Et hic Pontifex eam modo nedum eximit ab omni superioritate praelatorum Ordinis Cisterciensis, sed etiam omnium ordinariorum ac iudicum ecclesiasticorum.

§ 2. Nihilominus quidam locorum Ordinarii in causis et negotiis dictae Congregationis sese ingerere non verentes, sub praetextu quod in litteris praedicti Clementis praedecessoris nulla de exemptione a locorum Ordinariorum iurisdictione mentio facta fuerit, dictae Congregationis monachos multiplici vexatione perturbant: nos igitur qui dictae Congregationis Fuliensis et monachorum eius statum prosperum et tranquillum (propter uberes fructus quos Congregatio ipsa in agro militantis Ecclesiae hactenus produxit utiliter ac producit, et in futurum producturam fore spe firmâ tenemus) intensis desideramus affectibus, eiusdem Congregationis monachorum aliarumque utriusque sexus regularium personarum (ut maiori cum quiete ac spiritus fervore, iuxta eorum regularia instituta, Altissimo gratum exhibeant famulatum) statui opportunius providere volentes, illosque intimâ charitate prosequentes, necnon superiorem generalem ac omnes et singulas personas eiusdem Congregationis a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomobolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad alicuius nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed de nostrâ merâ liberalitate ac certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, Congregationem praedictam Fuliensem, eiusque generalem, abbates, abbatissas,

[1] In edit. Main. sequens Constitutio absque numero additur praecedenti; nos eam numerare sicut caeteras iudicavimus. Porro, etsi datâ posteriore, tamen hoc loco eam referimus et apponimus praecedenti propter materiae identitatem (R. T.).

priores, monachos, moniales, conversos, donatos, novitios, vassallos, eorumque monasteria, domos, grangias, et in eis servientes, loca, res et bona quaecumque praesentia et futura atque ad ea quomodolibet spectantia et pertinentia et quae deinceps ad ea spectabunt et pertinebunt illisque concedentur vel ad ea devolventur, denuo ab omni superioritate, iurisdictione, gubernatione, regimine, administratione, subiectione, obedientiâ, dominio, visitatione et emendatione non solum Cistercii, Claraevallensis et aliorum nunc et pro tempore existentium generalium ac Morimundensis et aliorum abbatum, praelatorum et superiorum Ordinis Cisterciensis, quacumque auctoritate fungentium et functurorum, sed etiam quorumcumque archiepiscoporum, episcoporum et aliorum Ordinariorum, ac iudicum ecclesiasticorum, praelatorum et aliarum personarum quacumque auctoritate fungentium et functurorum, et quantumvis amplisssimis privilegiis utentium et usurorum, perpetuo prorsus eximimus et totaliter liberamus.

Congregationemque Fuliensem sub immediata Sedis Apostolicae protectione recipit.

§ 3. Ipsamque Congregationem Fuliensem eiusque generalem, necnon abbates, abbatissas, priores, monachos, moniales, conversos, donatos, novitios, monasteria, grangias, domos, loca, res et bona praedicta sub immediatam nostram et Sedis Apostolicae protectionem, regimen, subiectionem, gubernationem et obedientiam recipimus.

Monachos Congregationis Fuliensis a nemine excommunicari suspendi vel interdici, neque coram aliis iudicibus ad iudicia vocari posse decernit.

§ 4. Ita quod archiepiscopi, episcopi, Ordinarii, vicarii, iudices et officiales praedicti, etiam ratione delicti, aut contractus, vel rei de qua ageretur, nullam in eos et eorum aliquem, aut monasteria, membra et bona praedicta, tamquam prorsus exemptos et exempta, iurisdictionem, correctionem, superioritatem, dominium vel potestatem exercere, aut excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, aut quasvis alias sententias, censuras et poenas ecclesiasticas promulgare praesumant, seu possint aut debeant quoquo modo: nec ipsi sic exempti, nisi iuxta formam Concilii Tridentini, coram illis aut ipsius Sedis Apostolicae delegatis (nisi in litteris eis pro tempore directis de praesentibus specialis, specifica et expressa ac de verbo ad verbum mentio fiat) ad iudicium evocari, aut quovis modo, directe vel indirecte, molestari possint. Decernentes omnes et singulos processus, sententias, censuras et poenas, quos et quas per archiepiscopos, episcopos, seu eorum aliquem contra superiorem generalem, abbates et alios sic exemptos, necnon monasteria et loca huiusmodi etiam exempta, ut praefertur, haberi vel promulgari, necnon quidquid secus super his ab eis et alio quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irrita et inania nulliusque roboris vel momenti.

His, qui monachos etiam ratione decimae perturbaverint, poenas imponit.

§ 5. Necnon praedictis archiepiscopis, eorum vicariis generalibus ac aliis ordinariis iudicibus ecclesiasticis et saecularibus, necnon praelatis etiam dicti Ordinis Cisterciensis, et aliis quibuscumque personis praesentibus et futuris, cuiuscumque dignitatis, gradus et conditionis sint et fuerint, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae poenâ (a qua nonnisi a Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo, absolvi possint), praecipimus et mandamus, ne impostenum perpetuis futuris temporibus in rebus et negociis, etiam ratione delicti vel contractus ubicumque commissi vel initi, sese ingerere, aut generalem, abbates et alias eiusdem Congregationis utriusque sexus personas, vassallos, subditos, familiares et in eis servientes quomodolibet molestare, vel in aliquo perturbare, aut bona praedicta occupare, vel de ter-

ris et possessionibus suis, praesentibus et futuris, quas propriis manibus excolunt, aut aliis excolenda tradiderunt et tradent, quomodolibet in futurum decimas, taleas aut aliud quodcumque genus exactionis, etiam praetextu cuiuscumque visitationis aut transitus, necnon de hortis, virgultis et piscationibus suis, ac de suorum animalium nutrimentis, exigere aut extorquere audeant vel praesumant.

Literas Martini V et aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum circa exemptiones decimarum innovat.

§ 6. Innovantes (praeterquam in iis, in quibus Concilio Tridentino praedicto adversantur) super hoc litteras exemptionis felicis recordationis Martini V, Sixti IV, Innocentii VIII et aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum eidem Ordini Cisterciensi concessas, et dictae Congregationi Fuliensi aliàs per nos communicatas, quibus universus Cisterciensis Ordo a solutione decimarum prorsus eximitur, quarum tenores, ut praemittitur, praesentibus pro sufficienter expressis, ac si de verbo ad verbum insererentur, haberi volumus.

Congregationis Fuliensis omnibus et singulis privilegiis Ordinum mendicantium gaudere posse indulget.

§ 7. Et insuper (ut monachi et religiosi Congregationis huiusmodi tanto ferventius divinis beneplacitis insistant, quanto maioribus se viderint spiritualibus gratiis fore munitos) omnia et singula privilegia, praerogativas, concessiones, favores, facultates, declarationes, immunitates, exemptiones, libertates, caeterasque gratias, praeeminentias et indulta cuiusvis generis existentia, spiritualia et temporalia, qualiacumque illa sint, quibusvis Mendicantium Ordinum congregationibus, eorumque professoribus, ac utriusque sexus eorum monasteriis, ecclesiis, domibus, collegiis, regularibus locis, necnon dilectis filiis earumdem Religionum et Congregationum generalibus praepositis, superioribus, praelatis et capitulis, tam generalibus quam provincialibus, fratribus, monialibus, novitiis, conversis, donatis, ac quibusvis eorum et earum utriusque sexus regularibus personis, in quibuscumque mundi partibus consistentibus, etiam illorum intuitu, et per viam communicationis, extensionis aut aliàs quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, seu per nos et successores nostros, aut alios auctoritatem habentes concessa sunt, et imposterum concedentur, ac quibus singulae Congregationes praedictae, eorumque monasteria, ecclesiae, domus et loca, ac superiores, fratres, moniales et personae huiusmodi de iure, usu et consuetudine, vel privilegio, aut concessione apostolicà vel alià quavis auctoritate, in genere vel in specie, ac tam coniunctim quam divisim, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt vel poterunt quomodolibet in futurum (quarum concessionum tenores praesentibus pro expressis habentes, ac si de verbo ad verbum insererentur, etiam si talia sint et forent, quae specialem et individuam requirerent mentionem, seu particularem insertionem) quatenus sint in usu et non sint revocata, neque sub ullis revocationibus comprehensa, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis non adversentur, ad eamdem Congregationem Fuliensem, et singula illius tam virorum quam mulierum monasteria, illorumque superiores, abbates, praelatos et quascumque utriusque sexus regulares personas, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo extendimus, illaque eis communicamus et de novo concedimus, ac suffragari volumus. Decernentes etiam praesentes litteras et in eis contenta quaecumque nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quocumque defectu

notari, impugnari aut aliàs quomodolibet infringi, retractari, seu invalidari ex quacumque causâ vel praetextu minime posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, aliosque commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate) iudicari, definiri et interpretari debere, ac ex nunc irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, eisdem auctoritate et tenore decernimus.

Exequutorum deputatio.

§ 8. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis Taurinensi, Rothomagensi et Tholosano, ac episcopo Parisiensi, nec non dilecto filio causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte generalis pro tempore existentis, et aliorum superiorum et personarum dictae Congregationis Fuliensis fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio quorumcumque in contrarium facientium.

§ 9. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de unâ, et in concilio generali editâ de duabus diaetis, dummodo aliquis auctoritate praesentium ultra tres diaetas ad iudicium non trahatur, ac quibusvis aliis apostolicis, ac in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac dictorum Ordinariorum locorum et Ordinum Cisterciensis et Mendicantium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eorumdem Ordinariorum et Ordinum Cisterciensis et Mendicantium, illorumque generalibus, abbatibus, superioribus, ecclesiis, monasteriis et personis praefatis, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, in contrarium praemissorum, concessis, ac pluries confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausalas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; aut si eisdem locorum Ordinariis, iudicibus et vicariis, necnon generalibus, abbatibus, superioribus Ordinum huiusmodi, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum mano generalis et sigillo

§ 10. Caeterum volumus et dictâ auctoritate decernimus quod earumdem

Congregationis monitorum fides.

praesentium transumptis manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, aut manu generalis, et sigillo eiusdem Congregationis Fuliensis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et alibi, ubi opus fuerit, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die XXI novembris MDCVII, pontificatus nostri anno III[1].

Dat. die 21 novembris 1607, pontif. an. III.

XLV.

Confirmatio sententiae latae a nonnullis cardinalibus delegatis, qua declaratur conventum sanctissimae Trinitatis in Monte Pincio Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paulâ ad fratres nationis Gallicae pertinere, soliusque correctoris generalis visitationi esse subiectum[2].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Romani Pontificis, in quo divinâ dispositione potestatis plenitudo consistit, prudentia circumspecta ad ea, quae statui prospero praesertim regularium locorum quorumlibet et[3] in illis studio piae vitae deditarum personarum profutura conspicit, operosis studiis intendit, et his, quae[4] propterea ordinata fuisse dicuntur, ut illibata persistant, apostolici muniminis adiicit firmitatem, et aliàs desuper disponit, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Clemens VIII et Leo XI controversiam vertentem inter fratres nationis Gallicanae et fratres aliarum nationum Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paula super conventu sanctissimae Trinitatis in Monte Pincio duobus cardinalibus definiendam commisere.

§ 1. Sane, pro parte charissimi in Christo filii nostri Henrici Francorum et Navarrae regis christianissimi nobis nuper exhibita petitio continebat, quod [cum aliàs, seu nuper (postquam lites et controversiae inter ipsum regem et dilectos filios fratres nationis Gallicanae Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paulâ domus seu conventus sanctissimae Trinitatis in Monte Pincio de Urbe ex unâ, et fratres aliarum nationum eiusdem Ordinis ex alterâ partibus[1], occasione habitationis, residentiae, regiminis et praeeminentiae dictae domus seu conventus, ortae extitissent) et graviores in dies oriri formidarentur, felicis recordationis Clemens Papa VIII et Leo XI praedecessores nostri, desiderantes litibus et controversiis huiusmodi finem imponere, ac quieti et tranquillitati dictae domus sive conventus in perpetuum consulere, dilectis filiis nostris Pompeio tituli sanctae Balbinae Arigonio, necnon Hieronymo titulo sancti Blasii de Annulo Pamphilio nuncupatis, sanctae Romanae Ecclesiae presbyteris cardinalibus, differentiarum et controversiarum huiusmodi causam per specialia rescripta terminandam commiserint], ipsi[2] cardinales, praeviâ per eos super praemissis maturâ deliberatione habitâ, definitivam in scriptis tulerint, et pronunciaverint sententiam tenoris subsequentis, videlicet[3]:

Iudices delegati declarant correctorem huius conventus ex Gallis esse eligendum dictumque conventum solius correctoris ge-

§ 2. Die XX iunii MDCV, Christi nomine invocato. Pro tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, per hanc nostram definitivam sententiam, quam una-

1 Quoad datum huius Constitutionis vide notam ab initio illius positam; sed erronee edit. Main. habet *1606*, *pontif. an.* II.
2 Ex Regest. in Secret. Brev.
3 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).
4 Istud relativum *quae* deesse censuimus (R. T.).

1 Ordine deturbato verborum edit. Main. habet *partibus ex alterâ* (R. T.).
2 Edit. Main. habet *ipsique*, synt. inabsolutâ.
3 Turbatissime, ut solet, edit. Main. hanc vocem *videlicet* post initium § seq. et post verba *die XX iunii MDCV* ponit (R. T.).

neralis visitationi esse subiectum.

nimiter in his scriptis de iuris peritorum consilio et assensu ferimus in causâ et causis, quae coram nobis virtute specialium brevium seu commissionum felicis recordationis Clementis VIII et Leonis XI vertuntur inter charissimum Galliarum regem et fratres nationis Gallicae Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paulâ conventus sanctissimae Trinitatis in Monte Pincio ex unâ, et fratres aliarum nationum eiusdem Ordinis ex alterâ partibus [1], de et super habitatione, residentiâ, regimine et praeeminentiâ dicti conventus seu domus sanctissimae Trinitatis, rebusque in actis causae et causarum praedictarum latius coram nobis deductis, dicimus, sententiamus, decernimus et declaramus conventum praedictum sanctissimae Trinitatis in Monte Pincio de Urbe per fratres Gallicae nationis regendum et habitandum, quamdiu inveniantur qui inibi residere et cultui divino insistere voluerint; ita ut de caetero, quamdiu fratres dicti Ordinis praedictae nationis Gallicae idonei reperientur, ut praemissum est, nullus alius quam eiusdem nationis Gallicae in correctorem eligi seu admitti, aut electus confirmari quoquomodo possit seu prsesumatur; necnon domum seu conventum praedictum sanctissimae Trinitatis ab omni et quacumque superioritate, iurisdictione, visitatione, correctione, subiectione et obedientiâ (praeterquam pro tempore existentis reverendi patris correctoris generalis, vel eius oculati visitatoris) penitus esse liberum, immunem et exemptum; vexationes et impedimenta [2], perturbationes et molestationes quascumque per dictos fratres aliarum nationum de et super praemissis et illorum occasione quomodolibet factas et praestitas, factaque et praestita, fuisse et esse temerarias, illicitas, indebitas, iniquas et iniustas, temerariaque et illicita, indebita et iniusta, ac de facto praesumptas et praesumpta, illasque et illa ipsis fratribus aliarum nationum minime licuisse neque licere; et propterea illis et quibuscumque praetensionibus eorumdem fratrum aliarum nationum de et super praemissis imponendum perpetuum silentium fore et esse, prout imponimus; mandatumque desuper necessarium et opportunum, etiam de manutenendo, decernendum et relaxandum fore et esse, prout decernimus et relaxamus, dictosque fratres aliarum nationum ab expensis hactenus factis absolvimus; et ita dicimus, declaramus, decernimus, pronunciamus et definitive sententiamus, non solum modo et formâ praemissis, sed etiam omni meliori modo. Ita pronunciamus, Pompeius cardinalis Arigonius. Ita pronunciamus, Hieronymus cardinalis Pamphilius.

Paulus dictam sententiam confirmat.

§ 3. Nos attendentes praedictos nationis Gallicae dicti Ordinis fratres hactenus pie et religiose cum odore bonae famae sub suavi dicti Ordinis iugo in dicto conventu vixisse et de praesenti vivere, aliisque aliarum nationum eiusdem Ordinis fratribus pietate, moribus et observantiâ regulari praeluxisse et praelucere, ob idque Ordinem huiusmodi inibi a suo laudabili statu [1], ac illius fratres praedictos in perpetuis tranquillitate et pace fovere, necnon quibusvis litibus, discordiis et scandalis obviare volentes, eiusdem Henrici regis christianissimi supplicationibus hac in parte inclinati, praedictam sententiam, ac omnia et singula in eâ contenta ac expressa quaecumque, ex certâ nostrâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, auctoritate apostolicâ, tenore

1 Iterum edit. Main. habet *partibus ex alterâ* (R. T).

2 Melius fortasse leges: *et vexationes, impedimenta, perturbationes et molestationes quascumque* (R. T.)

1 Videtur supplendum *deturbari impedire*, nempe *volentes*, uti postea dicetur (R. T.).

praesentium, approbamus et confirmamus, illique perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos solemnitatum et alios defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Poenas contra inobedientes statuit.

§ 4. Districtius inhibentes pro tempore existentibus generali correctori et fratribus dicti Ordinis, ac eorum singulis, sub maioris excommunicationis latae sententiae, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, necnon privationis dignitatum, officiorum, vocisque activae et passivae, et perpetuae inhabilitatis ad illa vel alia imposterum obtinenda per eorum quemlibet (si contravenerint, seu [1] aliquis eorum contravenerit) eo ipso incurrendis poenis, ne de caetero quosvis alios, quam praedictae nationis Gallicanae, dicti Ordinis fratres in conventus huiusmodi correctores seu aliàs locales et conventuales vel habitatores eligere, aut electos confirmare, inibique recipere, vel eis locum et domicilium assignare, seu etiam quoquomodo eos admittere vel tolerare praesumant (nolumus tamen quod fratres dictae nationis Gallicae, qui fugitivi seu quavis aliâ iuris aut facti infamiâ notati fuerint, in dictâ domo seu conventu recipiantur vel admittantur); decernentes ex nunc irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores deputat.

§ 5. Quocirca venerabili fratri episcopo Sabinensi, ac dilectis filiis nostro in almâ Urbe vicario et causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte regis christianissimi et correctoris ac fratrum dictae domus sanctissimae Trinitatis, aut alicuius eorum, requisiti fuerint, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostrâ illos et eorum quemlibet praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet molestari, perturbari et inquietari; contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogat contrariis.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, necnon privilegiis, indultis et litteris apostolicis in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab apostolicâ sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XIII iulii MDCVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 13 iulii 1606, pontif. an. II.

---

1 Supple *si* (R. T.).

XLVI.

Extensio ad aliud sexennium indulti a Clemente VIII concessi ut parochiales ecclesiae regni Valentiae et illarum perpetuae vicariae, pro Mauris ad fidem christianam conversis instruendis erectae, non solum dicti regni indigenis, sed etiam alienigenis et quorumvis aliorum regnorum naturaliter conferri possint, non obstantibus litteris Sixti V[1].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Romani Pontificis providentia circumspecta ad ea sollicito studio respicere debet, per quae catholicae fidei conservationi et animarum saluti opportune consulatur.

Clementis VIII litterae de quibus in rubrica recensentur.

§ 1. Aliàs siquidem a felicis recordationis Clemente Papa VIII, praedecessore nostro, emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: Clemens Papa VIII, ad futuram rei memoriam. Decet Romanum Pontificem suae provisionis ministerio prospicere, ut constitutiones a praedecessoribus[2] quandoque, pro temporum et locorum qualitate, ac praesertim pro divini cultus augmento et animarum salute, suspendantur. Cum itaque felicis recordationis Sixtus Papa V, praedecessor noster, suà perpetuo valiturà constitutione statuerit et ordinaverit, ut perpetuis futuris temporibus omnia et singula beneficia ecclesiastica in regno Valentiae, tunc et pro tempore consistentia, etiamsi parochiales ecclesiae seu earum perpetuae vicariae essent, et quoquo modo pro tempore vacarent, solis indigenis regni praedicti, vere, realiter et non ficte in eo natis et nascituris, conferri deberent: decernens inter alia, quascumque collationes aliasque dispositiones de quibuscumque beneficiis regni praedicti contra huiusmodi statuti formam pro tempore factas ipso iure nullas et invalidas fore et esse, ipsique statuto nullatenus derogari posse (voluit tamen ut si aliquando dictis indigenis, ut in alio regno beneficia obtinere possent, permitteretur, tunc vicissim, ut indigenae illius regni ad beneficia regni Valentiae obtinenda habiles efficiantur), et aliàs, prout in eiusdem Sixti praedecessoris desuper expeditis litteris nonis septembris, pontificatus sui anno III, plenius continetur[1]; cumque charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus nobis nuper exponi fecerit, in praedicto regno multa esse oppida, terras et loca a christianis morischis appellatis, seu descendentibus a Mauris, seu aliàs noviter conversis in toto vel in parte inhabitata[2], et praeterea pro eorum in fide christianà faciliori instructione complures parochiales ecclesias, etiam auctoritate praedecessorum nostrorum, noviter erectas esse, et adhuc alias etiam auctoritate nostrà erigi procurari, quo fit ut difficile sit tot reperiri viros eiusdem regni indigenas, seu naturales, qui in eo orti sint, presbyteros saeculares idoneos, qui huiusmodi curis praefici possint; et propterea nobis humiliter supplicari fecerit, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolicà dignaremur: nos igitur, attentis praemissis, ac litterarum eiusdem Sixti praedessoris tenorem et omnia in eis contenta praesentibus pro expressis habentes, easdem litteras, quoad parochiales ecclesias huiusmodi illarumque vicarias, ad sexennium suspendimus, ac viribus evacuamus, ita ut, huiusmodi sexennio tantum durante et non ultra, de eiusdem regni parochialibus ecclesiis praedictis earumque vica-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.
2 Heic deest vox *editae,* vel similis (R. T.).

1 Sixtina Constit. cit. non est in *Bull.* (R. T.).
2 Intellige *habitata* (R. T.).

riis, quovis modo vacantibus in eisdem oppidis, terris et locis, in quibus Morischi seu noviter conversi praedicti habitant, etiam quibusvis aliis aliorum regnorum indigenis, seu naturalibus, presbyteris saecularibus, atque etiam quorumvis Ordinum etiam Mendicantium regularibus (qui ipsos Moriscos sive noviter conversos in fide catholicâ et pietate diligenter et sollicite instruant, ipsisque Evangelium et doctrinam christianam, etiam in proprio, quoad fieri poterit, ipsorum idiomate, explicare et predicare possint et debeant) per locorum Ordinarios et eos ad quos spectat respective provideri[1], seu ecclesias huiusmodi earumque vicarias commendari, libere et licite possint et valeant; perinde ac si praedicti Sixti praedecessoris litterae huiusmodi non emanassent, illis ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, in contrarium quomodolibet facientibus, non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXVIII februarii MDXCVII, pontificatus nostri anno VI[2].

Philippus III Clementis litteras petit prorogari.

§ 2. Cum autem, sicut charissimus in Christo filius noster Philippus III Hispaniarum rex catholicus nobis nuper exponi fecit, post lapsum dicti sexennii et adhuc eadem viguerit et vigeat difficultas reperiendi viros ecclesiasticos dicti regni Valentiae indigenas seu naturales, quibus praedictae parochiales ecclesiae conferri potuerint et possint, praesertim ob tenuitatem reddituum earumdem parochialium ecclesiarum de novo pro instructione et curâ animarum dictorum Moriscorum ad fidem christianam noviter conversorum[3]; et ideo, etiam post lapsum dicti sexennii, occurrente aliquarum earumdem parochialium ecclesiarum vacatione, illae personis alienigenis collatae, seu commendatae fuerint: cupit idem Philippus rex (qui non minori, quam clarae memoriae Philippus II rex catholicus eius genitor, pietate, charitate et sollicitudine catholicae fidei conservationem in praedicto et aliis regnis suis procurat) collationes et commendas de parochialibus huiusmodi ecclesiis post lapsum dicti sexennii factas per nos revalidari, et ulterius, ut deinceps dictae parochiales ecclesiae personis etiam alienigenis conferri et commendari iuxta praeinsertas Clementis praedecessoris litteras possint, concedi; nobisque humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Prorogat Paulus

§ 3. Nos igitur piis eiusdem Philippi regis votis, quantum cum Domino possumus, annuere, ac parochialium ecclesiarum praedictarum, ne propter praemissa rectoribus seu administratoribus destitutae remaneant, curae opportune prospicere volentes, ac praedicti Sixti praedecessoris litterarum tenorem praesentibus pro expresso habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, easdem Sixti praedecessoris litteras, ac omnia et singula in eis contenta, quoad parochiales ecclesias praefatas illarumque vicarias, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, ad sexennium tantum a datâ praesentium, suspendimus, ac viribus et effectu pro toto dicto sexennio evacuamus, ita ut, ipso tempore durante, in praedictis parochialibus ecclesiis et illarum vicariis locum non habeant, sed de illis nunc et pro dicto tempore quovis modo vacantibus et vacaturis, non solum eiusdem regni Valentiae indigenis, sed etiam alienigenis, et quorumvis aliorum regnorum naturalibus presbyteris saecularibus ido-

1 Heic supple *liceat*, et postea aptius lege: *seu ecclesiae... earumque vicariae* (R. T.).

2 Ista Clementis VIII Constit. sub ipsius pontificatu in *Bullario* non habebatur (R. T.).

3 Supple *erectarum* (R. T.).

neis et ab Ordinariis locorum approbatis, servatâ tamen formâ Concilii Tridentini, provideri, necnon etiam quorumvis Ordinum etiam Mendicantium regularibus pariter idoneis et approbatis (qui ipsos Moriscos sive noviter conversos in fide catholicâ et christianâ pietate diligenter et sollicite instruant, ipsisque evangelium et doctrinam christianam etiam in proprio ipsorum, quoad fieri poterit, idiomate explicare et praedicare possint et debeant) in commendam aut administrationem concedi libere et licite possint et valeant[1], perinde ac si praedictae Sixti praedecessoris litterae non emanassent, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus; ac collationes, provisiones, commendas et concessiones in administrationem, de praedictis parochialibus ecclesiis seu illarum vicariis, ut praefertur, faciendas, validas, firmas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere statuimus et ordinamus.

Factasque validat collationes.

§ 4. Praeterea quascumque collationes, provisiones, commendas et alias dispositiones de similibus parochialibus ecclesiis in favorem personarum alienigenarum ac religiosorum quorumvis, etiam Mendicantium, post lapsum supradicti sexennii factas (quarum singularum ecclesiarum denominationes, situationes, dioeceses et veros annuos valores, ac personarum huiusmodi nomina, cognomina, ordines, qualitates et alias circumstantias etiam necessario exprimendas praesentibus pro expressis haberi volumus) simili apostolicâ auctoritate per easdem praesentes revalidamus, confirmamus et approbamus: ac validas et firmas remanere, ac personas tam saeculares, quam regulares huiusmodi, in quarum favorem factae sunt, ecclesias huiusmodi in titulum vel commendam aut administrationem respective, prout illis concessae sunt, quoad vixerint, retinere, ac illarum fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque percipere, exigere et levare, in suosque usus et utilitatem convertere libere et licite posse;

Clausulae.

§ 5. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus: necnon fructus, redditus et proventus quoscumque, ex parochialibus ecclesiis seu vicariis praedictis per personas supradictas hactenus perceptos, illis et cuilibet illarum respective remittimus et condonamus.

Exequutores designat.

§ 6. Quocirca venerabili fratri archiepiscopo Valentinensi, ac dilectis filiis nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio ac curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte interesse habentium, aut alicuius eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos et quemlibet eorum praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari: contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato

1 Potius lege *possit et valeat*; sed vide pag. praeced. (R. T.).

etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praedictâ Sixti V ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de unâ, et in concilio generali editâ de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis quoque et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, nec non privilegiis, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris die XIV iulii MDCVI, pontificatus nostri, anno II.

Dat. die 14 iulii 1606, pontif. an. II.

XLVII.

Quod milites Militiarum Iesu Christi, sancti Iacobi de Spata et sancti Benedicti de Avis regni Portugalliae, in quacumque classe regis Hispaniarum adversus infideles aut haereticos per quinquennium militantes, commendas et alia earumdem Militiarum beneficia consequi valeant, perinde ac si iuxta earum statuta per triennium in Africâ contra infideles militaverint[1].

1 De Militiâ sancti Iacobi de Spata vide notatum supra in Constitut. VII Pauli V, pag. 217 huius vol. (R. T.)

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Portugalliae et Algarbiarum regi catholico

Paulus Papa V.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Maiestatis tuae in nos et Apostolicam Sedem meritis inducimur, ut eius votis, quantum cum Deo possumus, libenter annuamus.

Iuxta harum militiarum statuta, milites commendas, et beneficia consequi non possunt, nisi triennio in Africâ cum duobus servientibus contra infideles militaverint.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, statutis seu stabilimentis Militiarum Iesu Christi, sancti Iacobi de Spata et sancti Benedicti de Avis regni Portugalliae, quarum tu perpetuus administrator apostolicâ auctoritate deputatus existis, caveatur expresse quod milites dictarum Militiarum praeceptorias, commendas vel alia beneficia consequi non possint, nisi prius integrum triennium in partibus Africae cum duobus servientibus contra infideles militaverint;

Rex Hispaniarum petit concedi, ut sufficiat ipsis quinquennio cum duobus servientibus, in quacumque classe militare.

§ 2. Tu vero (animadvertens innumera damna, quae a rebellibus maiestatis tuae insularum Olandiae, et[1] Zelandiae, classe per eos nuper instructâ, mercatoribus et aliis, qui ex Indiarum partibus ad tua regna et dominia Europae navigant, inferuntur) eorumdem piratarum conatibus obstitere et unam vel plures ad hunc effectum ingentes classes instruere intendas, et, ut classes tuae militibus strenuis instruantur, cupis[2] apostolicae benignitatis auctoritate per nos indulgeri, ut milites, qui in quacumque tuâ classe per quinquennium unâ cum duobus servientibus pro tempore militaverint, praeceptorias cuiusvis dictarum Militiarum perinde consequi valeant, ac si in Africae partibus per triennium militassent;

Concedit Pontifex

§ 3. Nos, tui in hac parte supplica-

1 Prep. *in* quam habet edit. Main. omittimus (R. T.).

2 Aptius legeres *cupias* (R. T.).

tionibus inclinati, eidem maiestati tuae concedimus et indulgemus, ut quicumque milites, qui in qualibet tuâ classe, contra infideles tamen aut Haereticos, per quinquennium continuum tam aestivo quam hiemali temporibus cum duobus servientibus militaverint, quascumque dictarum Militiarum et cuiusvis earum respective commendas, seu praeceptorias consequi et obtinere possint et valeant, perinde ac si in Africâ, iuxta praedicta statuta et stabilimenta, militassent.

Quibuscumque non obstantium.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictarum Militiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris die XXI iulii MDCVI, pontificatus nostri anno II[1].

Dat. die 21 iulii 1606, pontif. an. II.

1 Sex post dies idem Pontifex confirmat leges nonnullas a reformatoribus urbis Maceratae pro eiusdem civitatis regimine latas, et quidem constitutione, cui initium: *His quae*, etc. (edit. Main.), quae constitutio non fuit edita (R. T.).

XLVIII.

Commissio archiepiscopo Maguntino ut per se ipsum, aut per praepositum ecclesiae Hildeshemensis compellat undecim vicarios cleri saecularis Hildeshemensis, qui magistratum haereticum in protectorem assumpserunt, ad restituendas eidem magistratui litteras protectionis, illique renunciandum[1].

Venerabili fratri archiepiscopo Maguntino sacri romani imperii principi electori

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series.

§ 1. Ad aures nostras, non sine animi nostri perturbatione, pervenit, dilectos filios undecim vicarios cleri saecularis ecclesiae Hildeshemensis, ne decano dictae ecclesiae, qui in illos iurisdictionem habet, cogantur obedire in iis, quae ad divinum cultum et morum pertinent correctionem, ad magistratum eiusdem civitatis, qui haeresis labe etiam infectus dicitur, accessisse, illumque quasi in protectorem sibi assumentes, ab eo litteras protectionis recepisse.

Commissio de qua in rubrica.

§ 2. Quare nos, huic malo protinus, ut par est, occurrere volentes, fraternitati tuae, de cuius pietate, prudentiâ ac religionis zelo plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus et mandamus, ut per te ipsum, aut per dilectum filium praepositum ecclesiae Hildeshemensis a te subdelegandum, praedictos undecim vicarios cleri saecularis Hildeshemensis, qui magistratum haereticum adiverunt et ab eo protectionem procuraverunt, ad restituendas eidem magistratui litteras protectionis huiusmodi et ad illis in perpetuum renunciandum, et ne in futurum idem committant iniungendo, auctoritate nostrâ compellas. Quod si facere recusaverint vel distulerint, eosdem et quemlibet eorum a fructuum et reddituum ecclesiasticorum perceptione, donec id praestiterint, suspendas; si vero diutius in eorum contumaciâ

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

perstiterint, illos ecclesiasticis beneficiis, quae obtinent, prives, et contra eosdem per alias poenas et censuras ecclesiasticas, ac opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposità, procedas, super quibus omnibus et singulis eidem fraternitati tuae et dicto praeposito, a te, ut praefertur, subdelegando, opportunam et amplam tribuimus facultatem.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris die IV augusti MDCVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 augusti 1606, pontif. an. II

XLIX.

Confirmatio privilegiorum Congregationis fratrum Ordinis Reformatorum sancti Benedicti regni Franciae[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam

Exordium.

Iniuncti nobis apostolici muneris ratio postulat, ut, sacrarum religionum in militanti Ecclesià suaves in Domino fructus assidue praestantium paternam curam gerentes, privilegia, gratias et indulta illis a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris et Apostolicà Sede concessa, quo validius perpetuo subsistant, apostolicae confirmationis robore libenter communiamus.

Confirmatio de qua in rubrica.

§ 1. Volentes igitur universam Congregationem Ordinis fratrum Reformatorum sancti Benedicti regni Franciae ac eiusdem Congregationis generalem et fratres universos specialibus favoribus et gratiis prosequi, ac eorum universos et singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causà latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus nomine dilecti Isayae Jaunay eiusdem Congregationis generalis nobis humiliter porrectis inclinati, omnia et singula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, praerogativas, favores, facultates, concessiones, gratias, et indulta spiritualia et temporalia eidem Congregationi, eiusque generali ac fratribus universis, eorumque domibus, monasteriis, ecclesiis et locis regularibus quibuscumque in dicto regno consistentibus per felicis recordationis Sixtum V, Gregorium XIV, Clementem VIII et quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros et Apostolicam Sedem sub quacumque verborum formà et expressione, in genere vel in specie, aut aliàs quomodolibet concessa ac pluries confirmata, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, decretis et declarationibus, ac singulas litteras, tam sub plumbo quam in formà Brevis, aut aliàs desuper confectas (quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus), quatenus sint in usu, et non sint revocata, seu sub aliquibus revocationibus comprehensa[1], ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis et constitutionibus apostolicis non adversentur, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Exequutores Ordinarius locorum communes.

§ 3. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis quibuscumque, nec non dilecto filio causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori per

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Male edit. Main. legit *comprehensas* (R. T.)

praesentes committimus et mandamus, quatenus quilibet eorum, quandocumque fuerint requisiti, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, faciant auctoritate nostrâ praedictos generalem et universos fratres ac quemlibet eorum praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes illos et eorum singulos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari; contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri, de unâ, et in concilio generali editâ de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae Congregationis et singulorum illius monasteriorum, ecclesiarum et locorum regularium quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, necnon omnibus illis, quae singuli praedecessores praedicti in eorum litteris voluerunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XXI augusti MDCVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 21 augusti 1606, pontif. anno II.

L.

Confirmatio et innovatio privilegiorum Ordinis beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, et approbatio Congregationis Reformatorum, seu Recollectorum, sub regimine magistri generalis et aliorum praelatorum eiusdem Ordinis[1].

Paulus Episcopus
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Ordinis commendatio.

Inter omnes vitae regularis Ordines, quibus mysticum totum hoc militantis Ecclesiae corpus ad christianae pietatis cultum dirigitur, ille in primis ex omni sui parte conspicuus nobis videtur, quem beatissima coelorum Regina ad captivorum in infidelium partibus misere servientium redemptionem sancto Raymundo de Pennafort et clarae memoriae Iacobo Aragonum regi necnon quondam Petro Nolasco, primo illius professori, dum vitam ducerent in humanis, singulari quodam miserationis affectu sibi fore carissimum revelavit, et felicis recordationis Callistus Papa III praedecessor noster caeteris Ordinibus (ratione quarti voti, quo illius fratres se infidelibus in captivorum redemptionem pignus fore

[1] Ordinem istum primo confirmavit Gregorius IX in sua Constitut. XLII *Devotionis*, tom. III pag. 485.

devovent et obstringunt) celsiorem et perfectiorem vocavit[1]. Hic ipse Ordo iam inde ab anno Domini MCCVIII in civitate Barchinonensi ab eodem Iacobo rege in die festo sancti Laurentii martyris sub invocatione beatae Mariae de Mercede et Redemptionis Captivorum nuncupatae institutus, et a piae memoriae Gregorio Papa IX etiam praedecessore nostro, a nativitate eiusdem Domini MCCXXX[2], a revelatione vero praedictâ duodecimo[3], pontificatus autem sui octavo annis, in festivitate sancti Antonii abbatis confirmatus, iis pietatis incrementis in corporum animarumque captivorum huiusmodi salutem, scilicet eorum aliis redimendis, aliis instituendis, aliisque in fide corroborandis operâ et sermone in dies magis magisque effloruit, ut quamplurimi Romani Pontifices, similiter praedecessores nostri, non minus primam illius originem coelitus revelatam, quam pios huiusmodi progressus admirati, innumeras propemodum in eum gratias et privilegia, ex inexhausto Ecclesiae Dei thesauro Sedis Apostolicae benignitate depromptas[4], liberalissime contulerint.

Eiusdem supplicatio pro suorum privilegiorum confirmatione.

§ 1. Cum autem, sicut dilectus filius Ferdinandus de sancto Iacobo, ipsius Ordinis per Italiam vicarius generalis, tam suo quam dilectorum filiorum universorum eiusdem Ordinis professorum nominibus, nobis nuper exponi fecit, ipsi professores privilegia huiusmodi pro firmiori illorum subsistentiâ per nos apostolico munimine roborari, ac infrascripta fieri summopere desiderent, idem Ferdinandus nominibus praedictis nobis humiliter supplicari fecit, quatenus privilegiis ipsis robur apostolicae confirmationis adiicere, et infrascriptis annuere, ac aliàs desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Hic Pontifex confirmat, quatenus non sint revocata et factis canonibus et concilio, constitutionibusque apostolicis contraria.

§ 2. Nos igitur, qui vestigiis praedecessorum huiusmodi (postquam ad apostolatus apicem, meritis licet imparibus, divinâ favente clementiâ assumpti fuimus) inhaerentes, peculiarique nostrâ erga Deiparam Virginem, primam et veram huius Ordinis institutricem, devotione adducti, non solum ad eorum, quae a tot Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad ipsius Ordinis tam spiritualem quam temporalem decorem et commodum concessa sunt, confirmationem, sed etiam eorum, quae ad eiusdem amplitudinem promovendam uberioresque fructus in vineâ Domini proferendos opportuna videntur, corroborationem propensissimâ voluntate inducimur, dictum Ferdinandum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, necnon consideratione charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nobis desuper et humiliter supplicantis, omnia et singula indulta, privilegia, decreta, constitutiones, ordinationes, reformationes, declarationes, ac provisiones quascumque, auctoritatem et potestatem, officium et electionem magistri generalis, vicariorum, procuratorum, visitatorum, provincialium, redemptorum captivorum, electorum, definitorum, commendatorum, vocalium, aliorumque officialium dicti Ordinis, capitulorumque tam generalium

1 Extat de hac re Constitut. IX Callisti III data die 31 octobris 1457 quam videre est in tom. V pag. 140 (R. T.).

2 Aliàs MCCXXXV.

3 Ex num. praedictis legendum foret *vigesimosecundo* (R. T.).

4 Melius legeretur *deprompta* (R. T.).

quam provincialium eiusdem celebrationem, necnon provinciarum, monasteriorum, fratrum et aliorum sub dicti Ordinis regulâ et institutis degentium gubernationem, directionem, curam, administrationem, visitationem, correctionem, unionem et separationem concernentia, ac immunitates, exemptiones, libertates, praerogativas, antelationes, praeeminentias, licentias, facultates, concessiones, invocationes, favores, aliasque temporales gratias universas, necnon apostolicas tam sub plumbo quam in formâ Brevis desuper quomodolibet expeditas litteras, quas et quae idem Gregorius IX, et recolendae memoriae Gregorius Papa XI, Innocentius IV, VI et VIII, Alexander IV, VI, Clemens IV, VI et VII, Ioannes XXII, Nicolaus III, IV et V, Bonifacius VIII, Urbanus V, Martinus etiam V, Eugenius IV, Pius II, praedictus Callistus, Paulus II, III et IV, Sixtus IV, Iulius II et III, Leo X et novissime Sixtus V et Clemens VIII, ac alii quicumque Romani Pontifices praedecessores nostri huic universo Ordini ac singulis illius provinciis, monasteriis, prioratibus, domibus et aliis regularibus locis, necnon generali magistro, illiusque sive ipsius Ordinis vicario seu vicariis, procuratoribus, visitatoribus, provincialibus, redemptoribus captivorum, electoribus, definitoribus, commendatoribus, vocalibus, aliisque officialibus praedictis, quocumque nomine nuncupentur, ac caeteris illius fratribus et religiosis quibuscumque, tam in genere quam in specie, etiam per modum communicationis, extensionis et ampliationis, ac aliàs quomodolibet, et sub quibuscumque verborum formis et expressionibus concesserunt innovarunt, confirmarunt et approbarunt, (quorum omnium et singulorum tenores, etiamsi talia forent, quae specialem et individuam mentionem requirerent, praesentibus ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plene et sufficienter expressis haberi volumus), dummodo tamen sacris canonibus et decretis Concilii Tridentini ac constitutionibus apostolicis contraria, et sub aliquibus revocationibus comprehensa non sint, apostolicâ auctoritate tenore praesentium (exceptis tamen indultis et concessionibus indulgentiarum, ac peccatorum remissionibus et relaxationibus) perpetuo approbamus, confirmamus et innovamus, ac, quatenus opus sit, ea omnia et singula de novo concedimus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, ac quarumcumque solemnitatum de usu, iure vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet requisitarum, ac in praemissis omissarum, necnon quoscumque alios, etiam quantumvis substantiales, defectus, si qui forsan in eisdem aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint, supplemus.

Congregationem reformatorum seu recollectorum huius Ordinis cum eorum regulis, similiter confirmat.

§ 3. Praeterea reformationem nonnullorum eiusdem Ordinis piorum religiosorum virorum, quos, perfectioris vitae amantes, aliquas domos reformatas seu recollectas nuncupatas in provinciis Castellae et Beticae, ubi sub arctioribus quibusdam vitae et morum regulis longe a saecularibus curis vivunt, iuxta dicti Ordinis laudabiles constitutiones per eos rigorosius et strictius observari coeptas, instituisse, cum non exiguâ animi nostri in Domino laetitiâ, percepimus, omniumque et singularum domorum huiusmodi erectionem, necnon omnes et singulas antiquas dicti Ordinis constitutiones et ordinationes per eos, ut praefertur, observari coeptas (quarum etiam tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi volumus), quatenus non sint revocatae nec decretis Concilii huiusmodi aut aliis canonicis sanctionibus contrarientur, auctoritate et tenore prae-

dictis etiam perpetuo approbamus et confirmamus.

Et generali facultatem reformatorum domos ubique erigendi tribuit.

§ 4. Ac generali dicti Ordinis magistro nunc et pro tempore existenti, ut ubicumque locorum quascumque eiusdem Ordinis reformatas domos et ecclesias canonice erigere et instituere libere et licite valeat, similiter perpetuo concedimus et indulgemus, ac etiam plenam, liberam et omnimodam licentiam, auctoritatem et potestatem tribuimus et impertimur.

Hanc tamen congregationem generali ordinis aliisque praelatis totaret supponit.

§ 5. Caeterum, ne praetextu reformationis huiusmodi unitatem dicti Ordinis aliquo tempore perturbari contingat, omnia et singula domos, ecclesias et alia regularia loca sub eâdem reformatione hucusque erecta et instituta, ac de caetero in perpetuum erigenda et instituenda, eorumque omnium et singulorum superiores, fratres, religiosos et alias personas quascumque nunc et pro tempore existentes, perpetuis futuris temporibus sub eiusdem Ordinis unitate remanere volumus, illaque et illos generali magistro, vicariis, provincialibus, visitatoribus caeterisque superioribus dicti Ordinis, praesentibus et futuris, in omnibus et per omnia perpetuo quoque supponimus et subiicimus, ita ut generali magistro, vicariis, provincialibus, visitatoribus, caeterisque superioribus praedictis aeque ac caeteri Ordinis praedicti fratres et religiosi subsint et pareant, nec ab eâdem unitate et subiectione quovis praetextu, colore vel ingenio se ullo unquam tempore seiungere, aut separare vel eximere praesumant.

Clausulae pro perpetua harum litterarum firmitate.

§ 6. Decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere: sicque per quoscumque iudices, etiam commissarios, quavis auctoritate fungentes, et causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos dictaeque Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum deputatio.

§ 7. Necnon mandantes venerabilibus fratribus nostris Toletano, Ispalensi et Caesaragustano archiepiscopis, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes huiusmodi, ac in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte ipsorum professorum vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostrâ omnia et singula praemissa inviolabiliter observari, ac singulos, quos ipsae[1] praesentes concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque contra praesentium huiusmodi tenorem quomodolibet molestari. Nos enim eis et eorum cuilibet, quos, quibus, quoties, et quando opus fuerit, citandi, et sub censuris aliisque poenis in formâ consuetâ inhibendi, nec non contradictores quoscumque per similes sententias, censuras et poenas, appellatione postpositâ, servatâ tamen formâ Concilii Tridentini, compescendi, brachiumque saeculare, si opus fuerit, invocandi, plenam, liberam, apostolicâ auctoritate praedictâ, earumdem tenore praesentium, concedimus facultatem.

Clausulae contrariorum derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus eiusdem Bonifacii praedecessoris de unâ, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis extra suam civitatem vel dioecesim vigore ipsarum praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationi-

1 Erronee edit. Main. habet *ipse* (R. T.).

bus apostolicis, nec non dicti Ordinis, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eiusque superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et consistorialiter, ac aliàs, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie latissime et plenissime ac specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§ 9. Et quia difficile foret praesentes litteras ad singula loca ubi necesse fuerit deferri, volumus et apostolicâ auctoritate praedictâ decernimus quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manuque ac sigillo pro tempore existentis magistri generalis ipsius Ordinis seu vicarii subscriptis et[1] munitis, eadem fides tam in iudicio quam extra adhibeatur quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum absolutionis, approbationum, confirmationum, innovationis, concessionum, roboris[1], adiectionis, defectuum suppletionis concessionis, indulti, impartitionis, voluntatis, suppositionis, subiectionis, decreti, mandati et derogationis praedictorum infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicae MDCVI, XII kalendas septembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 21 augusti 1606, pontif. an. II.

1 Particulam *et* nos addimus (R. T).

1 Erronee edit. Main. legit *roboris*, *adiectionis* (R. T.).

LI.

Revocatio facultatum, superioribus quorumcumque Ordinum regularium quoquo modo concessarum, cognoscendi causas suorum subditorum ad officium sanctae Inquisitionis contra haereticam pravitatem quomodolibet pertinentes[2].

Paulus Episcopus
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex ea interdum, quae a praedecessoribus suis, temporum et rerum qualitate id tunc exposcente, provide pro haeresum extirpatione sancita sunt, novis emergentibus rationibus revocat et immutat, aliaque desuper disponit et ordinat, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

2 Concordat Constit. LVI Alexandri IV *Ne commissae*, tom. III pag. 672.

Pius IV iussit inquisitores procedere contra quoscumque regulares, dummodo ab eorum superioribus non esset praeventum.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Pius Papa IV, praedecessor noster, suâ perpetuo valiturâ constitutione statuit, ordinavit et declaravit quod ex tunc deinceps in omnibus christiani orbis partibus Inquisitores haereticae pravitatis, tam generales quam in quibusvis provinciis, civitatibus, oppidis, terris et locis pro tempore deputati particulares, contra omnes quorumcumque Ordinum etiam exemptorum et Mendicantium professores et religiosos, ac tam alios quoscumque quovis modo privilegiatos et exemptos, de haeresis crimine quomodolibet suspectos aut culpabiles, dummodo ab eorum professorum et religiosorum superioribus vel praelatis in causis huiusmodi praeventi non fuissent, iuxta facultates officii Inquisitionis ipsius pravitatis inquirere et procedere, ac culpabiles et delinquentes repertos secundum canonicas sanctiones castigare atque punire possent et valerent, ac aliàs prout in litteris, ipsius Pii praedessoris latius continetur[1].

Hic modo Pontifex facultatem quibuscumque Ordinum praelatis cognoscendi causas regularium ad officium inquisitionis spectantes quomodolibet concessam revocat.

§ 2. Cum autem rerum usu compertum sit, occasione praeventionum huiusmodi, nonnulla interdum impedimenta orta esse, quominus causae huiusmodi eâ, qua decet diligentiâ, cognoscantur, nos, de consilio venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium contra haereticam pravitatem generalium Inquisitorum, illa de medio tollere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, ac maturâ deliberatione, hac nostrâ etiam perpetuo valiturâ constitutione, omnia et quaecumque privilegia, indulta, facultates et concessiones generalibus, superioribus et praelatis quorumcumque Ordinum, sive Mendicantium sive Clericorum Regularium cuiusvis Ordinis Instituti, etiam in dictâ constitutione non expressorum, et quantumvis exemptorum et quocumque nomine nuncupatorum, per dictum Pium, ac quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, et Sedem Apostolicam concessa, approbata et innovata, et quantumvis etiam longissimo tempore observata, causas ad dictum officium quovis modo spectantes cognoscendi et terminandi, seu in illis quoquo modo se intromittendi (quorum omnium et singulorum tenores, etiamsi de illis specialis et expressa mentio habenda esset, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes[1]) apostolicâ auctoritate tenore praesentium perpetuo cassamus, revocamus et abolemus; ipsisque generalibus et praelatis, ut de caetero quovis quaesito colore vel praetextu praeventionis, vel consuetudinis et prescriptionis immemorabilis, seu cognoscendi, an delationes huiusmodi calumniosae sint necne[2], in eisdem causis, tam motis quam movendis, quoquo modo se intromittere seu immiscere, denunciationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas ipsas cognoscere, definire vel terminare minime audeant seu praesumant, simili auctoritate districtius inhibemus.

Regulares omnes Ordinariis et inquisitoribus libere denunciari mandat.

§ 3. Volentes et expresse mandantes ut ipsi religiosi possint et debeant omnes, etiam Ordinum huiusmodi professores de haeresi suspectos, Inquisitoribus vel Ordinariis locorum vicinioribus libere denunciare, absque eo quod superiores praedicti personas denunciandas, et causas perquirere, vel quoquo modo id impedire vel retardare audeant seu praesumant.

Et causas coram ipsis praelatis pendentes

§ 4. Insuper omnes et quascumque causas, ad dictum officium quomodolibet

1 Innuitur Constit. LX illius Pontif. quae incipit *Pastoris* et legitur in tom. VII pag. 176 (R. T.).

1 Videretur vel hic *habemus* pro *habentes*, vel in principio parenthesis *eorum* loco *quorum* esse legendum (R. T.).

2 Scilicet: *seu etiam praetextu cognoscendi an delationes calumniosae sint nec ne* (R. T.

Inquisitoribus et Ordinariis committit.

spectantes et pertinentes, coram generalibus, superioribus et praelatis huiusmodi in quibuscumque locis existentibus, ac contra quoscumque religiosos, ut praefertur, exemptos, motas et pendentes ad nos harum serie avocamus, easque omnes in statu et terminis, in quibus de praesenti reperiuntur, ipsius pravitatis Inquisitoribus vel Ordinariis locorum vicinioribus terminandas committimus.

Praelatos de transmittendo omnia acta circa omnes regulares de haeresi suspectos iisdem Ordinariis et inquisitoribus monet.

§ 5. Praeterea ipsis generalibus, superioribus et praelatis pari auctoritate praecipimus atque mandamus ut omnes processus et acta causarum huiusmodi Inquisitoribus seu Ordinariis praedictis respective remittant et consignent; necnon professores, fratres et religiosos supradictos, quos haeresis labe infectos vel suspectos, etiam in visitatione, esse noverint, absque aliâ consultatione cum propriis superioribus faciendâ, eisdem Inquisitoribus vel Ordinariis locorum viciniorbus respective denuncient.

Contravenientibus poenas imponit.

§ 6. Quod si generales aliique praedicti praesentibus litteris non paruerint, eos omnes privationis quarumcumque dignitatum seu praelaturarum vel officiorum suorum Ordinum, ac vocis activae et passivae, perpetuaeque inhabilitatis ad eadem, necnon contra fautores haereticorum et impeditores officii statutas et inflictas poenas, aliasque censuras ecclesiasticas, etiam excommunicationis maioris latae sententiae, a qua nonnisi a nobis vel a Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium valeant obtinere, eo ipso incurrisse.

Clausulas huius bullae praeservativas apponit.

§ 7. Necnon praesentes litteras (licet generales, superiores et praelati praedicti, aut quicumque alii quavis auctoritate, dignitate vel officio seu honore fulgentes in praemissis quomodolibet interesse habentes vel habere praetendentes ad hoc vocati non fuerint) semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Clausulas derogatorias addit.

§ 8. Non obstantibus praedictâ et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon Ordinum et Institutorum quorumcumque, iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam *Mare Magnum*, vel aliàs quomodolibet nuncupatis, eisdem Ordinibus, eorumque generalibus, superioribus et praelatis ac personis, etiam per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac Sedem praedictam, et per nos quovis modo concessis, confirmatis et iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus ac aliis omnibus, quae praesentibus quomodolibet obstare possent, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa ac individua et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores pro plene et sufficienter praesentibus expressis et totaliter insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Formam et effectum publicationis praescribit.

§ 9. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam deducantur, neve aliquis ignorantiam earum praetendere aut

contra eas se excusare valeat, illas in valvis sancti Ioannis Lateranensis et Principis Apostolorum Basilicarum de Urbe, necnon Cancellariae Apostolicae, ac in acie Campi Florae de more affigi et publicari, earumque exempla inibi affixa dimitti[1], ac[2], post publicationem huiusmodi, omnes et singulos, quos concernunt et concernent in futurum, perinde arctent et afficiant, ac si eorum cuilibet personaliter intimatae fuissent;

Transumptis credi iubet.

§ 10. Quodque[3] earum transumptis, etiam impressis, notarii publici manu subscriptis et sigillo alicuius praelati seu personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eamdem prorsus fidem in iudicio et extra, ubique gentium et locorum, adhiberi volumus et mandamus, quae eisdem originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae. Et nihilominus, ut ad maiorem notitiam singulorum et quorumcumque religiosorum praedictorum praesentes deveniant, etiam volumus et in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus generalibus, superioribus et praelatis praedictis ut in primis proximis futuris capitulis seu congregationibus provincialibus vel generalibus cuiuscumque provinciae, tam in Italiâ quam extra, praesentes nostras litteras legi et publicari faciant et procurent.

Praesentes in Capitulis publicandae.

Sanctio poenalis.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae cassationis, revocationis, abolitionis, inhibitionis, mandatorum avocationis, commissionis, praeceptorum, decreti, declarationis, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicae MDCVI kalendis septembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 1 septembris 1606, pontif. anno II.

1 Subintellige verba *volumus et mandamus*, quae in § seq. leguntur (R. T.).

2 Vel subintelligendum *quod*, vel postea *arctare et afficere* pro *arctent et afficiant* legendum (R. T.).

3 Vel legendum *atque* pro *quodque*, vel postea *eadem fides adhibeatur* pro *eamdem fidem adhiberi* legendum (R. T.).

LII.

Facultas quaerendi eleemosynas, de licentiâ ab Ordinariis gratis obtinendâ, confratribus confraternitatis Tononii (prope Genevam institutae ad conversionem haereticorum) conceditur, et huiusmodi confratres dictis Ordinariis commendantur[1].

Paulus Papa V

Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archipresbyteris, plebanis caeterisque locorum Ordinariis et ecclesiarum rectoribus, eorumque respective vicariis et officialibus in spiritualibus generalibus, ad quos praesentes litterae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Vices illius, quamquam immeriti, gerentes in terris, qui propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, de solio coelestis gloriae ad infima huius mundi descendens venit salvare quod perierat, nihil praetermittere debemus, quod reducendis ad eius ovile dispersis ovibus conducat.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Erecta Tononii confraternitas ad curandam haereticorum conversionem.

§ 1. Cum igitur, sicut accepimus, ostendente Domino divitias misericordiae suae, per ministerium servorum suorum prope Genevam ostium apertum sit haereticorum conversioni, et ad eam operandam pia quaedam domus ac sodalitas seu confraternitas, sub titulo beatae Mariae Compassionis, in oppido Tononii instituta[1], et in aliis haereticorum locis in dies propagetur, magno cum fructu et augmento catholicae religionis, quippe quae multa ac varia egregia opera ad subversos reducendos ad veritatem peragat; eam omni studio et favore prosequi, quantum in Domino possumus, conamur.

Confratres petunt concedi sibi facultatem eleemosynas quaerendi a catholicis.

§ 2. Quoniam vero multos grandesque sumptus in eamdem[2] quotidie fieri necesse est, qui longe impares sunt viribus suis, piis fidelium eleemosynis indiget. Quamobrem confratres dictae confraternitatis nobis humiliter supplicari fecerunt, ut[3] eleemosynam quaerere in locis omnibus catholicae religionis illis facultatem concedere, et vobis commendare hoc sanctum ministerium dignaremur.

Conceditur de licentia Ordinariorum et sub legibus nonnullis.

§ 3. Quapropter, dictos confratres ab omnibus excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causà latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ut ubique locorum catholicae religionis eleemosynas per se vel per alios quaerere libere possint, tenore praesentium, iis concedimus et indulgemus; ita tamen ut licentiam a vobis obtinere debeant gratis expediendam, et servent conditiones infrascriptas.

Ordinarii locorum, ut confratribus praesto sint, monentur.

§ 4. Ac licet fraternitatibus vestris, venerabiles fratres, ac discretionibus vestris, dilecti filii, promptum esse animum, et sponte se exhibere in causis Dei et talibus causis confidamus, tamen, pro pastorali officio piis eorum precibus annuentes, vos ita per praesentes, quantum cum Domino possumus, enixe hortamur, ut per viscera misericordiae Dei nostri non solum ea solatia, quae vos ultro decet impendere, nostris quoque litteris provocati libenter impendatis, et collectores supradictae domus et confraternitatis benigne excipiatis, sed etiam omnibus christifidelibus, ut benigne excipiant tamquam strenuos messis dominicae operarios et animarum salutis prudentes negotiatores, in charitate Dei diligenter commendetis aut commendare faciatis; ac simul, quantum in Domino potestis, sedulam detis operam, ut unusquisque apostolici huius ministerium officii facultatibus suis pro viribus iuvet et eleemosynam large illi tribuat, quasi benedictionem, non tamquam avaritiam: indicantes omnibus, quam mercedem sint a Domino accepturi. Monemus autem unumquemque vestrum, et in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ut omni curà ac studio provideatis, ne ullo loco aut tempore opportune quomodolibet dicti collectores, vel eorum ministri et adiutores seu substituti, in officio impediantur aut molestentur, vel, ut huiusmodi eleemosynae quacumque occasione solità vel opportunà ad eleemosynam colligendam non colligantur, ne ab ullo quovis praetextu committatur[1]; ac praeterea, ut requisiti personas deputetis ecclesiasticas, quae iis ad quae-

1 Videretur utiliter, etsi non necessario, subiungenda vox *fuerit* (R. T.).

2 Aptius fortasse legeretur *per eamdem* (R. T).

3 Perperam edit. Main. legit *aut* pro *ut* (R. T.).

1 Sensus esse videtur: *omni cura et studio*, ut dictum fuit, *provideatis ne ab ullo quovis praetextu committatur* (idest attentetur) *ut huiusmodi eleemosynae quacumque occasione... non colligantur*; sed difficultatem facit verbum *committatur* (R. T.).

rendas eleemosynas adiumento sint, et, ubi fuerit opus, assistant, nec non etiam, ut, qui sese confraternitati praedictae aggregare voluerint, libere et absque ullo impedimento hoc facere valeant.

Modus colligendi eleemosynas praescribitur.

§ 5. Volumus autem (ut ne quid contra sacrorum canonum voluntatem et Concilii Tridentini decreta in quaerendis huiusmodi eleemosynis indecenter, aut aliàs quomodocumque committatur) a vobis diligenter curari, ut personae, quae illas colligent, sint honestae vitae et spectatae religionis et uniuscuiusque vestri iudicio in suâ dioecesi approbatae, non participes eleemosynarum, sed hoc munere absque dolo et fraude summâ cum modestiâ fungantur; quaestorum nomen nullo modo gerant, sed eleemosynarum collectorum: dum quaerunt, sua privilegia secum non ferant nec reliquias: non largiantur imagines, candelas aliudve quidpiam simile: minis aut imprecationibus fideles non inducant ad eleemosynas tribuendas: non petant tamquam debitum aut solitum, neque ullâ arte aut praetextu, dicendo cuiusvis sancti orationem, aut aliter pecuniam vel alia bona extorqueant: sed simpliciter petendo eleemosynas, accipiant quod datur: nullam super iis quovis nomine conventionem ineant, etiam in utilitatem confraternitatis. Atque haec omnia et singula, ut praecise et inviolabiliter serventur, et illud praecipue, super quo vestram conscientiam oneramus, ut, quicquid harum eleemosynarum nomine collectum fuerit, in dictae domus et confraternitatis (quocumque loco existant) et in operis praedicti usum vere et cum effectu, sine diminutione, convertatur, tenore praesentium vobis praecipimus et mandamus sub poenis arbitrio nostro.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, et aliis contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 7. Volumus autem ut harum exemplis, etiam impressis, ac manu alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae[1] et sigillo eiusdem munitis, fides eadem habeatur, quae praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die IV septembris MDCVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 septembris 1606, pontif. an. I.

LIII.

Quod fratres Congregationis Cappuccinorum, Ordinis sancti Francisci, in regnis Hispaniarum, servatâ formâ sacrorum canonum et Concilii Tridentini, caeteris non obstantibus, nova loca recipere possint[2].

Paulus Papa V,
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad uberes et suaves fructus, quos dilecti filii Congregationis Cappuccinorum Ordinis sancti Francisci fratres in Ecclesiâ militanti, cuius regimini divinâ disponente clementiâ praesidemus, in dies afferunt, mentis nostrae aciem convertentes, ac uberiores ex ipsâ Congregatione fructus in dies proventuros esse sperantes, ad ea merito libenter intendimus, quae ipsius Congregationis Cappuccinorum augmento conducere possunt, quae vero illi in hoc impedimentum aliquod

1 Videretur subiungendum *subscriptis* (R. T.).
2 Congregationem istam approbavit Clem. VII in sua Const. XXIV *Religionis*, tom. VI pag. 113.

afferre dignoscuntur, e medio tollere procuramus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Cappuccini in regnis Hispaniarum nova loca recipere possunt.

§ 1. Idcirco supplicationibus pro parte procuratoris generalis praedicti Ordinis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de consilio venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum, eiusdem Ordinis fratrum Cappuccinorum superioribus, ut ubique locorum in regnis Hispaniarum nova monasteria seu domos, servatâ tamen formâ in iis recipiendis sacrorum canonum et Concilii Tridentini, accipere libere et licite valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et indulgemus.

Non obstantibus bulla Clementis VIII et aliis contrariis quibuscumque.

§ 2. Non obstantibus felicis recordationis Clementis Papae VIII, praedecessoris nostri, quae incipit *Quoniam ad instituta*, sub datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris die XXIII iulii MDCIII, pontificatus sui anno XII[1], aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et cuiusvis alterius Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis aliis Ordinibus ac eorum superioribus et personis, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis huius bullae danda fides.

§ 3. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die v septembris MDCVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 5 septembris 1606, pontif. an. II.

1 Haec Const. pertinuisset ad hoc volumen, sed edit. Main. eam nobis non exhibuit (R. T.).

LIV.

Facultas nuncio Franciae pro tempore existenti deputandi singulis triennis sacerdotem saecularem in visitatorem monasterii monialium Carmelitarum Discalceatarum Parisiensium et aliorum monasteriorum regni Franciae tam erectorum quam erigendorum eiusdem Ordinis.

Venerabili fratri Maphaeo, archiepiscopo Nazareno, nostro et Apostolicae Sedis apud charissimum in Christo filium nostrum Henricum Francorum regem christianissimum nuncio et pro tempore existenti

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Clemens VIII hoc monasterium Sedi Apostolicae immediate subiecit.

Cum alias felicis recordationis Clemens Papa VIII, praedecessor noster, monasterium monialium Ordinis Carmelitarum Discalceatarum, in civitate Parisiensi tunc novissime erectum, eiusque abbatissam seu priorissam, et conventum ab Ordinarii loci iurisdictione et superioritate exemerit, ac Sedi Apostolicae immediate, ac visitationi commissarii generalis Ordinis fratrum Carmelitarum Discalceatorum subiecerit; et quia tunc dictus Ordo fratrum

1 Ex regest. in Secret. Brev.

Carmelitarum Discalceatorum in regno Franciae nondum erat, prout adhuc, ut asseritur, non est institutus, voluerit idem Clemens praedecessor, ut, quousque Ordo praedictus in dictum regnum introduceretur, monasterium praedictum visitationi et correctioni generalis Ordinis Carthusiensis ac administrationi trium nominatorum in litteris apostolicis super erectione ipsius monasterii expeditis subiectum esset, prout in illis plenius continetur[1];

Eiusque visitationem generali Carthusianorum commisit.

§ 2. Cumque, sicut accepimus, praedictus generalis Carthusianorum vigore decreti in capitulo generali dicti Ordinis celebrato onus huiusmodi recusaverit: nos, ne monasterium praedictum aliquod in spiritualibus detrimentum patiatur, opportune pro nostro pastorali munere providere volentes, ac de tuâ prudentiâ, fide et integritate plurimum in Domino confisi, tibi, ut singulis trienniis, donec aliud a nobis et Apostolicâ Sede mandatum fuerit (etiamsi dicti fratres Carmelitae Discalceati tunc forsan Parisiis, vel in aliis civitatibus et locis regni Galliarum conventus obtineant, vel imposterum assequantur), unum sacerdotem saecularem aetate gravem, vitae probitate spectatum (ex duobus tibi nominandis ac praesentandis per praedictos administratores) in visitatorem dicti et aliorum monasteriorum monialium Carmelitarum Discalceatarum[2] in dicto regno Franciae erectorum vel imposterum erigendorum deputare, ac illum sic deputatum tuo arbitrio etiam infra triennium revocare, ac finito triennio ad aliud triennium, non tamen ultra, confirmare, auctoritate nostrâ apostolicâ possis et valeas, eâdem auctoritate facultatem et auctoritatem concedimus et impertimur.

Eo autem hoc nuncio recusante datur nuncio apostolico facultas visitatorem deputandi.

1 Haec quoque Constitutio non reperitur in *Bullario* (R. T.).

2 Edit. Main. habet *Discalceatorum* (R. T.).

Facultates huiusmodi visitatori conceduntur.

§ 3. Eidem vero visitatori, sic, ut praemittitur, a te deputato, praedictum, nec non etiam quaecumque alia eiusdem Ordinis Carmelitarum Discalceatarum[1] in toto Galliarum regno nunc et pro tempore consistentia monasteria, eorumque superiores, abbatissas seu priorissas, ac moniales et alias personas in eis degentes visitare, ac tam in[2] capite quam in membris corrigere et reformare, ac in singularum vitam, ritus, mores et disciplinam diligenter inquirere, necnon (evangelicae et apostolicae doctrinae, sacrorumque canonum et conciliorum generalium decretis, Sanctorumque Patrum traditionibus ac regularibus dicti Ordinis institutis inhaerendo) quaecumque mutatione, correctione, reformatione, emendatione, revocatione, renovatione aut etiam ex integro editione indigere cognoverit, mutare, corrigere, reformare, emendare, revocare, renovare et de novo constituere, condita sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis ac regularibus institutis dicti Ordinis non repugnantia confirmare, abusus quoscumque tollere, bonas et laudabiles institutiones, ac in primis divinum cultum, monasticam disciplinam et observantiam regularem, ubicumque exciderint, modis congruis restituere, ac ipsas moniales et alias personas praedictas ad regularis clausurae formam, ac debitum et honestum vitae modum reducere, si aliquas in aliquo delinquentes repererit, eas iuxta canonicas sanctiones et regularia instituta dicti Ordinis punire et castigare; quaecumque vero graviora repererit, ea in scriptis redacta ad nos diligenter deferri facere, ac quascumque rebelles, et praemissis non parentes, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appel-

1 Edit. Main. leg. hic et sup. *Discalceatorum* (R. T.).

2 Praeposit. *in* nos adiecimus (R. T.).

latione postpositâ, compescere, ac, legittimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravare, interdictum ecclesiasticum apponere, ac etiam, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis invocare, omniaque alia, quae visitationem et reformationem concernunt, pro dictorum monasteriorum eorumque monalium prospero statu dirigendo necessaria et opportuna facere et exequi possit et valeat, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, similiter facultatem concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac apostolicis, nec non in provincialibus, synodalibus et generalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac dictorum monasteriorum et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem monasteriis et Ordini eorumque superioribus, abbatissis, priorissis et monialibus ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die IX septembris MDCVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 9 septembris 1606, pontif. an. II.

LV.

Iurisdictio et facultates auditoris Curiae causarum reverendae Camerae Apostolicae [1].

Paulus Episcopus,
servus servorum Dei,

Dilecto filio magistro Petro Paulo Crescentio presbytero Romano, utriusque iuris doctori, causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, notario et familiari nostro, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Eximiae fidelitatis et prudentiae, necnon onerosa ac grata devotionis et familiaritatis obsequia, quae nobis et Apostolicae Sedi iamdudum impendisti, et de praesenti assiduis studiis impendere non desistis, generis quoque nobilitas, litterarum scientia et ingentes animi dotes, quibus clarere dignosceris, iam exinde conceptam in nobis spem et expectationem maiorem accendunt, ac pollicentur haud dubie quod ea, quae tibi etiam de caetero duxerimus committenda, etiam quam maxima arduaque negocia, eo maiori prudentiâ ac diligentiâ exequêris, quo personam tuam imposterum condignis honoribus, gratiis et favoribus magis propriis a nobis cognoveris decoratam.

1 Hoc officium antiquissimum et praestantissimum est; et vetustior Bulla, quae de speciali huius tribunalis iurisdictione haberi potuit, est Constit. IX Innocentii VIII *Apprime*, tom. V pagina 320; ultra quam posui aliam Pii IV Constitut. XI *Ad eximiae* (in h. n. edit. XLII, tom. VII pag. 128); ut quisque ex illis et ista dignoscat quam aucta sit huius auditoris iurisdictio. Huius autem tribunalis reformationem primo edidit Pius IV in Constit. LXVI *Inter multiplices* (in h. n. edit. LXIX, ibid. pag. 207); et deinde Pius V in Constit. CLVII *Inter illa* (in h. n. edit. CLXXVI ibid. pag. 865).

Officium auditoratus vacavit per promotionem Marcelli Lantes ad cardinalatum.

§ 1. Cum itaque officium generalis auditoratus, seu audientiae causarum curiae Camerae Apostolicae, quod nuper dilectus filius noster Marcellus sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Lantes nuncupatus (tempore assumptionis de eius personâ ad cardinalatus honorem per nos nuper de fratrum nostrorum consilio, apostolicâ auctoritate, factae) obtinebat, ex eo, quod illud per assumptionem praedictam harum serie vacare decernimus, per decretum huiusmodi vacet ad praesens;

Et modo Petro Paolo Crescentio confertur

§ 2. Nos volentes te (litterarum apostolicarum maioris praesidentiae abbreviatorem, et in illarum expeditione dilecto filio nostro Alexandro sancti Laurentii in Damaso diacono cardinali Montalto nuncupato eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellario assistentem, ac in utrâque signaturâ nostrâ referendarium, etiam continuum commensalem nostrum, quem ad tanti officii regimen et ministerium duximus assumendum, et in illius assequutione caeteris anteponendum) favore prosequi gratiae specialis, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon singulorum privilegiorum, indultorum, facultatum praedicto et quibuscumque aliis officiis, collegiis, tribunalibus et locis piis Urbis, eorumque iudicibus, rectoribus et protectoribus ac aliis personis, quomodolibet et quandocumque, etiam sub quibuscumque verborum expressionibus et formis concessorum, ac scripturarum aliarumque litterarum desuper confectarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et insertis habentes, de tuis probatâ fide, integritate et diligentiâ plurimum in Domino confisi;

Cum omnibus iuribus emolumentis et iurisdictionibus solitis, et cum infrascriptis, videlicet;

§ 3. Motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de merâ deliberatione et ex certâ scientiâ nostris, officium praedictum, sive ut praemittitur, sive aliàs quovis, quem haberi volumus pro expresso, modo vacans, cum officio correctoriae seu correctoris archivii dictae curiae et aliis illi annexis ac omnibus et singulis illius honoribus, praeeminentiis, praerogativis, exemptionibus, immunitatibus, iurisdictionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, necnon (salvâ dismembratione et separatione sex millium scutorum annuorum monetae romanae, decem iuliis eiusdem monetae pro quolibet scuto huiusmodi computatis, ex fructibus dicti officii auditoratus per felicis recordationis Sixtum Papam V praedecessorem nostrum factis[1], seu sex millibus scutis praedictae Camerae aliàs applicatis salvis remanentibus) cum iuribus, regalibus, proventibus, obventionibus et emolumentis consuetis ac debitis, facultatibusque et indultis ac decretis (etiam in ordine et modo procedenti in causis[2]) praefato Marcello cardinali et aliis, qui pro tempore fuerunt, causarum curiae huiusmodi generalibus auditoribus, ac per piae memoriae Iulium II, Leonem X, Clementem VII, Paulum III et Iulium etiam III ac praedictum Sixtum et Gregorium XIV aliosque quoscumque Romanos Pontifices, etiam praedecessores nostros, ac nos et Sedem praedictam, sub quibuscumque tenoribus ac cum quibusvis clausulis et decretis, tam in formâ Brevis quam sub plumbo expeditis litte-

1 Nescio an huiusmodi Sixti V Constit. in *Bullario* reperiatur (R. T.).

2 Verba quae parenthesi inclusi me fateor non intelligere; fors. legend. *procedendi* (R. T.).

ris, ac aliàs ex usu, stylo, consuetudineque quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium concedimus et assignamus. Teque ad tui vitam nostrum et pro tempore existentis Romani Pontificis, ac dilecti filii nostri Petri tituli sanctorum Ioannis et Pauli presbyteri cardinalis Aldobrandini nuncupati moderni et pro tempore existentis ipsius sanctae Romanae Ecclesiae camerarii, et causarum curiae Camerae huiusmodi generalem auditorem cum honoribus, oneribus, praeeminentiis, praerogativis, exemptionibus, immunitatibus, iurisdictionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, concessionibus, indultis, iuribus, regalibus, emolumentis, facultatibus et decretis praedictis, eisdem auctoritâte et tenore, constituimus et deputamus: ac in locum dicti Marcelli cardinalis, quoad huiusmodi auditoratus officium, eiusque liberum exercitium, quoad vixeris, substituimus et subrogamus.

In causis criminalibus absque irregularitate se immiscendi.

§ 4. Teque ad auditoratus et correctoriae officia huiusmodi et eorum liberum exercitium, ac omnia et singula praedicta ex nunc admittimus et recipimus, et per Petrum cardinalem modernum ac pro tempore existentem camerarium praedictum, necnon dilectos filios dictae Camerae praesidentes clericos, caeterosque ad quos spectat et spectabit, tam in Camerâ quam extra eam recipi et admitti, atque tibi de iuribus, regalibus, localibus, taxis, proventibus, obventionibus et emolumentis et aliis supradictis integre responderi et satisfieri mandamus, ac volumus et etiam praecipimus. Tibique indulgemus quod, si te in quibuscumque causis criminalibus, etiam ubi poena sanguinis et ultimi supplicii imponenda erit seu imponetur, aut de huiusmodi causis tractandum fuerit, imposterum aliquando contigerit immiscere[1], nullam ob id irregularitatis vel inhabilitatis cuiuscumque seu aliam censuram ecclesiasticam, aut infamiae maculam sive notam, nec alia incurras impedimenta, dummodo sententiam sanguinis per te ipsum non feras neque votum subscribas.

Causas per locumtenentes cognoscendi;

§ 5. Ac etiam tibi, per te, seu alium vel alios, idoneum vel idoneos, locumtenentem seu locatenentes et officiales vel vicesgerentes tuos, quos et quando pro tempore duxeris assumendos aut deputandos, de omnibus et singulis causis, modis et formis infrascriptis cognoscendi et decidendi facultatem concedimus per praesentes.

In causis obligationum Cameralium praeterquam in litibus introductis inter cives romanos iuxta bullam Pii IV in rubricam procedendi;

§ 6. Quod tu videlicet (tam in causis obligationum in formâ Camerae[1], quam in formâ iuris guarentigiae, vel Ripae vel Ripettae celebratarum, ac etiam in aliis obligationibus in quibus, etiam absque obligatione in formâ Camerae, debitores consenserint in mandatum exequutivum unicâ citatione, vel etiam sine citatione, et quarum obligationum vel consensuum vigore in aliis tribunalibus exequutive, vel per relaxationem mandatorum proceditur quovis modo) solus (praeterquam inter cives Romanos inter quos privilegium seu constitutionem ultimo loco per recolendae memoriae Pium Papam IV similiter praedecessorem nostrum in favorem populi romani motu proprio factam[2] servari volumus)[3], alii vero quicumque etiam Romanae Curiae iudices in similibus causis nullatenus nulloque modo procedere possint; ac de omnibus et singulis obligationibus in formâ Camerae ubivis locorum et inter quascumque personas factis vel facien-

1 Forsan legendum *immisceri* (R. T.).

1 Aptiori ordine legeretur: *in causis obligationum, tam in formâ Camerae, quam*, etc. (R.T).

2 Vide Pii IV Constit. XLIII in tom. VII pagina 134 (R. T.).

3 Videtur subintelligendum *procedere* nempe *valeas*, ut postea dicetur (R. T.).

dis (iis dumtaxat exceptis, quae in dependentibus[1] a litibus et causis in eâdem Camerâ aut coram aliis iudicibus pro tempore introductis factae et receptae fuerint), et tunc non per viam censurarum, sed per viam mandati exequutivi iudicare[2];

Easque a quibuscumque iudicibus (praeterquam commissas per speciale rescriptum et causas capitolinas inter cives romanos vertentes) reassumendi.

§ 7. Ita ut quascumque causas, quae de caetero perpetuis futuris temporibus in eâdem Curiâ super ipsis obligationibus, aliisque omnibus supradictis, in alio quam auditoratus huiusmodi tribunali (praeterquam in vim specialis commissionis nostrae de dictis obligationibus specialem mentionem facientis), motae fuerint, in illarum statu, gradu et terminis in quibus reperientur, tuâ ordinariâ auctoritate (exceptis dumtaxat causis Curiae Capitolinae contra dictos cives romanos pro tempore iuxta formam dicti privilegii motis), reassumere[3]; et etiam iudicibus, quibus fuerint commissae ac coram quibus illae pendebunt[4], ne in eis aut de illis quoquo modo, aut quovis quaesito colore, directe vel indirecte[5]; illisque ac omnibus et singulis quibuscumque aliis iudicibus, eorumque locatenentibus ac auditoribus, tam ecclesiasticis quam saecularibus[6], ne in exequutionibus ac processibus praedictarum obligationum ac contractuum de caetero contra tenorem praesentium ad instantiam cuiusvis personae, collegii, universitatis, capitulorum et quorumvis, etiam privilegiatorum, sub excommunicationis latae sententiae indignationisque nostrae poenis, ac partibus ipsis, et notariis, procuratoribns, sollicitatoribus, exequutoribus ac officialibus[1], sub eisdem censuris et poenis, ac privationis officiorum suorum, et inhabilitatis ad illa et alia imposterum obtinenda, necnon quingentorum ducatorum fisco et eidem Camerae applicandorum, refectionisque expensarum partibus arbitrio tuo, et nullitatis processuum inde sequentium et sequuturorum, quovis modo, directe vel indirecte se intromittere praesumant, inhibere (et quicquid secus super his contigerit attentari irritum et inane existat et esse censeatur, prout ita decernimus);

Vigore obligationum cameralium censuras promulgandi.

§ 8. Quodque tu solus vigore dictarum obligationum censuras ecclesiasticas promulgare[2];

Causas omnes spirituales et etiam omnium curialium, communitatum, mercatorum et pensionum cognoscendi.

§ 9. Necnon omnes et singulas spirituales, ecclesiasticas ac profanas, et quorumvis, etiam eiusdem Romane Ecclesiae cardinalium, eorumque ac nostrorum familiarum et continuorum commensalium, necnon quorumcumque praelatorum in ipsâ Curiâ degentium, ac etiam imperatoris, regum, principum ac communitatum et universitatum, eorumdemque principum oratorum, necnon dictae Curiae officialium eamdem Curiam sequentium, ac familiarium eorumdem, et ipsius Curiae causarum huiusmodi auditoris notariorum, et eorum familiarium, campiorum[3] quoque et quorumvis mercatorum, ac pensionum annuarum super fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis, ac eorum fructuum, etiam loco pensionum huiusmodi reservatorum et assignatorum, etiamsi eorum et earum solutio non sit in praedictâ Curiâ, sed in partibus facienda, et quascumque alias etiam

1 Edit. Main. legit *independentibus* (R. T.).

2 Verbum *iudicare* nos addidimus, an iure iudicet lector. Porro omnia infinitiva, quae in seqq. §§ leguntur, pendent a verbo *valeas* in § 24 circa medium (R. T.).

3 Semper, ut diximus, subintellige *valeas* (R. T).

4 Subintellige verbum *inhibere*, quod prope finem § istius sequitur (R. T.).

5 Subintellige *se intromittere praesumant*, quod dicetur prope finem § istius (R. T.).

6 Iterum subintellige *inhibere* (R. T.).

1 Iterum subintellige *inhibere* (R. T.).

2 Semper subintellige *valeas* R. T.).

3 Ita fert tum edit. Main. tum Cherub.; an recte, nescio (R. T.)

commissarias causas, tam civiles quam (absque alicuius irregularitatis seu inhabilitatis, aut infamiae, vel cuiusvis alterius sententiae et poenae ecclesiasticae incursu) criminales et mixtas, coniunctim vel divisim, in eâdem Curiâ quomodocumque vel qualitercumque motas et movendas, ac inter quascumque partes, etiam per viam inquisitionis, aut ex officio quomodolibet pendentes[1];

Causas appellationum a sententiis iudicum urbis (vicario, gubernatore et senatore ac iudicibus Capitolii exceptis) nec non a quibuscumque iudicibus extra curiam latarum cognoscendi.

§ 10. Et quae per appellationem a gravaminibus illatis et inferri comminatis, seu sententiis definitivis vel interloquutoriis a quibusvis iudicibus ordinariis, et arbitris atque arbitratoribus in Curiâ et Urbe praedictis (vicario nostro ac gubernatore et senatore ipsius Urbis, iudicibusque Capitolinis dumtaxat exceptis) ac extra easdem Curiam et Urbem, a quibuscumque iudicibus ordinariis et delegatis, seu arbitris vel arbitratoribus, ac etiam dictae Sedis legatis, et eorum vicelegatis in terris eidem Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis, aut aliis eorum gubernatoribus vel officialibus et quibusvis in feudum vel vicariatum seu aliàs quomodolibet concessis, et[2] pro tempore latis et promulgatis interpositam, seu aliàs, ad[3] eamdem Sedem per viam reclamationis iudicialis vel extraiudicialis, aut nullitatis vel recursus, a quibuscumque sententiis quorumcumque Ordinariorum, etiam extra Statum Ecclesiasticum, hactenus devolutae sunt, et imposterum devolventur[4];

1 Heic subintellige *audire, cognoscere, decidere et fine debito terminare*, quae verba leguntur postea in fine § 11 (R. T.).

2 Praepositio *et* redundans videtur; nam sermo est de *sententiis* (antea dictis) *et interloquutoris pro tempore latis et promulgatis* (R. T.).

3 Praeposit. *ad* quae in edit. Main. et in Cherub. deest censuimus requiri (R. T.).

4 Heic Cherub. ad marginem notat: *Hoc tu intellige iuxta reformationem Pii IV cit. in rubricâ* (R. T.).

In causis non excedentibus valorem ducatorum ducentorum et in causis mercatorum et notariorum tribunalis usque ad quamcumque summam summarie et in omnibus aliorum causis prout in beneficialibus procedendi.

§ 11. Eas videlicet, in quibus non agetur ultra summam ducentorum ducatorum auri de Camerâ, aut[1] de re verum valorem praedictae summae non excedente, seu quae inter et contra mercatores dictae Curiae pro quibuscumque negociis ad quamcumque summam ascendant, et pro notariis tuis, ac inter et contra ipsos, ac eorum familias pro tempore vertentur, summarie, sempliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, solâ veritate inspectâ et manu regiâ, (absque observatione terminorum, qui de stylo seu ordinatione Palatii Apostolici, aut aliàs observari consueverunt seu consueverint), etiam privative quoad alia tribunalia, alias vero[2] summam praedictam aut illius valorem excedentes, ac inter et contra alios, quam mercatores, vertentes, servatis terminis, et aliàs summarie[3], prout in beneficialibus, eisdemque terminis quomodocumque male et nulliter, praepostere et confuse tentis[4]; pro minore partium dispendio, etiam unico contextu, citatione et audientiâ reiteratis, etiam per affixionem citationum pro tempore faciendarum ad valvas ipsorum citandorum habitationis, quoad obligatos in formâ Camerae seu guarentigiae, Ripae, Ripettae ac aliis supradictis formis exequutivis, et quoad alios aliter obligatos, ubi non agetur de maiore quam de viginti ducatorum summâ[5],

1 Intellige *aut in quibus agetur;* nam, si intelligas *aut non agetur*, sequens negativa ante vocem *excedente* omitti debet (R. T.).

2 Nempe: *alias vero causas* (R. T.).

3 Scilicet alias causas praedictas cognoscere valeas *servatis quidem terminis sed caeteroquin summarie prout fieri solet in beneficialibus* (R. T.).

4 Seu: *si termini fuerint quomodolibet male tenti, ipsis summarie* (prout postea dicitur) *pro minore partium dispendio reiteratis* (R. T).

5 Scilicet praedicta facultas de affixione citationum ad valvas habitationis ipsorum citandorum

audire, cognoscere, decidere et fine debito terminare;

Causas omnium delictorum tam in Urbe quam extra contra curiales et exemptos cognoscendi.

§ 12. Necnon de omnibus et singulis quibuscumque et quantumcumqne enormibus criminibus, delictis et excessibus, tam in Urbe et Curiâ praedictis, quam extra eas, per quoscumque tam eiusdem Curiae atque Sedis officiales quam dictam Sedem sequentes, et alios, etiam a iurisdictione Ordinariorum exemptos ac dictae Sedi immediate subiectos, cuiuscumque ecclesiasticae vel mundanae dignitatis, etiam episcopalis, archiepiscopalis, primatialis vel maioris, et per quoscumque alios, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, perpetratis vel perpetrandis,[1] ad procuratoris fiscalis denunciationem et promotionem, quam etiam partium accusationem vel etiam instigationem seu ex mero officio, et quoad omnes privative, per notarios tuos eorumque substitutos, ac inter et contra eos ac alios in eorum officiis et intus ea solum, inquirere, et super illas tam per viam inquisitionis quam accusationis seu denunciationis et instigationis huiusmodi procedere, et culpabiles repertos, iuxta suorum excessuum exigentiam et qualitatem, quovis modo, absque alicuius irregularitatis aut alterius censurae ecclesiasticae huiusmodi incursu, punire;

Monitoria contra episcopos ad personaliter comparendum praevia Papae commissione decernendi.

§ 13. (Ita tamen, quod monitoria contra episcopos vel alios eorum superiores praedictos ad comparendum personaliter nonnisi praeviâ commissione manu nostrâ signatâ decernas);

Litteras apostolicas solus, vel, dato alio exequutore, cumulative cum illo exequendi.

§ 14. Et insuper quod quascumque litteras apostolicas, generales et particulares, tam sub plumbo (etiam per officium audientiae nostrarum litterarum contradictarum ac per officium minoris gratiae), quam in formâ Brevis expeditas, et, quarum solam signaturam sufficere concessum fuerit, supplicationes per nos et pro tempore existentem Romanum Pontificem aut in eiusdem Pontificis seu nostrâ praesentiâ signatas, nec non litteras pro tempore existentium camerarii et poenitentiarii maioris nostrorum (dummodo in illis et litteris apostolicis praedictis alii exequutores deputati non fuerint, solus, in quibus vero deputati erunt, cumulative cum illis) exequi, et super illis processus debitos in formâ solitâ, etiam cum promulgatione censurarum in similibus promulgari solitarum, decernere;

Sententias quorumcumque iudicum in curia et extra latas et processus tam generales quam particulares simili modo exequendi.

§ 15. Ac per te tuosque locumtenentes seu vicesgerentes et officiales aut deputatos et quosvis alios tam ecclesiasticos quam saeculares iudices, et tam[1] delegatos, ac etiam causarum dicti Palatii auditores, vel alios, aut Romanum Pontificem pro tempore existentem, tam in genere quam in specie, ac aliàs quomodolibet in eâdem Curiâ et extra eam pro tempore latarum sententiarum, necnon quorumcumque processuum generalium vel specialium, tam in die Coenae Domini quam aliàs, cum censurarum et poenarum ecclesiasticarum fulminatione fieri solitorum, exequutionem[2] quas, etiamsi delegatis aut subdelegatis praedictis vel quibusvis aliis etiam specialiter per nos et Sedem praedictam commissae fuerint, tibi cumulative et non privative commissas[3] esse volumus atque decernimus), servatis terminis in tribunali auditoris Ca-

valet generaliter quoad obbligatos in formâ Camerae et aliis formis praedictis, et etiam quoad aliter obligatos, ubi non agatur de maiori summâ quam hîc praefinita (R. T.).

1 Videretur legendum *tam ad... quam etiam ad*, etc. (R. T.).

1 Videretur legendum *etiam* pro *et tam* (R. T).

2 Subintellige *facere*, ut postea sequitur (R. T).

3 Tam Cherub. tam Main. heic legg. *commissa*, dum tamen antea legunt *quas* et *commissae fuerint*: vel antea legend. fuit *quae* (nempe *sententias et processus*) et *commissa fuerint* (R. T).

merae huiusmodi servari solitis, etiam singulis diebus et horis, prout in ordinariis consuetum est, facere, illasque et illos debitae exequutioni, etiam, si opus fuerit, cum auxilii brachii saecularis invocatione, demandare;

Communitates et omnes alios extra curiam degentes pro contractibus initis in curia et curiales aliosque in curiam degentes pro quibuscumque rebus citandi.

§ 16. Ac quascumque communitates, universitates, collegia, capitula, necnon etiam extra dictam Curiam degentes personas, pro debitis per eas in eâdem Curiâ contractis, aut salario seu contractu in ipsâ Curiâ inito, degentes vero in eâdem Curiâ seu curiales ecclesiasticos saeculares vel regulares, etiam ab ipsa Curiâ absentes, cuiuscumque gradus, status, ordinis, etiam pontificalis dignitatis vel praeeminentiae existentes, pro quibusvis rebus et pecuniarum summis ad quorumvis etiam absentium, quorum interesit pro tempore, instantiam, quoties expedierit, etiam per edictum publicum, constito summarie et extra iudicialiter de non tuto ad eos accessu, ad satisfaciendum de eorum debitis et praestandum ea, ad quae pro tempore tenebuntur, monere et citare;

Compulsoriales et remissoriales decernendi.

§ 17. Ac litteras quascumque remissoriales, et compulsoriales, tam generales quam speciales, ubi et quoties opus fuerit, arbitrio tuo decernere;

In vim Eugenianae et Leoninae citatarum in rubrica Curiales tuendi.

§ 18. Necnon etiam in vim Eugenianae in favorem curialium emanatae ac Leoninae constitutionum et pro cuiusque illarum extensione inhibere;

Monitoria, *etc.* ad partes decernendi.

19. Ac monitoria, citationes et inhibitiones ad partes, etiam per simile edictum, decernere, eos quoque arrestare et carcerare, ac, si tibi videbitur, quascumque poenas et mulctas eodem arbitrio tuo dimittere et relaxare, atque, pro delictorum et excessuum necnon criminum qualitate, quibusvis pro tempore delinquentibus per te tuosque locumtenentes, vicesgerentes et officiales infligere et imponere;

Inobedientes excommunicandi, *etc.*

§ 20. Necnon quoslibet inobedientes excommunicare, et a divinis suspendere, generaliter vel specialiter interdicere, ac sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, per te et locumtenentes ac alios tuos praedictos pro tempore latas, etiam iteratis vicibus aggravare;

Statuendi quod excommunicati ab ipso auditore per alios nonnisi in articulo mortis absolvi possint.

§ 21. Et quod a te vel[1] locumtenentibus et aliis praedictis pro tempore excommunicati, seu aliàs censurati, ab aliis quam a te vel locumtenentibus et aliis tuis huiusmodi, etiam de partium consensu, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi non possint, ad evitandas collusiones statuere;

Excommunicatos autem ab aliis, ipse auditor Camerae absolvit, *etc.*

§ 22. Et, cum tibi visum fuerit expedire, communitates, universitates, collegia, capitula et personas quascumque a quibusvis sententiis, censuris et poenis, ac mulctis ecclesiasticis, spiritualibus vel temporalibus, tam per te et locumtenentes ac alios tuos praefatos, quam per alios inflictis, in diebus paschalibus et natalitiis, cum reincidentià absolvere, necnon sententias, censuras et poenas ac mulctas huiusmodi, et quaecumque interdicta suspendere, tollere et eis relaxare;

Obligationes in forma Camerae post mortem debitorum contra eorum bona exequitur.

§ 23. Obligationes quoque in formâ Camerae, etiam per mortem debitoris, quoad illius bona tantum, etiam per viam confessionis debiti per aliquem ex procuratoribus in qualibet obligatione constitutis more solito faciendas, et haeredibus legitime citatis, seu aliàs arbitrio tuo exequi et exequutioni demandari facere;

Eaque omnia facere potest, quae praedecessores agere consueverunt. Haec autem intelligenda sunt iuxta reformationem Pii papae V.

§ 24. Et generaliter omnia et singula, quae ad officium auditoris causarum Curiae huiusmodi de iure vel ex privilegio aut usu seu litteris et consuetudine praedictis olim spectabant, et quae illi, qui pro tempore fuerunt causarum Curiae huiusmodi auditores, iuxta concessas eis facultates, facere, decernere, mandare,

1 Videtur deesse vox *tuis* (R. T.).

statuere, ordinare et exequi quomodolibet potuerunt seu consueverunt, facere, dicere, mandare, statuere et ordinare, decernere et exequi libere et licite valeas[1]: processus et sententias, quas tu et locumtenentes ac alii a te deputati praedicti pro tempore habueritis et tuleritis, ac reliqua omnia quae in praemissis et circa ea aut quodlibet eorum feceritis, dixeritis, mandaveritis, statueritis et ordinaveritis, rata ac grata habituri, ac facturi ea omnia, auctore Domino, ab omnibus usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari[2].

Indulta omnia auditori innovantur, iteratoque conceduntur.

§ 25. Insuper, eisdem auctoritate et potestatis plenitudine, tam litteras Iulii II, Leonis X aliorumque praedecessorum huiusmodi[3], quam omnia et singula privilegia, indulta, facultates, iurisdictiones et gratias officio auditoratus et auditoribus praedictis quomodolibet concessa, ac, cum omnibus et singulis in eisdem contentis clausulis, singulas desuper confectas litteras, quorum omnium et singulorum, ac litterarum praedecessorum huiusmodi tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pariter praesentibus haberi volumus pro expressis, auctoritate et tenore praedictis approbamus, confirmamus et innovamus, ac illa perpetuae et inviolabilis firmitatis robur obtinere et inviolabiliter observari debere decernimus; eaque omnia et singula ad officium auditoratus et pro tempore existentem auditorem huiusmodi (perinde ac si in eis specialiter et expresse ac individuo[1], et pro eis seu in illorum favorem statuta et ordinata fuissent) harum serie extendimus et ampliamus.

Dilationes per alios quoscumque concessae, obligatis in forma Camerae non prosunt.

§ 26. Quodque constitutiones, quae *Odoardus* et *Pervenit* incipiunt[2], et quaevis alternativae seu moratoriae et dilationes, etiam salinariae, per quoscumque, etiam eiusdem Romanae Ecclesiae cardinales, clericos Camerae et ipsius Camerae camerarium pro tempore, decretae, quoad obligatos, ut supra, tam respectu bonorum quam personarum nullatenus prosint;

Causa discussionum ubilibet pendentium et appellationum non facientium mentionem de obligatione camerali exequutionem non retardat.

§ 27. Quinimo obligationes praedictae debitae exequutioni demandentur, et etiam post mortem debitoris quoad[3] bona, etiam quacumque appellatione, et superinde obtentâ commissione de huiusmodi obligatione expressam mentionem non faciente, aut discussione haereditatis ubilibet pendente (si per creditores data fuerit idonea cautio in formâ depositi de restituendo id quod receperint prioribus et potioribus creditoribus in eventum succumbentiae) non obstantibus;

Praecedentia auditoris in capella Papae et actibus publicis.

§ 28. Ac etiam, quod tu auditor in capellâ nostrâ, et aliis actibus, tam publicis quam privatis, primum locum post dictum gubernatorem et oratores principum, si praelati fuerint, habeas, volumus, statuimus et ordinamus, tibique pariter indulgemus.

Contradictores in praedictis coercet.

§ 29. Ac similiter tibi contradictores et rebelles tibique in praemissis non parentes opportunis iuris remediis compescendi, et ad id, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis invocandi, caeteraque in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna, tam in dictâ Urbe quam ubique locorum, faciendi et exequendi, iuxta facultates aliàs tunc of-

1 Huc, tandem, desinunt omnia infinitiva praedicta et huc etiam refertur nota marginalis edit. Main. supra ad § 24 (R. T.).

2 Periodus ista refertur ad § 5 ubi pontifex dixerat: *tibi facultatem concedimus* (ea omnia peragendi quae postea enumerata fuerunt)... *rata et grata habituri, et facturi observari quae tu et locumtenentes tui*, etc. (R.T.).

3 Litt. Iulii II et Leonis X in *Bull.* non sunt; sed vide notam ad tom. v pag. 321 (R. T.).

1 Videretur hic aliquid deesse, ex. g. *de ipsis fieret mentio* (R. T.).

2 De hisce vide tom. vii pag. 133 (R. T.).

3 Forsan supplenda vox *ipsius* ex § 23 (R.T.).

ficium auditoratus huiusmodi attinentibus[1] attributas.

Carceratos vigore suorum mandatorum etiam extra curiam relaxat iuxta Pauli III Constit. et Constit. Pii V.

§ 30. Necnon pariter tibi, tuisque in officio auditoratus huiusmodi successoribus, quoscumque pauperes extra Romanam Curiam pro debitis civilibus et vigore tuorum et pro tempore existentis auditoris Camerae mandatorum carceratos, tuo et tuorum in officio auditoratus successorum huiusmodi arbitrio, iuxta facultates desuper visitatoribus carcerum Urbis praedictae per constitutiones piae memoriae Pauli III et Pii V Romanorum Pontificum, pariter praedecessorum nostrorum, ad favorem pauperum carceratorum editas[2], relaxandi et relaxari faciendi;

Miserabiles personas in causa discussionis caeteris praefert iuxta Bullam Pii V.

§ 31. Necnon quoscumque pauperes et vere miserabiles in causis tui tribunalis, tam motis quam movendis, pro tempore comparentes (constito prius summarie et extraiudicialiter, quantum tibi sufficere videbitur, de eorum paupertate et miseriâ) ad satisfactionem crediti, cuius creditores fuerint, usque ad summam quinquaginta scutorum inclusive pro quolibet creditore paupere et miserabili huiusmodi, etiam si caeteris creditoribus priores et potiores non extiterint, admittendi ac eis de ipso eorum credito satisfaciendi et satisfieri faciendi et mandandi realiter et cum effectu;

In curia et extra citat, *etc.*

§ 32. Praeterea quoscumque ubi et quando ac quoties opus fuerit (etiam per edictum publicum, constito summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu, ac etiam sub ecclesiasticis censuris et pecuniariis aliisque poenis imponendis, moderandis et applicandis) citandi, monendi et inhibendi, ac, in eventum non paritionis, sententias, censuras et poenas huiusmodi declarandi, aggravandi, reaggravandi, excommunicandi, interdicendi, auxiliumque brachii saecularis, si opus fuerit, invocandi, perpetuum quoque silentium, omni et quacumque appellatione et recursu remotis, desuper imponendi, ac alia omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi et exercendi, iuxta concessionum aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum desuper ipsum auditoratus officium obtinentibus, ut praemittitur, factarum tenorem, plenam et liberam, eisdem auctoritate et tenore, concedimus et impertimur facultatem et potestatem, ac ita tibi mandamus, statuimus et ordinamus.

Causas cambiorum in Urbe cognoscit iuxta bullam Pii V.

§ 33. Postremo, ut omnes et quascumque causas tam per te quam locumtenentes et alios deputatos tuos praedictos super omnibus et singulis articulis, negociis et causis in constitutione seu motuproprio (per praedictum Pium praedecessorem pro pecuniis ad cambium et recambium usurario[1] et malo modo per mercatores dictae Urbis accipiendis factis) contentis et dependentibus ab eis, prout pro singulorum casuum circumstantiis aliàs de iure tibi faciendum videbitur (non obstante facultate sub formâ motusproprii per praedictum Pium praedecessorem in favorem dicti gubernatoris concessâ partibus iustitiam ministrando[2]) audiendas, in quibus non tamquam specialis commissarius, sed prout auditor Camerae huiusmodi in similibus causis, iuxta tenorem facultatum suarum et ordinarium eius Curiae stylum, consuevit, procedas, cum potestate citandi et inhibendi, ac quascumque inhibitiones per dictae Urbis gubernatorem decretas revocandi, et criminalitates contra mercatores tollendi, aliasque et alia, quae in praemissis et circa ea fuerint necessaria et quomodolibet opportuna, faciendi, et

1 Videretur legendum *obtinentibus* (R. T.).

2 Vide Constit. LXII Pauli III in tom. VI pag. 384; et Constit. CII Pii V, tom. VII pag. 688 (R. T.).

1 Edit. Main. legit *usuraria* (R. T.).

2 An legendum *ministrandi* (?) (R. T.).

aliàs in omnibus et per omnia, iuxta concessionum per eosdem Romanos Pontifices praedecessores nostros suo tempore Curiae causarum eiusdem Camerae generalibus auditoribus factarum tenorem, per easdem praesentes tibi committimus et mandamus.

Papa inhibet quibuscumque iudicibus et personis, etiamsi cardinales fuerint, ne se in obligationibus Camerae intromittant.

§ 34. Mandantes propterea et districtius inhibentes quibuscumque iudicibus et personis, quocumque nomine nuncupatis, ac quovis privilegio munitis, etiamsi eiusdem S. R. E. cardinales fuerint, sub indignationis nostrae poenâ et interdicti nec non etiam excommunicationis sententiis, quas, si secus fecerint, eo ipso incurrant (et a quibus, praeterquam in mortis articulo constituti, aliàs quam a Romano Pontifice absolvi non possint) ne in obligationibus supradictis illarumque exequutionibus aut aliis praemissis contra ipsarum praesentium tenorem quomodolibet se intromittere aut te vel locumtenentes seu alios deputatos tuos praedictos super praemissis molestare praesumant;

Quodque praesentes litterae non possint notari de subreptione, etc., neque sub aliquibus revocationibus comprehendi.

§ 35. Ac decernentes easdem praesentes litteras tibi in omnibus et per omnia suffragari debere, illasque et in eis contenta huiusmodi nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae defectu notari, impugnari, invalidari, aut ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari, aut adversus eas quodcumque iuris aut facti vel gratiae remedium impetrari, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus et aliis contrariis dispositionibus eas comprehendi posse, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et eum, in quo antequam illae emanarent erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo concessas, etiam sub quacumque datâ per te eligendâ, validasque et efficaces semper fore et esse, vimque validi et efficacis contractus inter nos et Sedem ac Cameram praedictas ex unâ, et te ex alterâ parte rite et recte facti, initi et stipulati, ac etiam hinc inde acceptati, habere et obtinere, ac inviolabiliter observari debere;

Decretum irritans cum clausula *sublatâ*, apponit.

§ 36. Sicque per quoscumque iudices et commissarios etiam S. R. E. cardinales et camerarium dictae Camerae, ac praesidentes et clericos, necnon Palatii Apostolici auditores huiusmodi (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) in quavis causâ et instantiâ ac ubique locorum iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogationes amplissimas, et in specie regulis de iure quaesito non tollendo et bullae Pii IV de registrandis, subnectit.

§ 37. Non obstantibus praemissis, ac nostris, quatenus opus sit, de non tollendo iure quaesito, necnon revocatoriâ facultatum ad instar non concedendarum, aliisque Cancellariae Apostolicae regulis, etiam per nos ac praedecessores et successores nostros Romanos Pontifices quoscumque, quomodocumque et quandocumque editis et edendis et etiam praedicti Pii IV praedessoris, quod privilegia, concessiones et indulta Camerae praedictae praeiudicium quomodolibet concernentiâ in Camerâ ipsâ intra certum tempus registrari, intimari, insinuari et notificari debeant disponente[1] (ita quod tu ipsas praesentes litteras in eâdem Camerâ nullo umquam tempore praesentare, intimare, notificare, registrari facere ac insinuare minime tenearis, nisi si et quando tibi videbitur), ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam de rebus et bonis Ecclesiae et Camerae praedictarum non alienandis, ac, in illo-

1 *Bull.* istiusmodi Pii IV legitur in tom. VII pag. 375 (R. T.).

rum alienatione seu concessione, certas solemnitates et formas servari debere disponentibus, ac Curiae et Palatii praedictorum stylo, necnon Urbis et Camerae huiusmodi, ac quarumcumque aliarum civitatum, terrarum et locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, reformationibus, etiam novis et novissimis, et decretis ac ordinationibus, privilegiis quoque et indultis, ac litteris apostolicis, quibusvis communitatibus, universitatibus, baronibus, domicellis, feudatariis et aliis quibuscumque, dictae Sedi mediate vel immediate subiectis, et quibusvis aliis quacumque dignitate, etiam episcopali, archiepiscopali, patriarchali et cardinalatus honore fulgentibus personis, ubivis locorum existentibus, ac etiam nostris et dictae Sedis nuntiis, legatis, etiam de latere, per nos et recolendae memoriae Clementem VIII ac alios Romanos Pontifices, praedecessores nostros, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam pro quibuscumque causis, etiam motu simili concessis, confirmatis et approbatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis et imposterum concedendis, confirmandis, approbandis et innovandis. Quibus omnibus et singulis, ac omnibus aliis hîc non expressis, quae forsan praesentibus obesse possent, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa ac individua mentio habenda, aut aliqua alia certa et exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat motu et scientiâ ac de potestatis plenitudine paribus specialiter et expresse derogamus, ac plene et sufficienter derogatum esse decernimus et declaramus, necnon omnibus illis, quae in praemissis et quibuscumque desuper confectis litteris concessa fuerunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Declarat non derogare Concilio Tridentino neque reformationibus Pii IV et V.

§ 38. Per praesentes autem non intendimus reformationibus de auditoratus huiusmodi et aliis dictae Curiae officiis per Pium IV et Pium V, praedecessores praefatos, factis, necnon Concilii Tridentini decretis in aliquo derogare, vel aliàs praeiudicare, sed illas et illa salva esse, et in suo robore permanere, eaque omnia ac etiam alias, quas hodie per alias litteras nostras[1] statuimus et ordinamus, reformationes, per te et successores tuos praedictos, atque alios, ad quos id spectat, seu in futurum quomodolibet spectabit, omnino et inviolabiliter servari volumus et mandamus.

Iubet auditorem iurare de fideliter exercendo officio.

§ 39. Et insuper etiam volumus quod tu, antequam officium auditoratus causarum curiae Camerae huiusmodi exercere incipias, de illo fideliter exercendo in manibus praedicti Petri cardinalis et camerarii, seu ab eo ad id deputati, aut eius locumtenentis solitum praestes iuramentum;

Transumptisque credi debere.

§ 40. Quodque praesentium litterarum transumptis et exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae ecclesiasticae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, et adhiberi fidemque facere illa debeant, quae ipsis originalibus adhiberetur, et quam ipsae facerent, si forent exhibitae vel ostensae.

Monitum de bene gerendo officio.

§ 41. Tu igitur praefatum auditoratus causarum curiae Camerae Apostolicae, officium promptâ devotione suscipiens, sic illud diligenti studio, curâ et integritate exequere, ut tua opera ad Dei laudem

1 Istae aliae litterae, *quae hodie datae* dicuntur, non sunt in *Bullario* (R. T.).

et gloriam Ecclesiae et Curiae bonum publicum, privatorumque commoditatem et exemplum laudabile cedant, teque apud nos et Sedem praedictam, ut speramus, merito peramplius recommendent.

Sanctio poenalis.

§ 42. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, assignationis, constitutionis, deputationis, substitutionis, subrogationis, admissionis singulorum indultorum, statutorum, ordinationum, facultatum approbationis, confirmationis, innovationis, extensionis, ampliationis, decretorum, praecepti, mandatorum, voluntatis, derogationis et declarationis infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attenuare praesumpserit, in dignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicae MDCVI, XVII kalendas octobris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 15 septembris 1606, pontif. an. II.

LVI.

Facultas Hispaniarum nuncio deputandi aliquam personam, in dignitate ecclesiasticâ constitutam, in visitatorem regii hospitalis extra muros civitatis Burgensis [1].

Dilecto filio apud charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum regem catholicum nostro et apostolicae Sedis nuncio

Paulus Papa V.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Facultas nuncio deputandi visitatorem hospitalis;

§ 1. Regium hospitale sanctae Mariae *de las Huelgas* nuncupatum, prope et extra muros [1] Burgensis, Ordinis sancti Bernardi, Apostolicae Sedi immediate subiectum, eiusque commendatarios fratres, capellanos et ministros quoscumque in his, quae ad morum correctionem tantum spectant, visitari et reformari cupientes, ac de tuâ prudentiâ, integritate ac fide plurimum in Domino confidentes, tibi, ut auctoritate nostrâ apostolicâ aliquam personam in dignitate ecclesiasticâ constitutam, doctrinâ, prudentiâ, integritate ac experientiâ praestantem, arbitrio tuo eligendam, in eiusdem hospitalis visitatorem deputare valeas, eâdem auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus, utque huiusmodi deputationem facias committimus et mandamus.

Facultas visitatoris deputandi.

§ 2. Ipsi vero a te deputando visitatori, ut hospitale praedictum, eiusque commendatarios fratres, cappellanos ac ministros quoscumque visitare, ac tam in capite quam in membris corrigere; ac in singulorum vitam, ritus, mores et disciplinam diligenter inquirere; necnon (evangelicae et apostolicae doctrinae, sacrorumque canonum et conciliorum generalium decretis, sanctorumque patrum traditionibus ac regularibus ipsius hospitalis institutis inhaerendo) quaecumque circa mores correctione et emendatione indigere cognoveris [2], corrigere et emendare; contradictores quoscumque eisque auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe seu indirecte quomolibet praestantes, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis fuerint, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia cogere et compellere, auxiliumque brachii saecularis ad hoc, si opus fuerit, invocare possit et valeat, facultatem concedimus et impertimur.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Subintellige *civitatis* (R. T.).

2 An legendum sit *cognoverit*, incerta res est (R. T.).

Graviora tamen negocia Sedi Apostolicae referenda.

§ 3. Volumus autem ut, praeter ea quae ad morum correctionem pertinent, dictus visitator aliquid corrigere vel emendare non possit, ac de gravioribus, quae forsan in huiusmodi visitatione repererit, nos certiores facere teneatur.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, hospitalis et illius Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis: quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa ac individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis aliae xpressio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XVIII septembris MDCVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 18 septembris 1606, pontif. an. II.

LVII.

Rectori et collegialibus collegii theologorum Sorbonae Parisiensis conceditur indultum utendi rochetto et superpelliceo ad instar canonicorum ecclesiarum cathedralium[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex fideles ac devotos suos (eos praesertim qui sacrarum litterarum scientiâ ad fidei catholicae propagationem, aliisque virtutum donis, ac singulari erga Apostolicam Sedem fide ac devotione ac meritis sunt ornati) honoribus libenter exornat, ac favoribus et gratiis prosequitur opportunis, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

Indultum de quo in rubrica.

§ 1. Proinde nos dilectorum filiorum rectorum et collegialium collegii theologorum Sorbonae Parisiensis eximiam doctrinam et in fide catholicâ constantiam, ac sinceram erga nos et dictam Sedem fidem et devotionem, aliaque multiplicia in nos et praedictam Sedem merita animo recolentes, illos dignos censemus quos speciali honoris et gratiae praerogativâ exornemus. Motu igitur proprio, non ad eorumdem rectoris et collegialium vel alicuius eorum, vel aliorum pro eis, nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ nostrâ scientiâ, ac maturâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, eisdem rectori et collegialibus ut in ecclesiâ eorum collegii rochetto et superpelliceo ad instar canonicorum earum ecclesiarum cathedralium, qui huiusmodi rochetto et superpelliceo uti solent, uti libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Obstantium derogatio.

§ 2. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XXVIII septembris MDCVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 28 septembris 1606, pontif. an. II.

LVIII.

Quod moniales Congregationis beatae Mariae Fuliensis Ordinis Cisterciensis perfruantur gratiis et exemptionibus a superioritate aliorum praelatorum dicti Ordinis, quibus monachi dictae Congregationis potiuntur [1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quae regulares personas in aliquam controversiam ex concessionibus apostolicis vocare possunt, nostrâ nos decet auctoritate submovere.

Clemens VIII exemit a praelatis omnibus Ordinis Cisterciensis monachos reformatae Congregationis beatae Mariae Fuliensis, eorumque bona et monasteria.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens Papa VIII, praedecessor noster, Congregationem reformatam beatae Mariae Fuliensis, Ordinis Cisterciensis, eiusque superiorem generalem, abbatemque et monachos monasterii beatae Mariae Fuliensis huiusmodi, in quo primum huius Congregationis regularis observantia et reformatio introducta fuerat, aliosque universos eorum abbates, monachos et religiosos, eorumque monasteria, domos, grangias, loca et bona quaecumque tunc praesentia et futura, ab omni superioritate, iurisdictione, gubernio, regimine, administratione, subiectione, obedientiâ, visitatione, correctione et emendatione Cistercii, Claraevallensis et aliorum tunc et pro tempore existentium generalium, ac Morimundensis et aliorum abbatum, praelatorum et superiorum eiusdem Ordinis Cisterciensis, quacumque auctoritate fungentium et functurorum, apostolicâ auctoritate, motu proprio, in perpetuum exemit, ita ut nullam omnino iurisdictionem, facultatem et auctoritatem in dictam Congregationem, abbates, monachos, religiosos, monasteria et loca, atque bona illius habere, exercere aut praetendere dicti generales et alii abbates, et praelati dicti Ordinis Cisterciensis aliquo tempore possent.

Et sub Sedis Apostolicae protectione suscepit.

§ 2. Ipsamque Congregationem Fuliensem, eiusque superiorem generalem, nec non abbates, monachos, religiosos, monasteria, domos, loca, res et bona praedicta, sub immediatam suam et Sedis Apostolicae protectionem, regimen, subiectionem, gubernationem et obedientiam recepit, prout in litteris dicti praedecessoris in formâ Brevis die IV septembris MDXCII confectis plenius continetur [1].

Declaravit postea facultates datas abbati Cisterciensi visitandi varias Congregationes et loca Ordinis, non praeiudicare exemptioni dictae Congregationis Fuliensis.

§ 3. Cumque postmodum idem Clemens praedecessor, ex certis causis ad id animum suum moventibus, quondam Edmundo a Cruce tunc ac pro tempore existenti abbati monasterii Cistercii et totius Ordinis Cisterciensis huiusmodi praesuli quascumque Congregationes ubivis, tam in Hispaniarum ac etiam Portugalliae regnis, quam alibi ubilibet institutas, et quaecumque illarum eiusdem Cisterciensis Ordinis, tam virorum quam mulierum, monasteria visitandi et reformandi facultatem concessisset, prout in aliis dicti praedecessoris, etiam in simili formâ Brevis, sub datum die XV ianuarii MDCIII expeditis letteris [2] etiam plenius continetur, praedictus Clemens praedecessor, considerans quod ex supradictarum litterarum diversitate facile dubitari posset de suâ intentione, et exinde inter abbatem monasterii Cistercii et dictae Congregationis Fuliensis generalem aliosque superiores et monachos controversia et perturbatio exoriri posset, volens propterea omnem ambiguitatem in eâ parte tollere, ac Congregationem ipsam ab eâdem Sede approbatam, et illi immediate subiectam, privilegio apostolicae

1 Istam Congregationem omnium primus approbavit Sixtus V in sua Constit. XLIV, *Religiosos*, tom. VIII pag. 700.

1 Vide tom. IX pag. 615 (R. T.).

2 Aliae hae litterae in *Bull.* non sunt (R. T.).

gratiae extollere, singulari[1] motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus per alias suas etiam in formâ Brevis confectas litteras[2], mentem et intentionem suam non fuisse per dictas posteriores suas litteras prioribus suis litteris praedictis in aliquo derogare, neque adversus illas praedicto abbati monasterii Cistercii iurisdictionem, superioritatem vel auctoritatem aliquam, aut visitandi facultatem in Congregationem Fuliensem praedictam illiusque generalem et alios superiores, monachos, monasteria et loca regularia, ac bona quaecumque tribuere vel impertiri; quinimo priores suas litteras praedictas confirmans et innovans, ipsam Congregationem Fuliensem, eiusque generalem et alios superiores, monachos, monasteria, loca et bona praedicta in posterioribus litteris suis minime comprehendi debere, sed ab illis semper excepta esse et censeri, nec ipsum abbatem generalem Ordinis Cisterciensis illarum vigore visitationis munus, aut alium iurisdictionis, superioritatis vel auctoritatis actum in congregatione Fuliensi, eiusque generali ac aliis superioribus, monachis, monasteriis, locis et bonis praedictis quovis modo exercere posse aut debere declaravit, prout etiam in dictis litteris plenius continetur.

Paulus declarat moniales quoque comprehendi in dictâ exemptione.

§ 4. Cum autem, sicut accepimus, lites et discordiae inter praedictum generalem et alios superiores dicti Ordinis Cisterciensis pro tempore existentes et generalem huiusmodi Congregationis Fuliensis, sub praetextu quod tam in prioribus quam in posterioribus litteris, eidem Congregationi a praedicto Clemente praedecessore nostro concessis, nulla de monialibus dictae Congregationis Fuliensis (quae susceperunt gerere et continuo gerunt habitum dictae Congregationis et regularibus illius institutis se conformant, et hactenus semper fuerunt et sunt sub iurisdictione ipsius Congregationis) mentio facta fuit, oriri formidentur: nos omnem in praemissis dubitandi materiam amputare (et pro maiori praemissorum dilucidatione) ac litibus et discordiis obviare, et dictae Congregationis quieti consulere cupientes, necnon dictarum litterarum tenores, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, motu simili et de apostolicae potestatis plenitudine, ac ex certâ nostrâ scientiâ, harum serie declaramus, tam in dicti Clementis quam huius Congregationis confirmatoriis nostris litteris sub nomine totius Congregationis comprehendi et comprehensas esse et censeri abbatissas, priorissas et alias quascumque moniales, quae gerunt et in futurum gerent habitum dictae Congregationis, ac omnibus et singulis exemptionibus, privilegiis, indulgentiis et aliis gratiis tam spiritualibus quam temporalibus, eidem Congregationi per quoscumque Romanos Pontifices, etiam praedecessores nostros, ac nos et successores nostros quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, ac imposterum concedendis, uti, frui, potiri et gaudere, illasque suppositas et subiectas esse in omnibus et per omnia iurisdictioni superiorum pro tempore existentium dictae Congregationis, eodem plane modo quo et omnes eiusdem Congregationis monachi, nec ipsum abbatem generalem dicti Ordinis Cisterciensis visitationis munus, aut alium iurisdictionis, superioritatis vel auctoritatis actum in abbatissas, priorissas et alias moniales dictae Congregationis quovis modo exercere posse aut debere.

Easque iterato supponit regimini Congregatio-

§ 5. Et nihilominus potiori pro cautelâ ipsas abbatissas, priorissas et alias quas-

[1] Fortasse pro *singulari* legendum *simili vel proprio* (R. T.).

[2] Hae quoque desunt (R. T.).

nis fratrum B. M. Fuliensis et ab aliis omnibus eximit.

cumque dictae Congregationis Fuliensis moniales, earumque[1] monasteria, grangias, loca, res et bona quaecumque, ab omni superioritate, iurisdictione, gubernio, regimine, administratione, subiectione, obedientiâ, visitatione, correctione et emendatione Cistercii, Claraevallensis et aliorum nunc et pro tempore existentium generalium, ac Morimundensis et aliorum abbatum, praelatorum et superiorum eiusdem Ordinis Cisterciensis, quacumque auctoritate fungentium et functurorum, et quantumvis amplissimis privilegiis et facultatibus utentium et usurorum, apostolicâ auctoritate, et earumdem tenore praesentium, perpetuo eximimus et liberamus, ita ut nullam omnino iurisdictionem, facultatem et auctoritatem in dictas abbatissas, priorissas et moniales, earumque bona quaecumque tam praesentia quam futura, habere, exercere aut praetendere possint generales et alii abbates et praelati dicti Ordinis Cisterciensis; et denique illae etiam exemptae sint, quemadmodum Congregatio ipsa eiusque generales, abbates et monachi per ipsius Clementis praedecessoris et nostras litteras praedictas exempti fuerunt. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) ubique iudicari ac definiri debere, necnon irritum et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae dictus Clemens praedecessor et nos in singulis litteris praedictis voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 7. Et quia difficile foret praesentes litteras originaliter ad omnia et singula loca, in quibus opus esset, deferri, volumus et praedictâ auctoritate apostolicâ decernimus quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, aut manu superioris generalis et sigillo eiusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae originalibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum, die X octobris MDCVI, anno II.

Dat. die 10 octobris 1606, an. II.

LIX.

Irritantur statuta nonnulla a vexillifero et antianis reipublicae Lucensis edita, iique admonentur ne imposterum similia tentent[1].

Dilectis filiis nobilibus viris vexillifero iustitiae et antianis reipublicae Lucensis

Paulus Papa V.

Dilecti filii nobiles viri, salutem et apostolicam benedictionem.

Antiani Lucenses statuta nonnulla iurisdictionis ecclesiasticae laesiva ediderant.

§ 1. Iamdudum accepimus vos varia statuta et decreta condidisse, quae sacrorum canonum decretis, ecclesiasticae iurisdictioni et sancti Inquisitionis Officii privilegiis adversari ac praeiudicare perspeximus: denunciationes nimirum in crimine haeresis certis officialibus vestris faciendas esse: libros haereticalia continentes et scandalosa, quorum etiam catalogum proposueritis[2], legentibus, si

1 Heic et infra edit. Main. leg. *eorumque* (R.T).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

poenituerint, veniam concedendam, eosdemque libros ab iis, qui illos haberent, per se ipsos comburendos, aut confessario tradendos: litteras ab haereticis ad aliquos scriptas iisdem vestris officialibus exhibendas, et in his casibus ab illis procedendum: praeterea a sancto Inquisitionis Officio citatos, qui antequam declararentur haeretici, elapso anno comparuerint, et mandatis eiusdem sancti Officii paruerint, si a praedictis vestris officialibus condemnati fuerint, ipso iure absolutos censendos: cum suspectis communiter de haeresi et in locis suspectis habitantibus commercium, conservationem et longum colloquium absque eorumdem vestrorum officialium licentià non habenda: et huiusmodi decretorum seu statutorum vigore contra Teutonicos ad vestram civitatem prohibitos libros importantes processisse, librosque comburi fecisse, aliaque peregisse, quae absque ecclesiasticae iurisdictionis sancti Officii praeiudicio ac detrimento a laicis fieri plane non possunt, quibus, quantumvis religiosis ac potentibus, quocumque zelo hoc faciant, de quibusvis ecclesiasticis praesertim catholicae fidei negotiis decernere, statuere vel iudicare, aut eis quoquo modo se immiscere prorsus est vetitum et interdictum.

Irritantur.

§ 2. Quare nos, ne in ultimo die praetermissi officii pastoralis rei a Domino arguamur, et ipsi talia committendo Saulis et Ozae[1] horrendo exemplo Dei indignationem in vos provocetis, nullo modo dissimulanda existimavimus. Quapropter, cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus eidem sanctae Inquisitionis Officio praesidentibus saepe saepius re communicatà, ac maturà deliberatione discussà, supradicta decreta et statuta ac similia (quorum veriores tenores praesentibus pro expressis haberi volumus) aliaque inde sequuta, tamquam sacrorum canonum statutis, iurisdictioni ecclesiasticae, et privilegiis sancti Officii contraria, licet per se nulla, irrita et invalida, ac nullius roboris et momenti sint, nihilominus de apostolicae potestatis plenitudine eadem omnia et singula per praesentes irritamus et annullamus, irritaque, nulla et invalida, nulliusque roboris et momenti fuisse esse ac fore, nec praedicta statuta in causis cognoscendis et terminandis allegari, seu illorum rationem haberi posse aut debere; vosque illa facere et edere, et illis immisceri non potuisse neque posse, decernimus et declaramus.

Adhortatio ut a similibus abstineant.

§ 3. Et idcirco vobis per apostolica scripta mandamus, ut imposterum a praedictis et similibus statutis ac decretis faciendis et factis exequendis, aliisque supradictis, et iis similibus vos quomodolibet immiscendo omnino abstineatis, alioquin sciatis censuras omnes et poenas, a sacris canonibus, generalibus conciliis ac Summorum Pontificum constitutionibus contra usurpantes iurisdictionem ecclesiasticam, praesertim in causis ad dictum Officium spectantibus et pertinentibus, ac contra illius privilegia violantes irrogatas, ipso facto vos incursuros.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praeservantur statuta edita favore sancti Officii.

§ 5. Caeterum volumus per praesentes vos non impediri quin ea statuere et decernere, aut iam decreta et statuta servare libere valeatis, quibus in condemnatos a sancto Officio vel a venerabili fratre episcopo Lucensi in causis haeresis et ad sanctum Officium pariter pertinentibus poenae augentur, seu auxilium et

[1] Neminem fugit historia Saulis holocaustum Domino offerentis (I *Regum*, XIII, 9 ad 15) atque Ozae manum suam extendentis ad arcam Dei (II *Regum*, VI, 3 ad 8 (R. T.).

favorem ac brachium pro exequendis decretis et mandatis eiusdem sancti Officii ac eiusdem episcopi in iisdem causis praestari decernitur et ordinatur: quinimo vos his statuendis et decernendis magnam a Deo retributionem, a nobis vero et Apostolicâ Sede gratiam, ab omnibus laudem et commendationem promerituros pro comperto habeatis.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris die XII octobris MDCVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 12 octobris 1606, pontif. an. II.

LX.

In idem argumentum episcopo Lucensi[1].

Venerabili fratri Alexandro episcopo Lucensi

Paulus Papa V.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset leges ab antianis latas.

§ 1. Cum, sicut accepimus, dilecti filii nobiles viri vexillifer et antiani reipublicae Lucanae statuta et decreta condiderint, quae sacrorum canonum decretis, ecclesiasticae iurisdictioni et sancti Inquisitionis Officii privilegiis adversari ac praeiudicare perspeximus (ut puta: denunciationes in crimine haeresis certis eorum officialibus faciendas esse: libros haereticalia continentes et scandalosa, quorum catalogus ab iis etiam proponeretur, legentibus, si poenituerint, veniam concedendam, eosdemque libros per se ipsos ab iis, qui illos haberent, comburendos, aut confessario tradendos; litteras ab haereticis ad aliquos scriptas iisdem officialibus exhibendas, et in his casibus ab officialibus praedictis procedendum; praeterea a sancto Officio citatos, qui, antequam declarentur haeretici, elapso anno comparuerint et mandatis eiusdem sancti Officii paruerint, si ab eorum officialibus condemnati fuerint, ipso iure absolutos censendos; cum suspectis communiter de haeresi et in locis suspectis habitantibus commercium, conversationem et longum colloquium absque eorum licentiâ non habenda); et huiusmodi decretorum seu statutorum vigore contra Teutonicos ad eorum civitatem libros prohibitos importantes processerint, librosque comburi fecerint, aliaque peregerint, quae absque ecclesiasticae iurisdictionis sancti Officii praeiudicio ac detrimento a laicis fieri plane non possunt, quibus, quantumvis religiosis ac potentibus, quocumque zelo hoc faciant, de quibusvis ecclesiasticis praesertim catholicae fidei negotiis decernere, statuere, cognoscere vel iudicare, aut eis quoquo modo se immiscere prorsus est vetitum et interdictum: ne in ultimo die praetermissi officii pastoralis rei a Domino arguamur, et praedicti Lucenses talia committendo Saulis et Ozae horrendo exemplo[1] Dei indignationem in se provocent, nullo modo dissimulanda existimavimus.

Easque irritat.

§ 2. Quamobrem, cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus eidem sanctae Inquisitionis officio praesidentibus saepe saepius re communicatâ, et maturâ deliberatione discussâ, supradicta decreta et statuta ac similia (quorum veriores tenores praesentibus pro expressis haberi volumus) aliaque inde sequuta, tamquam sacrorum canonum statutis, iurisdictioni ecclesiasticae et privilegiis sancti Officii contraria, licet per se nulla, irrita et invalida, ac nullius roboris et

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Vide notam ad praeced. Constitut. positam (R. T.).

momenti sint, nihilominus de apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula per praesentes irritamus et annullamus, irritaque et nulla ac invalida, nulliusque roboris et momenti fuisse, esse ac fore; nec[1] praedicta statuta in causis cognoscendis et terminandis allegari, seu illorum rationem haberi posse aut debere, praedictosque vexilliferum et antianos illa facere et edere et in illis se immiscere non potuisse neque posse decernimus et declaramus.

Monetque ut a similibus abstineant.

§ 3. Et idcirco iisdem vexillifero et antianis per apostolica scripta praecipiendo mandamus ut imposterum a praedictis et similibus statutis et decretis faciendis, ac factis exequendis, aliisque supradictis et iis similibus se se quomodolibet immiscendo omnino abstineant, alioquin sciant se censuras omnes et poenas, a sacris canonibus, generalibus conciliis ac Summorum Pontificum constitutionibus contra usurpantes iurisdictionem ecclesiasticam, praesertim in causis ad sanctum Officium quomodolibet spectantibus et pertinentibus, et contra illius privilegia violantes irrogatas, se ipso facto incursuros.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Statutaque praeservatquae praestandam operam sanctae Inquisitioni respiciunt.

§ 5. Volumus autem per praesentes praedictos vexilliferum et antianos minime impediri quin ea statuere ac decernere, aut iam decreta et statuta servare libere valeant, quibus in condemnatos a sancto Officio vel a fraternitate tua, et a tuis pro tempore successoribus, in causis haeresis et ad sanctum Officium pariter pertinentibus poenae augentur, seu auxilium et favorem ac brachium pro exequendis decretis et mandatis eiusdem sancti Officii, ac tuis et tuorum pro tempore successorum in eisdem causis praestandum decernitur et ordinatur; quinimo in his statuendis et decernendis magnam a Deo retributionem, a nobis vero et Apostolicâ Sede gratiam, ab omnibus laudem et commendationem promerituros pro comperto habendum est.

Monet archiepiscopum curet ne quid contra hanc declarationem attentetur.

§ 6. Ut autem nihil contra hanc nostram declarationem et mandatum a praedictis vexillifero et antianis quomodolibet imposterum attentetur, erit tuae pastoralis curae et sollicitudinis diligenter providere.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris die XII octobris MDCVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die, mense, annoque eisdem.

1 Perperam edit. Main. legit *Haec;* legendum autem esse *nec* patet ex contextu et ex loco parallelo praecedentis Constitutionis (R. T.).

LXI.

Committitur nuncio apud Helvetios, ut conventiones inter episcopum Constantiensem et senatum ac communitatem eiusdem civitatis super perceptione nonnullorum fructuum ex domibus et aliquibus locis piis ab haereticis olim dirutis et in alios pios usus conversorum confirmet, cum absolutione a censuris et poenis ecclesiasticis, in quas hac de causâ illi incurrerunt[1].

Venerabili fratri Fabritio episcopo sancti Severi nostro et Apostolicae Sedis apud Helvetios nuncio

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater episcopus Constantiensis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

quod ipse, pastorali sollicitudine invigilans si qua bonorum ecclesiasticorum aut piis usibus dicatorum occupata fuerint, diligenter indagavit ac reperiit nonnullos religiosos, vulgo nuncupatos *Scotos*, egestate coactos, ab ipsâ civitate iam septuaginta ab hinc annis discessisse, et eorum monasterium communitati dictae civitatis, cum pacto illud riassumendi in eventum in quem istuc redirent, reliquisse; sed postea idem monasterium ita ab haereticis dirutum extitisse, ut nulla illius vestigia appareant: insuper extra dictam civitatem ecclesias sanctorum Iodoci et Leonardi dirutas apparere, ex quibus nullos redditus percipi constat, et, si qui forsan percipiuntur, sumptus in illis exigendis fieri soliti illos superare dicuntur: quatuor praeterea domunculas ad praesens fere penitus dirutas, in quibus olim nonnullae mulieres in habitu monialium, sed citra observationem clausurae, insimul habitabant, *Beguinae* nuncupatae, ex quibus nunc nullae in dictâ civitate existunt: omniaque supradicta quinquaginta ab hinc annis a laicis occupata fuisse; sed postea cives nonnullos Constantienses pro eorum conscientiarum securitate curasse, ut in loco supradicti monasterii, a praedictis monachis Scotis relicti, ecclesia, coemeterium et domus commode ad recipiendos pestilentiae morbo laborantes dictae communitatis sumptibus aedificarentur; et, licet de praemissis nisi per famam non constet, quia tamen sumptus in praedictis aedificiis et piâ dicti operis administratione per dictae civitatis senatum facti, et qui fiunt, fructus, qui ex dictis bonis ecclesiasticis percipiuntur, superant, dicto episcopo consultius visum fuit circa illa nihil immutari: praeterea ab eodem senatu detineri comperiit quamdam domum olim dictarum mulierum Beguinarum ab eisdem Beguinis ob illius tenues redditus relictam, ex qua senatus trecentos circiter florenos annuatim percipit, ac in pauperum, praesertim leprosorum, usus erogare consuevit: ipse vero episcopus domum hanc seminario puerorum ecclesiasticorum erigendo applicavit, ubi alumni eiusdem seminarii et alii convictores, sub curâ religiosorum Societatis Iesu et gubernio unius praefecti eiusdem Societatis, pietate, optimis moribus et litteris imbui possint, eâ conditione tamen, ut senatus et communitas praedicti domum praedictam, cum ad praesens penitus diruta sit, suis sumptibus pro praedicto seminario erigendo reaedificent; et, ut redditus omnes dictae domus recte impendantur, cum eodem senatu convenit ut de residuo fructuum quinquaginta duo floreni uni sacerdoti, qui diebus praefixis in ecclesiâ hospitalis praedicti, extra dictam civitatem existentis, missas celebret, annuatim tradantur; duoque alumni in praedicto seminario perpetuo alantur cum onere ut ad presbyteratus ordinem canonice promoveantur ad titulum beneficii vel patrimonii iuxta sacri Concilii Tridentini decreta, quorum praesentatio ad senatum et communitatem praedictos, electio vero ad praedictum et pro tempore existentem episcopum Constantiensem spectet.

Commissio de qua in rubrica.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, haec omnia inter episcopum et senatum praedictos sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito tractata et stabilita fuerint, et tam episcopus quam senatus et communitas praedicti conventiones praedictas, pro illarum firmiori validitate et observatione atque conscientiarum eiusdem senatus securitate, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri cupiant; nobisque propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur,

momenti sint, nihilominus de apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula per praesentes irritamus et annullamus, irritaque et nulla ac invalida, nulliusque roboris et momenti fuisse, esse ac fore; nec[1] praedicta statuta in causis cognoscendis et terminandis allegari, seu illorum rationem haberi posse aut debere, praedictosque vexilliferum et antianos illa facere et edere et in illis se immiscere non potuisse neque posse decernimus et declaramus.

Monetque ut a similibus abstineant.

§ 3. Et idcirco iisdem vexillifero et antianis per apostolica scripta praecipiendo mandamus ut imposterum a praedictis et similibus statutis et decretis faciendis, ac factis exequendis, aliisque supradictis et iis similibus se se quomodolibet immiscendo omnino abstineant, alioquin sciant se censuras omnes et poenas, a sacris canonibus, generalibus conciliis ac Summorum Pontificum constitutionibus contra usurpantes iurisdictionem ecclesiasticam, praesertim in causis ad sanctum Officium quomodolibet spectantibus et pertinentibus, et contra illius privilegia violantes irrogatas, se ipso facto incursuros.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Statutaque praeservat quae praestandam opem sanctae Inquisitioni respiciunt.

§ 5. Volumus autem per praesentes praedictos vexilliferum et antianos minime impediri quin ea statuere ac decernere, aut iam decreta et statuta servare libere valeant, quibus in condemnatos a sancto Officio vel a fraternitate tua, et a tuis pro tempore successoribus, in causis haeresis et ad sanctum Officium pariter pertinentibus poenae augentur, seu auxilium et favorem ac brachium pro exequendis decretis et mandatis eiusdem sancti Officii, ac tuis et tuorum pro tempore successorum in eisdem causis praestandum decernitur et ordinatur; quinimo in his statuendis et decernendis magnam a Deo retributionem, a nobis vero et Apostolicâ Sede gratiam, ab omnibus laudem et commendationem promerituros pro comperto habendum est.

Monet archiepiscopum curet ne quid contra hanc declarationem attentetur.

§ 6. Ut autem nihil contra hanc nostram declarationem et mandatum a praedictis vexillifero et antianis quomodolibet imposterum attentetur, erit tuae pastoralis curae et sollicitudinis diligenter providere.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris die XII octobris MDCVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die, mense, annoque eisdem.

1 Perperam edit. Main. legit *Haec;* legendum autem esse *nec* patet ex contextu et ex loco parallelo praecedentis Constitutionis (R. T.).

LXI.

Committitur nuncio apud Helvetios, ut conventiones inter episcopum Constantiensem et senatum ac communitatem eiusdem civitatis super perceptione nonnullorum fructuum ex domibus et aliquibus locis piis ab haereticis olim dirutis et in alios pios usus conversorum confirmet, cum absolutione a censuris et poenis ecclesiasticis, in quas hac de causâ illi incurrerunt[1].

Venerabili fratri Fabritio episcopo sancti Severi nostro et Apostolicae Sedis apud Helvetios nuncio

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater episcopus Constantiensis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

quod ipse, pastorali sollicitudine invigilans si qua bonorum ecclesiasticorum aut piis usibus dicatorum occupata fuerint, diligenter indagavit ac reperiit nonnullos religiosos, vulgo nuncupatos *Scotos*, egestate coactos, ab ipsâ civitate iam septuaginta ab hinc annis discessisse, et eorum monasterium communitati dictae civitatis, cum pacto illud riassumendi in eventum in quem istuc redirent, reliquisse; sed postea idem monasterium ita ab haereticis dirutum extitisse, ut nulla illius vestigia appareant: insuper extra dictam civitatem ecclesias sanctorum Iodoci et Leonardi dirutas apparere, ex quibus nullos redditus percipi constat, et, si qui forsan percipiuntur, sumptus in illis exigendis fieri soliti illos superare dicuntur: quatuor praeterea domunculas ad praesens fere penitus dirutas, in quibus olim nonnullae mulieres in habitu monialium, sed citra observationem clausurae, insimul habitabant, *Beguinae* nuncupatae, ex quibus nunc nullae in dictâ civitate existunt: omniaque supradicta quinquaginta ab hinc annis a laicis occupata fuisse; sed postea cives nonnullos Constantienses pro eorum conscientiarum securitate curasse, ut in loco supradicti monasterii, a praedictis monachis Scotis relicti, ecclesia, coemeterium et domus commode ad recipiendos pestilentiae morbo laborantes dictae communitatis sumptibus aedificarentur; et, licet de praemissis nisi per famam non constet, quia tamen sumptus in praedictis aedificiis et pià dicti operis administratione per dictae civitatis senatum facti, et qui fiunt, fructus, qui ex dictis bonis ecclesiasticis percipiuntur, superant, dicto episcopo consultius visum fuit circa illa nihil immutari: praeterea ab eodem senatu detineri comperiit quamdam domum olim dictarum mulierum Beguinarum ab eisdem Beguinis ob illius tenues redditus relictam, ex qua senatus trecentos circiter florenos annuatim percipit, ac in pauperum, praesertim leprosorum, usus erogare consuevit: ipse vero episcopus domum hanc seminario puerorum ecclesiasticorum erigendo applicavit, ubi alumni eiusdem seminarii et alii convictores, sub curâ religiosorum Societatis Iesu et gubernio unius praefecti eiusdem Societatis, pietate, optimis moribus et litteris imbui possint, eâ conditione tamen, ut senatus et communitas praedicti domum praedictam, cum ad praesens penitus diruta sit, suis sumptibus pro praedicto seminario erigendo reaedificent; et, ut redditus omnes dictae domus recte impendantur, cum eodem senatu convenit ut de residuo fructuum quinquaginta duo floreni uni sacerdoti, qui diebus praefixis in ecclesiâ hospitalis praedicti, extra dictam civitatem existentis, missas celebret, annuatim tradantur; duoque alumni in praedicto seminario perpetuo alantur cum onere ut ad presbyteratus ordinem canonice promoveantur ad titulum beneficii vel patrimonii iuxta sacri Concilii Tridentini decreta, quorum praesentatio ad senatum et communitatem praedictos, electio vero ad praedictum et pro tempore existentem episcopum Constantiensem spectet.

Commissio de qua in rubrica.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, haec omnia inter episcopum et senatum praedictos sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito tractata et stabilita fuerint, et tam episcopus quam senatus et communitas praedicti conventiones praedictas, pro illarum firmiori validitate et observatione atque conscientiarum eiusdem senatus securitate, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri cupiant; nobisque propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur,

qui iusta petentibus nostrum non denegamus assensum, senatum et communitates praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac singulares eiusdem senatus personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super consultationibus et negotiis Episcoporum et Regularium deputatorum, fraternitati tuae, per praesentes committimus et mandamus, ut de praemissis te diligenter informes, et, si per informationem huiusmodi preces veritati niti repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, omnes et singulos senatores praedictos a quibuscumque censuris et poenis ecclesiasticis propter praemissa forsan incursis auctoritate nostrâ apostolicâ in utroque foro gratiose absolvas et liberes, ac illis omnes et singulos fructus, redditus et proventus ex praedictis bonis per illos perceptos, et in quoscumque usus licitos conversos remittas et condones; ac praeterea supradictas conventiones per dictum episcopum cum eodem senatu initas, et quascumque scripturas desuper celebratas cum pactis et conditionibus in illis contentis, dummodo tamen sint licita et honesta ac sacris canonibus non adversentur, eâdem auctoritate nostrâ perpetuo confirmes et approbes, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicias, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, suppleas, ita ut senatus praedictus et singulares illius personae, si et postquam conventiones praedictas adimpleverint, in conscientiâ tuti remaneant, neque ad aliud occasione praemissorum pro exoneratione conscientiarum eorum teneantur.

Deputatio executorum. § 3. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Pauli Papae IV et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiarum et monasterii praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXX octobris MDCVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 octobris 1606, pontif. an. II.

LXII.

Quod, in promotione personarum Militiae et hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani ad magnam crucem, habeatur ratio meritorum magis quam antianitatis promovendorum, iuxta dictae Religionis statutum De electionibus, *si est in usu*[1].

Dilectis filiis magistro et consilio hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani Paulus Papa V.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Statuto v de electionibus inter alia cavetur § 1. Accepimus, inter alia laudabilia statuta istius hospitalis sancti Ioannis Hie-

[1] De hac regulari Militia vide in Constit. XV Anastasii IV, *Christianae*, tom. II pag. 618.

quod in promotione ad magnam crucem habeatur ratio meritorum magis quam antianitatis respectu temporis.

rosolymitani apostolicâ auctoritate confirmata, statuto quinto *De electione* provide ordinatum fuisse ut in promotione ad magnam crucem ratio habeatur meritorum et sufficientiae promovendorum, potiusquam antianitatis, quo fit ut fratres eiusdem hospitalis[1], alioquin si iure antianitatis tantum ad assequenda beneficia ac dignitates eiusdem hospitalis aditum haberent, onera Religionis minus prompte subeuntes, virtute ac meritis certatim anteire non contendunt[2].

Quod Papa praecipit observari si est in usu.

§ 2. Proinde nos, hoc statutum in viridi observantiâ retinendum esse censentes, motu proprio et ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostrâ, vobis per praesentes praecipimus et mandamus ut statutum praedictum quintum *De electionibus*, cuius tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, si est in usu, inviolate observari, auctoritate etiam apostolicâ, mandetis et faciatis, ita ut occurrente quandocumque aliquâ vacatione atque smutitione[3] dignitatum magnae crucis, iuxta ipsius statuti dispositionem, magis de ipso hospitali benemeriti caeteris (licet antianis, respectu temporis, minus tamen benemeritis) praeferantur, omni exceptione et affectione cessante: irritumque decernatis et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio.

§ 3. Non obstantibus quibusvis aliis eiusdem hospitalis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac etiam constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac privilegiis et indultis, ac litteris apostolicis, caeterisque in contrarium disponentibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum die IV decembris MDCVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 decembris 1606, pontif. an. II.

1 Heic aliquid excidisse quisque intelligit; supplendum est *promptiores ad virtutem efficiantur;* vel aliquid simile (R. T.).

2 Videretur legendum *non contenderent* (R. T).

3 Hanc vocem iam declaratam habes in praecedenti volumine, pag. 573 (R. T.).

LXIII.

Dat facultatem episcopis Argentinensi et Basilaeensi et illorum singulis applicandi summam undecim millia florenorum congestorum ex fructibus praepositurae Peris *nuncupatae Ordinis sancti Benedicti, vacatae per obitum cardinalis ab Austria, pro erigendo puerorum seminario ecclesiastico in landgraviatu Alsatiae*[1].

Venerabilibus fratribus Argentinensi et Basiliensi episcopis et eorum alteri

Paulus Papa V.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Maximilianus fructus praepositurae vacantis colligit;

Cum, sicut accepimus, aliàs (per obitum bonae memoriae Andreae diaconi cardinalis ab Austriâ nuncupati, qui praeposituram *Peris* nuncupatam Ordinis sancti Benedicti in landgraviatu Alsatiae in commendam ex concessione et dispensatione apostolicâ, dum viveret, obtinebat) commendâ huiusmodi cessante, praepositurâ praedictâ adhuc (eo, quo ante commendam ipsam vacabat, modo) vacante, et antequam dicta praepositura alteri personae ecclesiasticae a felicis recordationis Clemente Papa VIII commendata fuisset, fructus, qui interim decurrerunt, operâ

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

dilecti filii nobilis viri Maximiliani archiducis Austriae illius provinciae principis asservati fuerint, et nunc in loco tuto repeiantur ad summam undecim millium florenorum monetae illarum partium (quinque mille ac septingentos ducatos auri de Camerâ vel circiter constituentium) ascendentes;

Erigendoque puerorum seminario petit applicari.

§ 2. Cumque dictus Maximilianus (considerans non solum utile sed plane necessarium esse ad catholicam religionem in illâ provinciâ undique ab haereticis circumseptâ conservandam ut seminarium ecclesiasticum ad imbuendam catholicae fidei dogmatibus iuventutem extruatur, et ad huiusmodi seminarii erectionem non parum adiumenti allatum iri, si dicta pecuniarum summa, ex fructibus praepositurae supradictae vacantis congesta et asservata, illi applicaretur, cum praesertim aliunde sumptus ad id necessarii haberi non possint) nobis humiliter supplicari fecerit ut super hoc apostolicâ benignitate providere dignaremur:

Pontifex eam rem committit episcopis Argentinensi et Basilaeensi.

§ 3. Nos, qui piis nobilium virorum votis, quantum cum Domino possumus, libenter annuimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis et cuicumque vestrum, ut (accedente moderni eiusdem praepositurae praepositi seu commendatarii consensu, et non aliter) summam pecuniarum ex fructibus dictae praepositurae ut praefertur, asservatam, pro extructione unius seminarii puerorum ecclesiastici in dictâ provinciâ in loco a vobis vel altero vestrum designando faciendâ, auctoritate nostrâ apostolicâ perpetuo applicare valeatis, facultatem concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Pauli II[1] et aliorum Romanorum Pontificum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque praepositurae et illius Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die XV decembris MDCVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 15 dicembris 1606, an. pontif. II.

1 Sic legit edit. Rom., sicut etiam supra pag. 255; alibi, ex g., paulo ante in Constitut. LXI pag. 374, legitur Pauli IV (R. T.).

LXIV[1].

De auctoritate ministri generalis Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia et commissarii generalis Ordinis fratrum Reformatorum super fratribus Minoribus Reformatis de strictiori Observantia[2].

Dilecto filio Archangelo a Messana ministro generali totius Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia

Paulus Papa V.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Postulat apostolici muneris ratio (quod nullis nostris exigentibus meritis divina dignatio gerere nos voluit in terris) ut inter caeteras agri dominici excolendi curas minime negligatur restitutio discisciplinae Ordinis regularis, qui merito

1 Hanc Constit., quae in edit. Main. post sequentem posita fuit, nos censuimus ratione ordinis chronologici anteponendam (R. T.).

2 Reformatorum Congregationem probavit Clemens VII in sua Constit. XLIII, *In supremâ*, tom. VI pag. 155.

ut flos quidam et pretiosus lapis inter Ecclesiae ornamenta sanctorum Patrum praeconio celebratur, ut, quae humanae fragilitatis vitio tempore collabuntur, pastorali vigilantiâ, divinâ aspirante gratiâ, corrigantur.

Ministri generalis auctoritas super reformatos.

§ 1. Ut igitur beati Francisci fratres Minores, de Observantiâ nuncupati, quod nomine praeseferunt, in dies magis reipsâ praestent, motu proprio et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, statuimus et ordinamus, ut tu et tui pro tempore successores ministri generales super omnibus reformationibus et fratribus Reformatis eamdem ordinariam potestatem, quam super aliis eiusdem Ordinis fratribus habes et exerces, similiter habere et exercere libere possis;

Provincialium Reformatorum potestas super custodibus.

§ 2. Quodque ministri provinciales, qui Reformati erunt, ordinariam super custodibus et Reformatis similiter habeant et exerceant potestatem;

Praecedentia.

§ 3. Qui vero ex dictis ministris de familiâ erunt, eisdem custodibus et Reformatis praecedant, et pro eorum superioribus censeantur et recognoscantur;

Custodis vocaliumque facultas in capitulo provinciali.

§ 4. Custos autem et eius vocales ad provinciale capitulum accedant, et in eo in electione ministrorum et definitorum vocem activam et passivam habeant, ipseque custos a vocalibus suae custodiae in praedicto capitulo eligatur, qui, unà cum discretis, guardianos constituet, et familias in suâ custodiâ disponet; et ulterius, ut[1] ipse custos, quoties sibi necessarium videbitur, suam custodiam visitare, mutare, corrigere et punire possit.

Appellatio ad ministrum generalem.

§ 5. In casu vero appellationis, ad te et pro tempore existentem ministrum generalem appellandum erit.

Transitus de reformatione ad familiam et e contra.

§ 6. Rursus quotiescumque aliquis ex fratribus Reformatis, ob infirmitatem vel aliam legitimam causam, a Reformatione exire et ad familiam transire voluerit, in capitulo aut congregatione provinciali, de consensu custodis et maioris partis vocalium custodiae, illi concedatur, et eorumdem consensu, necnon ministri provinciae, fratres de familiâ ad Reformationem poterunt migrare.

Novitii possunt eligere reformationem vel familiam.

§ 7. Novitiis quoque, qui in capitulo aut congregatione recipientur, utrum ad Reformationem vel ad familiam ad novitiatum agendum se conferre velint, eligere liberum erit, servatâ tamen felicis recordationis Sixti Papae V predecessoris nostri constitutione[1].

Conventus de familiâ acceptandi facultas penes ministrum generalem.

§ 8. Praeterea circa conventus de familiâ acceptandos, quicquid a dilecto filio nostro Pompeio tituli sanctae Balbinae presbytero cardinali Arrigonio nuncupato et a te ac pro tempore existente istius Ordinis protectore ac generali ministro ordinatum fuerit, observetur.

Iussio praedicta observandi.

§ 9. Quocirca in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis dicti Ordinis et Reformationis praedictae superioribus et religiosis praecipimus et mandamus, ut praemissa omnia et singula inviolabiliter observent, tibique in illis prompte pareant, obediant et assistant, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§ 10. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon eiusdem Ordinis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Ordini illiusque superioribus et personis, ac quibusvis aliis, sub

1 Coniunctio ista *ut* videtur pendere a verbis *statuimus et ordinamus* praemissis in § 1 (R.T.).

1 Extat de Reformatis Sixti V Constitutio CVI in tom. VIII pag. 934 (R. T.).

quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, harum serie specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die IV februarii millesimo sexcentesimo septimo, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 februarii 1607, pontif. an. II.

Sequitur extensio auctoritatis ministri generalis ad commissarium generalem, de qua in rubrica praecedenti.

Dilecto filio Evangelistae de Gabiano commissario generali Ordinis fratrum Minorum Reformatorum sancti Francisci de Observantiâ

Paulus Papa V.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Extensio auctoritatis ministri generalis donec erit absens ad commissarium generalem Ordinis reformatorum eius officio durante.

§ 1. Cupientes regimini et gubernio fratrum Reformatorum sancti Francisci de Observantiâ opportune prospicere, ac de tuâ pietate, prudentiâ, religionis zelo ac in gubernando experientiâ plurimum in Domino confisi, tibi, durante officio commissarii generalis eiusdem Ordinis et absentiâ ministri seu vicarii generalis dicti tui Ordinis, et vice ac loco ipsius, universos dicti Ordinis fratres Reformatos cum eâdem auctoritate, superioritate, iurisdictione et facultatibus ministro seu vicario generali totius Ordinis sancti Francisci de Observantiâ competentibus et competituris in spiritualibus et temporalibus regendi et gubernandi plenam et liberam facultatem et auctoritatem tribuimus et impertimur.

Obedientia ab omnibus reformatis ei praestanda.

§ 2. Mandantes propterea dilectis filiis custodibus et aliis superioribus et fratribus universis Reformatis praedictis, ut tibi debitum honorem et reverentiam exhibentes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Restrictio auctoritatis eiusdem commissarii.

§ 3. Caeterum volumus, ut, quae per felicis recordationis Clementem Papam praedecessorem nostrum per eius sub plumbo in favorem eorumdem fratrum Reformatorum, seu aliàs, expeditas litteras disposita fuerunt, immutare aut aliquo modo alterare non possis, sed illa observari facere tenearis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non Ordinis praedicti, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis Ordini praedicto ac ministro generali et aliis superioribus necnon fratribus, tam Reformatis quam de familiâ, et aliis quibuslibet personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores pro

plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die VIII iulii MDCXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 8 iulii 1615, pontif. an. XI.

LXV.

Concessio ad Sedis Apostolicae beneplacitum emolumentorum ex dispensationibus matrimonialibus provenientium, ad summam quingentorum scutorum annuorum ascendentium, pro subventione hospitalis pauperum infirmorum et peregrinorum Italorum Ulyxbonae commorantium[1].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Ulisyppone erecta parochia et hospitale Italis.

Aliàs, sicut accepimus, felicis recordationis Clementi Papae VIII praedecessori nostro (venerabilis fratris Fabii patriarchae Hierosolymitani, tunc in Portugalliae et Algarbiorum regnis spoliorum et iurium Camerae Apostolicae debitorum collectoris et vicelegati apostolici, ac nationis Italicae in civitate Ulixbonensi degentium nominibus) exposito, quod dudum impensis ipsius nationis in ipsâ civitate ecclesia sub invocatione beatae Mariae de Laureto a fundamentis fabricata extiterat, et in ipsâ ecclesiâ, cuius fabrica valde sumptuosa est, divina officia decenter per Religiosos ibidem degentes et missae quotidie celebrabantur, et diebus festivis solemni ritu decantari, et verbi Dei conciones haberi solebant; praeterea in eâdem ecclesiâ animarum cura unius satis amplae parochiae per idoneos parochos exercebatur, eaque cura dudum ipsi ecclesiae absque aliquo emolumento a[1] nationis Italicae personis applicata fuerat, et ita expensae omnes tam ad curam animarum quam ad alia necessaria pertinentes aere particularium dictae nationis collato, absque ullâ prorsus parochianorum contributione, fiebant;

Cardinalis austriacos dicto hospitali applicat quingentum annua scuta ex dispensationibus matrimonialibus.

§ 2. Et in eâdem expositione subiuncto, quod (cum[2] licet dudum homines praedictae nationis apud dictam ecclesiam unum hospitale pro infirmis et peregrinis eiusdem nationis extruere cogitassent, nihilominus, eo quia, a nonnullis annis citra, commercium Indiarum in dicto regno valde defecerat, et eâdem causâ Italicorum mercatorum numerus imminutus, ipsique mercatores remanentes facultatibus extenuati erant, opus hoc differebatur[3]) dilectus filius nobilis vir Albertus archidux Austriae tunc tituli sanctae Crucis in Hierusalem presbyter cardinalis et Sedis Apostolicae in dicto regno de latere legatus (precibus tunc existentis collectoris iurium et spoliorum Camerae praedictae in dictis regnis debitorum ac nationis praedictae adductus) concessit, ut ex dispensationibus matrimonialibus in ipsâ legatione expediri solitis, ultra emolumenta ordinaria, loco operum manualium in quibus quandoque contrahentes condemnari solebant, alicui pio loco praestandorum, ipsi contrahentes quamdam eleemosynam solverent (nimirum pro dispensationibus ordinariis decem regalia, et, quando in duplici gradu peteren-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Praeposit. *a* nos addimus (R. T.).

2 Particulam *cum* nos censuimus addendam; an iure, vel iniuriâ, iudicet prudens totius syntaxis inspector (R. T.).

3 Ex notâ praecedenti aptius legerem *differretur* (R. T.).

tur, viginti regalia), quod emolumentum ad quingenta circiter scuta monetae annuatim ascendens in hospitalis praedicti fabricam, eiusque manutentionem converti et erogari voluerat, prout ex tunc deinceps factum fuerat sine aliquâ cuiusque reclamatione, immo potius cum universali omnium satisfactione, emolumentaque praedicta, cum adhuc ecclesiae fabrica perfecta non esset, de licentiâ eiusdem Alberti, tunc cardinalis legati, ipsius ecclesiae fabricae, quousque absoluta esset, applicata fuerant, ita tamen ut postea ad hospitalis fabricam et manutentionem reverterentur;

Huiusmodi applicationem approbavit Clemens VIII.

§ 3. Ac eidem Clementi praedecessori pro parte Fabii patriarchae et nationis praedictorum humiliter supplicato, ut concessioni et assignationi huiusmodi robur apostolicae confirmationis adiicere dignaretur: idem Clemens praedecessor, huiusmodi supplicationibus inclinatus, concessionem et assignationem ab ipso Alberto tunc cardinale legato, ut praefertur, factam, durante dictâ legatione confirmavit et approbavit, prout in eius litteris in simili formâ Brevis, sub die XXIII novembris MDXCIV, pontificatus sui anno III, desuper expeditis plenius continetur[1]:

Officiales hospitalis iterum petunt confirmari.

§ 4. Cum autem (sicut nobis nuper dilectorum filiorum officialium et deputatorum eiusdem nationis Italicae Ulixbonae commorantium nomine fuit expositum) ex praedictâ impositione et assignatione, quae nemini gravis vel onerosa existit, pauperum infirmorum et peregrinorum nationis Italicae necessitatibus plurimum prospiciatur, et, ut illam imposterum quoque tutâ conscientiâ percipere valeant, cupiant impositionem et concessionem emolumentorum praedictorum ipsi hospitali, ut supra iam factam, per nos de novo dicto hospitali concedi et assignari; ideo nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmantur ad Sedis Apostolicae beneplacitum.

§ 5. Nos igitur (impositionis et concessionis emolumentorum praedictorum, seu litterarum patentium, aut aliorum quorumcumque diplomatum necnon litterarum dicti Clementis praedecessoris confirmatoriarum desuper expeditarum vel expeditorum tenores, verumque huiusmodi emolumentorum annuum valorem praesentibus pro expressis habentes) huiusmodi supplicationibus inclinati, emolumenta ex dictis dispensationibus matrimonialibus (per nunc et pro tempore existentem iurium et spoliorum huiusmodi collectorem generalem, aut legatum seu vicelegatum Apostolicae Sedis in dictis regnis pro tempore commorantem, vigore facultatum sibi desuper concessarum seu concedendarum, concedendis) modo supradicto (iuxta impositionem a dicto Alberto tunc cardinale et legato, ut praefertur, factam) provenientia, eidem hospitali, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum concedimus et assignamus:

Clausulae.

§ 6. Ac administratores praedicti hospitalis aut alios pro tempore deputatos super huiusmodi emolumentorum perceptione molestari, impediri, perturbari aut inquietari nullatenus posse aut debere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, ac modernum et pro tempore existentem in dictis regnis collectorem, ac nostrum et dictae Sedis de latere legatum seu vicelegatum huiusmodi (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere; ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

1 Breve istiusmodi in *Bullario* non reperitur (R. T.).

Collectori spoliorum exequutio committitur.

§ 7. Quocirca eidem moderno et pro tempore existenti collectori generali et legato seu vicelegato per praesentes committimus et mandamus, quatenus, hospitali praedicto in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, in illius subventionem dicta emolumenta erogari curet et faciat.

Contraria tollit.

§ 8. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicà, vel quavis firmitate alià roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; necnon omnibus illis, quae dictus Clemens praedecessor in suis litteris praedictis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die VI februarii MDCVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 6 februarii 1607, pontif. anno II.

LXVI.

Quod rectores ecclesiarum parochialium Indiarum Occidentalium; ab iis qui in ecclesiis et domibus Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini sepeliuntur, maiorem non exigant eleemosynam, quam eam, quae a Concilio Tridentino praescribitur et a Pio V explicatur[1].

1 Vide similes de hac re Constitutiones CCCXXXV et CCCXXXVI Clementis VIII in favorem fratrum sancti Francisci de Observantià latas, supra pag. 60 et 61 huius tomi, et aliam Pauli V, pag. 196 (R. T.).

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Rectores ecclesiarum parochialium Indiarum occidentalium maiorem exigebant eleemosynam ab his, qui in ecclesiis fratrum eremitarum sancti Augustini sepeliebantur in quam ab his qui in propriis ecclesiis sepelirentur.

§ 1. Expositum nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum Francisci Pereira, assistentis generalis totius Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini, necnon provincialis provinciae Mexicanae eiusdem Ordinis novae Hispaniae in Indiis, quod rectores parochialium ecclesiarum Indiarum Occidentalium, ne ita commode christifideles, qui in Domino moriuntur, in ecclesiis Ordinis huiusmodi, ac[1] in propriis eorum parochialibus sepeliri valeant, de consilio forsan suorum superiorum, abusum introduxerunt ut scilicet exigant maiorem eleemosynam ab iis, qui in ecclesiis dicti Ordinis sepeliuntur, ita ut fideles, qui in ecclesiis Ordinis huiusmodi sepeliri desiderant, parem ad minus parochialibus ecclesiis eleemosynam relinquere debeant ratione eorum sepulturae, quam ecclesiis Ordinis huiusmodi relinquunt.

Exigebant insuper eleemosynam missarum quas pro anima sua fratribus dicendas relinquunt testatores.

§ 2. Et, quod peius est, si quis pro animae suae refrigerio nonnullas missas a fratribus Ordinis huiusmodi dicendas reliquerit, praetendunt parochi eleemosynam ratione missarum huiusmodi relictam inter ipsos et fratres praedictos esse dividendam, quo fit ut non parum in deligendis sepulturis in ecclesiis dicti Ordinis graventur saeculares, cum duplum pro sepulturà solvere cogantur.

Huiusmodi abusum a Papa removeri, Ordinis praelati supplicant.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, plerique christifideles in dictarum domorum ecclesiis ob difficultatem tam magnas expensas persolvendi sepeliri se facere non possint, quo fit ut ecclesiae huiusmodi mortuorum sepulturis et consequenter eleemosynis in dies fieri consuetis propemodum priventur, idcirco pro parte eorumdem Fran-

1 Videretur legendum *potius quam* (R. T.).

cisci assistentis generalis et provincialis nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Qui propterea rectoribus dictarum parochialium prohibet maiorem eleemosynam petere quam praescribitur a Concilio Tridentino sess. XXV c. XIII et a Pio V explicatur in sua constitutione.

§ 4. Nos igitur huiusmodi abusus omnino tollere, ac dicti Ordinis commoditatibus et propagationi, quantum cum Domino possumus, prospicere cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, super consultationibus et negociis Episcoporum et Regularium deputatorum, omnibus et singulis parochialium ecclesiarum universarum Indiarum Occidentalium et Orientalium rectoribus, nunc et pro tempore existentibus, harum serie interdicimus et prohibemus, ne sub excommunicationis maioris latae sententiae poenâ (a qua nonnisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo absolvi possint) ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus maiorem eleemosynam ab iis, qui in dictorum fratrum Eremitarum sancti Augustini ecclesiis sepeliuntur, eâ quam illis praescribit Concilium Tridentinum sess. XXV, cap. XIII, iuxta explicationem a felicis recordationis Pio Papa V praedecessore nostro emanatam sub datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MDLXVII, decimo septimo kalendas iunii, pontificatus sui anno II[1], quovis praetextu aut occasione, etiam de consilio, consensu et mandato suorum Ordinariorum, exigere valeant seu praesumant.

Exequutores huius constitutionis deputat.

§ 5. Quocirca dilectis filiis causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, ac Indiarum Occidentalium et Orientalium Societatis Iesu provincialibus pro tempore existentibus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte assistentis generalis et procuratoris praedictorum, nunc et pro tempore existentium, aut alicuius eorum, fuerint requisiti, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoscumque ac praemissis non parentes, eisque auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe seu indirecte quomodolibet praestantes, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariisque derogat.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiarum, domorum et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis, domibus et Ordini, earumque rectoribus superioribus et fratribus, ac quibusvis aliis personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis, ac litteris Gregorii XIII, etiam praedecessoris nostri, sub datum Romae apud sanctum Petrum, anno MDLXXII, pontificatus sui anno I[1].

1 Vide Constit. LVII Pii V in tom. VII pag. 573 et ibi sequentes declarationes (R. T.).

1 Dies qua huiusmodi litterae Gregorii XIII datae fuerunt, non indicatur; constitutiones anni MDLXXII habes in tom. VIII pag. 1-30, sed nulla de hac re ibi legitur. (R. T.).

Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis quoque credi iubet.

§ 7. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die XVI februarii MDCVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 16 februarii 1607, pontif. an. II.

LXVII.

Canonicis metropolitanae ecclesiae Goanae Officio sanctae Inquisitionis addictis exemptio conceditur a servitio ecclesiae et indultum percipiendi distributiones quotidianas[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Indultum de quo in rubrica.

§ 1. Cum, sicut accepimus, nonnulli canonici ecclesiae metropolitanae Goanensis in Indiis Officio sanctae Inquisitionis pro inquisitoribus fiscalibus seu notariis inserviant, et propterea dicto munere occupati in eâdem ecclesiâ personaliter residere, ac divinis officis nocturnis et diurnis, uti ratione eorum canonicatuum et praebendarum, quos obtinent, tenentur, interesse non possint; nos, ne id praedictis canonicis alicui detrimento sit opportune providere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ, et maturâ deliberatione nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, praedictae ecclesiae canonicis nunc et pro tempore ad serviendum Officio eiusdem sanctae Inquisitione pro inquisitoribus, fiscalibus, seu notariis deputatis, quamdiu dictis muneribus fungentur; consultoribus vero et caeteris officialibus eiusdem sanctae Inquisitionis, qui canonicatus et praebendas in eâdem ecclesiâ obtinent, pro eo dumtaxat tempore, quo actu servitio Inquisitionis vacabunt, a praedictâ ecclesiâ abesse, et interim omnia et singula fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque, nec non etiam distributiones quotidianas in quibusvis rebus consistentia, etiam ratione matutinorum aut aliarum horarum canonicarum manualiter quotidie dari et praestari solita, ad praedictos canonicos et quemlibet eorum ratione suorum canonicatuum et praebendarum, si in eâdem ecclesiâ personaliter residerent, ac singulis officiis divinis, missis, legatis, diurnis et nocturnis horis assidue interessent, spectantia et pertinentia, cum eâ integritate percipere, exigere et levare, ac in suos usus et utilitatem convertere, cum qua illos et illa percipere, exigere et levare possent, si, ut praefertur, personaliter residerent et interessent, libere et licite possint et valeant, et quilibet eorum respective possit et valeat; ita tamen, ut pro tempore, quo dicti consultores et caeteri officiales (praeter fiscales, inquisitores et notarios primodictos) pro negotiis sanctae Inquisitionis non fuerint occupati, a servitio ecclesiae non eximantur, auctoritate apostolicâ tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Exequutio archiepiscopo et capitulo demandatur.

§ 2. Mandantes propterea venerabili fratri archiepiscopo Goanensi ac dilectis filiis capitulo et canonicis eiusdem ec-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

clesiae, caeterisque ad quos fructuum necnon distributionum aliorumque praemissorum distributio seu traditio nunc quomodolibet spectat, et in futurum spectabit, in virtute sanctae obedientiae, ut statim, visis praesentibus, omnia et singula fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta, nec non distributiones quotidianas solis praesentibus et divinis officiis, ut praefertur, interessentibus dari et per eos lucrifieri solitas, quocumque nomine nuncupentur, omni morâ et dilatione postpositis, praedictis canonicis nunc et pro tempore ad servitium sanctae Inquisitionis huiusmodi deputatis, ac consultoribus et officialibus praedictis, seu eorum legitimis procuratoribus, occasione suorum canonicatuum et praebendarum iuxta praesentium tenorem tradant et consignent, seu ab aliis tradi et consignari curent et faciant realiter et cum effectu.

Contraria tolluntur.

§ 3. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac eiusdem ecclesiae Goanensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem ecclesiae eiusque praesuli, nec non capitulo, canonicis et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die VII martii MDCVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 7 martii 1607, pontif. an. II.

LXVIII.

Suspensio cuiusdam statuti super electione archiepiscopi Salisburgensis a capitulo et canonicis dictae ecclesiae facti[1].

Dilectis filiis decano, capitulo et canonicis ecclesiae Salisburgensis

Paulus Papa V.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Quoniam novitates contra sacrorum canonum decreta et usus longaevi auctoritatem in ecclesias introduci non debent, exigit officii nostri ratio, ut, si aliquae usquam pullulant, pastorali sollicitudine, quam omnibus ecclesiis debemus, celeri remedio occurratur.

Capitulum familias Austriacam et Bavaricam a voce passiva statuto quodam excluserat.

§ 1. Sane ad apostolatus nostri audientiam, nec sine animi nostri molestiâ, pervenit, quod vos ad perpetuo excludendum, certis praetensis de causis, ab ecclesiae Salisburgensis regimine Austriacae et Bavaricae familiarum quascumque personas, propriâ auctoritate statuere aut decernere non dubitastis ut nullus ex his ambabus familiis ad Salisburgensem archiepiscopatum in perpetuum eligatur vel postuletur; id quod contra ecclesiasticas regulas commissum fuisse plane dignoscitur.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Huiusmodi statutum suspendit Paulus.

§ 2. Quapropter nos, quibus sacrorum canonum commissa est custodia, ne ecclesiastica subvertatur disciplina, ex nostri apostolatus officio, quo divina dignatio fungi voluit humilitatem nostram, suprascriptum statutum seu decretum (quod diligenter consideravimus, et ab aliis considerari et examinari fecimus) maturâ super eo habitâ deliberatione, auctoritate apostolicâ, praesentium tenore, suspendimus, et, stante huiusmodi suspensione, capitulum vestrum, aut eius et quascumque alias, ad quas Salisburgensis archiepiscopi electio spectat, personas non ligare neque arctare, nullique eligibili ullatenus praeiudicare, eâdem auctoritate decernimus, ita ut quandocumque ecclesiam Salisburgensem destitui contigerit solatio pastoris, nullus canonicorum, neque ulla aliarum dictarum personarum, ad quas praedicta electio pertinet, aut aliàs eligibiles sunt, cuiuscumque gradus, dignitatis, nobilitatis, conditionis et praeeminentiae existant, ab electione activâ vel passivâ, aut a postulatione, vigore statuti huiusmodi ita suspensi, excludantur aut repellantur, prout excludi aut repelli non posse nec debere praedictâ auctoritate decernimus: firmis nihilominus et in eodem statu in caeteris remanentibus vestri capituli quibuscumque aliis constitutionibus, eiusdemque et canonicorum ac supradictarum personarum iuribus. Quibus omnibus et singulis non intendimus in aliquo praeiudicare.

Sicque servari praecipit.

§ 3. Quare vobis omnibus et singulis, aliisque ad quos electionis[1] praedictae negotium quomodolibet spectat, per apostolica scripta praecipiendo mandamus ne huiusmodi per nos ita suspenso statuto seu decreto, adveniente dictae ecclesiae vacatione, in iudicio vel extra ullo modo utamini et respective utantur.

Obstantibus derogat.

§ 4. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac privilegiis, indultis et litteris apostolicis vobis et aliis praedictis, vel vestrum et illorum cuilibet, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, aut aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et ad verbum expressa mentio habenda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die IX martii MDCVII, pontificatus nostri anno II[1].

Dat. die 9 martii 1607, pontif. an. II.

LXIX.

Prohibet quominus ecclesiastici regni Siciliae boves, vaccas, vitulos ac alia animalia agrorum culturae utilia occidant[2].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium a fertilitate soli deductum.

Regnum Siciliae ultra Pharum illiusque solum ita fertile esse considerantes,

1 Edit. Rom. fert *electiones;* erronee, ut patet (R. T.).

1 Die 21 martii Paulus Papa privilegia mercatoribus Anconitanis a Clemente VIII concessa, et quae suo loco retulimus, confirmavit.

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

ut nedum adiacentibus locis, sed interdum ipsi Urbi pluries in maximis annonae difficultatibus frumenta subministravit, ob idque antiquitus *Romani Horrei* nomen meruerit, ad ipsius regni commodiorem facilioremque culturam proficientia (maxime catholicorum regum votis id exposcentibus) libenter constituimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Siciliae reges edicto suo cavebant quominus boves, vituli, *etc.* mactarentur.

§ 1. Sane, charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus nobis nuper exponi fecit, quod, cum in praedicto regno, cuius ipse Philippus etiam rex existit, magna bovum et vaccarum ad terras illius regni excolendas penuria existeret, ipsius Philippi regis in dicto regno antecessores per eorum edicta, constitutiones seu pragmaticas mandarunt et praeceperunt omnibus et singulis eiusdem regni incolis, ne boves, vaccas, vitulos et huiusmodi generis animalia ad usum carnium pro victu humano conficiendarum (praeterquam in certis publicis locis dumtaxat) sub quibusdam poenis quovis modo mactare seu mactari facere auderent vel praesumerent; quae edicta, constitutiones, seu pragmaticas ipse Philippus rex, seu eius in dicto regno proreges vel alii ministri postea confirmarunt et innovarunt.

Philippus hic legem ad ecclesiasticos petit extendi.

§ 2. Verum, quia personae ecclesiasticae, tam saeculares quam regulares, dicti regni, sive eorum aliqui, in maximum totius regni illiusque agriculturae detrimentum, boves, vaccas et vitulos interdum mactare seu mactari facere non verentur; praedictus Philippus rex nobis humiliter supplicari fecit, quatenus super praemissis opportunum adhibere remedium de benignitate apostolica dignaremur.

Paulus extendit sub poenis, quae hic recensentur.

§ 3. Nos igitur, qui ab initio nostrae ad summi apostolatus apicem assumptionis, frumenti et bladarum abundantiam et ubertatem ubique vigere sinceris desideravimus affectibus, ipsius Philippi regis nobis per dilectum filium nobilem virum Ioannem Fernandez de Pacecho marchionem Villenae, dum apud nos pro ipso Philippo rege oratoris munere fungeretur, porrectis supplicationibus inclinati; omnibus et quibuscumque personis ecclesiasticis, tam saecularibus quam regularibus (etiamsi saeculares patriarchali, episcopali aut quavis alià dignitate vel eccellentià, regulares vero personae huiusmodi cuiusvis Ordinis, etiam quantumvis exempti et privilegiati, nec non Militiarum, etiam sancti Ioannis Hierosolymitani, existant) in virtute sanctae obedientiae ac sub indignationis nostrae, nec non mille scutorum, quoad saeculares, quo vero ad regulares personas huiusmodi, quorumcumque officiorum ac dignitatum, etiam generalium, quae obtinent, ac incapacitatis ad illa similia aut dissimilia in futurum quomodolibet obtinenda, quo autem ad milites hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani huiusmodi, aliorum mille scutorum, et in subsidium, quoad eos qui non habent in aere, exilii a toto praefato regno, poenis per contravenientes incurrendis districte prohibemus et inhibemus, ne ipsi aut eorum aliqui de caetero, quovis quaesito colore, praetextu vel ingenio, boves, vaccas, vitulos aut animalia huiusmodi agrorum culturae inservientia ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum mactare seu mactari facere, vel aliàs mactantibus auxilium vel favorem, occulte vel publice, directe vel indirecte dare, audeant vel praesumant.

Clausulae.

§ 4. Decernentes praesentes nostras litteras (etiam ex eo quod quicumque quavis auctoritate, dignitate, officio et honore fungentes, in praemissis quomodolibet interesse habentes seu habere praetendentes, ad hoc vocati, et causae, propter

quas illae emanarunt, examinatae et iustificatae non fuerint, nec praemissis consenserint, seu quibusvis aliis de causis) de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quovis alio defectu notari vel impugnari, aut ad terminos iuris reduci, vel in ius aut controversiam sub quocumque praetextu[1], seu aliàs quomodolibet infringi vel revocari nullatenus posse, sed illas semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter observari: sicque, et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales ac Palatii Apostolici auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputati.

§ 5. Quocirca venerabili fratri archiepiscopo Panormitano et Messanensi et episcopo Mazariensi per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel eorum quilibet per se, vel alium, seu alios in dignitate ecclesiasticâ constitutos per ipsos delegandos, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque publicari, et, sub praedictis et aliis sibi benevisis poenis, per quoscumque antistites, praelatos, tam regulares quam saeculares, capitula, clericos, fratres, milites et personas quaslibet, quantumvis exemptas, omnibus iuris et facti remediis, invocato etiam brachio saeculari, omni morâ, dilatione et exceptione remotis, faciant, praecipiant et mandent inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles per praedictas seu alias eis benevisas, etiam corporis afflictivas (citra tamen sanguinis), poenas ac censuras ecclesiasticas auctoritate nostrâ, appellatione postpositâ, compescendo.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis exemptionibus, immunitatibus ac gratiis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis praelatis, superioribus, collegiis, conventibus, monasteriis, hospitalibus, domibus et locis, illorumque personis et Ordinibus ac Militiis praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, et aliàs quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus (etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret), tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter aut divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

1 Videtur hic deesse verbum *vocari* R. T.

Transumptis danda fides.

§ 7. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si vere et realiter essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII martii MDCVII, pontificatus nostri anno II [1].

Dat. die 23 martii 1607, pontif. an. II.

LXX.

Facultas cardinali de Ioiosa absolvendi ducem, senatum, statutarios, consultores, etc. *a censuris per eos incursis, necnon interdictum a dictâ civitate amovendi* [2].

Venerabili fratri nostro Francisco episcopo Sabinensi S. R. E. cardinali de Ioiosa nuncupato

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Vices Illius, quamquam immeriti, gerentes in terris, qui visitat in virgâ iniquitates hominum et in verberibus peccata, misericordiam autem suam non dispergit ab eis, multaeque miserationis est et praestabilis super malitiâ, eos, quibus errantibus inviti adhibuimus virgam ecclesiasticae disciplinae, reversos in viam libenter paternâ complectimur misericordiâ et benignitate.

Pontifex Venetam urbem ecclesiastico supposuerat interdicto ob violatam ecclesiasticam libertatem.

§ 1. Dudum siquidem Leonardum Donatum ducem, et senatum republicae Venetorum, statutarios et eorum consultores, fautores et adhaerentes (quod dux et senatus ipsius reipublicae certas leges contra ecclesiasticam libertatem, Sedis Apostolicae auctoritatem, ac generalibus concillis et sacris canonibus ac Romanorum Pontificum constitutionibus repugnantes, nulliter et de facto condidissent et promulgassent; praeterea duas personas ecclesiasticas, videlicet, Brandolinum Valdemarinum abbatem seu commendatarium monasterii de Hervesa Tarvisinae dioecesii, ac Scipionem Saracenum canonicum Vicentinum pariter de facto, et ecclesiasticam violando immunitatem, ob quaedam praetensa delicta carceratos tenerent, prout nunc tenent) ex debito pastoralis officii, quo divina dignatio fungi voluit humilitatem nostram, canonicâ monitione praemissâ, excommunicavimus, et excommunicatos declaravimus, civitatemque Venetiarum et universum Venetorum dominium ecclesiastico supposuimus interdicto et aliàs contra eos processimus, prout in nostris sub huiusmodi formâ Brevis litteris expeditis, ac datis die XVII aprilis proxime praeteriti, plenius continetur [1].

Galliae Hispaniaeque reges senatus nomine absolutionem petunt.

§ 2. Cum autem, dum eorumdem Leonardi ducis, senatus et aliorum praedictorum expectamus correctionem, charissimus in Christo filius noster Henricus Galliae rex christianissimus per dilectum filium nobilem virum Carolum de Alincourt, eiusdem Henrici regis apud nos et Apostolicam Sedem ordinarium oratorem, primum, et deinde charissimus etiam in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus per dilectos etiam fi-

1 Quinque post dies confirmata fuit facultas a praedecessoribus Pontificibus concessa episcopo Ostiensi et Veliternensi cognoscendi causas incolarum dioecesis Veliternensis, et quidem in primâ et secundâ instantiâ in urbe Veliternensi, in tertiâ vero in Romanâ Curiâ.

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Has litteras non recensuit coquelinius, nec ideo in edit. Main. reperiuntur (R. T.).

lios nobiles viros Franciscum de Castro eiusdem Philippi regis apud dictam rempublicam extraordinarium et Inicum Cardenas ordinarium oratores, nomine ac de ordine et ad requisitionem virtuteque commissionis eiusdem reipublicae, supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis, apud nos intercesserint, ut (quoniam, sicut ipsi oratores, ac demum etiam fraternitas tua scriptis nobis affirmasti, ipsi Leonardus dux ac senatus praedicti circa contenta in dictis litteris nostris iam aliquâ ex parte satisfecerunt, et plenius satisfacere intendunt) eosdem et alios praedictos a dictâ sententiâ excommunicationis contra eos a nobis latâ et promulgatâ absolvere et liberare, interdictumque amovere de benignitate apostolicâ dignaremur;

Facultates ad hoc necessarias cardinali de Iosa tribuit Pontifex.

§ 3. Hanc ob rem, nos morem Ecclesiae, quae nemini ad se post errata humiliter redeunti claudit gremium, cum misericordiâ servare (facti, exemplo Apostoli, infirmi ut infirmos lucrifaciamus), ac praedictorum regum praemissis, necnon aliorum christianorum principum, qui pro iisdem Leordardo duce et senatu praedictis pariter instanter supplicando apud nos intercesserunt seu intercedi fecerunt, precibus honorem habere, ac praedictorum Leonardi ducis et senatus et aliorum praedictorum saluti consulere paternâ charitate volentes, fraternitati tuae, de cuius fide, integritate et prudentiâ plurimum in Domino confidimus, Venetias proficiscenti, tenore praesentium, committimus et mandamus, quatenus, si et quando iidem Leonardus dux et senatus aliique praedicti in iis, quae tibi significavimus, satisfactionem praestiterint, eaque realiter et cum effectu adimpleverint, et non aliàs, ipsum Leonardum ducem ac senatum Venetorum, statutarios et eorum consultores, fautores et adhaerentes praedictos, ab excommunicationis sententiâ a nobis in dictis[1] et aliis quibuslibet litteris nostris contra eos latâ et promulgatâ, in utroque foro penitus et omnino auctoritate apostolicâ absolvas et liberes; necnon ecclesiasticum interdictum praedictum remittas, tollas et relaxes, ac sanctis Ecclesiae sacramentis eosdem restituas, impositâ eis poenitentiâ, quae tibi videbitur, salutari: nos enim, stantibus praemissis, pro praedictis omnibus et singulis faciendis et exequendis, eidem fraternitati tuae, tenore praesentium, eàdem auctoritate apostolicâ, facultatem tribuimus et impertimur.

Contraria tolluntur.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac supranominatis et aliis litteris nostris, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod per praesentes nostras, ac per quemvis actum a fraternitate tuâ, mandato et auctoritate nostris huiusmodi ac virtute praesentium, quomodolibet faciendum, libertati, immunitati ecclesiasticae necnon iuribus Sedis et Camerae Apostolicae quibuscumque, et signanter declarationibus nullitatis et invaliditatis praedictarum legum a nobis in praedictis litteris factis et promulgatis, necnon capitulis et conventionibus cum felicis recordationis Iulio II praedecessore nostro ac praedictâ republicâ seu eius legitimis procuratoribus initis et iuratis die XXIV februarii anni MDX[2], et omnibus et singulis in eis contentis, nullum omnino praeiudicium quomodolibet inferatur: quinimo a dictis declarationibus, capitulis et conventionibus, omnibusque in iis contentis nullo modo recedere intendimus, aut eis in aliquo derogare, sed salva semper esse et fore, neque alias poenas, occasione praemissorum ab eis incursas, remittere, et ita decernimus et declaramus.

1 Perperam edit. Main. legit *indictis* (R. T.).

2 Acta conventionum huiusmodi in *Bull.* non sunt (R. T.).

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die IV aprilis MDCVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 aprilis 1607, pontif. an. II.

LXXI.

Ordinationes et statuta super bono regimine Congregationis Cassinensis monachorum Ordinis sancti Benedicti [1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Cum, sicut accepimus, in Ordine sancti Benedicti Congregationis Cassinensis, aliàs sanctae Iustinae Paduanae, qui primo ab eodem sancto Benedicto institutus, et deinde a tot tantisque Patribus sanctitate et disciplinae regularis exemplo per diversas totius orbis christiani regiones propagatus, virtute Altissimi ad laudem sui nominis iam multis ab hinc saeculis floruit, nonnulli abusus exorti fuerint, quibus nisi nostrae pastoralis sollicitudinis providentia celeriter occurratur, dubitandum sit ne, huiusmodi morbo invalescente, regularis disciplinae observantia paulatim collabatur;

Constituit septem provincias Ordinis in Italia.

§ 1. Nos igitur attendentes quod ubi gubernaculum disciplinae contemnitur, restat ut Religio naufragetur, pro nostri pastoralis officii debito praemissa conniventibus oculis pertransire nequivimus. Quapropter, re[2] prius mature discussâ et examinatâ, adhibitis viris gravitate, prudentiâ et usu rerum praestantibus, quibus negocium demandavimus, de eorum consilio huiusmodi abusibus, quantum cum Domino possumus, occurrendum decrevimus. Motu igitur proprio, non ad alicuius nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ nostrâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, Congregationis praedictae, Ordinis sancti Benedicti, in universâ Italiâ, insulisque ei adiacentibus septem provincias nempe Romanam, Hetruriae, Neapolis, Siciliae, necnon Venetiarum, Lombardiae ac Liguriae, per praesentes perpetuo valituras, constituimus et deputamus, illisque sic constitutis et deputatis;

Romanam,

§ 2. Romanae, videlicet, sancti Pauli prope et extra muros almae Urbis nostrae, necnon sanctae Scholasticae Sublaci, ac sanctae Mariae Farsensis, et extra muros Caesenatensis, ac sancti Vitalis Ravennatensis et sancti Proculi Bononiensis, necnon eiusdem sancti Benedicti Ferrariensis [1];

Hetruriae,

§ 3. Et Hetruriae, sancti Eugenii Senensis, necnon sanctae Florae et Lucillae Aretinensis, necnon sanctae Mariae Florentinensis, et sancti Honorati Lerini, ac sanctae Mariae Cromensis, Ragusinensis dioecesis, et sancti Petri Regiensis;

Neapolitanam,

§ 4. Necnon Neapolitanae, ipsius sancti Benedicti Castrovillarum, sancti Michaelis Montis Caveosi, sanctae Mariae Andriensis, sanctissimae Trinitatis Cavensis, necnon sancti Severini Neapolitanensis, ac sancti Angeli Caetanensis, sancti Laurentii Aversanae et eiusdem sancti Benedicti Montis Cassini;

Siculam;

§ 5. Siculae, sancti Placidi Messanensis, necnon santi Nicolai Cataniensis, et sanctae Mariae Fondroni, necnon sanctae Flaviae, ac sanctae Mariae Montisregalis et sancti Martini Panormitanensis, necnon eiusdem sanctae Mariae de Gangio et sancti Philippi de Argirione;

Venetae,

§ 6. Ac Venetae, sancti Nicolai Lictoris, necnon sancti Georgii Venetiarum et san-

1 Quae ad hanc pertinent Congregationem vide in Constit. II Iulii II *Super Cathedram*, tom. V pag. 400.

2 Hanc vocem *re* nos addendam censuimus (R. T.).

1 Subintellige *monasteria subiicimus et supponimus* uti dicitur in fine § 8; nam eousque oratio manet suspensa (R. T.).

ctae Mariae de Pratalia, et sanctae Iustinae de Padua, necnon sancti Felicis et Fortunati Vicentinensis et sancti Nazarii Veronensis, ac sancti Pauli de Atgon, necnon sancti Iacobi de Pontidà, Bergomensis dioecesis, et sancti Faustini ac sanctae Euphemiae Brixiensis;

Lombardiae,

§ 7. Necnon Lombardiae, sancti Simpliciani, ac sancti Petri in Glassiate Mediolanensis, sancti Spiritus et sancti Salvatoris Papiensis, necnon sancti Sixti Placentinae, ac sanctae Mariae Gratiarum Placentinae dioecesis, et sancti Ioannis Evangelistae Parmensis, necnon sancti Columbani Bobiensis, ac sancti Benedicti de Padolione;

Liguriae,

§ 8. Liguriae vero provinciis praedictis, sancti Nicolai Buschetti, sancti Benigni et sancti Iuliani, ac sanctae Catharinae, necnon sancti Hieronymi Cervariae Ianuensis dioecesis, ac sancti Bartholomaei Astensis, ac sancti Petri Salviani Taurinensis dioecesis, dictorum Ordinis et Congregationis monasteria, etiam perpetuo subiicimus et supponimus.

In dictis provinciis novem abbates definitores eligendi sunt.

§ 9. Et (ut deinceps in definitorio aequalitas votorum habeatur) quod de caetero perpetuis futuris temporibus in dictis septem provinciis novem abbates definitores (ex quibus Romana unum, Hetruriae unum, Neapolitana unum et Siciliae alium, et Liguriae alium, Veneta vero et Lombardia provinciae praedictae, ob illorum maiorem monasteriorum numerum, pro qualibet earum duos abbates huiusmodi ex illis respective oriundos habeant) eligantur ac deputentur[2]; dictique novem definitores canonice per vota et secretinia secreta, ut moris est,[1] electi, in quibuscumque capitulis generalibus omnes et singulas tam spirituales quam temporales gratias et facultates ab hac Sede Apostolicà eis concessas, et quas hactenus habuerunt, habeant: hac tamen ratione, ut posthac singuli definitores septem provinciarum praedictarum diversarum nationum et professionum existant; nulloque modo duo ex eàdem natione vel professione, uno et eodem tempore, in praedicto capitulo, licet ex diversis provinciis praedictis professi sint, esse patiantur, sed ex eisdem provinciis oriundi eligantur, ut supra, ac constituantur.

Ex quibus tres ex antiquioribus quolibet anno vacent ad biennium, et alii sufficiuntur.

§ 10. Et ad tollendam dictorum definitorum perpetuitatem, quieti dictae Congregationis maxime contrariam, quod[2] singulo quoque anno tres definitores ex añtianis sive antiquioribus, (duo nempe ex Lombardiae, Venetae et Liguriae, ac unus ex Romanà, Hetruriae, Neapolitanà et Siculà provinciis praedictis) ab eodem definitorio per biennium vacent, ac illorum loco tres substituantur respective ex eisdem provinciis, ita ut semper unaquaeque provincia suum vel suos semper habeat definitorem seu definitores praescriptos;

Eorumque aliquo a definitorio excluso, alter ex viciniori provinciae eligatur.

§ 11. At si aliquà iustà causà abbates alicuius provinciae ad praedictum capitulum non accederent, vel accedentes ab electione definitorii exclusi remanerent, (seu quod[1] illo anno visitatorum officio functi essent, seu quod per biennium minime vacassent et eo casu in praedicto definitorio ab huiusmodi electione exclusi essent) et tunc ex provincià illi viciniori abbas definitor, servatis tamen superius narratis, pro illà vice tantum, eligatur;

Conservatores qui et quot sint eligendi, et quis

§ 12. Conservatores quoque iuxta constitutiones dictae Congregationis approbatas, nempe duo ex Romanà, Haetruriae

1 Similem praescriptionem de aequalitate votorum in definitorio factam pro Ordine Lateranensium vide supra pag. 268 huius tomi (R. T.).

2 Heic et in omnibus §§ sequentibus mente supplenda sunt verba *statuimus et ordinamus* quae postea leguntur § 29, nam eousque oratio iterum suspensa manet (R. T.).

1 Heic edit. Main. repetit *canonice* (R. T.).

2 Particulam *quod* censuimus addendam (R. T).

eorum sit munus.

et Neapolitanâ, alii vero ex Venetâ, Lombardiae et Liguriae provinciis praedictis eligantur, ipsique sic electi cum Dei timore omnique diligentiâ omnia illo anno a definitoribus, visitatoribus ac praesidente praedictis gesta, et praecipue electiones praelatorum et officialium perspiciant ac recognoscant (et quidquid contra Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum decreta ac constitutiones dictae Congregationis factum esse reperient, illud nullum et irritum declarent) ac cum effectu, sub privationis dignitatum, quas pro tempore obtinerent, ac inhabilitatis ad illas[1] obtinendas poenis eo ipso incurrendis, illorum habilitationem nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus, quandocumque existentibus, omnino reservando, exequi mandent: et contra inobedientes, etiam definitores, nullâ habitâ personarum vel dignitatum ratione, per censuras et poenas ecclesiasticas, auctoritate nostrâ, procedant;

Abbatum, etc. numerus qui, et quae ipsorum electio.

§ 13. Et in qualibet ex provinciis praedictis tot abbates, priores, cellerarii ac magistri novitiorum ex eâ oriundi, quot sunt in eâ monasteria vel praelaturae et officia, existant; et casu, quo in singulis monasteriis idonei ad hoc munus subeundum minime reperiantur, tunc idonei aliis ex monasteriis eiusdem provinciae professi subrogentur; quod si in totâ provinciâ non sint tot monachi idonei professi, qui ad praedicta officia suae provinciae assumi possint, tunc ex monasteriis vicinioribus alterius provinciae idonei assumantur;

Abbates a definitorio eligendi.

§ 14. Ne autem facultas regiminis dictae Congregationis diminuta intelligatur, quod[2], pro arbitrio dicti regiminis, abbates, priores, omnesque officiales, ac singulos privatos monachos ex provinciâ in provinciam, prout expediens ei[1] videbitur, ut antea poterant et valebant, ita ut omnia in dictâ Congregatione communia sint et esse intelligantur, amovere et destinare[2] possint et valeant, nullâ nationum et personarum seu monasteriorum habitâ ratione; quinimo singuli abbates cuiusque provinciae monasteriis Congregationis, definitorii et regiminis arbitratu, deputentur et praeficiantur;

Eorum munus quinquennio expletur.

§ 15. Quodque abbates, priores caeterique officiales praedicti, iuxta praescriptum usum dictae Congregationis, alicui monasterio non praeficiantur ultra quinquennium, et ab illius administratione etiam per quinquennnium omnino vacent; ita ut tam abbates quam caeteri officiales praedicti quot annis praefuerunt, tot etiam ab eius monasterii ac officii administratione vacent: et quod singuli resideant, nec ab eis ullo quaesito colore ultra unam dietam et per octo dies, sine licentiâ praesidentis[3] iustam causam expressam conservatoribus in proximo capitulo generali exhibendam et examinandam an iusta fuerit causa discessus) abesse possint, et qui secus fecerint illorum arbitrio puniantur;

Vitam communem et alia instituta observent.

§ 16. Ne aliis praedicantes abbates praedicti reprobi inveniantur, quod ad vitam communem, necnon divina officia, tam diurna quam nocturna, omniaque alia regulae dictae Congregationis instituta cum Dei timore, habitâ tamen personarum ac temporum qualitate[4], concurrant, nisi[5] cum hospitibus impediti sint vel aliâ iustâ causâ excusentur;

1 Forsan de more addendum *et alias* (R. T.).

2 Praeintellige semper *statuimus et ordinamus* (R. T.).

1 Nempe: *ei regimini* vel *definitorio* (R. T).

2 Legendum videretur *amoveri et destinari possint et valeant*, nempe abbates et alii praedicti, ac *singuli privati monachi* (R. T.).

3 Heic supplendum mihi videretur: *et nisi ob* vel aliquid simile; aut legendum: *et sine iustâ causâ expressâ.. exhibendâ et examinandâ* (R. T).

4 Aptius legeretur *qualitatis ratione* (R. T.).

5 Erronee edit. Main. legit *ut si* pro *nisi* (R. T).

Studentibus plene provideant.

§ 17. Monachis vero litteris operam dantibus de idoneis lectoribus ac aliis necessariis et decentibus rebus ac commoditatibus illis benevisis provideant;

Eamdem ubique disciplinam servari curent.

§ 18. In omnibus quoque monasteriis parem formam vivendi et vestiendi ac regularem disciplinam ab omnibus observari curent;

Administratio cellerariorum sit.

§ 19. In administratione autem rerum temporalium ea cautio adhibeatur, ne praelati eam per se ipsos, ut causa vagandi tollatur, exerceant: sed ea per cellerarios a dictis definitoribus vel praedicti Ordinis regimine deputatos (corruptelà et abusu cellerariam in pectus, ut dicunt, abbatis concedendam[1] penitus sublatis) exerceatur;

Qui decani sint.

§ 20. Ac Constitutiones praedicti Ordinis, ut cellerarii a regimine deputati decani existant, omnino observentur;

Visitatorum munus et electio.

§ 21. Duo autem visitatores dictae Congregationis, ex Romanae, Hetruriae ac Neapolitanae, ac alii duo ex Lombardiae, Venetae necnon Liguriae provinciarum praedictarum abbatibus ex ipsismet provinciis oriundi eligantur, qui extraneas provincias visitent (non autem proprias), si id definitores expedire iudicaverint; aliàs constitutiones dictae Congregationis serventur, et in provincià Siculà duo visitatores, iuxta praescriptum usum dictae Congregationis, eligantur, dictique visitatores, Deo iuvante, munus suum visitationis cum omni diligentià subeant ac absolvant, singulosque monachos et novitios de statu monasterii, necnon praepositorum et ministrorum qualitate, ac rerum spiritualium et temporalium statu exactissime examinent;

Praesertim circa monachorum amotionem.

§ 22. Monachos vero vel novtios ab aliquo monasterio, in quo saltem per annum continuum non permanserint, et quos amovendos necessarium iudicaverint (super quo illorum conscientias gravamus), per illam provinciam tantum mutare valeant, dicto capitulo generali mutationes de unâ ad aliam provinciam (ut sumptibus superfluis parcatur) reservando;

Novitiorum educatio et probatio qualis esse debeat.

§ 23. Et novitiatus pro novitiorum educatione in singulis provinciis praedictis constituti et constituendi in suo robore permaneant, ita tamen quod in quibuslibet novitiatibus praedictis ex eiusdemmet provinciis huiusmodi oriundi iuxta constitutiones apostolicas et decreta Concilii Tridentini idonei ad probationem admittantur, ac semper et ubique cives civitatum et locorum, in quibus monasteria huiusmodi sita sint, caeteris extraneis patribus praeferantur;

Novitiatus duo constituantur.

§ 24. Quodque in provincià Romanâ praedictà, etiam in monasteriis sancti Proculi Bononiensis ac sancti Benedicti Ferrariensis novitiatus constituantur, et in eis iuvenes ex eàdem provincià oriundi ad probationem recipiantur;

Novitiorum numerus praefinitus.

§ 25. Quaelibet autem provincia illum tantum numerum novitiorum recipiat, et ad professionem admittat, quem commode alere poterit; si vero aliqua provincia seu monasterium plures monachos, quam ex eius redditibus ali possunt, habere comperiatur, neminem recipiat, priusquam ad numerum praefixum illius professi redacti fuerint;

Novitii sex in monasterio sancti Pauli de Urbe singulis annis recipiantur de provincia Romana, et sublaci alantur.

§ 26. Et quia in dicto monasterio sancti Pauli de eàdem Urbe, ob illius aëris intemperiem (ut aiunt), Romani vel ex eàdem provincia oriundi, in maximum eorum dictaeque Congregationis detrimentum, minime recipiuntur, quemadmodum praeteritis temporibus recipere solitum fuit et hoc in aliis monasteriis servatur; quod deinceps, singulo quoque anno, saltem sex novitii ad probationem ibi recipiantur, sed in dictum monaste-

1 Videretur legendum *concedendi;* nempe sublatis corruptelà et abusu concedendi cellerariam in pectus, ut dicunt, abbatis (R. T.).

rium sanctae Scholasticae Sublaci ad probationem et professionem emittendam (sumptibus tamen et expensis dicti monasterii sancti Pauli, cuius professi sint et esse intelligantur) mittantur;

Et alii quatuor in novitiatu Sublacensi.

§ 27. Hacque de causâ saltem duo novitii pro monasterio Farfensi, et alii duo pro monasterio Sublaci praedictis, ex eâdem provinciâ Romanâ oriundi, in dicto novitiatu Sublacensi (usque[1] ad numerum, qui ex illorum monasteriorum redditibus ali et sustentari possint, reducti fuerint), quibuscumque non obstantibus, recipiantur;

Abbas dicti monasterii sancti Pauli et procurator Ordinis non sint de eadem provincia oriundi, vel professi.

§ 28. Quodque, quoties contigerit abbatem dicti monasterii sancti Pauli oriundum vel professum esse ex monasteriis Lombardiae, Venetae et Liguriae provinciarum praedictis[2], tunc procurator generalis dictorum Ordinis et Congregationis oriundus vel saltem professus ex aliquo monasterio Romanae, Hetruriae vel Neapolitanae provinciarum praedictarum, et viceversâ, existat et esse debeat, nec ambo ullo umquam tempore ex monasteriis earumdem, sed diversarum provinciarum praedictarum esse debeat[3];

Iussio praemissa observandi.

§ 29. Similiter perpetuo statuimus et ordinamus:[4] ac ita ab omnibus et singulis, quos praemissa concernunt et concernent quomodolibet in futurum, sub poenâ privationis vocis activae et passivae, ipso facto incurrendis[5], inviolabiliter observari debere volumus et mandamus.

Confirmatio privilegiorum et ordinationum Pontificiarum, quae praemissis non contrariantur.

§ 30. Ac, pro praemissorum complemento, omnia et singula privilegia libertates, immunitates, favores, antelationes, aliasque gratias tam spirituales quam temporales per felicis recordationis Eugenium Papam IV[1], et Gregorium XIII[2] necnon Clementem VIII[3] Romanos Pontifices praedecessores nostros, sub quacumque verborum formâ et expressione, super dictorum definitorum electione, dictaeque Congregationis felici statu ac directione, et aliàs super praemissis quomodolibet concessa, necnon singulas litteras apostolicas desuper expeditas, ac illarum formas et continentiam, tenores et effectus, perinde ac si de verbo ad verbum praesentibus inserta essent, dummodo praemissis contraria non existant, pariter perpetuo approbamus et confirmamus, illisque, ac earum singulis, perpetuae ac inviolabilis firmitatis robur adiicimus, necnon omnes et singulos, tam iuris quam facti, ac solemnitatum in his quomodolibet requisitarum ac necessariarum, defectus, excogitatos vel non cogitatos, si qui principaliter vel accessorie, aut aliàs quomodolibet intervenerint in eisdem, etsi de illis, ad hoc ut suppleri et sanari possint, specialis, specifica et expressa mentio facienda esset, supplemus;

Appositio clausularum praeservativarum.

§ 31. Decernentes praedictas eorum praedecessorum litteras validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri[4] ab eis, ad quos nunc spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, firmiter observari debere,

1 Heic videretur supplenda particulam *dum* (R. T.).

2 Aptius legeretur *praedictarum* (R. T.).

3 Videretur legendum *debeant*, aut *alter eorum esse debeat* (R. T.).

4 Hinc aptius nova § inciperetur (R. T.).

5 Legendum *incurrendâ*, nisi desint verba *et aliis*, nempe, *poenis*, aut antea legendum fuerat: *sub poenis excomunicationis maioris et privationis*, etc. prout ex § 31 seq. videretur posse argui (R. T.).

1 Eugenii IV prorsus legenda est Constit. VI in tom. V pag. 11, sed vide etiam Constit. XIII, ib. pag. 21 et seq. (R. T.).

2 Tres in *Bullario* leguntur Gregorii XIII Constitutiones de hoc Ordine; nempe XXVI, in tom. VIII pag. 66; LXV, ibid. pag. 165; et XCIV, ib. pag. 269; ex hisce tribus altera potissimum ad rem facit (R. T.).

3 Vide Clementis VIII Constit. LVII in tom. X, pag. 28 (R. T.).

4 Videretur legendum *sortiri, et ab eis* (R. T.).

nec ab illis ullo umquam tempore resilire posse; sed ad illarum observationem obligatos fore et esse, ac sub eisdem maioris excommunicationis et privationis vocis activae et passivae poenis cogi et compelli; praesentes vero de subreptione vel obreptione seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu, notari, seu impugnari, aut aliâs quomodolibet infringi vel retractari seu invalidari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam vocari, aut adversus eas quodcumque iuris vel facti, aut iustitiae, seu gratiae remedium intentari, impetrari vel concedi nullatenus umquam posse; sicque ab omnibus et singulis censeri, et ita per quoscumque iudices, etiam causarum Palatii Apostolici auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, irritumque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum deputatio.

§ 32. Quocirca dilecto filio nostro Alexandro sancti Laurentii in Damaso, diacono cardinali Montalto nuncupato S. R. E. vicecancellario, moderno et pro tempore existenti dictae Congregationis Cassinensis apud nos et Apostolicam Sedem protectori, per praesentes mandamus, ut praemissa omnia et singula per eos, ad quos spectat et in futurum spectabit, auctoritate nostrâ observari curet et faciat, contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 33. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac eiusdem Ordinis et Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 34. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die VI aprilis MDCVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 6 aprilis 1607, pontif. an. II.

Sequitur declaratio et moderatio praedictarum, ac aliarum editio ordinationum.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis prudentia circumspecta nonnumquam aliqua ex eis, quae pro bono regimine et felici directione religiosorum sub regularis vitae observantiâ Altissimo famulantium concesserat, saniori iudicio mutat, alterat ac disponit, prout rerum, temporum, personarum qualitatibus diligenter pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Relatio nonnullorum contentorum in praecedenti bulla.

§ 35. Sane, cum nos aliâs, per quasdam in formâ Brevis sub annulo Piscatoris die VI aprilis MDCVII pontificatus nostri anno II confectas litteras, inter alia in totâ ac universali Italiâ insulisque ei adiacentibus septem provincias Ordinis sancti Benedicti Congregationis Cas-

sinensis, aliàs sanctae Iustinae, nempe Romanam, Neapolitanam, Siculam, Venetam, ac Hetruriae, necnon Liguriae et Lombardiae, perpetuo constituerimus et deputaverimus; illisque ac earum singulis monasteriis dictorum Ordinis et Congregationis in Italià ac insulis praedictis consistentibus suppositis, sancti Petri Mutinensis ac eiusdem sancti Petri Regiensis monasteria dictorum Ordinis et Congregationis dictae provinciae Hetruriae etiam perpetuo subiecerimus et supposuerimus; et quod ex tunc de caetero perpetuis futuris temporibus in dictis septem provinciis novem abbates definitores, ex illis respective oriundi, diversarum tamen nationum et professionum, ac quatuor dictorum Ordinis et Congregationis visitatores, ex eisdem et provinciis oriundi, eligerentur, et in qualibet ex provinciis praedictis tot abbates, priores, cellerarii ac magistri novitiorum, ex eà tamen oriundi, quot sunt in ea monasteria, vel praelaturae et officia essent; quodque, quoties contingeret abbatem monasterii sancti Pauli prope et extra muros almae Urbis nostrae dictorum Ordinis et Congregationis oriundum vel professum esse ex monasteriis Lombardiae, Venetae et Liguriae provinciarum praedictarum, tunc procurator generalis ipsius Ordinis et Congregationis oriundus vel saltem professus ex aliquo monasterio Romanae, Neapolitanae et Hetruriae provinciarum huiusmodi, ac viceversà, esset et esse deberet; nec ambo ullo umquam tempore ex monasteriis earumdem, sed diversarum provinciarum praedictarum esse deberent, similiter perpetuo, prout in dictis litteris plenius continetur, statuerimus et ordinaverimus.

Causa huius moderationis.

§ 36. Nihilominus ex relatione dilectorum filiorum Anastasii a Carpenedulo abbatis dicti monasterii sancti Pauli, ac Ioannis Baptistae Romani Ordinis et Congregationis praedictorum procuratoris generalis, ad nos per illorum capitulum generale superiori anno celebratum, ut ex litteris nobis exhibitis constat, destinatorum accepimus, praedicta monasteria sancti Petri Mutinensis, ac ipsius sancti Petri Regiensis eidem provinciae Lombardiae, quam Hetruriae viciniora esse, idque illorum abbatibus ac conventibus incommodum inferre; et illorum regularibus institutis magis consonum esse, ut professi monasteriorum dictorum Ordinis et Congregationis, qui non sunt oriundi civitatum vel locorum aut provinciarum in quibus professionem emiserunt, omnibus illorum dignitatibus et officiis priventur[1]; abbates vero et alii praelati dictae provinciae Siculae a regimine ipsius monasterii sancti Pauli, ac officio procuratoris generalis dictorum Ordinis et Congregationis, cum de eis in praedictis litteris ad haec nulla mentio facta fuerit, in eorum damnum et praeiudicium excludantur.

Mutatio duorum monasteriorum provinciae Hetruriae.

§ 37. Nos igitur in supremo dignitatis culmine, divinà disponente clementià, constituti, in his remedium provisionis nostrae adhibere cupientes, dictarum litterarum veriores et totos tenores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio et ex certà nostrà scientià, ac de apostolicae potestatis plenitudine, sancti Petri Mutinensis ac eiusdem sancti Petri Regiensis monasteria huiusmodi, illorumque abbates, priores, conventus ac alias illorum personas nunc et pro tempore existentes, ab eàdem provincià Hetruriae perpetuo disiungimus et separamus, illaque et illos praedictae provinciae Lombardiae etiam perpetuo subiicimus et supponimus.

Professi usquemodo in mo-

§ 38. Quodque de caetero perpetuis

1 Heic vel aliqua desunt, ex. g. *et quod*; vel legendum: *abbates vero et alios praelatos... excludi* (R. T.).

nasteriis ex quibus non sunt oriundi, omnibus gaudeant privilegiis, quibus ipsi oriundi perfruuntur.

futuris temporibus illi, qui in monasteriis dictorum Ordinis et Congregationis civitatum et locorum, ex quibus non sunt oriundi, ad praesens professi existunt, non autem qui de caetero ad ipsorum Ordinis et Congregationis habitus susceptionem, ac professionem regularem admitterentur, omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, favoribus, antelationibus, praerogativis, aliisque gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus oriundi civitatum, locorum et provinciarum huiusmodi utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pariter et pariformiter, ac aeque principaliter in omnibus et per omnia; perinde ac si ex eis oriundi essent, utantur, potiantur et gaudeant, ac nihilominus oriundi caeteris paribus professis, in assequutione dignitatum, ac officiorum huiusmodi praeferantur[1];

Siculi ad abbatiam sancti Pauli concurrant.

§ 39. Quodque abbates et priores dictae provinciae Siculae unà cum abbatibus et prioribus Romanae, Neapolitanae et Hetruriae provinciarum praedictarum ad regimen dicti monasterii sancti Pauli et officium procuratoris generalis huiusmodi concurrant, ac ad illa et eorum alterum ad instar abbatum et aliorum priorum aliarum provinciarum praedictarum eligi possint et valeant;

Praelatorum numerus designatur.

§ 40. Ac (pro pace inter regulares personas dictorum Ordinis et Congregationis conservandà illorumque augmento) quod in singulis eorum monasteriis pro quolibet decimotertio numero monachorum professorum unus graduatus, nempe unus abbas vel procurator generalis aut cancellarius praesidis, sive unus prior pro qualitate et capacitate professorum singulorum respective monasteriorum, et pro quinque monachis professis unus decanus, computatis cellerariis ac novitiorum magistris, confessoribus monialium ac rectoribus aliisque officialibus, ita tamen quod ipsi decani numerum tercentum non èxcedant, assignentur.

Decanorum approbatio quae sit.

§ 41. Ad officium tamen decanorum, quoad sufficientiam litterarum, illi dumtaxat monachi assumantur, qui vel per examinatores ab Ordinariis locorum pro tempore deputatos, seu per dictos visitatores, vel alios ab ipsis visitatoribus vel definitoribus subrogatos, ad confessiones christifidelium audiendas examinati cum effectu per patentes litteras in formà probanti visitatoribus tradendas, et ab ipsismet visitatoribus an favore vel merito illas impetraverint examinandas, et definitoribus capituli generalis praesentandas tamquam idonei approbati fuerint; quo vero ad integritatem vitae et morum probitatem, pro potiori cautelà et securitate, exactissimam inquisitionem faciant visitatores, examinando tam abbates et[1] priores, quam caeteros monachos cum omni diligentià, ac puram et meram veritatem repertam definitoribus in scriptis medio eorum iuramento deferant;

Observantia constitutionum approbatarum a Gregorio XIII.

§ 42. Praeterea quod constitutiones dictorum Ordinis et Congregationis per fe. licis recordationis Gregorium Papam XIII, praedecessorem nostrum, approbatae et confirmatae, in omnibus et per omnia, sub poenis a definitoribus statuendis ac praefigendis pro singulis transgressionibus praefatarum constitutionum ipso facto incurrendis, dummodo per alias constitutiones apostolicas revocatae non sint, inviolabiliter observentur;

Horae canonicae in choro recitentur.

§ 43. In monasteriis dictorum Ordinis et Congregationis, etiam in quibus licet[2] tantum decem pro conventu monachi

1 Subintellige *statuimus et ordinamus*, quae verba leguntur in § 50, nam eo usque oratio manet suspensa (R. T.).

1 Particulam *et* nos addimus (R. T.).
2 Vox *licet* superflua videtur (R. T.).

existant, horae canonicae, tam diurnae quam nocturnae in choro psallendo singulis diebus recitentur;

Culpae monachorum semel in hebdomada audiantur.

§ 44. Culpae monachorum in capitulo semel in qualibet hebdomadâ ad minus audiantur;

Lectio casuum conscientiae habeatur.

§ 45. Missaeque decantentur et lectio casuum conscientiae saltem bis in unaquaque hebdomadâ habeatur, ac disciplina monastica, prout in aliis monasteriis servatur, etiam servetur;

Lectioque in refectorio.

§ 46. In refectorio lectio assidua audiatur;

Carnes non edantur, nisi iuxta bullam Gregorii XIII.

§ 47. Carnes vero in illis monasteriis ac temporibus tantum in constitutionibus praedictis praescriptis, et per dictum Gregorium praedecessorem approbatis, et extra tamen illorum refectoria edantur;

Contravenientium poenae.

§ 48. Praemissaque omnia non observantes, tam superiores quam inferiores, voce activâ et passivâ ad arbitrium dictorum omnium definitorum seu regiminis ipso facto privati existant;

Decreta Congregationis quando ligent.

§ 49. Quodque decreta facta, et non impressa, ac imposterum facienda pro bono regimine dictorum Ordinis et Congregationis in illorum capitulis generalibus, per vota secreta a maiori parte illorum praelatorum approbentur, et, ad effectum ut omnes ad eorum observationem sub poenâ praecepti teneantur et obligati existant, a Sede praedictâ confirmari et approbari debeant;

Observantia praedictorum demandatur.

§ 50. In reliquis vero omnia et singula in praedictis nostris litteris contenta in omnibus et per omnia iuxta illorum tenorem observentur, nec illorum declaratio, moderatio aliqua in parte vel in totum, seu revocatio, quovis quaesito colore vel ingenio, nisi de consilio et consensu omnium dictorum Ordinis et Congregationis praelatorum, etiam sub privationis dignitatum et officiorum, quas et quae pro tempore obtinuerint, ac inhabilitatis ad illas obtinendum eo ipso incurrendâ poenâ, nullo umquam tempore intentari vel impetrari possint, itidem perpetuo statuimus et ordinamus; ac ita ab omnibus et singulis, quos concernunt et concernent quomodolibet in futurum, sub poenis praefatis inviolabiliter observari debere volumus et mandamus.

Additio clausularum praeservativarum.

§ 51. Praesentes vero nostras litteras de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, ac intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, seu impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi, vel retractari, seu invalidari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam vocari, aut adversus eas quodcumque iuris et facti, vel iustitiae aut gratiae remedium intentari, impetrari vel concedi nullatenus umquam posse, sed eas ab omnibus et singulis, quos concernunt et concernent quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari debere, sicque ab omnibus et singulis censeri, et ita per quoscumque iudices tam ordinarios quam delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii nostri Apostolici auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi ac interpretandi facultate et auctoritate), iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum deputatio.

§ 52. Quocirca dilectis filiis praedictorum Ordinis et Congregationis protectori nunc et pro tempore existenti, necnon Curiae causarum Camerae nostrae Apostolicae generali auditori nunc et pro tempore existentibus per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes nostras litteras ac in eis contenta quaecumque, ubi et quando ac toties quoties opus fuerit, ac pro parte nunc et pro tempore existentium dictorum Ordinis et Congregationis

fratrum, aut alius[1] eorum nomine et Congregationis requisiti fuerint, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant eas et ea auctoritate nostrâ ab omnibus inviolabiliter observari, ac omnes dictorum Ordinis et Congregationis praelatos, monachos ac alias illorum personas eis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper quomodolibet molestari vel perturbari; contradictores quoslibet et rebelles per quasvis ecclesiasticas sententias, censuras, etiam pecuniarias poenas eorum arbitrio imponendas, moderandas et applicandas, caeteraque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio.

Derogatio contrariorum.

§ 53. Non obstantibus praemissis ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ et concilii generalis de duabus dietis, dummodo quis vigore praesentium extra suam civitatem et dioecesim ultra tres dietas ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, dictorum Ordinis et Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis, stabilimentis, usibus et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XXI martii MDCVIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 21 martii 1608, pontif. an. III.

1 Sic. edit. Main.; at legend. forsan *alicuius* (R. T.).

LXXII.

Mandatum episcopo civitatis Plebis capiendi possessionem nomine Sedis et Camerae Apostolicae castri Campi Orseoli post mortem Scipionis Piccolominei[1].

Venerabili fratri
Fabritio episcopo civitatis Plebis
Paulus Papa V.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Castrum Campi Orseoli, Piccolomineis in feudum masculinum ab Apostolica Sede concessum.

§ 1. Cum, sicut accepimus, dilectus filius Scipio Piccolomineus graviter aegrotet, et, si quid humanitus illi contingat, nullum filium legitimum et naturalem relicturus sit, et castrum Campi Orseoli, civitatis Plebis dioecesis, ab illo detentum, quod ab Apostolicâ Sede eius antecessoribus in feudum concessum fuit, prout in investituris plenius continetur, quas praesentibus haberi volumus pro expressis, ob lineam finitam, seu ob alias etiam causas, unâ cum omnibus eius territoriis, membris et pertinentiis ac iuribus universis, ad nos et eamdem Sedem et Cameram nostram legitime devolvendum, seu devolutum sit;

Mandatum de quo in rubrica.

§ 2. Nos, tuâ fide et diligentiâ freti, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut, si contingat dictum Scipionem suum[2] diem obire, statim, nullo alio a nobis expectato mandato, dicti castri eiusque iurium et pertinentiarum quorumcumque corporalem, realem et actualem possessionem, nostro ac Sedis et Camerae praedictarum nominibus, apprehendas et retineas, donec aliud a nobis habueris in mandatis.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.
2 Forsan legendum *supremum* (R. T.).

Derogatio contrariorum.

§ 3. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XXIV aprilis MDCVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 24 aprilis 1607, pontif. an. II.

LXXIII.

Confirmatio privilegiorum hospitali tercentorum caecorum Parisiis erecto a Summis Pontificibus concessorum[1].

Paulus Papa V
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Inter caetera christianae pietatis officia illud magnopere placere Domino nostro Iesu Christo certum est, quod circa pauperum miserabilium, quales profecto sunt pauperes oculorum lumine orbati, subventionem et alimoniam versatur. Proinde nos illius vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, et eius divino eloquio edocti, qui tantopere pauperes commendat, ea quae pro eorumdem pauperum caecorum sustentatione ex Apostolicae Sedis benignitate ac piorum regum et principum munificentiâ liberaliter concessâ et approbatâ reperiuntur, ut perpetuo firmiora subsistant, apostolicae firmitatis robore libenter communimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Erectio huius hospitalis recensetur.

§ 1. Aliàs siquidem, prout accepimus, tam carissimi in Christo filii nostri Henrici Francorum regis christianissimi, quam tunc existentium syndicorum, gubernatorum et administratorum hospitalis trecentorum pauperum caecorum sancti Remigii Parisiensis nominibus, felicis recordationis Clementi Papae VIII, praedecessori nostro, exposito[2]: Quod olim, cum sanctus Ludovicus eorumdem Francorum rex, tunc in humanis agens, magnâ militum et armigerorum multitudine comitante, ad partes infidelium, ut ab eorùm manibus Terramsanctam eriperet, se transtulisset, ipsique infideles trecentis ex ipsis militibus captivis oculos eruissent, dictus Ludovicus rex, in suum regnum Franciae reversus, ad praemissorum perpetuam habitationem in civitate Parisiensi hospitale praedictum fundaverat et instituerat, ac huiusmodi trecentis pauperibus caecis in eodem hospitali pro tempore degentibus signum lilii in pectore deferendi, necnon pro eorum vitae subsidiis per dictum regnum perquirendis nuntios et quaestores deputandi licentiam concesserat, archiepiscopis quoque, episcopis et aliis praelatis eiusdem regni, ut nuntios et quaestores huiusmodi admitterent, apostolicâ auctoritate mandari obtinuerat, ipsumque hospitale pluribus privilegiis, gratiis et immunitatibus et libertatibus per Sedem Apostolicam approbatis insigniri curaverat; sed morte praeventus illud, prout decebat, dotare non potuerat: Postmodum vero felicis recordationis Sixtus Papa IV, praedecessor noster[1] (ut pauperes, in eodem sancti Remigii ac illi unitis Sancti Spiritus prope civitatem Rothomagensem et sancti Michaëlis hospitalibus degentes, fidelium eleemosynis amplius adiuvarentur) magistris, administratoribus, servitoribus, ac aliis personis pro tempore existentibus[2], tam sancti Remigii quam illi unitorum hospitalium praedictorum, illorum fructus, redditus, proventus, eleemosynas, quaestus et oblationes pro ipsis hospitalibus, eorumque servitoribus, pauperibus et ministris elargiendas, reci-

Concessaque et privilegia a Sixto Papae IV.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Tota sequens expositio desumpta est fere ad verbum ex Constit. CCV Clementis VIII quam habes in tom. X pag. 499 et seq. (R. T.).

1 Acta quae heic et postea citantur Sixti IV, Alexandri VI, Iulii II, Leonis X et Clementis VII in *Bull.* ne requiras (R. T.).

2 Erronee, ut puto, edit. Main. habet *exercentibus* (R. T.).

piendi, illasque, secundum Deum et eorum conscientias, in usus et utilitatem eorumdem hospitalium convertendi, necnon in ecclesiis, monasteriis et locis regni Franciae ac illi adiacentium civitatum et oppidorum, ad quae dicti quaestores nomine hospitalium et pauperum praedictorum admitterentur, receptores et capsas pro eleemosynis recipiendis et conservandis deputandi, ac circa ea, quae in utilitatem, commodum et conservationem hospitalium et pauperum praedictorum cederent, statuendi et ordinandi, necnon, super eleemosynis colligendis, indulgentiisque et gratiis dictis hospitalibus, concessis publicandis et acquirendis, cum locorum Ordinariis, prout utilitati et necessitatibus hospitalium et pauperum praedictorum expediens foret, conveniendi et concordandi, facultatem etiam concesserat; ac tam dictus Sixtus quam alii Pontifices Romani praedecessores sui, et dictae Sedis legati, necnon Francorum reges et aliae personae, quamplurima alia privilegia, indulta, indulgentias, libertates, concessiones et gratias eisdem hospitalibus, communiter vel divisim, auctoritate praedictà similiter concesserant. Insuper piae memoriae Iulius Papa II etiam [1] praedecessor noster tunc cardinalatus honore fungens et episcopus Sabinensis, ac in partibus illis praedictae Sedis legatus, sufficienti ad id, ut asserebat, facultate per litteras dictae Sedis suffultus, illius vigore, inter alia, confratribus, benefactoribus, servientibus et personis eorumdem hospitalium et ad illa certis temporibus confluentibus, ut servitiorum, missarum, orationum et suffragiorum in ecclesiis, monasteriis, prioratibus et locis infra limites suae legationis consistentibus faciendorum et celebrandorum participes effici mererentur, eàdem auctoritate etiam perpetuo concesserat. Et deinde recolendae

A Iulio II.

1 Erronee edit. Main. legit *etiamsi* (R. T.).

memoriae Alexander Papa VI, similiter praedecessor noster, inter alia voluerat et decreverat quod dictorum hospitalium magistri, administratores, nuncii, confratres, servitores, benefactores et personae utriusque sexus, eorumque parentes vivi et defuncti, de missis et aliis piis suffragiis totius Ecclesiae militantis participes efficerentur, ipsique magistri, administratores et confratres, ac ab iis pro tempore deputati quaestores et receptores, bis in quolibet anno in singulis ecclesiis aliisque locis dicti regni et provinciae in illi adiacentium capsas seu truncos, a primis vesperis diei praecedentis usque ad ad occasum solis diei sequentis permanentes, in quibus fidelium eleemosynae pro subventione pauperum et aliis necessitatibus hospitalium praedictorum reponerentur et conservarentur, deputare possent; quodque singuli ex magistris, administratoribus, confratribus, nunciis et servitoribus huiusmodi, unam vel duas ecclesiam vel ecclesias illarum partium, in quibus constituti forent, visitando et in unàquaque ecclesià septies *Orationem Dominicam* et toties *Salutationem Angelicam* devote dicendo, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones consequerentur et quilibet eorum consequi posset, quas consequerentur et consequi possent, si quadragesimalibus et aliis anni temporibus illas, quae pro Stationibus deputatae existebant, ecclesias in Urbe et extra eam personaliter visitarent; quodque infirmi, senes, valetudinarii et impotentes simili indulgentià potirentur, dictà auctoritate concessit et indulsit, districtius inhibendo universis et singulis locorum Ordinariis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, capitulis, conventibus ac aliis praelatis et personis ecclesiasticis, tam saecularibus quacumque etiam dictà apostolicà auctoritate fungentibus, quam Ordinum quorumcumque etiam Mendican-

Ab Alexandro VI.

tium regularibus [1], exemptis et non exemptis, sub excommunicationis latae sententiae poenâ, quam [2] inobedientes ab episcopis inferiores incurrere volebat, ne ex tunc deinceps magistros, administratores, confratres, nuncios, receptores aut servitores dictorum hospitalium, vel ab eis deputatos seu deputandos pro tempore, super deputatione capsarum seu truncorum huiusmodi, aut aliàs contra formam facultatum desuper a dictâ Sede concessarum molestare seu perturbare praesumerent: Praeterea [3] idem Iulius praedecessor noster singulas suas, dum legationis officio fungeretur, ac Sixti et Alexandri praedecessorum praedictorum litteras, facultates et concessiones, omniaque et singula in eis contenta, necnon inde sequuta quaecumque, auctoritate praedictâ, ex certâ scientiâ approbaverat et confirmaverat, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, suppleverat, illaque omnia et singula, prout per ipsum Iulium tunc legatum, ac praedictos Sixtum et Alexandrum praedecessores concessa fuerant, de novo concesserat: Et successive similis memoriae Leo X et Clemens VII, etiam Romani Pontifices praedecessores, omnia et singula privilegia, indulta, libertates, immunitates, indulgentias, remissiones et gratias a Sixto IV, Alexandro VI, Iulio II aliisque Romanis Pontificibus praedecessoribus suis dicto hospitali sancti Remigii, illiusque magistris, administratoribus, confratribus, servitoribus, nunciis et benefactoribus, necnon libertates et exemptiones saecularium exactionum a regibus et principibus aliisque christifidelibus concessa eâdem Apostolicâ auctoritate pariter perpetuo approbaverat et confirmaverat [1], prout in singulis praedecessorum et Iulii legati praedictorum litteris desuper confectis plenius continebatur: Et in eâdem expositione subiuncto temporum malignitate, et vigentibus multorum annorum serie in universâ Galliâ bellorum tempestatibus, effectum fuisse ut christiana charitas admodum neglecta, ac numerus caecorum et pauperum in dicto hospitali sancti Remigii auctus esset, ac exinde tam pium opus a praedicto sancto Ludovico rege charitatis affectu institutum facile deperire posset, nisi piorum fidelium eleemosynis adiutum foret; huiusmodi vero auxilium parum proficuum et utile evasurum, nisi ad eleemosynarum collectas personae particulares per totum regnum praedictum deputarentur: Quapropter dictus Clemens praedecessor supplicationibus, eisdem nominibus sibi humiliter porrectis, eà in parte inclinatus, omnia et singula privilegia, indulta, libertates, immunitates, indulgentias, remissiones, concessiones et gratias ab eisdem Sixto IV, Alexandro VI, Clemente VII aliisque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris hospitali sancti Remigii, illiusque magistris, administratoribus, confratribus, servitoribus, nunciis et benefactoribus praedictis, communiter vel specialiter, necnon libertates et exemptiones saecularium exactionum a regibus et principibus aliisque christifidelibus concessa et elargita (dummodo, quoad tunc non expressa, illa essent in usu ac licita et honesta, sacrisque canonibus et dicti Concilii Tridentini decretis minime contraria), necnon quoad facultatem habendi capsas seu truncos bis

A Leone X et Clemente VII.

A Clemente VIII.

1 Edit. Main. legit *saecularibus*; erronee, ut quisque videt (R. T.).

2 Edit. Main. legit *quas* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *propterea*; at vero legendum esse *praeterea* ex loco parallelo cit. Clementis VIII Constitutionis certo constat (R. T.).

1 Videretur legendum *approbaverant et confirmaverant*, nam praecessit *Leo X et Clemens VII etiam Romani Pontifices praedecessores* (R. T.).

quolibet anno in singulis dicti regni ecclesiis, quatenus etiam esset in usu, apostolicâ auctoritate perpetuo approbavit et confirmavit, ac illis plenariae et inviolabis firmitatis robur adiecit, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenissent in eisdem, supplevit; et nihilominus tunc et pro tempore existentibus syndicis, gubernatoribus et administratoribus hospitalis sancti Remigii huiusmodi, ut de caetero perpetuis futuris temporibus (petitâ et obtentâ in primis, annis singulis, a locorum Ordinariis in scriptis licentiâ, quam ipsi Ordinarii omnino gratis dare deberent) eleemosynas et quaecumque charitatis subsidia, per personas honestae vitae ad id ab ipsis syndicis, gubernatoribus et administratoribus pro tempore deputatas[1], ad usum dicti hospitalis sancti Remigii illiusque pauperum, in universo regno praedicto ac singulis eius provinciis, civitatibus, terris, burgis, villis et locis perquiri et colligi facere, illasque et illa recipere et levare libere et licite valerent (ita tamen ut huiusmodi eleemosynae in dicti hospitalis usum, ac illius pauperum necessitates sublevandas dumtaxat converterentur), auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo concessit et indulsit: decernens syndicos, gubernatores et administratores praedictos, ac ab eis ad receptionem eleemosinarum huiusmodi deputatas personas per locorum Ordinarios seu eorum vicarios in spiritualibus generales aut officiales, necnon fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe, et Cruciatae Sanctae, ac Ordinis beatae Mariae Redemptionis Captivorum deputatos, vel quoscumque alios quavis auctoritate fungentes, molestari, perturbari vel inquietari non posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos aut commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate), iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari: prout in ipsius Clementis VIII litteris, sub datum nonis maii pontificatus sui anno VIII, plenius continetur[1].

Praedicta privilegia confirmari petit Henricus IV rex.

§ 2. Cum autem, quae saepius apostolicae confirmationis robore muniuntur, validiorem obtineant firmitatem, ac propterea (sicut nobis nuper dictus Henricus rex, tam suo quam dilectorum filiorum modernorum syndicorum, gubernatorum et administratorum dicti hospitalis nominibus exponi fecit) ipsi cupiant praemissis nostrae quoque apostolicae confirmationis robur accedere; nobisque[2] nominibus supradictis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur;

Confirmat Paulus.

§ 3. Nos igitur pro[3] eiusdem Henrici regis desiderio benigne annuentes, ac dicti hospitalis commodis, quantum cum Domino possumus, consulere, dictosque illius syndicos, gubernatores et administratores, qui ut accepimus, ex primariis civibus civitatis et parlamenti Parisiensis existunt, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat con-

1 Erronee et contra syntaxim edit. Main. legit *deputatis* (R. T.).

1 Vide Constit. supra citatam (R. T.).

2 Aptius legeretur *nobis* aut postea legendum *supplicatum fuerit* (R. T.).

3 Vix dubitare possum quin legendum sit *pro eiusdem Henrici regis desiderio* (R. T.).

sequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, nec non singularum litterarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, indulta, libertates, immunitates, indulgentias, remissiones, concessiones et gratias ab eisdem Sixto IV, Alexandro VI, Clemente VII et VIII, aliisque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, eidem hospitali sancti Remigii illiusque magistris, administratoribus, confratribus, servitoribus, nunciis et benefactoribus praedictis, communiter vel specialiter, nec non libertates et exemptiones saecularium exactionum a regibus et principibus aliisque christifidelibus concessa et elargita (dummodo, quoad praesentibus non expressa, illa sint in usu ac licita et honesta, sacrisque canonibus et dicti Concilii Tridentini decretis minime contraria), nec non quoad facultatem habendi nuncios[1] bis quolibet anno in singulis dicti regni ecclesiis, quatenus etiam sit in usu, apostolicâ auctoritate perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis plenariae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus.

Exequutores designat.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis Remensi et Rothomagensi ac episcopo Parisiensi per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Henrici regis, necnon pro tempore existentium syndicorum, gubernatorum et administratorum praedictorum, vel alicuius eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant autoritate nostrâ praesentes litteras, et in eis contenta huiusmodi, ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; ac syndicos, gubernatores et administratores praedictos, omnesque alios, quos praesentes ipsae concernunt et concernent in futurum, illis pacifice frui et gaudere, non permittentes ipsos vel eorum quempiam per quoscumque desuper contra earumdem praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantia tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis et sanctae memoriae Bonificii Papae VIII itidem praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis, necnon in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus, ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Leges a quaestoribus eleemosynarum servandas praescribit.

§ 6. Volumus autem, ac per easdem praesentes decernimus, prout dictus Clemens VIII praedecessor in suis litteris praedictis voluit etiam et decrevit, quod personae ad collectionem eleemosynarum huiusmodi pro tempore deputatae eo munere sine dolo et modeste fungantur; quaestorum nomen non gerant, nullas indulgentias divulgent nec per se vel alium praedicent, privilegia sua non ostentent, reliquias, cartas, imagines, aliave

[1] Non temeraria coniectura erit legendum esse *truncos* non *nuncios*: vide locum parallelum paulo ante pag. 402 lin. ult. (R. T.).

similia ad christifideles excitandos, aut ulla instrumenta, quorumdam quaestorum insignia non circumferant, minas et imprecationes ad extorquendas pecunias aut alia bona non intentent, nihil quasi debitum et consuetum petant, nullâ arte utantur, sed simpliciter, pie et modeste pro subventione dicti hospitalis petendo, id quod sponte offertur tantum accipiant, nullamque super dictis eleemosynis quovis nomine conventionem etiam in dicti hospitalis utilitatem faciant; Ordinarii autem locorum pro praemissorum praecisâ observatione non solum ex aliorum delatione, sed ex suo etiam officio inquirant, si qua[1] fraus ab ipsis collectoribus praesertim adversus leges eis praescriptas committatur: quos si reos vere repererint pro modo culpae arbitrio suo puniant, eosdemque statim a collectione eleemosynarum huiusmodi amoveant, ac alios qui boni et idonei sint ab eisdem superioribus curent sufficiendos;

Praesentiumque transumptis credi iubet.

§ 7. Quodque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo munitis, eadem prorsus ubique in iudicio et extra fides adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die XXX aprilis MDCVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 aprilis 1607, pontif. an. II.

LXXIV.

Prohibet quominus ecclesiastici in partibus Indiarum Occidentalium degentes quodvis illicitae negociationis genus exerceant[2].

1 Edit. Main. legit *si quae fraus* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Ecclesiastici in Indiis occidentalibus negociationes exercebant;

§ 1. Cum, sicut accepimus, nec sine animi nostri molestiâ, in Indiarum Occidentalium partibus inoleverit abusus, seu potius corruptela, ut clerici, etiam in sacris et presbyteratus ordinibus constituti, ac etiam ecclesiarum parochialium rectores, aliaeque personae ecclesiasticae partim sub praetextu, quod redditus sufficientes ad eorum congruam sustentationem non habeant, partim aliis frivolis causis, sed potius avaritiâ, quae omnium malorum radix existit, adducti, diversis illicitae negociationis generibus se se involvant, in ecclesiastici Ordinis dedecus eorumque animarum perniciem et scandalum plurimorum; et, licet provincialibus et synodalibus constitutionibus sub excommunicationis et aliarum censurarum ecclesiasticarum poenis ipso facto incurrendis vetitum fuerit clericis et presbyteris, ne decimarum arrendationes, mercaturas, agriculturas, locationes animalium aut alias quascumque similes vel dissimiles negociationes facere auderent, nihilominus aliqui a similibus negociationibus non abstinuerint nec abstineant, quinimo censuris huiusmodi alligati in eorum ordinibus, etiam sacris et presbyteratus, et etiam in altaris ministerio ministrare, curamque animarum exercere, et in ministrandis eorum parochialibus ecclesiasticis sacramentis continuare non destiterint nec desistant, indeque peccata peccatis cumulent, scelera sceleribus addant, gravioribusque in dies censuris se se implicent, irregularitatisque notam contraxerint et contrahant;

Quamvis id eis vetitum tunc esset legibus synodalibus sub poenâ excommunicationis.

Pontifex id vetat sub poenis clericis negociatoribus a sacris canonibus inflictis.

§ 2. Nos talem abusum e medio tollere, et ecclesiasticas personas praedictas ab eorum erroribus ad rectam ecclesiasticae disciplinae normam, quantum cum Domino possumus, revocare, ac, ne alios

christifideles ad aeternam perditionem secum trahant, opportune providere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, detestabilem hunc abusum improbantes, ecclesiasticis quibuscumque personis, et praesertim sacerdotibus, ne quodvis illicitae negociationis genus quovis praetextu, causâ et occasione exercere audeant vel praesumant, sub poenis a sacris canonibus et apostolicis constitutionibus contra illicitos negotiatores inflictis, per eos ipso facto incurrendis, expresse interdicimus et prohibemus, et contra eosdem illicitos negotiatores in posterum per easdem poenas (excommunicationis tamen poenam contra sacerdotes earumdem partium per quascumque provinciales aut synodales constitutiones, praesertim in synodo Limensi editas[1], quomodolibet impositam et inflictam, ex nunc auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo abrogantes, tollentes et annullantes) cum omni rigore et severitate procedi volumus, statuimus et ordinamus.

Censuram excommunicationis contra presbyteros a constitutionibus synodalibus comminatam tollit.

Derogat obstantibus.

§ 3. Non obstantibus praemissis ac quibusvis apostolocis, nec non in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quarumcumque ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium que transumptis credi iubet.

§ 4. Verum quia difficile foret praesentes litteras ad singula loca ad quae opus esset deferre, volumus, ut earum transumptis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae ipsismet praesentibus originalibus haberetur.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die VII maii MDCVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 7 maii 1607, pontif. an. II.

1 Inepte edit. Main. hic repetit vocem *poenam* (R. T.).

LXXV.

Confirmatio donationis cuiusdam annui redditus in perpetuum hospitali sancti Ioannis Hierosolymitani factae per quondam Stephanum de Claramont, baiulivum Caspis, pro constructione triremium, qui eiusdem hospitalis militibus serviant[1].

Paulus Papa V,
Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Quae ad Religiosorum, et praesertim hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, ex quo tot tantaque in dies commoda in universam christianam rempublicam proveniunt, utilitatem cedere noscuntur, ea nostrae confirmationis apostolicae robore libenter communimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Stephanus Claramont nonnullos redditus assignat pro triremium constructione.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, aliàs quondam Stephanus Claramontes baiulivus Caspis dicti hospitalis, pro eius erga praedictum hospitale voluntate, et illius utilitati et commodo consulens, post alterius redditus ab eo pridem factam infrascriptâ de causâ assignationem, a felicis recordationis Clemente Papa VIII nostro praedecessore confirmatam, alium redditum annuum perpetuum pro fabricandis triremibus pro servitio eiusdem hospitalis instituerit et fundaverit, quae quidem institutio et fundatio in capitulo

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

generali dicti hospitalis novissime celebrato confirmata fuit, prout in instrumento et bulla magistrali, desuper expeditis, plenius dicitur contineri, huiusmodi sub tenore, videlicet:

Haec autem assignatio in capitulo generali confirmatur.

§ 2. Frater Alophius de Wignacourt, Dei gratià sacrae domus hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani magister humilis, pauperumque Iesu Christi custos, universis et singulis praesentes nostras litteras visuris, lecturis et audituris, salutem. Notum facimus, et in verbo veritatis attestamur, qualiter infrascripta bulla cum instrumentis et articulis in eà insertis et contentis extracta fuit ex libro seu registro capituli generalis nostrae cancellariae de anno millesimo sexcentesimo tertio ab Incarnatione, in quo similes bullae notari et registrari solent, (quam quidem bullam in hanc publicam formam extrahi et redigi iussimus, ut ubique, tam in iudicio quam extra, eidem plena et indubitata fides adhibeatur), cuius tenor est qui sequitur, videlicet: Frater Alophius de Wignacourt Dei gratià sacrae domus hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani magister humilis, pauperumque Iesu Christi custos, et nos baiulivi, priores, commendatarii et fratres capitulum generale in Domino celebrantes, universis et singulis praesentes nostras litteras et capitulares bullas visuris, lecturis et audituris, salutem in Domino sempiternam. Datio Dei permanet iustis, et profictus illius successus habebit in aeternum; Deus enim est qui operatur in nobis et velle et perficere pro bonà voluntate. Quoniam ergo ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia, ipsi in primis sit omnis honor, gloria et gratiarum actio. Deinde, cum divina eius maiestas et infinita bonitas in nobis etiam hominibus dona suae largitatis iugiter coronare non dedignetur, nos, sacrae paginae saluberrimis eloquiis et exemplis edocti, per iustitiae distributivae debitum, venerandum religiosum nostrum in Christo percharissimum fratrem Stephanum Claramont, baiulivatus nostri Caspis regni Aragoniae baiulivum, qui, Deo inspirante et in eo operante, infrascriptum egregium facinus auxit et perfecit, summis et perpetuis laudibus et grati animi nostri omni recognitione in praesenti nostro generali capitulo uno omnium ore et concordibus votis dignum et benemeritum diiudicavimus. Pateat igitur vobis universis et singulis, qualiter hodie pro parte et nomine ipsius venerandi baiulivi Caspis, fratris Stephani Claramont, coram nobis comparuit eius procurator, religiosus in Christo nobis charissimus frater Ferdinandus Ruyz de Prado commendae nostrae Templi de Guesca Castellaniae Empostae commendatarius, huic nostro sacro generali capitulo pro ipso venerando baiulivo interveniens et incorporatus, mandatum procuratorium et petitionem exhibuit et praesentavit, quorum tenores sunt qui sequuntur.

In Dei nomine. Amen. Sea manifiesto à todos, que yo fray don Estevan Claramont baylio de la villa de Caspe y comendador de las encomiendas de Calatayud y S. Per, domiciliado en la dicha villa de Caspe, de grado y de mi çierta sciençia, no revocando los otros procuradores mios por mi antes de a ora hechos, constituydos, creados y ordenados, a ora de nuebo hago, constituyo, creo y ordeno çiertos, especiales, y a las cosas infraescriptas generales procuradores mios, asi y en tal manera, que la generalidad a la especialidad no derogue, ni por el contrario, assaber a los muy illustrissimo fray don Bernardo de Ezpeleta, prior de Nabarra; fray Luperçio de Arbizo, comendador de Horta; fray Hernando Ruyz de Prado, comendador del Temple de Guesca; fray Hieronymo Me-

dina caballero de la castellania de Amposta; y fray Pedro Amatriayn, caballero del priorado de Nabarra, residentes en la ciudad de Malta, absentes bien asi como si fuesen presentes, a todos juntamente y a cadauno de los porsi, en tal manera que non sea meyor la condiçion de los presentes que de los absentes, antes bien lo que por el uno dellos serà comenzado por el otro o otros dellos pueda ser mediado, finido, y terminado. Especialmente y expressa para que por mi y en nombre mio puedan los dichos mis procuradores y qual quiera dellos por si comparezer, y comparezcan ante la presençia dell'illustrissimo y reverendissimo monseñor gran maestre de la sacra Orden y Religion del hospital del señor S. Juan de Hierusalem, y suplicar a su señoria illustrissima como superior mio, me de y conceda liçençia, facultad especial, y expresso consentimiento, y libre decreto para poder hazer la donaçion y çession infraescripta, y en al presente poder mençionada y obtenida, a quella, puedan los dichos mis procuradores, y qual quiera dellos por si en mi nombre, representando mi propria persona, comparezer, y comparezcan ante la presençia del dicho illustrissimo y reverendissimo monseñor gran maestre de la sacra Orden y Religion del hospital del señor S. Juan de Hierusalem, y en el sacro capitulo general de aquella, proximamente çelebradero, y presentar, dar, y hazer libre donaçion alla sobredicha Religion y sacro Orden Hierosolymitano y a su señoria illustrissima y a dicho sacro capitulo general en nombre de la dicha Orden y Religion, son a saber los çensales infrascriptos y siguientes. Y primieramente dieziseys mill sueldos dineros jaqueses çensales, y de añua pension, con treçientos çinquenta y dos mill sueldos jaqueses de propriedad y suerte principal q'estan cargados en ocho çensales *ad formam Bullae,* los quales los iurados, consejo y universidad, y singulares personas, vezinos y habitadores de la dicha villa de Caspe, con çegil universal y singularmente vendieron, y originalmente cargaron, y imposaron en fabor mio sobre todos los bienes y rentas de la dicha villa, y de los singulares vezinos y habitadores della, que son dichos ocho çensales con dos mill sueldos de pension cadauno, y se pagan, y caen en cada un año por el quinzeno, diez y seyseno, diez y seteno, diez y ocheno, diez y nobeno, veynteno, veynte y uno, y veynte y doseno dias del mes de setiembre, segun de lo sobredicho mas largamente consta, y pareze por ocho instrumentos publicos de dichos çensales, que hechos fueron en la dicha villa de Caspe, a veynte y un dias del mes de setiembre del año, que se conto del Naçimiento de nuestro Señor Iesù Christo mil seys çientos y uno, y por Pedro Figueroa notario real, y vezino de la dicha Villa de Caspe, resçibidos y testificados. *Item* quatro mill sueldos jaqueses çensales y de annua pension, en dos çensales de a dos mill sueldos cada uno dellos, con ochenta y ocho mill sueldos de propriedad y suerte prinçipal, los quales los dichos iurados, consejo, universidad, y singulares personas, vezinos y habitadores de la dicha villa de Caspe, con çegil universal y singularmente vendieron, y originalmente cargaron, y imposaron en fabor mio sobre todos los bienes y rentas de la dicha villa, y de los singulares vezinos y habitadores della, los quales se pagan, y caen en cada un año el trezeno, y catorzeno dias del mes de setiembre, segun de lo sobredicho mas largamente consta, y pareze por dos instrumentos publicos de çensales, que fueron hechos en la dicha villa de Caspe a onçe dias del

mes de agosto del año, que se conta del Naçimiento de nuestro Señor Iesu Christo mil seysçientos y dos, y por el dicho Pedro Figueroa notario real, arriba nombrado, reçipidos y testificados, con todas las pensiones y çensos, que de aquellos, y cada uno dellos han corrido y se deben, correràn y se debràn desde los treze dias del mes de setiembre del año proximo passado, que se conta del Naçimiento de nuestro Señor Iesu Christo mil seysçientos y dos, en adelante *in perpetuum et cunctis temporibus futuris*, con las mesmas condiçiones, pactos y reserbaçiones, y para el mesmo efecto de hacer buchos de galeras para la dicha Religion Hierosolymitana, por orden del señor gran conserbador cabexe de la venerable Lengua de Aragon, Cataluña, y Nabarra, o de su lugartiniente, o de quien su poder tubiere, y no de otra persona alguna, y con las mesmas condiçiones y pactos contenidos y especificados en el acto publico de donaçion, que yo hize a la dicha sacra Religion Hierosolymitana para el mesmo efecto de doze mill escudos de principal cargados *iuxta formam Bullae* sobre las rentas reales del reyno de Siçilia a razon de diez por çiento, al qual acto de donaçion fue hecho en la dicha ciudad de Malta a treze dias del mes de henero del año que se conta de la Encarnaçion del Señor mil quinientos nobenta y ocho, y por fray Iuan Otto Bosio, viçe-cançellier de dicha sacra Religion, reçibido y testificado. Exceptado emperò que las pensiones y çensos, que proçederàn de los dichos diez çensales, y delo que dellos se aumenterà y cargarà de nuebo, se deban depositar en la tabla de depositos de la ciudad de Caragoça del presente reyno de Aragon, y tambien, que siempre y todos las vezes *in perpetuum* q'alguno de los hijos, y deçendientes del señor Alberto Claramunt señor de Artasona domiçiliado en la ciudad de Balbastro, sobrino mio, querràn yr à tomar el abito en grado de fray les caballeros de dicha Religion, luego qu' el señor gran conserbador o su lugartiniente serà avisado d'esta voluntad y deliberaçion, les deba pagar o hacer pagar en poder del reçibidor de la Religion, residente en la dicha ciudad de Caragoça, la suma importante los pasajes qu'al presente y en el tiempo venidero serà acostumbrado, y ordenado pagarse al comun tesoro en grado de fray le caballero a benefiçio de los sobredichos hijos y deçendientes del sobre dicho señor Alberto Claramunt, y que los señores administradores de la dicha tabla de Caragoça los deban pagar por qualquiere orden del dicho señor gran conserbador o su lugartiniente, escribiendoles, que an de serbir para el sobradicho efecto, y el mesmo señor gran conserbador, o su lugartiniente, deba cobrar del reçibidor de Aragon apocas o albaranes del pagamiento de los sobredichos pasajes, y presentarlos al señor conserbador conventual, y hacerlos registrar al comun tesoro, de manera, que llegando en convento los hijos y deçendientes sobredichos hallen ya su pasaje pagado y notado al comun tesoro, porque no resciban preiuyçio de aquellos gentiles hombres, que podràn benir junto con ellos en la reçeption y ançianidad, por falta de no haberse pagado sus pasajes, y se hallen libres y quitos de la obligaçion del sobredicho pasaje, y el reçibidor de Aragon s'entienda en virtud de dichas apocas o albaranes cargado de dichos pasajes en beneficio del comun tesoro, de tal manera, que los hijos y deçendientes sobre dichos perpetuamente por el modo sobredicho, que den y sean francos y libres de pagar algun otro pasaje, y, si por caso lo hubiesen pagado, les deba ser restituydo del comun tesoro,

el qual tenga acçion de hacerselo pagar como arriba se dize, y en falta de lós hijos y deçendientes del sobredicho señor Alberto Claramunt, quiero y entiendo yo dicho constituyente q' en el dicho privilegio de no pagar otro pasaje, si no como arriba se dize, subintren a gozar perpetuamente tambien los hijos y deçendientes de aquel gentil hombre, que perpetuamente sera heredero y successor del lugar de Artasona, que oy el dicho señor Alberto Claramunt tiene y posee por vinclo y vinclado de sus anteçessores, y viniendo aun a faltar los sobredichos, subintren y succedan à gozar el mesmo privilegio de franqueza de pasaje perpetuamente los hijos y deçendientes de aquel gentil hombre, que serà señor y poseedor de la casa grande, que oy posee en la dicha ciudad de Balbastro el dicho señor Alberto Claramunt, como arriba se ha especificado, quedando en elecçion y voluntad de todos los sobredichos, y cada uno dellos, que an de gozar dicho privilegio de franqueza de pasaje, de que dichos sus pasajes se paguen en la tabla de depositos de la dicha ciudad de Caragoça, o en la tabla de depositos de la ciudad de Palermo, donde mas ellos y qualquiere dellos quisieren; y asi mesmo, si por caso, lo que no se debe pensar, occurriese, qu' en la Religion no se guardasen todos o parte de las cosas establezidas y ordenadas en el dicho acto de fundaçion arriba calendado, y en el acto de fundaçion, que los dichos mis procuradores, arriba nombrados, y qualquiere dello por si otorgara o otorgaràn con el presente poder por qualquiere causa o modo, declaro, y quiero desde aora para entonçes, que la presente donaçion sea asi como si no hubiera jamas sido hecha, en el qual caso de la inobserbançia sobredicha, la venerable castellania de Amposta sea *ipso iure et ipso facto* señora y poseedera asi del prinçipal de los dichos quatroçiento y quarenta mill sueldos que son veinte y dos mill escudos dea diez reales, como a un de todos los nuebos, prinçipales y propriedades q' con ellos seràn aumentados, de la manera q' en el sobredicho acto de fundaçion se contigne, y de las pensiones y çensos hasta entonçes caydos, con esto emperò que sin dilaçion deba instituyr, lebantar y hacer una nueba encomienda para cabimiento o mejoramiento de los caballeros de la dicha castellania de todo el sobredicho dinero y prinçipal da smutirse *more solito*, la qual sea nombrada perpetuamente la *Encomienda de Claramunt* en Aragon, y q' el comendador de dicha nueba encomienda, ni otro, no pueda disponer de las dichas suertes principales de dichos çensales en manera alguna ni por qualquiere ocasion, y, en caso de luyçion, dichas suertes prinçipales esten en dicha tabla hasta que el comendador con consejo y voluntad de la mayor parte de los caballeros solos *collegialiter congregati* en la castellania d'Amposta los buelba à fundar en otra parte buena y segura todas las vezes, que suçederà luyrse en el modo y forma sobredicha, y de manera que los commendadores no se tengan otro que la renta del çenso, y sean obligados à pagar los pasajes de los hijos y deçendientes sobredichos, que querràn ser reçibidos por caballeros de la Religion, en la manera y forma qu' arriba se ha especificado, con pagar a un las responsiones y imposiçiones al comun tesoro, segun el curso de las ostras encomiendas de la dicha castellania de Amposta, y con los pactos y condiçiones arriba dichas, y no sin ellas, prometter por mi y en nombre mio, con solemne stipulaçion, inviolablemente y en todo tiempo venidero guardar y tener por firme y valedera la dicha donaçion y fundaçion, y renunçiar a qua-

lesquiere benefiçios, fabores y auxilios de qualesquiere leyes, usos y costumbres, que en contrario sean; queriendo que la dicta donaçion y fundaçion y las cosas en ella contenidas sean validas perpetuamente, y se guarden inviolablemente, y a çerca lo sobredicho puedan prestar en anima mia juramento, conforme al costumbre de dicha religion, y generalmente hacer, deçir, exerçir, y procurar por mi y en nombre mio todas y cada unas otras cosas que a çerca lo sobredicho y en a quello fueran neçessarias, y que yo haria, y hacer podria siendo presente, aunque sean tales, que requieran poder mas espeçial, prometo tener por firme, agradable, seguro y valedero perpetuamente todo lo que por los dichos mis procuradores, y qualquiere dellos por si, a çerca lo sobredicho será comparezido, suplicado, presendado, prometido, renunçiado, jurado, dicho, hecho y procurado, y a quello no revocar en tiempo alguno so obligaçion de todos mis bienes y rentas, mobles y sitios, habidos y por haber en todo lugar. Fue hecho lo sobredicho en la villa de Caspe el primiero dia del mes de abril del año contado del Naçimiento de nuestro Señor Jesu Christo mil seysçientos y tres; presentes testigos fueron a lo sobredicho llamados y rogados Juan Perandreu justicia de la villa de Caspe, y Juan Ponz Alcayde del Barrio de sanct Juan de la dicha villa, domiciliados en la dicha villa de Caspe; esta firmado el presente poder en su nota original debitamente, y segun fuero del presente reyno de Aragon si ✝ gno de mi Juan Casteldasnos habitante en la villa de Caspe, y por las auctoridades apostolica por de quiere, y real portodo el reyno de Aragon publico notario, qui a las sobredichas cosas juntamente con los testigos arriba nombrados presente fui, y en parte segun fuero lo scribi y lo otro scribir hize consta derasos, emendados, donde se lee, los nuebos, el çerre, *etc.* Ilustrisimo y reverendisimo señor, y sacro general cap. fray Hernando Ruyz de Prado humilde religioso de V. S. ilustrisima, asi como procurador de fray Estevan Claramunte, baylio de Caspe, espeçialmente deputado, como pareze por su procura autenticada, que presenta a V. S. ilustrisima y S. G. C. hecha en Caspe por el notario Juan Casteldasnos el primero del mes abril de MDCIII. Para efecto de hacer obligaçion en serviçio de la Religion por su devoçion y afiçion, y asi en nombre de su prinçipal ofreçe, y da reinte y dos mill escudos de prinçipal cargados y assigurados sobre la universidad de la villa de Caspe con mile scudos de renta, los quales an de servir para hacer bucos de galeras para el serviçio de la Religion, conforme las condiçiones conçedidas del capitulo general de monseñor Garzes de buena memoria, quedio el dicho baylo Claramunte los otros doçe mill escudos de prinçipal, sobre el reyno patrimonio del reyno de Sicilia, reservada emperò condiçion de haber de pagar la Religion el pasaje de aquellos a quien en su donaçion mas amplamente declara, como de todo mas largamente se contiene asi en la minuta estipulada en dicho capitulo general, como en esta que aora se ha de hacer de nuevo de esta su nueva donaçion, las quales todas dos se presentan a V. S. ilustrisima y S. G. C. para que sean servidos de verlas y conforme la afiçion y devoçion de dicho baylo fray Estevan Claramunte estipularla tambien de nuevo conforme se hizo en el ultimo capitulo general passado. *Quam Deus,* etc. fray Hernando Ruytz de Prado.

Quibus bene perspectis, recognitis et perceptis, statim post iuramentum et compromissum, de more nostro laudabili iuxta formam statutorum, in reverendos

dominos sexdecim capitulares legitime per nos electos factum, ipsis etiam praesentibus et nobiscum pro tribunali sedentibus, antequam ad eorum conclave secesserint, in praesenti plenâ nostri capituli generalis sessione legitime congregatâ, de praelibati magistri nostri nostrâque licentiâ, certâ scientiâ et expressâ voluntate, assensu pariterque consensu, ipse frater Ferdinandus Ruitz de Prado, procuratorio nomine ipsius venerandi baiulivi Claramunt, infrascriptum utile, perpetuum, nobile et memorabile, novum et secundum munus numquam satis laudandum nobis Religionique nostrae obtulit, donavit atque dicavit: et nos illud libentismo ac gratissimo animo, plurimisque gratiis relatis et reiteratis, acceptavimus et acceptamus in vim contractus infrascripti inter nos praefatos magistrum et generale capitulum ex unâ, et praefatum Religiosum nostrum fratrem Ferdinandum Ruytz de Prado procuratorem, ut praefertur, dicti venerabilis baiulivi Claramunt, ex alterâ[1] partibus, per ministerium et solemnem stipulationem et publicationem infrascripti ordinis nostri vicecancellarii initum, et solemnibus iuramentis vallatum, tenoris sequentis:

In nome della santa ed individua Trininità, Padre, Figliuolo e Spirito Santo, e della Immacolata e Gloriosissima Vergine Maria e del nostro padrone san Giovanni Battista. Amen.

Nell'anno MDCIII *ab Incarnatione Domini*, alli XIX del mese di febraro, nel pontificato della Santità di Nostro Signore Papa Clemente VIII, a suono di campana e secondo l'usato costume fu congregato e celebrato il sacro general capitolo del sacro Ordine dell'Ospedale di san Giovanni Battista Gerosolimitano nella città Valletta dell'isola di Malta e nella sala e luogo solito del palazzo magistrale, nella quale sono intervenuti e stati presenti l'illustrissimo e reverendissimo signore gran maestro di detto Ordine frà Alofio di Wignacourt, il molto reverendo signor vescovo di Malta, il reverendo signor priore della maggiore conventuale chiesa del nostro padrone san Giovanni Battista Gerosolimitano, e tutti gli altri venerabili signori baglivi conventuali, priori, baglivi capitolari, pilieri, signori procuratori delli venerabili priori e baglivi capitolari absenti delle venerabili Lingue e delli signori commendatori di tutti li priorati soliti a intervenire e formare complitamente il sagro capitolo generale, sommo e supremo tribunale della santa Casa e Religione dell'Ospedale di san Giovanni Gerosolimitano, nel qual sagro capitolo generale si levò, con licenza di monsignore illustrissimo sudetto gran maestro, il signore frà Ferdinando Ruitz de Prado, come procuratore del venerabile signore frà Stefano Claramunt bailio di Caspe e commendatore delle commende di Calatayud e di san Per di Calanda della veneranda castellania di Amposta, e con ogni debita riverenza umilmente espose aver, gran tempo fa, il detto suo signor principale desiderato molto di pervenire a stato tale di potere in vita sua ritrovar occasione di dimostrare parte della molta gratitudine dell'animo, che tiene verso la sagra Religione, per li molti onori, carichi, dignità e benefizi da lei ricevuti, e considerando che insieme con l'ospitalità la professione di detta sua Religione sia il fare la guerra agl'infedeli, e massime per mare, ora che si abita quest'isola non essendo restato alla Religione alcun altro modo più opportuno a perseguitarli che con galere, le quali, acciò abbiano da essere leggiere e durabili, si devono fare di legname buono, bene stagionato, il che

1 Edit. Main. fert *partibus ex alterâ* (R. T.).

ha osservato esso signor bailio Claramunt per aver fatto finire due buchi di galere, e varare in Messina in due invernate, mentre fu generale, e le condusse in Malta; quindi è che si mosse con zelo di buon religioso di fare nel capitolo generale precedente, celebrato dell'anno 1597 *ab Incarnatione*, spontaneamente offerta e donazione a detta sua Religione di dodeci mila scudi capitale, acquistato dalla regia Corte del regio patrimonio del regno di Sicilia, con loro introusure, ad effetto di farsi delli censi tanti buchi di galere in servizio del pubblico, in quelli modi e forme, e come più amplamente appare per lo istrumento fatto tra detto sagro capitolo, ed esso di Claramunt per mano del vice-cancelliere dell'Ordine in pieno capitolo, alli quattro giorni di esso capitolo, ed alli 13 di gennaro 1597 *ab Incarnatione*, siccome più largamente appare per esso istrumento, al quale si debba aver piena relazione: ed aumentandosegli lo stesso desiderio e devozione, ed animo grato alla giornata, procurò di più acquistare, siccome acquistò altri dieci acquisti capitali, *iuxta formam Bullae*, che sono li censuali infrascritti e seguenti. E primieramente sedici mila soldi *dineros jaqueses* censuali e di annua pensione, con trecento cinquanta e due mila soldi *jaqueses* di proprietà e sorte principale, che sono caricati in otto censuali a forma di Bolla, li quali li giurati, consiglio ed università e persone particolari vicini ed abitatori della villa di Caspe in universale e particolare hanno venduto, ed originalmente caricato ed imposto in favore di esso signor bailio Claramunt sopra tutti li beni e rendite della detta villa, e delli particolari vicini ed abitatori di detta villa, e sono detti otto censali con due mila soldi di pensione ogni anno, e si pagano alli 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21 e 22 del mese di settembre, come dal sopradetto più amplamente consta, ed appare per otto istromenti pubblici di detti censali, celebrati nella detta villa di Caspe ai 21 del mese di settembre l'anno della Natività di nostro Signore Gesù Cristo 1601, ricevuti per Pietro Figueroa notaro reale della detta villa di Caspe. *Item* quattro mila soldi *jaqueses* censali e di annua pensione in due censali di due mila soldi l'uno con ottantotto mila soldi di proprietà e sorte principale, li quali detti giurati, consiglio, università e particolari persone abitatori della detta villa di Caspe in generale ed in particolare hanno venduto, ed originalmente caricato ed imposto in favore del detto signor bailio Claramunt sopra tutti li beni e rendite della detta villa, e delli particolari abitatori di essa, li quali si pagano ogni anno alli 13 e 14 del mese di settembre, come dal sopradetto più amplamente consta, ed appare per due istromenti pubblici di censali celebrati nella detta villa di Caspe alli 11 di agosto l'anno della Natività di Nostro Signore Gesù Cristo 1602, ricevuti dal sudetto Pietro Figueroa, con tutte quelle pensioni e censi, che di quelli e d'ogni uno di essi hanno corso e si devono, correranno e si doveranno dalli 13 del mese di settembre dell'anno prossimo passato 1602 in perpetuo per tutti li tempi d'avvenire, alli quali[1] si abbia in tutto e per tutto relazione, e ciò allo stesso fine ed intenzione di dedicarli in beneficio della suddetta sua sagra Religione per la medesima causa di fare buchi di galere, sperando con buono esempio di fare palese alla posterità la gratitudine e devota intenzion sua, ed a fine che essi buchi di galere si facciano e più facilmente ed in maggior numero. Per questo con licenza, volontà speciale ed espresso consenso e

1 Nempe *istromenti*; sed hic aliquid deesse ex loco parallelo pag. 409 colligi potest (R. T.)

libero assenso del sudetto illustrissimo e reverendissimo signor gran maestro suo superiore, *vivae vocis oraculo* dato e concesso, esso signor procuratore del detto signor bailio Claramunt di sua spontanea e libera volontà, con gratissimo animo e religioso affetto del suo principale, in ogni miglior modo, presentò, diede e fece libero donativo alla sudetta Religione e sagro Ordine Gerosolimitano, ed a S. S. illustrissima e detto sagro capitolo generale in nome di esso Ordine e Religione, li sudetti capitali con tutti li loro censi decorsi dalli 13 di settembre dell'anno prossimo passato 1602, e che sono per decorrere in perpetuo, ed il loro pieno dominio e proprietà irrevocabilmente (con le condizioni però e modi e qualità infrascritte, e non altrimente, nè in alcun altro modo); e che perpetuamente *et cunctis futuris temporibus* il venerabile signor gran conservatore capo della venerabile Lingua di Aragon, Catalogna e Navarra, moderno e che per il tempo sarà (ed in sua assenza dal convento e residenza della sagra Religione il signor piliero della sudetta venerabile Lingua, luogotenente di esso signor gran conservatore solo, o chi averà facoltà ed autorità sua), così come se gli dà per il presente pubblico istrumento, con[1] libera potestà ed amministrazione di esigere e ricuperare li sudetti censi annuali di detti luoghi, o da chi ne sarà debitore, e quitare e liberare, quelli subito depositare nella tavola delli depositi della città di Saragosa d'Aragon, o farli depositare in essa tavola, senza toccarli, da quello che averà facoltà ed autorità da esso signor gran conservatore o suo luogotenente specialmente ed espressamente, e non per altra persona (non ostante qualsivoglia urgente necessità, caso o ragione che si presentasse, e paresse mettere ed indurre necessità di doversi fare il contrario) debba prendere da detta tavola delli denari depositati pervenuti e procedenti dalli sudetti censi quella quantità di denari che gli parrà essere di bisogno per far tagliare il legname e condurlo dove si averà da fare il buco o buchi delle galere, ed appresso per fare fabbricare detti buchi di galere finiti, negri, atti a potersi varare in mare con il loro schifo, e con tutti li suoi banchi, rambate e pavesate, e con tutti li suoi alberi ed antenne e palamenta, ed in somma con tutte le cose necessarie di legname senza alcun' altra sorta di guarnimento, nè di sarciame, nè di vele, nè d'altro, che delle cose di legname solamente; e che si faccia in quel luogo e di quella misura, grandezza e forma, che sarà designata ed ordinata dall'illustrissimo signor gran maestro, e suo venerabile consiglio di otto in otto anni, o più lungo tempo o meno, secondo che dureranno li buchi primi delle galere, che saranno fatti, e gli altri appresso navigabili, cominciando fare li primi con li primi censi, che saranno maturati del detto capitale, li quali buchi di galere sieno per servire alla Religione sudetta per galera capitana, o altre, secondo parerà al detto illustrissimo signor gran maestro o suo venerabile consiglio; purchè detto signor gran conservatore o suo luogotenente, o chi averà facoltà da lui, in ogni modo li debba far fare di legname tagliato in buona luna al suo tempo, stagionato e secco, facendoli fabbricare a bell'agio a poco a poco da buon capo maestro e buoni maestri di ascia e calafati, talchè vengano ad essere galere perfette, durabili e leggiere, essendosi conosciuto per esperienza che, per non essersi fatti in tal

1 Forsan legendum: *abbia libera*, etc., et paulo post: *debba quelli subito depositare* etc.; et iterum: *e debba prendere da detta tavola*, etc. sed melius aliquid inveniet prudens lector (R. T.).

maniera li buchi delle galere, sono riusciti pesanti e di poca durata; ed una delle cause, che hanno mosso esso signor bailio di Claramunt di fare la prima e la presente seconda disposizione è stata a fine che la capitana della Religione o altre galere sieno sempre fabbricate in tutta perfezione, e per questo effetto sua signoria illustrissima e venerabile consiglio debbano dare l'ordine sudetto quattro anni avanti, poichè a giudizio di esperti non è bisogno di minor tempo per fabbricarli della perfezione e bontà sudetta, lasciando e restando a carico della Religione l'ottenere e fare spedire di mano in mano le licenze di tagliare ed estraere il legname. Che nella poppa di ogni buco di galera, che si farà nel modo sudetto, si debbano mettere le armi ed insegne della sagra Religione e dell'illustrissimo signor gran maestro moderno, o di chi sarà in quel tempo, in tutti li luoghi che parerà convenire di mettersi, e che si debba ancora mettere in detta poppa nelle due parti di essa in uno delli tavolieri o quadri per banda in luogo apparente le armi del sudetto signor bailio di Claramunt, e nel dragante s'intagli in lettere maiuscole ed indorate il nome *Claramunt* per cagionare e far nascere con questa memoria volontà agli altri religiosi di fare simili opere in beneficio della Religione: dichiarando che, dovendo uno delli sudetti buchi essere la galera capitana della Religione, oltre di mettere le armi ed il nome, come di sopra si è detto, si debba fare la poppa di essa capitana suntuosa, figurata di rilievo ed indorata, col suo fanale alla moderna, e di bellissima fattura, come meglio parerà all'illustrissimo signor gran maestro e suo venerabile consiglio. Ma quelli che doveranno servire per galera della squadra, la loro poppa si faccia liscia ed ordinaria, con mettergli le armi ed il nome Claramunt, come di sopra si è detto, e la sudetta prima galera o sia capitana, o altra, sia nominata perpetuamente del nome del glorioso protomartire san Stefano, e che però sopra la poppa si metta in figura di rilievo la sua immagine ben intagliata e dipinta, ed adorna di oro e colori fini. E la seconda galera dopo la capitana sia nominata perpetuamente san Lorenzo, e perciò sopra la poppa si metta in figura di rilievo la sua immagine bene intagliata, dipinta e adorna di oro e di colori fini. E dopo fatti detti buchi di galere, del modo di sopra, delli primi censi sudetti, esso signor gran conservatore o suo luogotenente, o chi da esso averà facoltà ed autorità, secondo che essi censi di mano in mano matureranno, così come annualmente devono entrare e si raccolgono, debba all'avvenire impiegarli in compra di altrettanti capitali sicuri e rendibili per quel censo si potrà trovare più utilmente. E così si farà sempre, mentre che non succederà il caso doversi fare altri buchi di galere. Di modo che se col tempo crescesse tanto la rendita, che si potessero fare più buchi di galere, per servizio della Religione, si debbano fare, secondo che il tempo e la necessità apporterà al giudizio di detto illustrissimo signor gran maestro e suo venerabile consiglio, nel modo però e forma che di sopra si è detto, per mano o autorità delli sudetti signori gran conservatore o suo luogotenente, o per chi da esso averà facoltà e potestà, e non da altri. E fatto detto buco o buchi di galere da detti signori gran conservatore o suo luogotenente, o dalla persona che da essi averà la facoltà e potestà, si debbano consegnare a chi il gran maestro o suo venerabile consiglio ordineranno in terra atti a vararsi, come di sopra si è detto, e che la Religione sia obbligata, incontanente che riceverà essi buchi di galere nuovi,

fare consegnare al sudetto signor gran conservatore o suo luogotenente, o a chi averà facoltà ed autorità da essi, li buchi vecchi di galera, in luogo delli quali si saranno fatti li nuovi con le cose che furono consegnate prima con li sudetti buchi vecchi, nella qualità che si troveranno. E volendo il signor gran conservatore o suo luogotenente, o chi averà da essi facoltà e potestà, che li buchi rilasciati da consegnarsi, come è detto, sieno tirati e ritirati in terra, questo si debba fare a carico e spese della Religione, li quali buchi si debbano far vendere da esso signor gran conservatore o suo luogotenente, o da chi averà da essi l'autorità e facoltà, al maggior prezzo che si potrà trovare, il qual prezzo sarà in aumento e per servizio del nuovo buco o buchi di galere, che si averanno da fare, o aumento del censo, e che *interim* il denaro, che si caverà, si debba mettere nella sudetta tavola; e nel medesimo tempo il detto signor gran conservatore o suo luogotenente doverà presentare all'illustrissimo signor gran maestro il conto veridico e legale della spesa fatta in fabbricarli e spedirli, il qual conto si abbia da vedere e riconoscere da quella persona o persone, che deputerà e nominerà sua signoria illustrissima, e dichiara esso signor procuratore in nome di esso signor bailio Claramunt, non volere che detto conto si debba per altro effetto dare, eccetto a fine che si riconosca e con ragione si laudi la fedeltà, diligenza e sparagno, col quale si sarà fatta la spesa del detto nuovo buco o buchi di galere, solamente caricandone la coscienza di esso signor gran conservatore e suo luogotenente, e che mutandosi il signor gran conservatore o suo luogotenente, ed eleggendosi altro in suo luogo, debba dare conto, come di sopra, ed istruisca il successore dello stato e termine, che si troverà il legname tagliato o li buchi incominciati, e di ogni altra cosa dipendente da questa e dalla prima fondazione, con l'intiera consegnazione di ogni cosa, acciò si possa continuare e complire quanto in questo stromento sta ordinato, e che tali conti ed istruzioni si debbano mettere e conservar nella cassa della sudetta venerabile Lingua. Che essendosi acquistati detti capitali con patto di reluizione, che li denari si debbano depositare nella tavola suddetta, così ancora per patto espresso esso signor gran conservatore o suo luogotenente, o chi averà facoltà ed autorità da loro, debba fare il medesimo deposito in essa tavola delli denari che procederanno dalla reluizione delli censi, che oltre il sudetto capitale si saranno aumentati, e di mano in mano si andranno aumentando, come di sopra si è ordinato, lasciando li detti depositi in essa tavola, fintanto che li denari si troveranno ad impiegare ed investire in nuovi censi, in modo che li depositi delle sudette reluizioni si debbano sempre fare in essa tavola e non altrove, tante volte quante succederà il caso di farsi le reluizioni sudette in tutto o in parte, respettive, e d'impiegare, *ut supra*, con gli stessi patti e condizioni, obbligando di più li debitori delli censi per patto espresso, che li debbano pagare e mettere in detta tavola. E che li detti denari non si possano spendere nè servire nè cavare da detta tavola per altro effetto in modo alcuno, nè per qualsivoglia caso, autorità, o permutazione, o diminuzione di volontà, se non per il sudetto effetto di ricomprare di capitali, e di loro censi, o per la fabbrica di detti buchi di galere nel modo e forma di sopra, *cunctis perpetuis temporibus*: e che detta tavola, per isborsare il denaro a chi ordinerà detto signor gran conservatore o suo luogotenente, si tenga

per sufficiente cautela l'aver solamente fede del gran maestro e suo venerabile Consiglio, per il quale appaia l'ordine dato al gran conservatore o suo luogotenente di fabbricare bucho o buchi di galere. Che sempre e tutte le volte in perpetuo che alcuno dei figliuoli e discendenti del signor Alberto Claramunt, nepote di esso signor bailio Claramunt, volessero venire a pigliar l'abito in grado di frà cavaliere di nostra Religione, subito che il signor gran conservatore o suo luogotenente sarà avvisato di questo animo e deliberazione, loro debba pagare o far pagare in poter del ricevitore della Religione residente in Saragosa di Aragon la somma importante il passaggio, che al presente e per il tempo avvenire sarà solito ed ordinato di pagarsi al commun tesoro in grado di cavaliero a beneficio de' sudetti figli e discendenti del sudetto signor Alberto, e che la detta tavola la debba pagare ad ogni ordine del sudetto signor gran conservatore o suo luogotenente, scrivendoli[1] debbano ricuperare dal ricevitore sudetto le apoche o sieno polize del pagamento de' sudetti passaggi, e presentarle al signor conservatore conventuale, e farle registrare al comun tesoro, di modo che arrivando in convento li figliuoli e discendenti sudetti, trovino già il passaggio loro pagato e notato al comun tesoro, acciò non ricevano pregiudizio da que' gentiluomini, che potranno venire insieme con essi nella recezione ed anzianità, per mancamento di non essersi pagato il loro passaggio, e si trovino quieti e liberi dall'obbligo del suddetto passaggio, ed il ricevitore s'intenda in virtù di esse cedole ed apoche caricato di essi passaggi à beneficio del comun tesoro, in modo tale che li figli e discendenti perpetuamente per il modo sudetto restino e sieno franchi e liberi di pagare alcun altro passaggio, e, se per caso l'avessero pagato, gli debba essere restituito dal comun tesoro, il quale abbia azione di farseli pagare, come di sopra. Ed in difetto e mancamento delli figli e discendenti del sudetto signor Alberto di Claramunt, vuole ed intende esso signor procuratore del signor bailio Claramunt che nel sudetto privilegio di non pagare altro passaggio, se non come di sopra, subentrino a godere perpetuamente ancora li figli e discendenti di quel gentiluomo che perpetuamente sarà erede e successore del luogo di Artasona, che oggi esso signor Alberto tiene e possiede per vincolo e vincolato dalli suoi antecessori, e venendo anco a mancare li sopradetti, subentrino a godere il medesimo privilegio di franchezza di passaggio perpetuamente li figli e discendenti di quel gentiluomo, che successivamente sarà padrone e possessore della casa che oggi possiede nella città di Balbastro il sudetto signor Alberto Claramunt, come di sopra è specificato; intendendo però che resti in elezione e volontà delli prenominati e qualsivoglia di essi, che hanno da godere del modo sudetto il privilegio e beneficio del detto passaggio, che detti loro passaggi si paghino nella tavola delli depositi della detta città di Saragosa di Aragon, o nella tavola della città di Palermo, dove ognuno delli sudetti meglio vorrà, e nel modo e maniera sudetti. Si riserva il signor bailio Claramunt sudetto, vita sua durante, che nel presente istromento, lui solo, in ogni caso di ambiguità ed inconvenienza o altra causa, di dichiarare meglio la volontà sua[1], alla quale dichiarazione si debba stare nel modo e forma, che la farà, senza solennità alcuna; e che per

[1] Hic aliqua deesse ex loco parallelo pag. 409 (R. T.).

[1] Praeced. syntaxim mendosam esse quisque sentit (R. T.).

qualsivoglia caso opinato o inopinato, così di guerra, di ribellione de' popoli, fame e peste, come di ogni altra necessità, quantunque estrema, e di qualsivoglia simile o dissimile maggiore o minore, o che immaginar si possa, *etiam* insolita, e mai più vista nè intesa, la Religione nè il capitolo generale nè qualsivoglia altro possa alterare, dispensare, diminuire nè mutare la volontà del detto signor bailio Claramunt su detta e che in sua vivenza, come di sopra, gli parerà di dichiarare ed ordinare, nè qualsivoglia di dette clausole, condizioni, modi o circostanze, nè impetrare, nè dimandare da qualsivoglia superiore o potentato grazia, licenza o facoltà di poterlo fare, nè anco dal Sommo Pontefice, ed impetrata che fosse *de facto* per narrazione di qualsivoglia quesito colore, caso e necessità sudetta, che si intenda *subreptitie et obreptitie* impetrata, e non possa usarla in modo alcuno esso convento, capitolo generale e sagra Religione nè altri, restando sempre la presente disposizione e fondazione nella sua forza, vigore ed osservanza, come nel presente istromento si è specificato ed ordinato. E se per caso, il che non si deve presumere, occorresse che nella Religione non si osservassero tutte o parte delle cose stabilite ed ordinate nel presente istromento di fondazione, per qualsivoglia causa e modo, dichiara e vuole esso signor procuratore a nome del detto signor bailio Claramunt, di adesso per allora, che la presente donazione sia così come non fosse mai fatta, nel qual caso della inosservanza sudetta la venerabile castellanìa di Amposta sia *ipso iure et ipso facto domina* e padrona tanto delli capitali sudetti e qualsivoglia di essi, quanto ancora di tutti li nuovi capitali acquistati, *ut supra*, e censi fino allora maturati: con questo però che senza dilazione debba istituire, eriggere o fare una nuova commenda per cabimento o miglioramento delli cavalieri di detta castellanìa, di tutti sudetti denari e capitali da smutirsi *more solito*, la quale sia nominata perpetuamente la *Commenda di Claramunt;* e che il commendatore di essa nuova commenda nè altro possa disporre[1] delli capitali in modo alcuno nè per qualsivoglia ragione. Ed in caso di reluizione li capitali stiano in detta tavola, finchè il commendatore con consiglio e volontà della maggior parte delli cavalieri soli *collegialiter* congregati in castellanìa, torni ad impiegarli in altri capitali buoni e sicuri tutte le volte che succederà reluizione nel modo e forma sudetti: di modo che li commendatori non abbiano altro che la rendita del censo, e sieno obbligati di pagare li passaggi delli figli e discendenti sudetti, che vorranno essere ricevuti per cavalieri della Religione nel modo e forma, che di sopra si è specificato, con pagare anco le responsioni ed imposizioni al comun tesoro, secondo il corso delle altre commende della detta castellanìa di Amposta. E finalmente la presente donazione promette esso signor procuratore in nome del detto signor bailio Claramunt con solenne stipulazione inviolabilmente ed in ogni futuro tempo osservare ed averla rata e grata, rinunciando l'una e l'altra parte a qualsivoglia beneficio, favore ed ausilio di qualsivoglia legge, costume ed osservanza che ostasse in contrario. Volendo che la presente donazione e fondazione, e le cose in essa contenute abbiano perpetua validità ed inviolabile osservanza, e così giurarono, poste le loro mani su la Croce dell'abito loro, conforme è il costume del detto loro Ordine, la qual

1 Nempe: *nè il commendatore, nè altri possa,* etc. (R. T.).

donazione, offerta e volontà del detto signor bailio Claramunt essendo stata perfettamente intesa dalli prenominati illustrissimo e reverendissimo gran maestro, ed altri signori del sudetto sagro capitolo generale con tutte le condizioni, modi e qualità sudette, precedendo la licenza e consentimento di sua signoria illustrissima, come di sopra si è detto, esso illustrissimo e reverendissimo monsignore e detto sagro capitolo generale, con il scrutinio delle balle, *nemine discrepante*, con allegro, giocondo e gratissimo animo l' hanno accettato ed approvato di loro spontanea e libera volontà in nome di ciascheduno di loro e dei suoi successori e dell'Ordine sudetto, in ogni miglior modo che possono hanno promesso e data la lor fede publica di tutto il sudetto Ordine ad esso signor procuratare presente e riverentemente stipulante in nome del detto signor bailio Claramunt, che tutte e qualsivoglia cose sudette sempre ed in ogni futuro tempo le manterranno, e le averanno e saranno avute da ciascheduno del detto Ordine per grate e ferme, e non se gli contraverrà in cosa nessuna, *dirccte* o *indirecte*, per qualsivoglia causa o quesito colore, anzi sempre inviolabilmente saranno osservate: ed acciocchè tutte e singole qualsivoglia cose premesse abbiano e debbano avere loro effetto plenario, monsignore illustrissimo gran maestro e tutti li signori capitolanti hanno promesso per se e loro successori attenderle ed osservarle, *ut supra, et, ad cautelam, de certâ eorum scientiâ, et capituli generalis auctoritate*, hanno derogato a tutte e qualsivoglia cose, che in qualunque modo potessero ostare, supplēndo tutti e qualsivoglia difetti *tam iuris quam facti*, volendo che in nessun modo si possa contravvenire, *etiam* per qualsivoglia causa, che immaginar si potesse: e per perpetua ed inconcussa osservanza di tutte le sudette cose, monsignore illustrissimo e sagro general capitulo, hanno promesso e promettono impetrare dalla Santità del Papa confermazione della presente fondazione nel modo che di sopra è espresso con tutte le cautele e clausole favorabili in forma larga e sufficiente per la corroborazione e perpetua validità del presente atto, ed ordinato a me vicecancelliere di spedire a nome di sua signoria illustrissima e sagro capitolo la Bolla plumbea loro capitolare con inserzione di tutta la presente fondazione.

Testes autem ad praemissa omnia fuerunt domini fratres socii illustrissimi et reverendissimi domini magni magistri in sacro generali capitulo existentes, et in registro capituli descripti, necnon D. F. Laurentius de Virien Pupetieres magister hospitii ac procurator ipsius illustrissimi domini F. Franciscus de Alguedas et Ascanius Surdus I. U. DD. auditores praelibati illustrissimi ad praemissa omnia vocati pariterque rogati per me fratrem Ioannem Othonem Bosium commendarum de Auximo, de Gradulis, de Vilanterio et civitatis Theatinae sive de *Chieti*, prioratuum Urbis, Lombardiae et Capuae commendatarium, ac sacrae Religionis et Ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani vicecancellarium, adhibito, ut supra, scrutinio ballottarum, quod extitit nemine penitus discrepante omnium et singulorum dominorum capitulantium. Quare nos agnoscentes et attendentes omnia et singula inter nos et praefatum venerabilem Caspis baiulivum, sive eius procuratorem supradictum, in praeinserto contractu concordata, concessa, donata, dicata, firmata, disposita et stabilita, fore et esse Religioni, Ordini et professioni nostrae summae utilitatis, commodi et ornamenti, nihilque fructuosius, condu-

cibilius atque ad conservationem nostri status in obsequio Dei totiusque christianae reipublicae praestantius effici potuisse nec posse, licet ad eorum omnium subsistentiam et perpetuam validitatem per solum contractum ipsum praeinsertum sufficienter provisum existat, ad abundatiorem tamen cautelam, ut eo tenacius observentur, et difficilius, immo nullo modo, derogari possit, iuxta etiam a nobis in eodem contractu per iuramenta nostra promissa, praesenti nostro capitulari diplomate, omni meliori modo, viâ, iure et formâ, quibus melius et validius facere possumus et debemus, invicem maturo et deliberato consilio, de nostrâ certâ scientiâ, etiam motu proprio, praemissa cum omnibus et singulis statutis, ordinationibus, decretis, definitionibus, pactis, conventionibus, promissionibus, voluntate, ac poenis, inhibitionibus, alisque omnibus et singulis clausulis italico idiomate in praeinserto contractu contentis et expressis iterum firmamus, statuimus, concordamus, concedimus, acceptamus, laudamus, approbamus, confirmamus, et de novo concordamus et concedimus, praesentisque scripti patrocinio communimus: supplentes nostrâ supremâ auctoritate capitulari omnes et singulos defectus tam iuris quam facti, si qui forsan intervenerint in eisdem. Non obstantibus statutis, ordinationibus capitularibus, consuetudinibus, usibus et quibuscumque in contrarium existentibus, sive dictantibus; eisque omnibus, ad effectum praeinsertorum, auctoritate capitulari, sufficienter derogamus ac expresse derogatum esse declaramus. Praecipientes universis et singulis dictae domus nostrae fratribus, quacumque auctoritate, dignitate officioque fungentibus, praesentibus et in perpetuum futuris, in virtute sanctae obedientiaae, ne contra praesentes nostras contractus, consensus, constitutionis, approbationis, concessionis et confirmationis litteras aliquatenus facere vel venire praesumant, sed eas studeant inviolabiliter observare. Supplicantes denique humiliter S. D. N. D. Clementem, divinâ providentiâ Papam VIII et sacrosanctam Sedem Apostolicam, ut ea etiam approbare et rata habere, omnesque et singulos defectus tam iuris quam facti supplere, et de novo concedere et statuere dignetur.

In cuius rei testimonium Bulla nostra communis plumbea praesentibus est appensa.

Datum Melitae in conventu nostro, durante capitulo nostro generali, die XIX mensis februarii MDCIII ab Incarnatione.

Et quia se habet veritas, factâque fideli cum originali collatione, concordare comperimus: ideo in huius rei testimonium Bulla nostra magistralis in cerâ nigrâ praesentibus est impressa.

Datum Melitae in conventu nostro, die X mensis ianuarii MDCV ab Incarnatione.

Sequitur legalitas in forma.

§ 3. Cum autem firmiora sint ea, quae Sedis Apostolicae patrocinio muniuntur, et propterea, sicut pariter accepimus, magnus magister et conventus praedicti cupiant huiusmodi institutionem et fundationem, cum conditionibus quibuscumque in illâ expressis, per nos apostolicâ auctoritate confirmari; *Praedicta petitur confirmari.*

§ 4. Nos illorum votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, eosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et quemlibet eorum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat *Confirmat Paulus.*

consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ex certâ scientiâ ac merâ deliberatione nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, institutionem et fundationem per dictum Stephanum factam supradictam, ac illius acceptationem et conditiones quascumque in illis appositas, iuxta praeinsertae bullae magistralis et instrumenti desuper celebrati tenores, dummodo licitae sint et honestae, ac sacris canonibus et constitutionibus apostolicis non contraria, ac ipsas praeinsertas Bullam magistralem et instrumentum, ac omnia et singula in illis contenta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus, ac institutionem et fundationem praedictam, atque in eâ expressas conditiones omnes, ab ipsis magistro et conventu acceptatas et omologatas, perpetuo validas, firmas et efficaces fore et esse, ac ab ipsis nunc et pro tempore existentibus magistro et conventu, caeterisque ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolate perpetuo custodiri et observari debere: sicque per ipsos magistrum et conventum, aliosque quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogat obstantibus.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eiusdem hospitalis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem hospitali, eiusque magistro, conventui et fratribus ac quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XVII maii MDCVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 17 maii 1607, pontif. anno II.[1]

LXXVI.

Commissio nuncio apostolico apud regem Hispaniarum ut illum, tamquam perpetuum administratorem et magistrum Militiae de Montesia Ordinis Cisterciensis, conservet in iure praesentandi ab septem parochiales ecclesias dioecesis Dertusensis[2].

Dilecto filio nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio Paulus Papa V.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

In beati Petri Apostolorum principis solio, meritis licet imparibus, divinâ fa- Exordium.

1 Die 22 mensis huius Paulus Pontifex Constitutiones, in ultimo Capitulo sacri huius Militaris Ordinis editas, confirmavit in formâ specificâ litteris, quibus initium est: *Et si vigilis pastoris*; eas autem omittendas putavimus, cum facili negocio legi possint in codice diplomatico eiusdem Ordinis.

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

vente clementiâ constituti, ad ea potissimum nos invigilare ac intendere convenit, per quae Militiarum quarumlibet, praesertim regularium, pro fidei ortodoxae defensione et incremento pugnantium iura et privilegia non solum conserventur, sed etiam augeantur, ita ut earum milites ad ipsius fidei propagationem eo promptiores reddantur, quo uberiori Sedis Apostolicae munificentiâ noverint se confoveri.

Romani Pontifices declararunt ius patronatus parochiarum, de quibus agitur, competere magistro domus de Montesia.

§ 1. Dudum siquidem nonnulli Romani Pontifices praedecessores nostri ius patronatus seu praesentandi personas idoneas ad sancti Matthaei de Cervariâ, de Caneto, de Chert, de Calig, de Covis, et de Albocorçer locorum magistratus de Montesiâ Dertusensis dioecesis parochiales ecclesias, dum pro tempore vacarent, tam ex privilegiis apostolicis, quam ex legitime praescriptâ et tanti temporis consuetudine quod de eius initio hominum memoria non extabat, ad magistrum Militiae domus beatae Mariae de Montesiâ et sancti Georgii de Alfama Cisterciensis Ordinis Valentinae dioecesis competere enunciarunt et approbarunt, certâ formâ in praesentationibus ad illas, dum pro tempore vacassent, faciendis praescriptâ.

Iulius II hoc ius eidem magistro confirmari nonnullis commisit delegatis.

§ 2. Et deinde, cum, inter episcopum Dertusensem et dictae Militiae magistrum tunc existentes, nonnullae controversiae super patronatus aut praesentandi huiusmodi, necnon providendi de dictis parochialibus ecclesiis, iuribus essent exortae, felicis recordationis Iulius Papa II, etiam praedecessor noster[1], certis executoribus tunc ab eo deputatis dedit in mandatis, quatenus omnia et singula privilegia super iure patronatus et praesentandi ad ecclesias huiusmodi pro tempore existenti magistro dictae Militiae apostolicâ auctoritate concessa, necnon immemorabiles consuetudines super praemissis introductas, eâdem auctoritate approbarent et confirmarent; ac, quod de caetero, ecclesiis praefatis seu earum aliquâ quoquo vacantibus seu vacaturis, aut earum commendis cessantibus, pro tempore existens magister eiusdem Militiae ad easdem ecclesias, et earum quamlibet, personas idoneas Ordinario loci, prout alii ipsius Militiae magistri, qui pro tempore fuerant, praesentare consueverant, praesentare libere posset, eâdem auctoritate statuerent et ordinarent.

Sixti V hunc magistratum univit coronae Aragonum.

§ 3. Postremo piae memoriae Sixtus Papa V, similiter praedecessor noster, magistratum Militiae huiusmodi certo tunc expresso modo vacantem coronae regiae regnorum Aragonum auctoritate praefatâ perpetuo univit, annexuit et incorporavit, prout in dictis diversis litteris apostolicis desuper confectis plenius continetur.

Paulus nuncio pontificio committit ut in huiusmodi iure hispaniarum regem confirmet.

§ 4. Cum autem (sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, dictaeque Militiae magister seu administrator perpetuus, nobis nuper exponi fecit per dilectum filium Franciscum Garrido sacrae theologiae doctorem, fratrem cappellanum eiusdem Militiae, apud nos et Sedem Apostolicam dictae Militiae procuratorem generalem et patrimonialem) magistri dictae Militiae, qui pro tempore fuerunt, in praesentando personas idoneas ad ecclesias praedictas interdum negligentes et remissi fuerint, et propterea ita exacta probatio iuris praesentandi huiusmodi, ut par esset, haberi non possit; ne vero dicta Militia (quae pro defensione regni Valentiae ac illius incolarum a Saracenorum incursibus, quibus praefatum regnum frequenter turbare et affligere non cessabant, ad instantiam clarae memoriae Iacobi regis Aragonum dictâ auctoritate erecta fuit) iuribus suis privetur, aut in illis ob negligentiam vel incuriam huiusmodi aliqua

1 Constit. Iulii II de hac re non habetur in *Bullario* (R. T.)

detrimenta patiatur, providere volentes, necnon singularum litterarum praedictarum et inde sequutorum quorumcumque tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, ipsius Philippi regis supplicationibus in hac parte inclinati, discretioni tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus, vocatis venerabili fratre nostro episcopo Dertusensi et aliis qui fuerint evocandi, defectum probationis huiusmodi supplere[1]; dictoque Philippo regi et magistro seu administratori perpetuo ius patronatus et praesentandi ad ecclesias huiusmodi (quoties illas quoquo modo vacare*, seu commendas de illis factas cessare contigerit) conservare et defendere, ipsumque in eo manutenere (perinde ac si omnes ac continuatae praesentationes, dictarumque ecclesiarum status rite et concludenter probarent)[2]; nullumque aliud iuris adminiculum ad ius patronatus et praesentandi huiusmodi requiri (ita ut ipsi Philippo regi et magistro seu administratori perpetuo ad parochiales ecclesias praedictas et earum quamlibet, quotiescumque eas quoquo modo et ex quorumcumque personis vacare seu commendas de eis quibusvis factas cessare contigerit, fratres capellanos dictae Militiae, si ad id reperiantur idonei, sin minus, clericos saeculares, servatâ aliâs sacri Concilii Tridentini ac Constitutione recolendae memoriae Pii Papae V, pariter praedecessoris nostri, super provisionibus similium ecclesiarum, dum pro tempore vacant, faciendis[3] editae formâ, Ordinario loci intra tempus ad id a iure statutum praesentare, ipsique Ordinario personas sibi, ut praefertur, praesentatas intra tempus debitum in rectores parochialium ecclesiarum, ad quas per magistrum seu administratorem perpetuum ipsius Militiae pro tempore existentem praesentatae fuerint, instituere liceat) declarare[1];

Et episcopo Dertusensi inhibeat ne regem in huiusmodi iure perturbet.

§ 5. Ac insuper nunc et pro tempore existenti episcopo Dertusensi nec non aliis (dictarum ecclesiarum seu alicuius earum, dum pro tempore vacat, collationem, provisionem seu quamvis aliam dispositionem, coniunctim vel divisim, ad se spectare et pertinere quomodolibet praetendentibus) ne de caetero perpetuis futuris temporibus de eisdem ecclesiis seu aliquâ earum, cum vacaverint, ut praefertur, etiam praetextu quorumcumque privilegiorum et indultorum eis sub quibuscumque verborum formis concessorum, providere aut aliàs disponere quoquo modo praesumant, districtius inhibere[2]; ac etiam ex nunc quascumque collationes, provisiones, praesentationes, institutiones, seu quasvis alias dispositiones de dictis ecclesiis quoquo modo vacaturis, seu etiam nunc vacantibus, in aliarum (quam per magistrum seu administratorem perpetuum dictae Militiae pro tempore existentem aut ab eo deputatum seu deputatos praesentatarum) personarum favorem, nullas et invalidas, nulliusque roboris vel momenti fuisse et esse, nullumque per eas cuiquam ius acquiri, nec etiam coloratum titulum possidendi tribui posse[3];

Clausulae pro praesentium litterarum firmitate.

§ 6. Praesentes quoque litteras semper et perpetuo validas et efficaces fore et esse, et de obreptionis aut subreptionis

1 Subintellige *cures*, ut legitur ad finem § 6, nam eo usque oratio manet suspensa (R. T.).

2 Iterum et semper deinceps subintellige *cures* (R. T.).

3 Erronee edit. Main. habet *faciendi* (R. T.).

1 Subintellige *cures*: edit. Main. fert *declaran.*; unde patet editorem romanum veram huius loci syntaxim assecutum non fuisse (R. T.).

2 Semper subintellige *cures* (R. T.).

3 Subintellige *decernere* (quod verbum circa medium § seq. legitur *cures*, quod legitur in fine (R. T.).

vitio impugnari non posse, neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illas revocari vel immutari contigerit, toties in pristinum statum, etiam sub datâ posteriori per magistrum et administratorem perpetuum dictae Militiae pro tempore existentem eligendâ, restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo concessas esse et censeri; sicque et non aliter per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, aut sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) ubique iudicari et definiri debere, ac, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernere; nec non quibuscumque personis, quacumque dignitate, praeeminentiâ vel excellentiâ, etiam episcopali, seu cardinalatus honore fungentibus, ac etiam Ordinario Dertusensi, aut aliàs in praemissis sua[1] quomodolibet interesse habentibus aut habere praetendentibus, perpetuum silentium imponere eâdem auctoritate nostrâ cures.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis apostolicis, nec non in provincialibus et synodalibus universalibusque conciliis editis et edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, ac Militiae et Ordinis praefatorum iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac quibusvis privilegiis ac indultis et litteris apostolicis dicto episcopo Dertusensi seu quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, ac aliàs, in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus pro illorum sufficienti derogatione, ac si[1] de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso ac formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XIX maii MDCVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 19 maii 1607, pontif. an. II.

LXXVII.

Confirmantur statuta seu decreta nonnulla ab archiepiscopo Coloniensi edita pro reformatione Regularium utriusque sexus suae dioecesis[2].

Venerabili fratri archiepiscopo Coloniensi, sanctae Romanae Ecclesiae principi electori,

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Singularis tuus regularis disciplinae ac religionis conservandae zelus promeretur

Archiepiscopi Coloniensis studium regula-

1 Istud vocabulum *sua* superfluum censeri potest vel legendum *seu*; nisi quis intelligere velit *habentibus sua interesse* idest *sua iura* in praemissis; quod est inusitatum (R. T.).

1 Lectio defectiva videtur, et potius legendum: *Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis*, etc. (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

rium corruptelas tollendi.

ut ea, quae desuper a te salubriter decreta et sancita esse cognoscimus, apostolicae firmitatis munimine roboremus.

Nonnulla ad id statuta efformat.

§ 1. Cum itaque, sicut tuo nomine nobis nuper expositum fuit, tu ad nonnullos abusus in Religiosorum ad regularem vitam ingressu in tuâ dioecesi vigentes tollendos, et Religionis rigorem, quoad fieri potest, in viridi observatiâ manutenendum, statuta et decreta quaedam edideris huiusmodi sub tenore, videlicet[1]:

Ernestus, Dei et Sedis Apostolicae gratiâ, electus et confirmatus archiepiscopus Coloniensis.

De expensis in novitiis recipiendis.

Quia variae audiuntur querelae quod in primo actu, et in ipso religiosae vitae tyrocinio, necnon in professionibus in monasteriis utriusque sexus Regularium, multae et magnae sint expensae, tam in[2] sumptuosorum prandiorum, quam vestimentorum, et suppellectilis qua recipiendorum cellulae adornantur, ac munerum causâ, quae superioribus dari consueverunt: unde quampluimis ad vitam monasticam alioquin idoneis media frequenter praecluduntur quominus ad tam sanctum institutum pervenire possint;

De dimissione eorum qui professionem non emiserunt.

Illis quoque qui admissi sunt, si forte vitam monasticam sibi minus convenire experiantur quod, non raro accidit, et loco cedere velint, libertas recedendi adimitur, propterea quod, ob solemnitatem huiusmodi prandiorum et aliorum actuum, circa investitionem habitorum, qui hominibus laicis professionis formam exhibent, sine apostasiae suspicione et infamiae notâ id facere nequeunt, tum etiam quod, ob sumptus nimis magnos, qui recuperari nequaquam possunt, magnam partem patrimonii sui et alimentorum in subsequentem vitam necessariorum perdiderint;

De monachorum testamentis.

Detestabilis etiam corruptela quaedam monasteria invasit, qua conventuales, etiam professi seu professae, ex hac vitâ decedentes, testamenta condere, abbatibus vel abbatissis seu aliis superioribus monasterii sui certam quamdam pecuniae summam relinquere pro solemnioribus exequiis sive etiam pro annuis obitus sui memoriis, peculium, ex quo conventui refectio aliqua detur, deputare et assignare tenentur, vel, si id factum non fuerit, tota supellex, quae in demortui cellâ relicta est, in hunc usum vendi et distrahi debet, alioquin defuncti animae huiusmodi charitatis officia et iusta nequaquam persolvuntur: quae quidem instituta vitae monasticae repugnant; ipsos conventuales, praeter proprietatis vitium, quod hac ratione incurrunt, per omnem vitam suam in congregandâ huiusmodi pecuniâ sollicitos et distractos faciunt, amicos quoque, a quibus eam extorquere saepe coguntur, valde gravant:

Remedia huiusmodi abusibus allata.

Hinc statuimus et ordinamus ut in primo actu, quo qualescumque personae Religioni alicui primum destinantur[1] et habitum assumunt, sive etiam ante, sive post illum actum ante professionem, nullum omnino instituatur prandium, nulla superioribus vel aliis quibuscumque dentur, nec per ipsos recipiantur dona aut munera: non exigantur novae aut pretiosae lecticae, cellarum fenestrae, imagines vel tabulae pictae, statuae, cistae, promptuaria, armaria, sacrarum reliquiarum thecae aut capsulae, neque aliud quidquam, quo novitii vel novitae cella potius adornatur, quam rebus necessariis instruitur;

Si qua tamen sacrae investitionis vel professionis die, ultra communem et quotidianam portionem, ex consuetudine Religionis, in monasterio existentibus ab

1 Sequens documentum habetur in *Gallia Christiana* edit. Maur. t. III p. 162 et seq. (R. T.).
2 Praep. *in* superflua videtur (R. T.).

1 Mendose in edit. Main. legitur *destinatum* (R. T.).

antiquo data fuerit refectio, eam quidem non intendimus per hoc statutum adimere, sed ita moderari volumus, ut pro singulis religiosis istius monasterii non amplius quam dimidius florenus Coloniensis sive duodecim albi in sumptum eiusmodi refectionis a parentibus aut amicis monasterio numerentur;

Sacrae Religioni investienda virgo posthac, absque omni pompâ et superbo vestitu, absque ullo comitatu parentum vel amicorum, puerorum vel puellarum, ex ipsis penetralibus monasterii eo habitu, quo in scholâ monasterii constituta vel aliàs antea diebus solemnioribus suc-verat ad sacram Communionem accedere, in publicum vestienda procedat;

Nulli virgini religioso habitu investiendae, aut professionem facturae, pueruli Iesu praeferatur statua, sed eius loco exponatur et in summo altari in venerabili Sacramento ipse virginum omnium sponsus Christus Dominus;

Die sacrae professionis non alii invitentur ad convivium, quam qui vel sanguine, vel summo alio necessitudinis vinculo, professionem edituro vel edituraе coniuncti sunt, qui sine apertâ ingratitudinis notâ et gravi offensione non invitari non possunt: hac tamen conditione ut plures non admittantur convivae, quam duodecim. Procul hinc arceantur exquisitae dapes, absint argentea atque aurea vasa et pocula: nulla admittatur instrumentalis aut vocalis musica: nullae ducantur choreae neque ulli, convinctis[1] manibus, in orbem duci circuitus: sed sint frugalia omnia, sit spiritualis laetitia, et in Deo divinisque colloquiis recreatio, atque ante vesperas, quae ultra horam tertiam consuetam non differantur, finienda;

Secundo autem die, multoque minus tertio aut sequentibus, nullus amicorum, convivandi causâ, ad monasterium fiat accessus; nec in esculentis aut poculentis novi aliqui in monasteriis sumptus fiant, ullave repotia[1] aut anniversaria professionis convivia;

Prohibemus etiam omnia convivia regalia et reginalia, nec non prandia et sumptus qui propter similes quascumque causas fieri et institui solent;

Si plures in uno atque eodem monasterio eiusdem cursus fuerint novitii aut novitiae, ii, non distinctis diebus, sed uno atque eodem tempore simul professionem faciant, et unà atque eàdem operà unoque sumptu tempus, molestiae et sumptus redimantur;

Nemini Religionem seu vitam monasticam professo aut professae liceat testamentum condere, peculium colligere, superioribus vel aliis quibuscumque certam pecuniae summam post mortem relinquere, vel pro solemnibus exequiis aut pro annuis obitus sui memoriis, vel pro similibus causis, quidquam deputare vel assignare.

Ut vero haec sanctissime constituta optatum sortiantur effectum, et nusquam hisce sanctionibus, adeoque Spiritui Sancto, pertinaciter resistatur (praeter excommunicationem ferendae sententiae, quam contra delinquentes abbates, commissarios, visitatores, praelatos, rectores, confessarios et alios quoscumque investitionis actum facientes, vel professionem excipientes, similiter contra abbatissas, magistras, priorissas, matres aliasque sanctimonialium rectrices prae-

1 Gallia Christ. loc. cit. habet conivnctis (R. T.).

1 « Repotia, vox Latinis nota, quem quidam a recentioribus transtulerunt ad convivia quae in nonnullis religiosis Ordinibus celebrantur recurrente professionis die, anno praesertim quinquagesimo, quem Iubilaeum vocant ». Ita Ducange, qui deinde citat ad exemplum hunc ipsum locum archiepiscopi Coloniensis (R. T.).

fectas, et investitionem aut professionem eiusmodi promoventes vel admittentes, in his scriptis et praesentium tenore comminamur, a qua excommunicatione nonnisi a nobis aut nostro in spiritualibus vicario absolvi valeant, quando lata fuerit[1], praeter alias ordinarias ac arbitrarias poenas certe infligendas) nullus postea eo loco (ubi, contra quam praescribimus, actum fuerit) investiatur aut ad professionem faciendam admittatur: morientes quoque, qui testamenta condiderint, seu aliquid praescriptorum de exequiis aut annuis obitus sui memoriis ordinaverint, aut superioribus vel aliis quibuscumque pecuniam aut peculium assignaverint, ecclesiasticâ priventur sepulturâ: superiores vero et alii, qui pecuniam vel peculium tali modo exegerint vel receperint, aut ordinationibus scriptis consenserint aut admiserint, a praelaturis et officiis suis sint suspensi, donec transgressores ad obedientiam venerint, et nobis pro excessibus suis satisfecerint.

Mandamus proinde fiscalibus omnibus ut omnes diligentiae ac vigilantiae nervos intendant, ne quid ab eis desideretur officii in faciendâ investigatione et delatione huiusmodi excessuum. Qui ne per aliquam ignorantiae rimulam denuo alibi irrepant, aut inolitae, vitiosae, et corruptae consuetudinis ianuam palam ingrediantur, volumus, ut, quotiescumque aliquis investiendus aut professionem editurus est, haec nostra constitutio in congregatione omnium istius monasterii professorum publice legatur uno mense ante investitionem et professionem, eademque per superiores monasterii plenissime explicetur parentibus et amicis investiendorum atque professionem editurorum, eosque promoveant ut omnibus modis huic nostrae sanctioni obedienter aquiescant et satisfaciant.

Praecipimus propterea visitatoribus et rectoribus omnibus, ut eamdem per singulos articulos in omni visitatione suâ, et aliàs, quotiescumque videbitur, vigilantissime inquirant, examinent et vindicent.

Insuper (cum ob graves causas frequenter mandatum sit, ut virginibus sanctimonialibus, praeter ordinarium confessarium, bis aut ter in anno alius extraordinarius confessarius offeratur, qui omnium confessiones audire deberet, et nedum satis pro afflictarum conscientiarum consolatione ea res in usum ubique venerit, quin supersit iustae querelae locus) sub poenâ excommunicationis mandamus omnibus abbatibus, praelatis, praepositis, rectoribus, confessariis, monasteriorum praefectis, ad quos haec cura aliquo modo pertinere dignoscitur, ut quotannis sanctimonialibus suis, bis aut ter, aliquem a nobis aut nostro in spiritualibus vicario approbatum confessarium extraordinarium, sive saecularem sive regularem, offerant, qui omnium confessiones audiat, nimirum in principio Quadragesimae, ad festum Assumptionis beatae Mariae Virginis, et circa festum omnium Sanctorum, seu in principio Adventus Domini, aut aliis temporibus magis opportunis:

Et, ut nobis constet quinam et quales isti extraordinarii confessarii sint, et ne iniusta fieri possit contra personam exceptio, tenebuntur singuli monasteriorum praelati, praefecti aut rectores (quibus incumbit huiusmodi confessarium nominare) suum et confessarii ordinarii atque extraordinarii[1] nomen nobis aut nostro in spiritualibus vicario quotannis

1 Erronee edit. Main. habet *latae fuerint* (R. T.).

1 *Gallia Christiana* loc. cit. habet: *suorum confessarii ordinarii et extraordinarii nomen* (R. T.).

scripto exhibere ante Dominicam Quinquagesimae.

Datum Arnsburgi anno MDCV, die XII mensis septembris.

Archiepiscopus eadem statuta petit confirmari.

§ 2. Cumque cupias praeinserta statuta seu decreta a te edita, pro maiori illorum firmitate et firmiori observantiâ, apostolicâ auctoritate confirmari, tuo nomine nobis fuit humiliter supplicatum ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Pontifex.

§ 3. Nos igitur te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinserta statuta seu decreta a te edita, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Regularium praepositorum consilio, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque omnibus et singulis apostolicae inviolabilis firmitatis robur adiicimus, supplentes omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem; tibique, ut statuta et decreta suprainserta inviolabiliter observari facere possis et valeas, concedimus et indulgemus.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quorumcumque monasteriorum, conventuum et Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores pro expressis habentes, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die VI iunii MDCVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 6 iunii 1607, pontif. an. II.

LXXVIII.

Confirmatio concordiae inter regem catholicum et archiepiscopum Caesaraugustanum aliosque super augmento fructuum ab aquis fluminum Iberi et Xalonis provenientium initae[1].

Dilecto filio, nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio,

Paulus Papa V.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, ac venerabilis frater Caesaraugustanus archiepiscopus, ac alii in infrascriptâ concordiâ interesse habentes, quod aliàs felicis recordationis Clementi VII et Paulo III, et successive Iulio etiam III Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris, pro parte clarae memoriae Caroli V, Romanorum imperatoris, qui etiam Aragoniae et Navarrae rex catholicus erat, exposito[2], quod, provide considerans, propter penuriam aquarum, et quae exinde cau-

[1] Ex regest. in Secret Brev.

[2] Sequens expositio legitur etiam iisdem fere verbis in Constit. CXIX Clementis VIII quam habes in tomo X pag. 233; sed ibi quoque fere iisdem mendis scatet (R. T.).

sabatur sterilitas[1] terrarum Aragonum et certae partis Navarrae regnorum, habitatores[2] ipsius regni Aragonum in eorum alimentis et aliis rebus humanae vitae necessariis maximam pati egestatem, et, tamquam optimus subditorum suorum protector, egestati huiusmodi providere volens, ex duobus fluminibus insignibus, Ibero videlicet et Xalone, per dictum regnum Aragonum discurrentibus, aquas, pro dictis terris irrigandis, deduci mandaverat; et cum[3] ex praemissis, tam propter alveorum dictorum fluminum asperitatem, quam longitudinem fovearum et rivulorum pro decursibus aquarum, magnae admodum expensae necessariae essent, et, ad eas sublevandas, Sedis Apostolicae auxilium et auctoritas, prout in similibus fieri consueverat, plurimum requireretur: ipsi Clemens, Paulus et Iulius praedecessores, ad ipsius Caroli imperatoris et regis supplicationem, per diversas eorum litteras certis viris probis in partibus illis et eorum cuilibet successive dederunt in mandatis, ut, habitâ per eos seu eorum alterum diligenti informatione, quantum quolibet anno, a tunc proxime praeteritis tribus annis, fertili cum sterili compensato, pro decimis et primitiis (ex fructibus in dictorum regnorum terris collectis) ecclesiis, monasteriis et aliis piis locis, aut illarum seu illorum rectoribus vel beneficiatis Caesaraugustanae et Tirasonensis civitatum et dioecesum persolutum fuisset, illisque perpetuis futuris temporibus singulis annis persolutis, augmentum decimarum et[1] primitiarum, quod tam ex fructuum superexcrescentiâ[2] propter irrigationem huiusmodi, quam ex novalibus[3], quae ex derivatione et irrigatione aquarum huiusmodi provenirent aut propterea ad culturam et frugem pinguiorem redigerentur, pro tempore fieret[4], eidem Carolo imperatori et regi, illiusque in dicto regno Aragonum successoribus, cum primum aquae fluminis huiusmodi per foveas sive rivulos ad terras irrigandas perducerentur, licet ad finem perductae non forent, etiam annis singulis persolvendum[5] esse decernerent, prout in singulis dictis lit-

1 Aptius fortasse legeres *sterilitatem* (R. T.)

2 Legimus *habitatores* pro *habitatoribus* quod legitur in edit. Main.; et nihilominus adhuc defectiva lectio videtur; et fortasse legendum: *provide considerans, propter penuriam aquarum et quae inde sequebatur sterilitatem terrarum Aragonum et certae partis Navarrae regnorum,* habitatores ipsorum regnorum Navarrae *et Aragonum in eorum alimentis... maximam pati egestatem* (R. T.).

3 Ut syntaxim continuam assequaris, adverte quod vox *exposito*, quae praecessit, aequivalet formulae *cum expositum fuisset*: itaque construe sic: *cum expositum fuisset quod... mandaverat; et cum ex praemissis* etc. (R. T.).

1 Coniunct. *et* nos addimus ex praecit. Clementis VIII Constitutione (R. T.).

2 Perperam edit. Main. legit *super excrescentia* (R. T.).

3 *Novale* accipitur pro agro qui de novâ terrâ proscissâ ad cultum redigitur. Vide Ducange ad h. vocem (R. T.).

4 Edit. Main. legendo in utroque loco *fierent* totam syntaxim confundebat et locum inextricabilem efficiebat. Sensus itaque est: commissarii debebant diligenter sumere informationem quantum decimarum et primitiarum persolutum fuisset ecclesiis (et aliis locis piis) retro temporibus ante terrarum irrigationem, mediâ ratione sumptâ a tunc proxime praeteritis tribus annis, fertili cum sterili compensato; et deinde, retento et stabilito quod illa eadem quantitas decimarum et primitiarum iisdem ecclesiis et locis piis perpetuis futuris temporibus persolveretur (nam istiusmodi sensus est illius commatis: *illisque perpetuis futuris temporibus persolutis*), de caetero statuerent commissarii augmentum primitiarum et decimarum, ex irrigatione perventurum, ipsi Carolo regi persolvendum esse, ut postea explicatur.

5 Edit. Main. fert *persolvendas esse*, sed perperam; nam subiectum est *augmentum* antea dictum: hac saltem vice in praecitatâ Cle-

teris plenius continetur[1]. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, informatio a principio quantum quolibet anno a tunc proxime praeterito, iis tribus annis[2], fertili cum sterili compensatis, pro decimis et primitiis praedictis ecclesiis, monasteriis et piis locis persolutum fuisset, iuxta earumdem litterarum formam facta non fuerit, sed[3] postquam aquae pro irrigandis terris huiusmodi per foveas et rivulos cum magnis expensis dictus Carolus imperator et rex deduci fecisset, et exinde habitatoribus earumdem partium utilitas et commoda non parva provenissent; super excrescentia[4] decimarum et primitiarum, etiam novalium, Carolo imperatori et regi, ac successive eidem Philippo regi eius successori, non iuxta litterarum praedictarum formam, sed iuxta aestimationem, quantum singulis annis decimae et primitiae, habità ratione pluviarum, propter huiusmodi irrigationes excreverint, facta fuit: et quia forma huiusmodi valde incommoda et dispendiosa, ac praeter formam litterarum praedictarum apostolicarum existit, ob non factam, ut praefertur, a principio ecclesiis, monasteriis et aliis locis praedictis assignationem, iuxta earumdem litterarum apostolicarum formam:[5] quibus omnibus per Philippum regem et archiepiscopum Caesaraugustanum et interesse habentes mature consideratis, auditàque peritorum in praemissis sententià, ac habità ratione, quantum annuatim (dictà posteriori formà, per eos, ut praefertur, servatà) ecclesiis, monasteriis et locis praedictis obvenerit ab anno MDXLVII ad annum MDXCIII, a quo tempore terrae infrascriptorum locorum irrigantur, ut ex processibus apparet, eorumdem peritorum adhibito consilio, omnibusque rite et recte ac mature examinatis, inter Philippum regem et dictum archiepiscopum et alios interesse habentes, ad huiusmodi verbo vel in scriptis deventum fuit concordiam, videlicet: quod ecclesiis, monasteriis et aliis beneficiatis huiusmodi semel assignetur id quod habere et consequi debent: non autem ad arbitrium et prout unoquoque anno pluit, et aliter campi irrigantur, sed in de Banuel[1] videlicet quinque ex sex, et in de Cortes duae ex tribus, necnon in de Malen[2] tres ex quinque partibus ipsi Philippo regi, reliquae vero partes Ordinario et aliis interesse habentibus, ac in de Galur[3], locis seu oppidis Caesaraugustanae dioecesis, medietas Philippo regi, aliaque medietas fructuum decimalium et primitialium terrarum, ab antiquo coli solitarum, eidem Ordinario et interesse habentibus praedictis darentur; salvis in reliquis iuribus dicti Philippi regis super decimis et primitiis dictarum terrarum, quae ab anno MDXXXVII[4] incultae fuerunt, et denuo coluntur et irrigantur, et antea non colebantur, quae

Concordia habita.

mentis VIII Constitutione vera lectio *persolvendum* reperitur (R. T.).

1 Praedictae litterae tum Iulii II tum Clementis VII et Pauli III non sunt in *Bull.* (R. T.).

2 Videretur legendum ut paulo ante: *a tunc proxime praeteritis tribus annis*, et reverà sic legitur hoc loco in praecitatà Clementis VIII Constitutione (R. T.).

3 Subintellige *facta fuerit* (R. T.).

4 Sic edit. Main.; at videretur potius legendum *persolutio superexcrescentiae* (R. T.).

5 Aptius syntaxis, ut videtur, requireret legendum *ideo his omnibus ... consideratis* (R. T.).

1 Edit. Main. tum heic tum in Constit. Clementis VIII legit *inde Banuel... inde Cortes... inde Malen... inde Galur*, at certum mihi videtur legendum esse *in de Manuel, in de Cortes, in de Malen, in de Galur* nempe *locis et oppidis*, ut postea sequitur; alioquin sensum non intelligo (R. T.).

2 In praecit. Clem. VIII Constit. legitur *Mollene* (R. T.).

3 Ibid. legitur *Gallue* (R. T.).

4 Aptius fortasse ibid. legitur MDXLVII (R. T.).

omnes ad eumdem Philippum regem spectent: quod[1] vero a rivulo seu foveâ Cequiae irrigari non possunt omnes, ad eumdem Ordinarium et interesse habentes spectent, nec sub aliquâ divisione comprehendantur: haec tamen concordia intelligi debeat et duret quatenus terrae irrigentur, aut ad hoc aqua detur, ac donec fovea seu rivulus Cequiae huiusmodi in totum perficiatur, ita ut termini seu territoria Caesaraugustana et planities de Fuentes illo irrigentur, et aliàs prout in dictâ concordiâ et scripturis desuper confectis (quam quidem concordiam felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, per suas in simili formâ Brevis litteras, tunc in regnis Hispaniarum nuncio directas, sub die VI novembris MDXCV desuper expeditas confirmari et approbari mandavit[2]) plenius continetur.

Petitur confirmatio concordiae.

§ 2. Cumque firmiora sint ea, quae Sedis Apostolicae patrocinio saepius muniuntur, et propterea tam dictus Philippus rex quam archiepiscopus Caesaraugustanus et alii interesse habentes cupiant concordiam praedictam, quae in earumdem partium et praesertim ecclesiarum commodum et utilitatem cedere dignoscitur, ut firmius observetur, nostro et Sedis Apostolicae patrocinio roborari; ideo nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Committitur.

§ 3. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, ac singularum praedictarum et aliarum litterarum tenores ac inde sequutorum praesentibus pro expressis habentes, tibi per praesentes committimus et mandamus, quatenus, consideratis, per te, vel alium, seu alios, quos ad id idoneos duxeris deputandos, considerandis, vocatis similiter aliis, forsan interesse habentibus in huiusmodi fructibus, ad concordiamque reductis, si concordiam huiusmodi in eiusdem archiepiscopi et interesse habentium commodum esse repereris, eam, prout facta et, ut praefertur, confirmata est, denuo, auctoritate nostrâ apostolicâ, confirmes et approbes, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicias, ac omnes et singulos tam iuris quam facti et etiam quoscumque alios defectus, si qui tam in concordiâ quam aliis praemissis et inde sequutis quomodolibet intervenerunt, suppleas, ac illam ab omnibus interesse habentibus, etiam sub ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, inviolabiliter observari cures, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria tolluntur.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiarum, monasteriorum et piorum locorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXVI iunii MDCVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 26 iunii 1606, pontif. an. III.

1 Hic videretur legendum: *quoad vero terras quae a rivulo... irrigari non possunt* (et ideo ex operibus Caroli regis nullum commodum et augmentum accipiunt), ideo omnes illorum fructus debeantur ecclesiasticis, et nulla pars regi persolvi debeat (R. T.).

2 Litteras Clem. VIII habes, ut supra, in tom. X pag. 233 (R. T.).

LXIX.

Unio abbatiae S. Mariae in Venticano Beneventanae dioecesis bibliothecae Vaticanae[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Paulus Papa V,

ad perpetuam rei memoriam.

Clemens VIII concessit bibliothecario S. R. E. monasterium S. Mariae de Venticano.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Clemens Papa VIII, praedecessor noster, officio sanctae Romanae Ecclesiae bibliothecarii, quod bonae memoriae Caesar tituli sanctorum Nerei et Achillei presbyter cardinalis Baronius nuncupatus S. R. E. bibliothecarius, tunc in humanis agens, obtinebat, de aliquo subventionis auxilio providere volens, motu eius proprio, monasterium, abbatiam nuncupatum, sanctae Mariae de Venticano sancti Benedicti vel alterius Ordinis Beneventanae dioecesis, illiusque commendâ tunc per obitum quondam Jacobi de Leo defuncti cessante, adhuc eo, quo ante commendam ipsam vacabat, modo vacans, cum annexis iuribus et pertinentiis suis, praedicto officio (ita quod liceret dicto Caesari cardinali et pro tempore existenti S. R. E. bibliothecario pro eius commodiori manutentione, ac onerum dicti officii supportatione, corporalem, realem et actualem possessionem monasterii et annexorum, iuriumque et pertinentiarum praedictorum, per se, vel alium, seu alios, eius ac dictae bibliothecae nominibus propriâ auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, necnon monasterii et annexorum huiusmodi fructus, redditus et proventus, iuraque, obventiones et emolumenta percipere, ac in suos et dictae bibliothecae usus, utilitatem et necessitates convertere, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ), apostolicâ auctoritate perpetuo univit, annexuit et incorporavit, prout in litteris apostolicis desuper confectis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, plenius continetur[1].

[1] Praedictam Clementis VIII Constitutionem in *Bullario* esse non puto (R. T.).

Paulus illud unit bibliothecae Vaticanae.

§ 2. Cum autem officium praedictum per obitum dicti Caesaris cardinalis, qui hodie seu nuper apud Sedem Apostolicam debitum naturae persolvit, vacaverit et vacet ad praesens; nos sumptibus et expensis, qui quotidie in dictâ bibliothecâ fieri solent, aliquâ ratione consulere cupientes, ac dicti monasterii fructuum, reddituum et proventuum verum annuum valorem, secundum commune maestimationem, aliarumque unionum dictae bibliothecae forsan hactenus factarum tenores praesentibus etiam pro expressis habentes, motu simili, ac ex certâ scientiâ nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula monasterii et annexorum huiusmodi fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta in quibusvis rebus consistentia et undecumque provenientia (praeviâ illorum separatione et dismembratione a dicto officio) praefatae bibliothecae ac illius usibus, sumptibus et expensis (non autem illius bibliothecario) destinata et applicata esse et censeri decernimus et declaramus, prout, quatenus opus sit, motu et auctoritate paribus ex nunc tenore praesentium applicamus et appropriamus: ita quod futuri S. R. E. bibliothecarii, in perceptione fructuum, reddituum, proventuum et emolumentorum huiusmodi, nisi ad commodum et utilitatem bibliothecae ac expensarum huiusmodi sese quoquo modo ingerere non possint nec valeant, sed ipsi tantummodo nudi administratores fructuum, reddituum, proventuum et emolumentorum ac aliorum bonorum dicti monasterii sint et esse censeantur.

Clausula.

§ 3. Decernentes praesentes litteras etiam ex eo quod dictum officium legitime careat defensore, et quicumque in praemissis interesse habentes vel habere praetendentes illis non consenserint, et ad ea vocati, et causae, propter quas emanarint,

verificatae, seu iustificatae non fuerint, aut ex quocumque alio capite vel causâ quantumvis legitimâ et iuridicâ, de subreptionis vel obreptionis vitio notari, impugnari, retractari, annullari, invalidari, seu in ius aut controversiam vocari, ad viam et terminos iuris reduci, aut adversus illas quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari vel concedi nullatenus umquam posse, sed illas semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Inhibentes pro tempore existenti bibliothecario praedicto, ne in perceptione fructuum, reddituum, proventuum et emolumentorum praedictorum ac aliorum iurium dicti monasterii in alios quam usus praedictos se immiscere audeat seu quoquo modo praesumat.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac nostris de non tollendo iure quaesito, et unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in causis a iure permissis, fieri prohibentis[1] aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon monasterii ac bibliothecae huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis ac dicto bibliothecario, aliisque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu pari et consistorialiter ac aliàs, in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse motu simili derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fructus dicti monasterii penes depositarium Camerae Apostolicae deponendi.

§ 5. Volumus autem ut pecuniae omnes, ex dicto monasterio quomodolibet provenientes, penes depositarium Camerae nostrae Apostolicae deponantur, et inde non removeantur, nisi ad effectum illas in usus, sumptus, expensas et necessitates dictae bibliothecae, non autem illius bibliothecarii, realiter et cum effectu convertantur, iuxta tamen mandata ab eodem bibliothecario seu ab eo deputando subscribenda.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die I iulii MDCVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 1 iulii 1607, pontif. an. III.

LXXX.

Nuncio Apostolico Hispaniarum committitur visitatio hospitalis regii Burgensis[1].

1 Edit. Main. habet *prohibente* R. T.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Paulus Papa V,

ad perpetuam rei memoriam.

Clemens VIII concessit bibliothecario S. R. E. monasterium S. Mariae de Venticano.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Clemens Papa VIII, praedecessor noster, officio sanctae Romanae Ecclesiae bibliothecarii, quod bonae memoriae Caesar tituli sanctorum Nerei et Achillei presbyter cardinalis Baronius nuncupatus S. R. E. bibliothecarius, tunc in humanis agens, obtinebat, de aliquo subventionis auxilio providere volens, motu eius proprio, monasterium, abbatiam nuncupatum, sanctae Mariae de Venticano sancti Benedicti vel alterius Ordinis Beneventanae dioecesis, illiusque commendâ tunc per obitum quondam Jacobi de Leo defuncti cessante, adhuc eo, quo ante commendam ipsam vacabat, modo vacans, cum annexis iuribus et pertinentiis suis, praedicto officio (ita quod liceret dicto Caesari cardinali et pro tempore existenti S. R. E. bibliothecario pro eius commodiori manutentione, ac onerum dicti officii supportatione, corporalem, realem et actualem possessionem monasterii et annexorum, iuriumque et pertinentiarum praedictorum, per se, vel alium, seu alios, eius ac dictae bibliothecae nominibus propriâ auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, necnon monasterii et annexorum huiusmodi fructus, redditus et proventus, iuraque, obventiones et emolumenta percipere, ac in suos et dictae bibliothecae usus, utilitatem et necessitates convertere, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ), apostolicâ auctoritate perpetuo univit, annexuit et incorporavit, prout in litteris apostolicis desuper confectis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, plenius continetur[1].

Paulus illud unit bibliothecae Vaticanae.

§ 2. Cum autem officium praedictum per obitum dicti Caesaris cardinalis, qui hodie seu nuper apud Sedem Apostolicam debitum naturae persolvit, vacaverit et vacet ad praesens; nos sumptibus et expensis, qui quotidie in dictâ bibliothecâ fieri solent, aliquâ ratione consulere cupientes, ac dicti monasterii fructuum, reddituum et proventuum verum annuum valorem, secundum commune maestimationem, aliarumque unionum dictae bibliothecae forsan hactenus factarum tenores praesentibus etiam pro expressis habentes, motu simili, ac ex certâ scientiâ nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula monasterii et annexorum huiusmodi fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta in quibusvis rebus consistentia et undecumque provenientia (praeviâ illorum separatione et dismembratione a dicto officio) praefatae bibliothecae ac illius usibus, sumptibus et expensis (non autem illius bibliothecario) destinata et applicata esse et censeri decernimus et declaramus, prout, quatenus opus sit, motu et auctoritate paribus ex nunc tenore praesentium applicamus et appropriamus: ita quod futuri S. R. E. bibliothecarii, in perceptione fructuum, reddituum, proventuum et emolumentorum huiusmodi, nisi ad commodum et utilitatem bibliothecae ac expensarum huiusmodi sese quoquo modo ingerere non possint nec valeant, sed ipsi tantummodo nudi administratores fructuum, reddituum, proventuum et emolumentorum ac aliorum bonorum dicti monasterii sint et esse censeantur.

Clausula.

§ 3. Decernentes praesentes litteras etiam ex eo quod dictum officium legitime careat defensore, et quicumque in praemissis interesse habentes vel habere praetendentes illis non consenserint, et ad ea vocati, et causae, propter quas emanarint,

[1] Praedictam Clementis VIII Constitutionem in *Bullario* esse non puto (R. T.).

verificatae, seu iustificatae non fuerint, aut ex quocumque alio capite vel causâ quantumvis legitimâ et iuridicâ, de subreptionis vel obreptionis vitio notari, impugnari, retractari, annullari, invalidari, seu in ius aut controversiam vocari, ad viam et terminos iuris reduci, aut adversus illas quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari vel concedi nullatenus umquam posse, sed illas semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Inhibentes pro tempore existenti bibliothecario praedicto, ne in perceptione fructuum, reddituum, proventuum et emolumentorum praedictorum ac aliorum iurium dicti monasterii in alios quam usus praedictos se immiscere audeat seu quoquo modo praesumat.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac nostris de non tollendo iure quaesito, et unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in causis a iure permissis, fieri prohibentis[1] aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon monasterii ac bibliothecae huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis ac dicto bibliothecario, aliisque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu pari et consistorialiter ac aliàs, in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse motu simili derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fructus dicti monasterii penes depositarium Camerae Apostolicae deponendi.

§ 5. Volumus autem ut pecuniae omnes, ex dicto monasterio quomodolibet provenientes, penes depositarium Camerae nostrae Apostolicae deponantur, et inde non removeantur, nisi ad effectum illas in usus, sumptus, expensas et necessitates dictae bibliothecae, non autem illius bibliothecarii, realiter et cum effectu convertantur, iuxta tamen mandata ab eodem bibliothecario seu ab eo deputando subscribenda.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die I iulii MDCVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 1 iulii 1607, pontif. an. III.

LXXX.

Nuncio Apostolico Hispaniarum committitur visitatio hospitalis regii Burgensis[1].

1 Edit. Main. habet *prohibente* R. T.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Venerabili fratri Decio archiepiscopo Damasceno nostro et apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Commissio de qua in rubrica.

§ 1. Cum, sicut accepimus, hospitale regium prope et extra muros Burgensis existens, nobisque et Apostolicae Sedi immediate subiectum, quod[1] a personis ecclesiasticis solum a Sede Apostolicâ deputatis visitatum fuerit; nos per praesentes fraternitati tuae committimus et mandamus, quatenus, si ita esse compereris, in exequutione visitationis, vigore alterius cuiusvis, quam nostrae et eiusdem Sedis commissionis, factae, supersederi auctoritate nostrâ mandet, donec a nobis aliter fuerit ordinatum; interim vero ad exequutionem litterarum nostrarum in hac formâ Brevis de mense septembris anni proxime praeteriti MDCVI expeditarum[2], per quas dilecto filio nostro Ioanni Garziae presbytero cardinali Millino nuncupato tunc in istis regnis nostro et dictae Sedis nuncio, ut aliquam personam in dignitate ecclesiasticâ constitutam, doctrinâ, prudentiâ, integritate et experientiâ praestantem, eius arbitrio eligendam, in eiusdem hospitalis visitatorem deputare valeret, facultatem concessimus, utque eiusmodi deputationem faceret, commisimus et mandavimus, ipsique visitatori, sic deputando, hospitale praedictum modo et formâ tunc expressis visitandi et reformandi facultatem concessimus, prout in eisdem litteris plenius continetur, procedi cures et facias. Nos enim tibi earumdem nostrarum litterarum, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, exequutionem plenariam, perinde ac si eaedem litterae tibi ipsi directae fuissent, curandi et faciendi, simili auctoritate tenore praesentium, omnimodam tribuimus facultatem et auctoritatem.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis, quae in eisdem litteris voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XIV iulii MDCVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 14 iulii 1607, pontif. an. III.

1 Particulam *quod* redundare facile senties (R. T.).

2 Quas vide supra ad pag. 365 h. vol. (R. T.).

LXXXI.

Poenae spirituales contra ecclesiasticos primae dignitatis regni Siciliae boves, vaccas vitulosque mactantes[1].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Recenset litteras superius indicatas.

§ 1. Aliàs, ex causis tunc expressis, ac supplicationibus charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, qui etiam Siciliae ultra Pharum rex existit, nomine nobis porrectis inclinati, per nostras in simili formâ Brevis sub datâ XXIII martii proxime praeteriti expeditas litteras[2], omnibus et quibuscumque personis ecclesiasticis tam saecularibus quam regularibus, etiamsi saeculares tam patriarchali, episcopali aut quavis aliâ dignitate vel excellentiâ, regulares vero personae huiusmodi cuiusvis Ordinis, etiam quantumvis exempti et privilegiati, nec non Militiarum, etiam sancti Ioannis Hierosolymitani, existerent, in virtute sanctae obedientiae ac sub indi-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Constitutione LXIX huiusmodi mactationem prohibuerat Paulus, quam vide supra pag. 385.

gnationis nostrae necnon mille scutorum quoad saeculares, quo vero ad regulares personas huiusmodi quorumcumque officiorum ac dignitatum, etiam generalium, quae obtinent, privationis ac incapacitatis ad illa et alia similia vel dissimilia imposterum obtinenda, quo autem ad fratres hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani huiusmodi, aliorum mille scutorum, et in subsidium quoad eos qui non habent in aere, exilii a toto regno Siciliae ultra Pharum praedicto poenis per contravenientes incurrendis districte prohibuimus et inhibuimus, ne ipsi aut eorum aliqui de caetero quovis quaesito colore, praetextu vel ingenio boves, vaccas, vitulos aut animalia huiusmodi agrorum culturae inservientia mactare seu mactari facere, vel aliàs mactantibus auxilium vel favorem occulte vel publice, directe vel indirecte, dare auderent seu praesumerent, ac venerabilibus fratribus archiepiscopis Panormitano et Messanensi mandavimus, ut ipsi, vel quilibet eorum, per se, vel alium, seu alios in dignitate ecclesiasticà constitutos easdem litteras et in eis contenta quaecumque publicari et sub praedictis et aliis sibi benevisis poenis per quoscumque antistites, praelatos, tam saeculares quam regulares, capitula, clericos, fratres, milites et personas quaslibet, quantumvis exemptas, omnibus iuris et facti remediis, invocato etiam brachio saeculari, omni morà, dilatione et exceptione remotis, facerent, praeciperent et mandarent inviolabiliter observari: contradictores quoslibet et rebelles per praedictas, seu alias eis benevisas, etiam corporis afflictivas, citra tamen sanguinis, poenas ac censuras ecclesiasticas, auctoritate nostrà, appellatione postpositâ, compescendo, prout in praedictis litteris (quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus) plenius continetur.

Poenas addit spirituales contra ecclesiasticos, etc., ut in rubricà.

§ 2. Quas quidem litteras nostras inviolabiliter, ut par est, observari cupientes, eisdem ibi expressis causis adducti, ac supplicationibus eiusdem Philippi regis nomine iterum nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis personis ecclesiasticis in dicto regno Siciliae ultra Pharum existentibus (patriarchis, archiepiscopis et episcopis exceptis) boum, vaccarum, vitulorum et aliorum animalium supradictorum mactationem sub excommunicationis poenâ; patriarchis vero archiepiscopis et episcopis sub poenà suspensionis ab ingressu ecclesiae ad beneplacitum nostrum ipso facto incurrendis (ultra alias poenas in dictis nostris litteris contentas) tenore praesentium interdicimus et prohibemus.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae in praedictis litteris voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXI augusti MDCVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 21 augusti 1607, pontif. an. III.

LXXXII.

Declaratio et confirmatio privilegii fori pro Regularibus intra claustra degentibus[1].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Religiosorum sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium quieti prospicere cupientes, quae illam quoquo modo per-

1 De Regularibus extra claustra delinquentibus puniendis, Clemens VIII edidit Constit. CXVIII, *Suscepti muneris ratio* (in h. n. edit. CXXIV, tom. X pag. 249).

turbare posse videntur, opportunâ nostrâ declaratione e medio tollere, ac aliâs desuper opportune providere curamus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Ordinarii quidam praetendebant religiosos coram se convenire 1.

§ 1. Cum itaque, nomine dilecti filii Basilii Angussolae procuratoris generalis Ordinis fratrum Carmelitarum, in congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Tridentini Concilii interpretum expositum fuerit, in Hispaniarum regnis quosdam Ordinarios locorum contendere religiosos intra claustra degentes coram ipsis Ordinariis conveniri debere in causis civilibus cap. *Volentes, de privilegiorum in 6* comprehensis, propter illius innovationem a Concilio Tridentino factam, sess. VII, cap. XIV, quo praefatos religiosos, eorum privilegiis abrogatis, defendunt comprehendi: praeterea eosdem locorum Ordinarios pariter contendere eosdem religiosos intra claustra degentes in primâ instantiâ coram ipsis conveniri debere ex decreto eiusdem Concilii Tridentini sess. XXIV, cap. XX *de Reformatione*;

Sacra Congregatio super interpretatione Concilii Tridentini contrarium decrevit.

§ 2. Cumque ab eodem Basilio procuratore generali in eâdem congregatione supplicatum fuerit, ut super utrâque responsa darent, ab eâdem vero congregatione fuerit responsum: neque constitutione in generali Concilio Lugdunensi editâ, quae incipit *Volentes*, neque decreto Concilii Tridentini cap. XIV, sess. VII comprehendi regulares, ideoque eos, iuxta eorum privilegia, coram suis superioribus vel conservatoribus esse conveniendos; necnon decretum eiusdem Concilii Tridentini dicto cap. XX, sess. XXIV ad regulares non pertinere, nec eorum conservatorias imminuere, nec quoad primam illam instantiam aliquid novi inducere; ipseque Basilius procurator generalis nobis humiliter supplicari fecerit, ut, pro sui Ordinis quiete, supradictas declarationes ab eisdem locorum Ordinariis servari debere apostolicâ auctoritate praecipere dignaremur:

1 Ex cap. *Volentes de privilegiorum in 6*, et ex cap. XX, sess. 24, Concilii Tridentini.

Paulus id approbat.

§ 3. Nos, illius huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis locorum Ordinariis in virtute sanctae obedientiae per praesentes districte praecipiendo mandamus, ne fratres et religiosos dicti Ordinis Carmelitarum contra dispositionem declarationum praedictarum perturbare, inquietare quoquo modo audeant vel praesumant: irritum nihilominus et inane decernentes quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Et ita servari mandat.

§ 4. Quocirca dilectis filiis causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori et nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum religiosorum eorumve superiorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos eorumdem praemissorum effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari: contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dictis, dummodo ultra tres dictas aliquis auctoritate praesentium ad

iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum bullae. § 6. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subsciptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae eisdem praesentibus haberetur, si originaliter forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXIV augusti MDCVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 24 augusti 1607, pontif. an. XIII.

LXXXIII.

Declaratur congregationem cardinalium super fontibus ac S. R. E. camerarium vel alios quoscumque aliquam aquae virginis *quantitatem nemini absque speciali mandato pontificio concedere posse* [1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Prohibitionis causae. § 1. Quoniam multiplici concessione, quae fieri consuevit personis privatis, *aquae virginis* illius primarium Trivii nuncupatum et alios publicos almae Urbis nostrae fontes valde imminui compertum est; nos, eorumdem fontium conservationi ad Urbis ornatum et publicam commoditatem prospicere volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, statuimus et ordinamus ne de caetero quisquam, quavis auctoritate et facultate

Prohibitio. fungatur, nec etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales super fontibus deputati, aut eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae camerarius, quamcumque dictae Aquae Virginis partem seu quantitatem quantumvis exiguam, sine speciali mandato per chyrographum manu nostrâ subscriptum illis dato, cuique quovis titulo dare vel concedere possint; irritum nihilominus et inane decernentes quicquid secus super his a quoquam illorum, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem cardinali camerario aut quibusvis aliis in contrarium praemissorum quomolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die XVIII septembris MDCVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 18 septembris 1607, pontif. anno III.

LXXXIV.

Contra Canonicos regulares Congregationis sancti Salvatoris, Ordinis sancti Augustini, dignitates et officia ipsius Ordinis conquisitis extra Religionem favoribus ambientes, eorumque complices et fautores, necnon superiores ad eosdem in electionibus favores attendentes [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Congregationem istam probavit Gregor. XII ut supra in sua Constit. III *Excitat.* tom. III pag. 651.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam

Ambitus Regularium improbatur.

Quoniam nemo debet sibi assumere honorem[1], nisi vocatus a Deo tamquam Aaron, et a regularis vitae instituto valde alienum est, ut Religiosi mendicatis, saecularium praesertim personarum, studiis ad dignitatum gradus sibi aditum patefacere contendant, unde magna in Ecclesiâ Dei mala provenire solent; nos, pro muneris nostri debito, huic malo, quantum in nobis est, opportunum remedium adhibendum censuimus.

Canonici regulares S. Salvatoris, ad obtinendas dignitates Ordinis, favores personarum extra religionem requirebant.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, quidam in Congregatione Canonicorum Regularium sancti Salvatoris, Ordinis sancti Augustini, dignitatum et officiorum in dictâ Religione ambitione ducti, pro iis consequendis, ecclesiasticorum et saecularium principum aut aliarum personarum studia requirant, et a sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus aliisque praelatis commendatitias litteras, aliosque favores et gratias procurent, quibus adiuti gradus et dignitates in eâdem Religione consequi valeant:

Hunc ergo ambitum Pontifex illis sub gravibus poenis interdicit.

§ 2. Propterea nos, dictae Religionis officia et dignitates pro meritis cuiusque absque ambitu conferri cupientes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac merâ deliberatione nostris, omnes et singulos Canonicos regulares dictae Congregationis et Ordinis, cuiuscumque status, gradus, conditionis, praeeminentiae, qualitatis et dignitatis existentes, qui de caetero pro praelaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus et aliis officiis Congregationis et Ordinis praedictorum consequendis, ad principum et praelatorum ac aliarum quarumcumque personarum, tam ecclesiasticarum quam saecularium, de gremio dictae Congregationis non existentium, etiam cardinalatus honore et quacumque saeculari dignitate et excellentiâ, etiam imperiali, regali et ducali fulgentium favores recurrerint, aut aliàs viis illicitis ad huiusmodi praelaturas, gradus, honores dignitates, administrationes et alia officia obtinenda aspiraverint, vel aliis minus legitimis et honestis rationibus ea obtinere quesiverint, ac iis obtentis usi fuerint, illorumque complices et fautores, ad quascumque praelaturas, dignitates, officia, gradus, honores, administrationes et munera in ipsâ Congregatione obtinenda, perpetuo inhabiles declaramus, ac obtentis per eos praelaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus et officiis huiusmodi eo ipso privamus, et sic privatos voce tam activâ quam passivâ carere decernimus et declaramus.

Superioribusque in electionibus huiusmodi favores attendere, vel poenas aliquas remittere prohibet sub poena inobedientiae et excommunicationis.

§ 3. Atque in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae poenâ, omnibus dictorum Congregationis et Ordinis superioribus, praelatis, canonicis, quocumque titulo nuncupatis, etiam priori generali, praesentibus et futuris, praecipimus districteque mandamus, ne quempiam ullo tempore, precibus, litteris, vel favoribus adducti, vel aliàs ad instantiam, seu requisitionem, vel contemplationem principum, etiam imperatoris, regum, ducum et rerumpublicarum vel praelatorum, etiam S. R. E. cardinalium, aut aliarum quarumcumque personarum, tam saecularium quam ecclesiasticarum, extra dictum gremium existentium, ad cuiusvis generis praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones et officia dictae Congregationis promovere vel poenas aliquas remittere audeant vel praesumant.

Electiones aliter factas irritat.

§ 4. Decernentes electiones et promotiones ad monasteria seu prioratus vel officia dictorum Congregationis et Ordinis

1 Similem de hac re Constitutionem habes supra pag. 136 (R. T.)

contra praesentium dispositionem, quod absit, quandocumque faciendas et pro tempore obtentas, nullas prorsus, invalidasque fore et esse, nullisque viribus subsistere;

Contravenientes eo ipso poenas hic enunciatas incurrisse declarat.

§ 5. Ac omnes et singulos in praemissis delinquentes, nullâ aliâ monitione praecedente, et absque processu desuper habendo, sententias et poenas praemissas irremissibiliter eo ipso incurrere;

Ambitum ex sola instantia et precibus etiam oretenus porrectis probari decernit.

§ 6. Et ad illos sententias et poenas praemissas damnabiliter incurrisse legitime probandum, solas praemissarum personarum instantias, preces et favores, etiam oretenus porrectas, plenam, indubiam et sufficientem in iudicio et extra fidem facere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri;

Et ita et non aliter iudicari praecipit.

§ 7. Et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et S. R. E. cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate), iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis omnibus derogat.

§ 8. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac Congregationis et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si praedictis Canonicis regularibus vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Hanc Constitutionem etiam in Capitulis et diaetis publicari mandat.

§ 9. Ut autem harum litterarum notitia ad omnes dictae Congregationis sancti Salvatoris Ordinis sancti Augustini Canonicos Regulares facilius deveniat, volumus illas etiam in capitulis generalibus ac congregationibus, diaetis nuncupatis, lectas sic arctare, ac si legitime unicuique intimatae fuissent, illarumque exemplis etiam impressis, manu prioris generalis ipsius Congregationis subscriptis et eius sigillo munitis, eamdem prorsus fidem haberi[1], quae praesentibus haberetur, si eaedem exiberentur.

Datum Romae apud S. Marcum, die XXII septembris MDCVII, anno III.

Dat. die 22 septembris 1607, pontif. an. III.

LXXXV.

Prorogatio et extensio temporis ad exigendum subsidium decem et octo millionum ab ecclesiasticis regnorum Castellae regi catholico persolvendorum[2].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico Paulus Papa V.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Clemens VIII subsidium, de quo in rubrica, intra sexennium ab ecclesiasticis quoque praeberi permisit.

§ 1. Exponi nobis tua maiestas nuper fecit, quod, cum felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster olim accepisset eidem maiestati tuae regna

1 Edit. Main. legit *habere* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Castellae in comitiis tunc habitis (ut sumptus necessarios bellorum, quae clarae memoriae Philippus genitor tuus contra hostes catholicae fidei gessit, et tua maiestas gerit, aliquo subsidio opportune suppeditarent) quaedam superadditionalia servitia nuncupata, quae[1] in totum ad summam decem et octo millionum nummorum aureorum ascenderent, ad sexennium duratura super vino et oleo praestare prompte obtulisse; propterea idem Clemens ut faciliorem redderet praedictorum servitiorum in causam religionis praestationem, ecclesiasticas etiam personas illa subire voluit; ac motu eius proprio, ac ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione omnes et singulas ecclesiasticas personas, tam saeculares quam cuiusvis etiam exempti Ordinis regulares, in eisdem regnis commorantes, ad contribuendum, prout laici, in dictis servitiis, et ad solvendum gabellam seu sisam[2] super vino et oleo in praedictis regnis colligendis et consumendis imponendam, seu forsan impositam, durante dicto sexennio, et non ultra, teneri mandavit, prout in eius in simili formâ Brevis expeditis litteris sub datum die XXIII ianuarii MDCI plenius continetur: et deinde quod, accepto etiam ab eodem Clemente, in comitiis seu curiis eorumdem regnorum tunc proxime habitis, ne nimium populi gravarentur praestatione gabellae seu sisae super vino et oleo tantum, ad carnes etiam in eisdem regnis vendendas (ita tamen ut summa decem et octo millionum nummorum aureorum nullo modo cresceret) extendere decrevisse, idcirco Clemens praedictus, ut facilius etiam esset ecclesiasticorum onus, simili motu proprio ac ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione, praedictos omnes et singulos ecclesiasticos ad solvendam gabellam seu sisam super carne etiam, ita tamen ut nec summa praedicta, nec tempus sexennii augeretur, aeque ac laicos obligatos esse voluit et statuit, declarando tamen (ne aliqua iurisdictio laicis in ecclesiasticos, seu compellendi facultas concessa censeretur) quod suae intentionis fuerat et erat quod exactores non possent per se ipsos aut alios saeculares ministros sed Ordinariorum auctoritate dictos ecclesiasticos compellere et eosdem coram eis convenire: quibus idcirco mandaverat ut contra praedictos ecclesiasticos recusantes solvere ad quamcumque simplicem eorumdem exactorum requisitionem exequutive, omni appellatione remotâ, auctoritate suâ procederent et compellerent, prout in aliis eiusdem Clementis litteris in simili formâ Brevis expeditis sub datum die XI augusti MDCIII, plenius continetur; et rursus quod, illi exposito nomine maiestatis tuae, quatenus in ultimo dictis comitiis seu curiis declaratum fuerat, ut in dictâ gabella seu sisâ vini et olei contribuere deberent non solum ementes et vendentes, sed illi etiam qui illa perciperent ex propriis terrenis aut ex affictibus, aut emerent in uvis, aut olivis, seu ex decimis, aut dono vel aliàs quovis alio redditu acciperent, haberent et consumerent in propriis domibus, et pro suo et familiarum suarum usibus, et non solum de vino, sed etiam de musto, aquato et aceto intelligeretur; et ulterius, quod eadem gabella usque ad integram exactionem dictae summae decem et octo millionum nummorum aureorum durare deberet; et quod, cum dictae declarationes in eiusdem Clementis litteris praedictis expressae non fuissent, tua maiestas ad tollendum omnem dubitandi occasionem per praedictum Clementem eadem declarari cupiebat, ac etiam tempus sexennii extendi et prorogari;

Renuentes vero ab Ordinariis locorum dumtaxat posse compelli.

1 Hanc vocem *quae* nos addimus (R. T.).

2 *Sisa, Siza, Sisia* impositio est et praestatio tributi. Vide sis Ducange super relatas voces (R. T.).

Alias etiam declarationes apposuit et ad aliud triennium prorogavit.

idem Clemens tuis supplicationibus inclinatus decrevit et declaravit ecclesiasticas personas praedictas ad solvendum gabellam seu sisam iusta declarationem praedictam (quoad rerum species, non autem quoad eas, quae pro eorum propriis usibus consumerent) ad instar laicorum in omnibus et per omnia quoad reliqua tenerentur, tempus vero sexennii ad triennium a fine ipsius sexennii computandum (quo tantum durante, si praedicta summa decem et octo millionum nummorum aureorum congesta non foret, adhuc gabellas seu sisas huiusmodi persolvere similiter tenerentur: sed si ante lapsum dicti triennii huiusmodi summa congesta foret, ab huiusmodi solutione liberi essent eo ipso absque aliâ declaratione) extendit et prorogavit; voluitque et decrevi ut, quemadmodum in aliis suis litteris declaraverat, quod[1] exactores praedicti non per se ipsos aut alios ministros saeculares, sed per locorum Ordinarios recusantes ecclesiasticos compellerent, et coram eis convenirent, similem eisdem Ordinariis procedendi facultatem tribuendo, quam in aliis praedictis litteris tribuerat, et quod aliàs disposuit, prout in eiusdem Clementis aliis litteris in huiusmodi formâ Brevis expeditis sub die XVII decembris MDCIV plenius pariter continetur[2].

Philippus triennii terminum peti prorogari.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedicta summa decem et octo millionum nummorum aureorum ex dictis gabellis seu sisis nondum confecta fuerit, nec dicti triennii spatio eam confici posse spes sit; propterea maiestas tua, a nobis dictum triennii tempus prorogari et extendi desiderat.

Paulus prorogat ad aliud triennium.

§ 3. Nos igitur votis tuis annuere, et ad praedictae summae subsidium integre maiestati tuae praestandum ecclesiasticos praedictos pro ratâ contribuere (ut id quod in Domino iustissimam ob causam agere coeperunt, per eumdem Dominum perficiant) volentes[1], supplicationibus maiestatis tuae nomine nobis humiliter porrectis inclinati, praedictum triennii tempus in dictis Clementis litteris concessum et prorogatum, nec non easdem litteras desuper expeditas (quarum omnium veriores tenores praesentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, unâ cum omnibus in iis contentis declarationibus, clausulis et decretis) ad aliud triennium, a fine dicti triennii computandum (ita tamen, ut si ante finem triennii huiusmodi summa decem et octo millionum nummorum aureorum per solutionem dictarum gabellarum seu sisarum ab ecclesiasticis, ut praefertur, et a laicis faciendam[2] confecta fuerit, ecclesiastici ab huiusmodi solutione liberi sint et immunes, et praesens prorogatio expiret ipso facto, absque aliâ declaratione), auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, extendimus et prorogamus, utque huiusmodi triennio durante ecclesiastici praedicti in dictis regnis commorantes (ad instar laicorum et quatenus illi dictas gabellas seu sisas solvant) ad earumdem solutionem omnino et iuxta formam et tenorem praedictarum Clementis praedecessoris litterarum teneantur, decernimus et declaramus.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus praemissis et omnibus illis, quae dictus Clemens praedecessor in eisdem litteris suis voluit non obstare.

Ecclesiasticos autem coram Ordinariis tantum vult conveniri:

§ 5. Volumus autem, et harum tenore decernimus, ut exactores gabellarum seu sisarum praedictarum non per se ipsos, nec per alios ministros, iudices, magistratus aut quoscumque alios officiales

1 Vel partic. *quod*, vel praeced. *ut* redundat.

2 Hanc Clementis VIII Constit. habes supra pag. 154 h. tomi; sed aliae duae desunt (R. T.).

1 Hanc vocem *volentes* nos deesse censuimus (R. T.).

2 Male edit. Main. habet *facienda* (R. T.).

laicos, sed per locorum Ordinarios, ecclesiasticos praedictos solvere recusantes compellere et coram illis tantum causâ[1] et occasione praemissorum convenire possint; quibus Ordinariis harum serie committimus et mandamus ut contra ecclesiasticos eosdem ad omnem simplicem dictorum exactorum requisitionem, quacumque appellatione remotâ, ad exequutionem contentorum in litteris huiusmodi auctoritate nostrâ procedant.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris die II octobris MDCVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 2 octobris 1607, pontif. an. III.

LXXXVI.

Confraternitatis Doctrinae Christianae *erectio in archiconfraternitatem in basilicâ sancti Petri principis Apostolorum de Urbe, cum indulgentiarum privilegiorumque elargitione*[2].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex credito nobis pastoralis officii munere piis locis, quae maiora in dies in spiritualibus et temporalibus ad Dei gloriam et animarum salutem incrementa suscipiunt, ulteriora subsidia et ampliora concedimus privilegia, ne quidquam illarum rerum praetermittamus quae ad christianam propagandam religionem conducere videntur.

Concilium Tridentinum et Pontifices iussefunt institutionem confraternitatis doctrinae christianae.

§ 1. Ob has causas considerantes nos iure optimo a sacro Tridentino Concilio et summis Pontificibus praedecessoribus nostris statutum, et iam multis[1] ab hinc annis maximo Ecclesiae Dei commodo observatum fuisse, ut pueri singulis dominicis et aliis festivis diebus fidei rudimenta, obedientiam erga Deum et parentes, aliasque christianas virtutes ab iis, ad quos spectat, edocerentur, ut hac ratione, qui ad mundi voluptates sequendas naturâ proni sunt, christianâ pietate eruditi, de virtute in virtutem proficientes, tales evaderent, qui ad populi christiani mores reformandos et catholicae fidei incrementum idonei efficerentur ministri;

In Urbe instituta nedum fuit congregatio laicorum sed etiam clericorum.

§ 2. Atque hoc consilio cum nonnulli probitatis viri zelo charitatis accensi pro divini cultus augmento in hac almâ Urbe nostrâ caeterarum matre et magistrâ, Tridentino Concilio publicato, in quibusdam ecclesiis pueros et adultos quoscumque summâ pietate ac diligentiâ doctrinam christianam docere coepissent, hoc pium opus praestante Domino, exiguo temporis spatio, adeo incrementa suscepisse, ut Congregatio sub *Doctrinae Christianae* nomine iam pridem instituta fuerit, ex quibus licet aliqui tantum in communi vivant cum suo praeposito in ecclesiâ sanctae Agathae regionis transtyberinae, in unum tamen omnes sub uno protectore conveniunt, atque uno praeside huic saluberrimo operi singulis festivis diebus sedulâ incubuerunt et incumbunt diligentiâ:

Hic modo Pontifex dictam Confraternitatem erigit in Archiconfraternitatem in basilica sancti Petri de Urbe.

§ 3. Nos, pro nostro pastoralis officii munere, hoc pium christianaeque reipublicae necessarium opus, ex quo hactenus uberrimi fructus provenerunt ac multo uberiores posthac proventuros speramus, ex animo amplectentes, illudque in dies augeri magis ac magis cupientes, Congregationem praedictam in Urbe institutam necnon singulas illius personas et ecclesias (nempe sancti Martini regionis Arc-

1 Male edit. Main. legit *causas* (R. T.).

2 De instituendis his Confraternitatibus, habes Constit. CXIV Pii V *Ex debito* (in h. n. edit. CCVIII, tom. VII pag. 945). De forma autem aggregandi alias Confraternitates, attende Constit. CCCLXII Clementis VIII *Quaecumque*, ut supra pag. 138 huius tomi.

1 Edit. Main. habet *multos... annis* (R. T.).

nulae, sanctae Agathae regionis Transtyberinae) eidem Congregationi apostolicâ auctoritate concessas sub nostrâ et Sedis Apostolicae protectione suscipientes, motu proprio et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, in celeberrimâ basilicâ Principis Apostolorum de Urbe Congregationem *Doctrinae Christianae* huiusmodi in archiconfraternitatem apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus;

Eiusque protectorem deputat suum vicarium.

§ 4. Illiusque sic erectae et institutae perpetuum administratorem et protectorem dilectum filium nostrum Hieronymum tituli sancti Blasii presbyterum cardinalem Pamphilium nuncupatum, ac pro tempore existentem in Urbe et eius districtu Romani Pontificis vicarium, harum serie constituimus et deputamus;

Eidem archiconfraternitati facultatem alias confraternitates aggregandi et indulgentias communicandi concedit,

§ 5. Ac ipsius archiconfraternitatis confratribus pro tempore existentibus aggregandi dictae archiconfraternitati alias quasvis eiusdem doctrinae christianae in qualibet mundi parte canonice erectas et institutas ac instituendas confraternitates, illisque privilegia, indulta, favores, exemptiones, gratias et indulgentias infrascriptas sibi per nos concessas, ac pro tempore a Sede Apostolicâ concedendas, communicandi;

Statuta condendi.

§ 6. Nec non de administratoris et protectoris praedicti consensu quaecumque statuta felix regimen et gubernium dictae archiconfraternitatis concernentia (licita tamen et honesta, ac sacris canonibus et decretis concilii praedicti constitutionibusque apostolicis minime contraria) condendi, illaque sic condita pro rerum et temporum qualitate, in toto vel parte, ac toties quoties opus fuerit, immutandi, et in eorum locum alia de novo edendi, licentiam, facultatem et auctoritatem concedimus et impertimur.

Indulgentiam plenariam con-fratribus in die ingressus elargitur,

§ 7. Ut autem devotio christifidelium ad dictum opus exercendum in dies magis augeatur, de Omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ Communione refectis, qui pro ministris operariis et confratribus dictam archiconfraternitatem ingredientur, die primo illorum ingressus, seu eo die quo dictae archiconfraternitati adscripti fuerint, plenariam;

Et in festo praecipuo confraternitatis,

§ 8. Nec non eisdem sic descriptis, qui, vere poenitentes et confessi, sanctissimum Eucharistiae sacramentum in festo, quod ab ipsâ archiconfraternitate et aliis confraternitatibus aggregatis seu aggregandis pro earum praecipuo et principali respective eligetur, sumpserint, etiam plenariam;

Ac in articulo mortis.

§ 9. Quique vere poenitentes et confessi dictum sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, aut, id facere non valentes, animo contrito nomen Iesu saltem corde in mortis articulo invocaverint, similiter plenariam omnium peccatorum suorum remissionem et indulgentiam, dictà auctoritate, earumdem tenore praesentium, concedimus;

Alias indulgentias confratribus quolibet mense communicatis concedit.

§ 10. Praeterea eisdem confratribus qui vere poenitentes et confessi semel quolibet mense sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, septem annos et totidem quadragenas;

Inducentibus alios ad discendam doctrinam.

§ 11. Quique in causâ fuerint, ut pueri, famuli aut quaevis aliae personae ad discendam doctrinam christianam eant, ducentos dies;

Discentibus et docentibus doctrinam in diebus stationum Urbis.

§ 12. Qui vero diebus stationum Urbis hanc doctrinam in ecclesiis docuerint, ac etiam illi qui ad eamdem discendam accesserint, easdem indulgentias consequantur, quas consequerentur et consequi possent, si ecclesias stationum personaliter visitarent;

Visitantibus

§ 13. Easdem etiam indulgentias visi-

scholarum doctrinae.

tatores dictae archiconfraternitatis, qui ex commisso sibi officio visitabunt illas scholas, quas in illo die visitare poterunt, consequantur;

Docentibus eamdem diebus feriatis.

§ 14. Insuper eisdem confratribus, qui diebus feriatis hanc doctrinam christianam aut publice aut privatim explanaverint, centum dies;

Praeceptoribus eamdem docentibus diebus festivis.

§ 15. Nec non omnibus singulis et praeceptoribus, qui diebus festivis discipulos suos ad doctrinam christianam duxerint eosque illam docuerint, septem annos;

Explicantibus eam in scholis diebus feriatis.

§ 16. Quique diebus feriatis in propriis scholis eamdem doctrinam explicaverint, centum dies;

Sacerdoti archiconfraternitati in eius ecclesia praedicanti, etc.

§ 17. Sacerdoti etiam dictae archiconfraternitatis, qui in ecclesiâ seu oratorio illius confraternitatis verbum Dei praedicaverit, aut collationes fecerit, licet illo die non intervenerit in aliquâ scholâ docendi causâ, septem annos;

Parentibus doctrinam domi familiam docentibus.

§ 18. Omnibus autem et singulis patribus et matribus familias, qui in suis domibus liberis, famulis et familiaribus utriusque sexus doctrinam christianam explanaverint, qualibet vice id fecerint, centum dies;

Convocantibus alios ad doctrinam.

§ 19. Item confratribus, qui per civitatem, viros, mulieres aut pueros ad eamdem doctrinam christianam ducendi causâ, circumierint, septem annos;

Confratribus per castella euntibus et doctrinam docentibus.

§ 20. Eisdem autem confratribus, qui extra civitatem ad illam docendam per castella et villas exierint, decem annos;

Disputationi doctrinae assistentibus.

§ 21. Item eisdem confratribus, qui disputationibus, quae in scholis dictae archiconfraternitatis fieri solent, interfuerint, ducentos dies;

Doctrinam docendi vel discendi causa studentibus.

§ 22. Omnibus item et singulis christifidelibus, qui per mediam horam doctrinam aut docendi aut discendi gratiâ studuerint, centum dies;

Infirmos confratres visitantibus.

§ 23. Eisdem etiam confratribus, qui infirmos dictae archiconfraternitatis visitaverint, quoties id fecerint, ducentos dies;

Eucharistiam comitantibus.

§ 24. Quoties verum sanctissimum Eucharistiae sacramentum, dum ad infirmos defertur, comitati fuerint, septem annos;

Corpora eorumdem defunctorum associantibus aut exequiis praesentibus.

§ 25. Eisdemque confratribus, qui corpora confratrum et consororum defunctorum ac defunctarum ad sepulturam associaverint, aut exequiis, anniversariis officiisve, quae pro eis celebrantur, pro eorum animabus preces fundentes interfuerint, tres annos;

Congregationibus vel divinis officiis archiconfraternitatis assistentibus,

§ 26. Ac quoties divinis officiis et congregationibus publicis vel secretis dictae archiconfraternitatis intervenerint, ducentos dies;

Processionibusque per Ordinarios praescribendis.

§ 27. Eamdemque indulgentiam consequantur quandocumque processionibus a locorum Ordinariis sub vexillo dictae archiconfraternitatis praescribendis interfuerint;

Discentibus doctrinam et communicatis in die festo deputando singulis mensibus.

§ 28. Item omnibus et singulis utriusque sexus et cuiuslibet aetatis christifidelibus ad doctrinam christianam discendam in dictis scholis convenire solitis, qui peccata sua quolibet beatae Mariae Virginis, aut alio festo a superioribus dictae congregationis determinando, confessi fuerint, tres annos; iis vero qui ad communicandum habiles sunt, si dictum Eucharistiae sacramentum devote sumpserint, quinque annos;

Confratribus communicatis die quo aggregatio in qualibet terra publicatur.

§ 29. Praeterea quolibet die dicta aggregatio in quavis civitate vel terrâ publicabitur, omnibus et singulis utriusque sexus confratribus dictae confraternitatis vere poenitentibus, confessis ac communicatis, septem annos et totidem quadragenas de eis iniunctis seu aliâs quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino concedimus et relaxamus.

Declaratio quod etiam confraternitates aggregandae his fruantur indulgentiis.

§ 30. Nostrae propterea intentionis esse declaramus, quod indulgentiae, gratiae et indulta praedicta intelligantur ac sint concessa, cuivis[1] confraternitati canonice erectae seu erigendae in qualibet

1 Male edit. Main. legit *quivis* (R. T.).

Orbis parte, statim ac praedictae archiconfraternitati, iuxta constitutionem felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri, fuerit aggregata, nec absque aggregatione huiusmodi gratiarum et indulgentiarum praedictarum particeps ullo modo esse possit.

Derogatio quod sufficit aggregatio unius confraternitatis pro quolibet dioecesi ut caeterae ibi erigendae ab Ordinario participes sint.

§ 31. Declarantes nihilominus quod, cum una confraternitas dictae doctrinae christianae unius civitatis aggregata fuerit, intelligantur et sint omnino aggregatae reliquae omnes utriusque sexus ab Ordinario loci erectae et erigendae, earumdemque indulgentiarum et gratiarum praedictarum participes sint.

Derogatio contrariorum.

§ 32. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 33. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo dictae archiconfraternitatis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Derogatio contrariorum.

Datum Tusculi sub annulo Piscatoris, die VI octobris MDCVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 6 octobris 1607, pontif. an. III.

LXXXVII.

Confirmatur transactio quaedam inita inter commissarios Papae et magni ducis Hetruriae super confinibus et aquis urbium Civitatis Plebis et Clusii[1].

Paulus Papa V.
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Decet Romanum Pontificem ea quae ad litium et discordiarum materias praecidendas, ac mutuam pacem et charitatem firmandam, mandato praesertim suo, provide concordata et stabilita sunt, rata, grata et firma habere, ac decernere prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Commissarii PP. et M. ducis Hetruriae transactionem ineunt super confinibus et aquis urbium civitatis Plebis et Clusii.

§ 1. Cum itaque, ut controversiis, quae continuo inter dilectos filios communitates et homines civitatum Plebis et Clusii occasione confinium et aquarum exoriuntur, aliquando tandem de communi consensu finis imponeretur, deputati fuerunt[1] hinc inde tam a nobis quam a dilecto filio nobili viro Ferdinando Hetruriae sibi subiectae magno duce certi commissarii, qui post accessum unà cum peritis ad loca differentiae, habitis simul pluribus tractatibus et re bene discussà, omnia nobis diligenter renunciarunt. Quorum relatione auditâ et re mature consideratâ, nos ex iisdem commissariis a nobis deputatis duos, magistrum videlicet Verospium in utrâque signaturâ nostrâ referendarium et audientiae litterarum contradictarum auditorem nec non Mutium Matthaeium nobilem Romanum, iterum deputavimus, et dictus Ferdinandus magnus dux pro parte suà deputavit Ioannem de Nicolinis nobilem Florentinum et suum apud nos et Sedem Apostolicam oratorem, dilectos filios, qui, iuxta facultates per nostras in formà Brevis litteras ac instrumentum procurae respective concessas, ad infrascriptam concordiam et transactionem per publicum desuper celebratum instrumentum devenerunt huiusmodi sub tenore, videlicet:

Tenor transactionis refertur.

Praesenti publico instrumento cunctis pateat evidenter et sit notum, quod anno a nativitate Domini millesimo sexcentesimo septimo, indictione quintâ, die vero decimâ septembris, pontificatus sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Pauli divinâ providentiâ Papae V, anno tertio. Cum nunquam fuerit satis provisum controversiis, quae continuo inter Plebanos

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Melius legeretur *fuerint;* sed adhuc syntaxis inabsoluta manet (R. T.).

et Clusinos, occasione confinium et aquarum exoriuntur, ut illis aliquando de communi consensu finis imponeretur, deputati nuper fuerunt hinc inde, tam a sanctisssimo D. N. quam a serenissimo magno Hetruriae duce, commissarii, qui post accessum ad loca differentiae, habito simul pluries tractatu et re benè discussâ, redierunt suis principibus quae gesta fuerunt renunciantes: unde postea sanctissimus D. N. iterum deputavit perillustrem et reverendissimum dominum Fabritium Verospium utriusque signaturae referendarium et audientiae litterarum contradictarum auditorem, nec non perillustrem dominum Mutium Matthaeium nobilem Romanum, sicuti pariter serenissimus magnus Hetruriae dux pro parte suâ eligit illustrissimum dominum Ioannem de Nicolinis nobilem Florentinum et suum apud sanctissimum D. N. oratorem, qui deputati, iuxta suas facultates, per litteras apostolicas in formâ Brevis necnon instrumentum procurae respective concessas, in nostrorum notariorum in solidum rogatorum et testium infrascriptorum praesentiâ, ad infrascriptam transactionem devenerunt[1]:

1. Che dalli Pievaiuoli ed ecclesiastici si faccia nel padule verso città della Pieve un argine grosso in pianta palmi 30, in cima palmi 10, ed alto quanto giudicheranno li periti di ambe le parti, che basti a riparare che le acque della Chiana escrescenti dell'inverno non lo cavalchino, e si faccia con sua banchina larga palmi 12, e detto argine sarà distante da quello che hanno li Chiusini dalla parte verso Chiusi braccia 150, e così si mantenga, acciò in quel mezzo di detti argini la Chiana abbia il suo corso, e si cominci dal *chiaro*[1] *della Pieve*, con seguitarsi sempre con la suddetta distanza sino al fine dell'argine *Gianfiliazzo* verso le Torri.

2. Da questo termine in su verso le Torri si vada continuando con la medesima linea, quanto si potrà, dove sia terra da farlo, e sempre così distante dall'acqua della Chiana dell'estate, che vi si possano ritenere le acque dell'inverno, che non lo cavalchino, e si arrivi sino al poggio *del Papa* o al rio della Valle de' Sassi, con attestarlo quivi al sito alto, ma dal detto rio in su verso le Torri si lasci come di presente.

3. Che li Pievaiuoli sieno obbligati a mantenere detto argine stabile, nè variarlo in modo alcuno in pregiudizio dei Chiusini, nè tollerare che sia danneggiato, ma castigare li dannatori e risarcire tutte le rotture e danni che in qualunque modo succedessero.

4. Che oltre questo, in caso di danno, di rotture o abbassamento di detto argine, non rimediandovi li Pievaiuoli subito che succedono, così d'inverno come d'estate, competa alli Chiusini libera facoltà di risarcirlo e rialzarlo a spese degli obligati, fattane però prima intimazione al governatore ad alli priori della Pieva con semplice lettera missiva, ed in luogo de' priori al lor cancelliere, acciò possan mandar a vedere per loro interesse.

5. Che li Chiusini per il mantenimento del corso dell'acqua della Chiana nel corso che ha di presente seguitino di perfezionare con ingrossamento ed alzamento al pari di quello della Pieve l'argine che hanno di presente, e con allungarlo verso il chiarore della Pieve, e debbano mantenerlo.

6. Che in oltre debbano continuar l'alia cominciata fino al monte, grossa et alta come sarà il resto dell'argine.

1 Seq. transactionem edimus prout est in edit. Rom., si aliquis error obrepserit, nobis non imputetur (R. T.).

1 Infra § 5 et deinceps legitur *chiarore* (R. T.).

7. Che tanto li Pievaiuoli quanto li Chiusini e ciascuna delle parti, infra il loro argine e le terre, possa fare un fosso per scolo di dette terre capace di detto scolo.

8. Che li Chiusini sieno obligati mantenere e risarcire il suddetto loro argine come li Pievaiuoli, e non lo facendo, abbiano li Pievaiuoli la medesima facoltà circa questo argine delli Chiusini che di sopra si riserba alli Chiusini circa quelli delli Pievaiuoli.

9. Che il confine delli Pievaiuoli si intenda sempre fino all'acqua, tanto dentro li due argini, quanto di fuora, ogni volta che la Chiana pigliasse altro corso; ma allora sarà in potere delli Chiusini di fare ritirare indietro li Pievaiuoli, con rinchiudere di nuovo detta Chiana fra li due argini.

10. Che dalla detta alia in su verso le Torri, giacchè la Chiana va quasi accanto al monte de' Chiusini, non sieno obligati li Chiusini a farvi argine.

11. Che tutto il paese con l'acqua, argini ed ogni altra cosa verso la città della Pieve, dall'acqua della Chiana, si intenda di dominio, proprietà, giurisdizione e territorio delli Pievaiuoli.

12. Che l'acqua della Chiana sopra il chiarore della Pieve verso le Torri con li suoi effetti, iurisdizione, territorio, dominio, proprietà, pesche, porti, gabelle ed altro, si conservi, come di presente, alli Chiusini, con facoltà libera ed assoluta di mantenere corrente detta acqua, nettare l'alveo, levar ogni impedimento e fare tutto quello sarà opportuno per mantenerla corrente anche lungo la banchina dell'argine de' Pievaiuoli, li quali, sotto pretesto di loro territorio fino all'acqua, non possano fare innovazione, ma il tutto si aspetti alla facoltà delli Chiusini, li quali inoltre debbano alzare, ingrossare, fortificare e mantenere il loro argine, come di sopra, accomodarli la banchina, e possano perciò valersi del terreno dell'alveo fra l'uno e l'altro argine tante volte quante bisognerà.

13. Che il chiarore della Pieve si mantenga con le sue pesche ed altro, come al presente, sotto il dominio, proprietà, iurisdizione e territorio de Pievaiuoli, ed in evento di disseccazione, l'acqua che passerà per quello sarà nel medesimo modo de' Pievaiuoli, di maniera che li Chiusini non possano per alcun tempo venire con il suo confine se non sino all'acqua.

14. Che infra il chiarore della Pieve ed il canale sopra Buterone con arrivare fino a detto canale, con tagliare cannuccie, sterpi, vetticcie ed altro, che vi sia fino alla pelle della terra, senza però scavamento di essa, si faccia dalli Pievaiuoli un'apertura di larghezza di braccia 80 e si mantenga di ogni tempo alla detta pelle della terra, e sia in facoltà alli Chiusini, volendo, intervenire, quando si farà di tempo in tempo detta apertura.

15. Che, mancando li Pievaiuoli di avere ogn'anno per tutto il mese di agosto tagliato, come sopra, per il mantenimento di detta apertura, sia in facoltà libera de' Chiusini, senza se li possa dare impedimento alcuno (scritto che ne averanno nel principio di settembre al governatore ed alli priori della Pieve, con bastare che la lettera de' priori sia presentata al loro cancelliere, ed aspettato per quindici giorni acciò il governatore e li priori ne possano dar notizia alli loro superiori a Roma) il supplire e fare lavorare per li Pievaiuoli a spese di detti Pievaiuoli senza però scavamento.

16. Che la Tressa con il Moiano ed altre acque de' Pievaiuoli, che in quella si trovano al presente, si abbia a pigliare dalli Pievaiuoli verso la Pieve, e separata dall'acqua della Chiana, in maniera che

li periti sopra-detti giudichino non possa nuocere all'argine de' Pievaiuoli, si conduca dalli medesimi ad entrare nel chiarore della Pieve, lontano per 50 braccia dalla bocca suddetta della Chiana, e per il medesimo chiarore, di mano in mano che si disseccasse, si vada conducendo all'apertura sopraddetta arginata dalla parte di verso la Chiana, acciò non gli impedisca il suo corso ed esito per l'apertura, ed alli Chiusini, a cautela loro, in questo caso di disseccazione, di mano in mano che succedesse, competa facoltà di metter mano a detto lavoro e proseguirlo in luogo delli Pievaiuoli, ogni volta che l'averanno fatto sapere a quelli che s'è detto nel precedente capitolo, ed in spazio di un mese non vi sarà preso un provvedimento.

17. Che a tutti li lavori sopraddetti si metta mano dalle parti quanto prima, e di tutto si faccia stromento publico con le clausole solite ed opportune, con approvazione di Sua Santità per parte della Pieve, e di sua Altezza per parte di Chiusi.

Et pro maiori transactionis et concordiae praedictarum ac praesentis[1] instrumenti subsistentiâ, praedicti reverendissimus dominus Verospius et dominus Matthaeius ex parte Suae Sanctitatis, necnon dictus illustrissimus dominus Ioannes ex parte serenissimi magni ducis, respective deputati, promiserunt et quilibet ipsorum promisit, quod iidem sanctissimus et serenissimus huiusmodi instrumentum ac omnia in eo contenta valide ratificabunt.

Demum transactionem, compositionem et concordiam huiusmodi, praesensque instrumentum ac omnia et singula in eo contenta, praedicti domini deputati promiserunt, et, mutuâ ac solemni stipulatione hinc inde interveniente, convenerunt perpetuo et inviolabiliter attendere et observare, ac attendi et observari facere per communitates et subditos praedictos[1] respective et alios quoscumque, ut supra, et in aliquo non contravenire, dicere vel facere[2] per se, se vel alium, seu alios, in iudicio vel extra, de iure vel de facto, aliquâ ratione vel causâ, praetextu, vel quaesito colore, sub poenis in dictis capitulis contentis. Pro quibus omnibus et singulis observandis, obligaverunt, et quilibet ipsorum obligavit se se dictis nominibus, prout in dictis capitulis continetur; renunciantes, *etc.*; iuraveruntque, videlicet praedictus reverendissimus dominus Verospius tacto pectore, more praelatorum, et dicti domini deputati scripturis sacrosanctis ad sancta Dei Evangelia, respective; super quibus omnibus et singulis praemissis petitum fuit a me notario publico infrascripto, ut unum vel plura, publicum seu publica conficerem instrumentum et instrumenta.

Actum Romae in palatio illustrissimi et reverendissimi domini Francisci Mariae cardinalis de Monte nuncupati et in camerâ audientiae suae illustrissimae, dicto etiam ipso illustrissimo domino cardinale assistente, praesentibus ibidem illustrissimo domino Ioanne Baptista Incoronato nobili Romano et magnifico et excellenti domino Petro Gerio quondam Rocchi de Aretio U. I. D. et domino Ioanne Baptista Pertinario de Doyadula, Britonoriensis dioecesis, et reverendo domino Adriano Ciamberlino quondam Evangelistae de Cingulo, Auximanensis dioecesis, testibus ad praemissa vocatis, habitis specialiter, atque rogatis, *etc.*

Et quia ego Hieronymus Scanardus Camerae Apostolicae notarius, unâ cum do-

1 Edit. Main. legit *praesenti* (R. T.).

1 Ibid. legitur *per dictos* (R. T.).

2 Idest: *non contra venire, nec contra dicere vel contra facere* (R. T.).

mino Bartholomeo Dino cancellario consulatus Florentinorum Urbis, de supradictâ transactione et concordiâ rogatus fui, ideo praesens instrumentum subscripsi, signavi et publicavi in fidem requisitus. Loco † signi.

Huiusmodi transactio rata habetur a M. Hetruriae duce.

§ 2. Cum itaque iidem deputati promiserint, quod dictum instrumentum tam a nobis quam a dicto Ferdinando magno duce ratum habebitur, et dictus Ferdinandus magnus dux, sicut accepimus, ex parte suâ concordiam et transactionem praedictas, ac dictum instrumentum cum omnibus in eo contentis ratificaverit: cumque nos pariter cupiamus concordiam et transactionem huiusmodi inviolabiliter perpetuo observari;

Confirmatur etiam a Pontifice.

§ 3. Idcirco motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex merâ deliberatione et ex certâ scientiâ nostris, concordiam praedictam, ac praeinsertum instrumentum, ac omnia et singula in illo contenta, sicut provide et mandato nostro facta sunt, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus, et rata et grata habemus, et perpetuo confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti etiam substantiales defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus.

Clausulae pro observantiâ et firmitate.

§ 4. Decernente concordiam praedictam et instrumentum praeinsertum huiusmodi, ac omnia et singula in illo contenta, perpetuo valida, rata et firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere et inviolabiliter observari debere; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis, auctoritate praesentium, ad iudicium non trahatur aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris die XIX octobris MDCVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 19 octobris 1607, pontif. an. III.

LXXXVIII.

Congregationi Clericorum Regularium Somaschae, aliàs sancti Maioli, quaecumque gratiae et privilegia Ordinibus Mendicantium concessa et concedenda communicantur et de novo conceduntur, quatenus sint in usu, non revocata, nec sacris canonibus aut Concilio Tridentino contraria [1].

[1] Istam Congregationem approbavit Pius V, in suâ Constit. CV, *Iniunctum*: in h. n. edit. CXIX tom. VII pag. 729.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex quo divina Maiestas ad pastorale fastigium nos quamquam immeritos evexit, illud, quantum in nobis semper fuit, superno auxilio freti, agere conati sumus ut piorum hominum Congregationes, quae ad divini cultus augmentum et animarum salutem institutae sunt, et in observatione institutorum suorum pie et religiose persistunt, magis quotidie in huiusmodi suo pio proposito confirmentur.

Communicatio vel concessio omnium gratiarum et privilegiorum cuicum que ex Ordinibus Mendicantibus concessorum aut concedendorum.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, dilectorum filiorum Congregationis et Clericorum Regularium Somaschae, aliàs sancti Maioli nuncupatorum, fortiores quotidie vires, adiuvante Domino, in militantis Ecclesiae castris appareant, ut clerici Congregationis huiusmodi eo ferventius adhuc pugnare studeant, quo maioribus se viderint spiritualibus gratiis fore munitos, ipsos et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis *etc.* censentes, praeter[1] alia quaecumque privilegia et gratias iisdem Congregationi et Clericis hactenus quomodolibet concessa, omnia et singula privilegia, praerogativas, concessiones, favores, facultates, declarationes, immunitates, exemptiones, libertates, caeterasque gratias, praeeminentias et indulta, cuiusvis generis existentia, spiritualia et temporalia, qualiacumque illa sint (exceptà tamen exemptione a iurisdictione Ordinariorum) quibusvis Mendicantium Ordinum congregationibus, eorumque professoribus, ac eorum monasteriis, ecclesiis, domibus et regularibus locis, nec non dilectis filiis earumdem Religionum et congregationum generalibus, praepositis, superioribus, praelatis et capitulis, tam generalibus quam provincialibus, fratribus, novitiis, conversis, donatis, ac quibusvis eorum et earum personis, in quibuscumque mundi partibus existentibus, et illorum intuitu, etiam per viam communicationis vel extensionis, aut aliàs quomodolibet, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, seu per nos et successores nostros, aut alios auctoritatem habentes, concessa sunt et concedentur, ac quibus singulae Congregationes praedictae, eorumque monasteria, ecclesiae, domus et loca, ac superiores, fratres et personae huiusmodi de iure, usu, consuetudine vel privilegio aut concessione apostolicà, vel alià quavis auctoritate, in genere vel in specie, ac tam coniunctim quam divisim, aut aliàs quomodolibet, utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt vel poterunt quomodolibet in futurum, quarum[1] concessionum tenores praesentibus pro expressis habentes, ac si de verbo ad verbum insererentur, etiamsi talia sint et forent, quae specialem et individuam requirerent mentionem, seu particularem insertionem (quatenus sint in usu, et non sint revocata, neque sub ullis revocationibus comprehensa, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis non adversentur), ad eamdem Congregationem Somascham, seu sancti Maioli, ac singulos illius conventus, illorumque superiores, praepositos, praelatos et quascumque personas, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo extendimus, illaque eis communicamus, et de novo concedimus, et suffragari volumus et declaramus.

Limitatio dictae communicationis.

Alia limitatio eiusdem communicationis.

Derogatio quorumcumque contrariorum.

§ 2. Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ et in concilio generali editâ de duabus dietis (dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesen-

1 Edit. Main. et Cherub. habent *prae* (R. T.).

1 Vel legend. *harum... habentes*, vel *quarum... habemus* (R. T.).

tium ad iudicium non trahatur), quam aliis quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, tam de iudicibus delegatis et conservatoribus, quam[1] personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, necnon quibusvis privilegiis et indultis apostolicis, quibusvis saecularibus vel regularibus militiis, communitatibus, universitatibus, capitulis, castris, villis, terris, et quibusvis cathedralibus et metropolitanis, vel collegiatis, aut aliis ecclesiis, capitulis, conventibus, monasteriis, hospitalibus et aliis piis locis, etiam motu et scientiâ similibus, concessis[2], et de non trahendis eorum subditis vel personis (ipsarum ecclesiarum, civitatum, universitatum, castrorum, villarum et locorum respective) extra eas, aut coram illis[3] iudicibus et personis, quam[4] etiam vigore quarumcumque litterarum apostolicarum, aut aliàs quibusvis modis, et qualitercumque ac quibusvis verborum formis et tenoribus; de quibus[5] etiam plena et expressa, specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus: seu si aliquibus, communiter aut divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 3. Caeterum volumus et dictâ auctoritate decernimus, quod earumdem praesentium transumptis, etiam[1] manu alicuius notarii subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae aut manu praepositi generalis et sigillo eiusdem Congregationis Somaschae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et alibi, ubi opus fuerit, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die IX novembris MDCVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 9 novembris 1607, pontif. anno III.

LXXXIX.

Ampliatio iurisdictionis S. R. E. cardinalium Congregationis boni regiminis communitatum Status Ecclesiastici etiam mediate S. R. E. subiectarum, quoad cognitionem causarum easdem tangentium, non tamen quoad poenas maleficiorum[2].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Causa huius constitutionis.

§ 1. Cupientes constitutionem, a felicis recordationis Clemente Papa VIII, praedecessore nostro, super bono regimine

1 Scilicet: *quam de personis*, etc. (R. T.).

2 Hanc vocem *concessis* addidimus, quia necessaria videbatur, nec postea amplius occurrit (R. T.).

3 Puto quod forsan legendum foret *aliis* pro *illis* (R. T.).

4 Hac particula *quam* videretur huc furtive irrepsisse et contra contextus rationem; nam sermo est *de non trahendis subditis... extra sua loca et ad alios iudices, etiam vigore*, etc. (R. T.).

5 Orationem hic esse defectivam unusquisque intelligit. Videretur ex more solito legendum esse: *quibus*, *etiamsi de ipsis plena et expressa... mentio... habenda foret... derogamus* (R. T.).

1 Forsan hic deest vox *impressis* (R. T.).

2 Istam Congregationem instituit Clemens VIII in Const. XXIX *Pro commissa;* in h. n. edit. XXXI tom. IX pag. 594.

et administratione redditnum communitatum et universitatum ditionis temporalis Ecclesiasticae editam, debitae exequutioni pro earumdem communitatum et universitatum utilitate demandari, ac de singulari fide, prudentia et integritate dilectorum filiorum nostrorum Mariani Ss. Marcellini et Petri de Camerino, Octavii sanctae Sabinae Bandini, Dominici sancti Honuphrii, Tusci, Dominici Gymnasii, Innocentii sancti Thomae in Parione titulorum presbyterorum, Bubali, et Bartholomaei sanctae Mariae in Porticu diaconi de Caesis nuncupatorum S. R. E. cardinalium, plurimum in Domino confisi, eisdem cardinalibus, quos pro exequutione dictae constitutionis harum serie deputamus,

Iurisdictio cardinalis in causis quarumcumque communitatum etiam mediate S. R. E. subiectarum.

§ 2. Omnes et quascumque causas tam civiles quam criminales et mixtas ad communitates et universitates quascumque Status nostri Ecclesiastici nobis mediate vel immediate subiectas tam active quam passive pertinentes, per se vel alios ab eis subdelegandos, audiendi, discutiendi, examinandi, terminandi, ac omnia alia et singula in eâdem constitutione contenta exequutioni demandandi;

Praelatosque congregationi adiungendi et secretarium deputandi.

§ 3. Ac pro faciliori negociorum huiusmodi expeditione aliquos praelatos, aut alias personas iuris prudentiâ praeditas, a nobis approbandas, in eorum consultores adhibendi, nec non aliquem ex illis, aut alium idoneum eis benevisum, in eorum congregationis secretarium deputandi, et causas quascumque reassumendi et avocandi; nec non quibuscumque iudicibus, et aliis personis, etiam sub censuris et poenis inhibendi, et quoscumque citandi etiam per edictum publicum, constito de non tuto accessu, caeteraque omnia et singula in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, gerendi, ordinandi et exequendi (ita ut occasione causarum criminalium censuram ecclesiasticam, aut irregularitatis notam, dummodo sententiam sanguinis per se ipsos non ferant, minime incurrant) plenam, liberam et amplam auctoritatem, facultatem et potestatem concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac omnibus illis, quae dictus Clemens praedecessor in eâdem constitutione voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Maior pars totam congregationem repraesentat.

§ 5. Volumus autem, ut ea, quae a maiori parte eorum resoluta fuerint, plenam obtineant firmitatem, et plenariae exequutioni demandari debeant.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die IV iunii MDCV, pontificatus nostri anno I[1].

Dat. die 4 iunii 1605, pontif. an. I.

Sequitur declaratio dictae constitutionis.

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Relatio constitutionis praecedentis.

Iam pridem cupientes constitutionem a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro super bono regimine Status Ecclesiae editam exequutioni demandari, dilectis filiis nostris S. R. E. cardinalibus pro eiusdem constitutionis exequutione a nobis deputatis omnes et quascumque causas tam civiles quam criminales et mixtas, ad communitates et

1 Bulla praecedens in edit. Main. cum duplici datâ subscripta reperitur, nempe in textu sub die IV iunii MDCV, pontif. an. I, et ad marg. sub die IV iunii MDCVII, pontif. an. II (vel potius legendum esset III); quae mendosa ambiguitas edit. Main. nobis quoque causa erroris fuit; nam vere data fuit, ut patet ex seq. declaratione, die IV iunii an. MDCV, ideoque debuisset poni sub num. II ad pag. 196. Errore postea detecto, eam censuimus hoc loco retinendam esse, iuxta datam sequentis declarationis (R. T.

universitates quascumque Status Ecclesiastici, nobi smediate vel immediate subiectas, tam active quam passive pertinentes per se vel alios ab eis subdelegandos, audiendi, discutiendi, examinandi, expediendi et terminandi, ac omnia alia et singula in eâdem constitutione contenta exequutioni demandandi, easdemque causas quascumque reassumendi et avocandi, quibuscumque iudicibus inhibendi, et aliàs, prout in nostris litteris in huiusmodi formâ Brevis desuper expeditis sub die IV iunii MDCV, pontificatus nostri anno I, plenius continetur.

Causa huius declarationis.

§ 1. Quia vero ob generalitatem verborum praedictarum litterarum nostrarum facile videri alicui posset, ea nos commisisse, quae nostrae intentionis committere minime fuit; idcirco ad tollendas huiusmodi difficultates, praedictarum litterarum tenorem[1] praesentibus pro sufficienter expresso et ad verbum inserto habentes:

Declaratio.

§ 2. Motu proprio, et ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostrâ, vigore praesentium declaramus, intentionis nostrae fuisse, eisdem cardinalibus eas solummodo, et non alias, causas civiles, criminales et mixtas, tam active quam passive ad communitates et universitates Status nostri Ecclesiastici mediate vel immediate subiectas pertinentes, per se vel alios, ut praemittitur, subdelegandos[2], audiendi, discutiendi, examinandi, expediendi et terminandi, reassumendi et avocandi, quae ad redditus et proventus (non tamen poenarum maleficiorum) ad illas quomodolibet spectantes, et qui[3] in futurum spectabunt, aut rationem seu computorum redditiones, etiam ratione administrationis annonae, seu abundantiae, et pecuniarum ac rerum illius seu illi destinatarum civitatum, terrarum et locorum eiusdem Status Ecclesiastici, sive ad quorumcumque bonorum administrationes praedictarum communitatum et universitatum, quomodocumque et qualitercumque pertinent et pertinebunt, facultatem tribuere; ita ut eas tantum, et non alias causas, iidem cardinales per se vel alios subdelegandos audire, discutere, examinare, expedire et terminare, reassumere et avocare a quibuscumque iudicibus, necnon iisdem inhibere, et omnia et singula in eis contenta, omnibusque aliis et singulis in praedictis litteris nostris facultatibus illis concessis, in praemissis et circa ea, uti possent et valerent, ac possint et valeant.

Clausula sublata, etc.

§ 3. Irritum decernentes et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, necnon quibusvis contitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die XX novembris MDCVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 20 novembris 1607, pontif. an. III.

1 Erronee edit. Main. legit *tenore* (R. T.).

2 Impertinenter, ut videtur, edit. Main. repetit hic vocem *pertinentes* (R. T.).

3 Edit. Main. et Cherub. legunt *quae*, sed, meo quidem iudicio, contra rationem contextus, nam particula relativa non ad causas refertur sed ad redditus (R. T.).

XC.

Cavetur quominus ecclesiastici principatus Cathaloniae et comitatus Rossilionis et Ceritaniae utantur archibusiis ad rotam nuncupatis, eosque penes se detineant[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Philippi regis petitio.

§ 1. Charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nomine nobis nuper expositum fuit, ipsum Philippum regem (cupientem atrocissimis delictis, quae[1] in principatu Cathaloniae et comitatibus Rossilionis et Ceritaniae ob delationem tormentorum bellicorum, quae *archibusia ad rotam* dicuntur, obviare, et huiusmodi armorum genus ex principatu et comitatibus huiusmodi penitus tollere) quoddam proclama seu edictum edi et publicari curasse, pro quo quoad[2] bonum publicum et quietem in dictis principatu et comitatibus conservanda, et ad evitanda inconvenientia et occasionem delinquendi, in offensam Dei et proximi, inde provenire solita, praedictorum archibusiorum, non solum usus, sed etiam detentio domi aut in aliis locis, palam aut clam, ac artificibus illa ulterius fabricandi aut iam fabricata aptandi facultas sub poenis gravissimis expresse prohibetur. Cum autem, sicut in eâdem expositione subiunctum fuit, parum prodesset praemissa arma laicis prohibuisse, si fas esset clericis et personis ecclesiasticis illa detinere vel fabricare, et ideo ipse Philippus rex cupiat ipsis etiam clericis et personis ecclesiasticis eorumdem armorum usum, detentionem et fabricationem apostolicâ auctoritate prohiberi;

Prohibitio de qua in rubrica.

§ 2. Nos attendentes, talia arma, quae laicis minime convenire visa sunt, ab ecclesiasticis tanto magis reiicienda et abhorrenda esse, quanto ipsos ecclesiasticos vitae ac morum exemplo laicos magis praecellere decet, ac propterea eiusdem Philippi regis honestis votis, ac iustis nobis super hoc porrectis precibus annuentes, omnibus et quibuscumque ecclesiasticis et clericis, etiam in sacris, et presbyteratus ordinibus constitutis, tam saecularibus quam cuiusvis Ordinis et Militiarum ac hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani regularibus, et quantumvis exemptis ac nobis et Apostolicae Sedi subiectis ac sub nostrâ et beati Petri protectione immediate receptis, et quocumque privilegio suffultis, et quacumque dignitate, auctoritate et praeeminentiâ fulgentibus, earumque familiaribus, servientibus et ministris in dictis principatu et comitatu consistentibus, praesentibus et futuris, ne simili archibusiorum ad rotam genere quovis modo uti, aut illa publice vel occulte detinere, vel fabricare vel fabricari facere quoquo modo audeant vel praesumant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum prohibemus.

Episcopo Gerundensi data facultas procedendi contra inobedientes.

§ 3. Ac venerabili fratri nostro episcopo Gerundensi nunc et pro tempore existenti committimus et mandamus, ut contra personas ecclesiasticas praedictas, etiam quoad exemptas tamquam noster et Apostolicae Sedis delegatus, quae huiusmodi archibusia gestaverint, detinuerint, aut quoquo modo habuerint vel fabricaverint, aut fabricari fecerint per poenas gravissimas iuxta proclamatis et edicti regis contra laicos publicati formam, citra tamen poenam ultimi supplicii, per se, vel alium, tam per viam accusationis vel denunciationis vel simplicis querelae, quam ex mero officio, inquirat et procedat, ac in eas poenas praedictas exequatur, ac exequutioni debitae demandari curet et faciat, auxilium etiam brachii saecularis ad id, si opus fuerit, invocando, super quibus omnibus et singulis ipsi episcopo plenam, liberam et omnimodam facultatem et auctoritatem concedimus per praesentes.

Obstantibus derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus

1 Vel istud *quae* omittere oportet, vel postea illi suum verbum subiungendum est, ex. g., *patrantur* vel *committuntur* (R. T.).

2 Melius legeretur simpliciter *ad* (R. T.).

et ordinationibus apostolicis ac in conciliis etiam generalibus editis, et quorumcumque Ordinum et Militiarum et dicti hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani privilegiis, indultis et litteris apostolicis, specialibus vel generalibus, quorumcumque tenorum existant (per praesentibus non expressis, vel totaliter non insertis effectus earum valeant quomodolibet impediri[1]) ac aliis eorumdem principatus et comitatus statutis et consuetudinibus in contrarium quomodolibet facientibus. Quae omnia nolumus cuique adversus praemissa in aliquo suffragari.

Transumptis danda fides.

§ 5. Ut autem praesentes litterae facilius ad notitiam perducantur, volumus ut earum exempla, etiam impressa, manu notarii publici subscripta, et sigillo praelati ecclesiastici obsignata, eamdem prorsus in iudicio et extra illud fidem faciant, quam ipsae praesentes facerent, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die XXVIII novembris MDCVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 28 novembris 1607, pontif. an. III.

XCI.

Facultas archiepiscopo Pragensi visitandi monasteria et conventus utriusque sexus regni Bohemiae[2].

Venerabili fratri Carolo archiepiscopo Pragensi
Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

In Bohemia regularis observantia labefactata.

§ 1. Cum, sicut accepimus, in regno Bohemiae diversorum Ordinum monasteria et loca reperiantur, in quibus observantia regularis iuxta illorum cuiusque regularia instituta non nihil labefactata videtur, ac divinus cultus, nec non omnis bene et catholice vivendi ratio tepescit, et quatenus plures dictorum monasteriorum monachi praetextu et clypeo exemptionis licentiose et scandalose vivunt;

Pontifex archiepiscopum Pragensem visitatorem apostolicum creat ad triennium.

§ 2. Nos huiusmodi incommodis de optimo remedio providere cupientes, ac de tuis integritate, experientiâ et circumspectione in his ac aliis specialem in Domino fiduciam obtinentes, et sperantes quod ea, quae tuae prudentiae duxerimus committenda, fidelibus studiis et exactâ diligentiâ exequeris; motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostrâ merâ deliberatione, ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super interpretatione decretorum sacri Concilii Tridentini deputatorum consilio, te, quotiescumque superiores et visitatores regulares infrascriptorum Ordinum a visitatione suorum monasteriorum quolibet anno cessaverint, toties pro eis et quolibet anno visitatorem omnium et singulorum monasteriorum, domorum et religiosorum locorum, tam virorum quam mulierum, totius dicti regni Bohemiae quorumcumque Ordinum et a iurisdictione, visitatione et correctione tuis, ac illorum[1] Ordinariorum, etiam per quaevis privilegia, indulta apostolica, aut aliàs quomodolibet exemptorum, ac nobis et Sedi Apostolicae immediate subiectorum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, ad triennium proximum constituimus et deputamus.

Opportunasque tribuit facultates.

§ 3. Ac tibi tamquam a dictâ Sede delegato, ut in toto regno Bohemiae praedicto in quibuscumque civilibus et criminalibus vel mixtis causis contra quorumvis

1 Istud comma quod uncinis inclusimus videretur sic esse emendandum: *per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum valeat quomodolibet impediri* prout alibi legitur (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Aptius forsan legeretur *aliorum* (R. T.).

Ordinum regulares quomodolibet exemptos, auctoritate nostrâ, procedere, necnon causas ipsas ac illarum merita quaecumque cognoscere, fineque debito terminare, ac quidquid terminaveris exequi et observari facere, ipsosque exemptos pro tempore delinquentes iuxta excessus et delicta punire, corrigere, ac omnem iurisdictionem in eos exercere, ipsaque monasteria, domos et religiosa loca, tam virorum quam mulierum, qualitercumque qualificata, totius regni praedicti, eorumque abbates, praepositos, priores, abbatissas, priorissas et praepositas personas, etiam, ut praefertur, exempta, ac nobis et dictae Sedi subiecta, per te, vel a te deputandum seu deputandos reformare, corrigere, emendare, punire, necnon abbates, et monachos, et religiosos vagantes, ut ad sua monasteria et loca huiusmodi redeant, ac habitum et observantiam regulares reassumant, requirere, necnon eorumdem monasteriorum abbatibus, prioribus et monachis, ac religiosis, ne illorum bona alienare, et quibusvis personis etiam laicis quacumque dignitate fulgentibus ne illa usurpare praesumant, inhibere, et ut ea sic usurpata seu ab eis alienata, dimittant et relaxent sive restituant, sub excommunicationis et aliis sententiis et censuris ecclesiasticis compellere, ac contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque, tam ecclesiasticae quam saecularis, dignitatis et excellentiae fuerint, per easdem censuras et poenas ecclesiasticas ac alia iuris opportuna remedia, appellatione postpositâ, compescere, et, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis invocare, ac omnia et singula alia salubrem illorum directionem concernentia, quae de iure vel consuetudine ad officium visitatoris spectant et pertinent, et quae circa ea necessaria fuerint seu quomodolibet opportuna, facere, ordinare, constituere et exequi libere et licite valeas [ita quod (iis, quae monasteriorum, domorum ac locorum huiusmodi decentiam offuscant, penitus remotis) salutares fructus, aut exemplares mores plantentur in eisdem, ac utriusque sexus regulares ad regularem observantiam reducantur, ac divinus cultus ubique restauretur, et restauratus perpetuo conservetur] auctoritate et tenore praedictis, plenam, liberam et omnimodam licentiam et facultatem concedimus.

§ 4. Decernentes quoad[1] causas praedictas a tuis ordinationibus, interlocutionibus, decretis, ante definitivam vel vim definitivae habentem sententiam, et ubi agetur de morum correctione, nullatenus etiam ad nos et dictam Sedem Apostolicam posse appellari et nihilominus per appellationes quascumque contra praesentium tenorem quomodolibet interpositas, causas nemini devolvi, aut etiam per quasvis inhibitiones, etiam cum quibuscumque censuris et poenis, eis a quibusvis iudicibus ordinariis vel delegatis forsan faciendas, illarum ulteriorem cognitionem et expeditionem, ac, ubi de morum cognitione agetur, etiam legitimam exequutionem minime impediri, aut censuris et poenis huiusmodi ligari et irretiri censeri; *Ab eius sententiis in his, quae mores respiciunt, appellari non posse declarat.*

§ 5. Sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) ubique iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. *Clausulae.*

§ 6. Non obstantibus felicis recordatio- *Derogatio contrariorum.*

[1] Edit. Main. legit *quod*; at indubie legendum esse *quoad* ex contextus ratione quisque sentiet (R. T.).

nis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon monasteriorum Ordinum quorumcumque, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, etiam *Mare Magnum*, aut aliàs nuncupatis, conservatorum deputationibus et eorum ac aliis inhibitionibus (quibus tu deferre minime teneris, sed, illis reiectis et non obstantibus, in dictis causis, ut praefertur, procedere et illas iure debito terminare possis), ac litteris apostolicis et exemptionibus monasteriis et Ordinibus huiusmodi, ac illorum conventibus, abbatibus et personis, necnon eorumdem definitoribus et quibusvis aliis cuiuscumque dignitatis, status et praeeminentiae existentibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, etiam talibus, quod illis nullatenus aut nonnisi modo et formâ in illis expressis derogari possit, irritantibus et aliis decretis, etiam motu simili et ex certâ scientiâ in contrarium concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod tu facultatem huiusmodi in his nostris litteris per nos tibi tributam et omnia in eis contenta eisdem superioribus regularibus intimare et publicare debeas, alioquin praesentes nostrae litterae nullius sint roboris vel momenti.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XXII decembris MDCVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 22 decembris 1607, pontif. an. III.

XCII.

Contra fratres Ordinis Praedicatorum, qui pro consequendo officio magistri generalis pro se vel aliis ad favores extra Religionem recurrunt, vel aliis minus legitimis modis illud obtinere quaerunt [1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Admonemur pastoralis officii nostri debito, diligentius prospicere, ne religiosis ad dignitates et officia per emendicata suffragia ambitiosus pateat accessus. Exordium.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Gregorius Papa XIII, praedecessor noster, per suas in formâ Brevis litteras, die I iunii MDLXXX, pontificatus sui anno IX datas, magistro generali ac provincialibus et reliquis Ordinis fratrum Praedicatorum praelatis, tunc et pro tempore existentibus, in virtute sanctae obedientiae mandavit, ne ad instantiam et requisitionem quarumcumque personarum, tam laicarum quam ecclesiasticarum, extra supradictum Ordinem constitutarum, etiam cardinalatus honore, et quacumque saeculari dignitate et excellentiâ etiam ducali, regali et imperiali fulgentium, cuivis dicti Ordinis religioso ullam gratiam con- Gregorius XIII praelatis Ordinis praedicatorum vetuit ullam gratiam cuivis religioso facere vel poenam remittere ad instantiam personarum extra Ordinem existentium.

1 De hoc Ordine vide in Honorii III Const. II *Religiosam* tom. III pag. 309.

cedere, vel poenas aliquas remittere auderent[1];

Vetuit etiam fratribus iis viis aliquid sibi procurare.

§ 2. Quinimo quoscumque dicti Ordinis fratres et religiosos, qui, contra decreta suarum constitutionum, hac[2] viâ et iis mediis per conquisitos favores et suffragia aliquid sibi procuraverint, ad talia et similia, ac etiam maiora, in eodem Ordine consequenda, perpetuo inhabiles etiam declaravit;

Clemens VIII dicti prohibitionem ampliavit.

§ 3. Et subinde, cum a nonnullis ambigeretur, an sub gratiarum vocabulo gradus, honores, dignitates, officia et munia Ordinis praedicti comprehenderentur, similis memoriae Clemens Papa VIII etiam praedecessor noster per alias similes litteras die XXIII maii MDXCII, pontificatus sui anno I datas, priores litteras praedictas et in eis contenta quaecumque approbavit et confirmavit, ac praedictam Gregorii de gratiis, ut praedicitur, per mendicatos favores minime concedendis prohibitionem ad quoscumque gradus, honores, dignitates, officia, administrationes, functiones, praelaturas eiusdem Ordinis perpetuo extendit et extendi debere decrevit, et praeterea dilectis filiis magistro generali, provincialibus et aliis praelatis, superioribus eiusdem Ordinis, ne imposterum aliquod praemissorum cuiquam, ad instantiam seu requisitionem vel contemplationem personarum superius expressarum quarumcumque, quovis modo concedere, religiosis vero ac fratribus eiusdem Ordinis quibuscumque non solum in praemissis omnibus saecularium favorem minime procurare, sed nec etiam sponte oblatum aut ab eis minime procuratum recipere, et similiter ne ad hunc effectum munera aliqua saecularibus impendere vel exhibere auderent vel praesumerent, in virtute sanctae obedientiae, et sub poenis in dictis Gregorii praedecessoris litteris contentis praecepit et expresse interdixit ac prohibuit[1], prout in singulis litteris praedictis plenius continetur.

Hic Pontifex eorum constitutionem approbat.

§ 4. Cum autem, sicut accepimus, ad electionem novi magistri generalis dicti Ordinis brevi deveniendum sit, nos, quantum intersit, ut electio huiusmodi, eliminatis procul favoribus, in sanctitate et iustitiâ celebretur, probe cognoscentes, et ideo dicti Ordinis fratres non solum poenarum in dictis litteris contentarum sed etiam censurarum ecclesiasticarum metu in officio debito continere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, dictorum Gregorii et Clementis praedecessorum praedictas litteras, et in eis contenta quaecumque, eorum seric praesentibus pro expressis[2] habentes, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus.

Contravenientibus poenam excommunicationis latae sententiae addit, si pro obtinendo officio magistri generalis, pro se vel aliis, ad favores huiusmodi recurrant.

§ 5. Et insuper omnibus et singulis dicti Ordinis fratribus, cuiuscumque conditionis, gradus et praeeminentiae existentibus, in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ne ad quarumcumque personarum, tam laicarum quam ecclesiasticarum, extra supradictum Ordinem constitutarum, etiam cardinalatus honore ac quacumque saeculari dignitate et excellentiâ etiam ducali, regali et imperiali fulgentium favores, ad effectum consequendi dictum officium magistri generalis, pro se vel aliis, recurrant, vel aliis minus legitimis viis et modis illud obtinere queant[3]; hos[4], qui

1 Vide ipsius Greg. XIII Constit. CXVI tom. VIII pag. 335 (R. T.).

2 Edit. Main. legit. *ac*; at emendatione opus esse censuimus (R. T.).

1 Vide Clem. VIII Constit. XX t. IX p. 561 (R. T.).

2 Aptius leg.: *seriem... pro expressâ* (R. T.).

3 Fortasse legendum *quaerant* (R. T.).

4 Aptius legeretur *et eos* (R. T.).

mandato nostro huiusmodi contravenerint, ultra supradictas poenas, etiam vinculo excommunicationis latae sententiae, a quo nisi per nos et Romanos Pontifices pro tempore existentes, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant, annodamus.

Contrariisque derogat.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique Ordinis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, caeterisque contrariis quibuscumque: aut si Ordini et fratribus praedictis communiter vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis quoque credi iubet.

§ 7. Volumus autem quod praesentium litterarum exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici, et sigillo alterius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem fides ubique adhiberi debeat, quae praesentibus adhiberetur, si exhibitae forent vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die VII ianuarii MDCVIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 7 ianuari 1608, pontif. an. III.

XCIII.

Archiepiscopo Granatensi conceditur facultas cogendi etiam Regulares exemptos ad servanda decreta sua de tapetis et pulvinaribus pro mulieribus in ecclesiis non ponendis, nec sedibus quoties sanctissimum Eucharistiae Sacramentum expositum est [1].

1 Ex Regest in Secret. Brev.

Venerabili fratri archiepiscopo Granatensi

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Archiepiscopi decreta de quibus in rubrica.

§ 1. Pro parte tuâ nobis nuper expositum fuit, quod tu, ut scandalis et discordiis, quae occasione sedium per saeculares personas in ecclesiis poni solitarum oriri solent, obviares, ne tapetes et pulvinaria mulieribus inservitura in dictis ecclesiis ponantur, nec aliquis cuiuscumque conditionis et qualitatis in festivitate sanctissimi Corporis Domini nostri Iesu Christi, totâque eiusdem festivitatis octavâ, ac aliis temporibus, quibus sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in ecclesiis populo venerandum publice exhibetur, sedilia et sitialia, vulgo nuncupata, in ipsis ecclesiis habeat, praecepisti; necnon etiam constitutionibus tuis synodalibus personis saecularibus sedes intra pavimenta altarium maiorum quarumcumque ecclesiarum habere vetuisti.

Quae non observabantur a regularibus exemptis.

§ 2. Haec autem, sicut eadem expositio subiungebat, praecepta ac mandata, et constitutiones synodales in ecclesiis monasteriorum a iurisdictione tuâ ordinariâ exemptorum, non tamen absque discordiis et divini cultus detrimento, minime observantur.

Archiepiscopus PP. supplicat pro opportuno remedio.

§ 3. Quare nobis humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis de apostolicae potestatis plenitudine providere dignaremur.

Paulus ei ad id delegati apostolici concedit facultates.

§ 4. Nos igitur volentes ut in ecclesiis, quae orationis, non iurgiorum et litium, domus sunt, qua decet reverentiâ Altissimo famulatus et sanctissimo Eucharistiae Sacramento debitus cultus exhibeatur, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium ne-

gotiis Episcoporum et Regularium praepositorum, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut tu, tamquam Sedis Apostolicae delegatus, praecepta et mandata ac constitutiones synodales praedicta in quibuscumque tuarum civitatis et diocesis ecclesiis, etiam utriusque sexus monasteriorum, etiam exemptorum, ac Sedi Apostolicae immediate subiectorum, sub arbitrio tuo infligendis poenis, auctoritate nostrâ apostolicâ, observari mandes et facias. Nos enim tibi ad id plenam et amplam facultatem et auctoritatem, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum et monasteriorum ac Ordinum, quibus[1] illa fuerint, statutis et privilegiis, illorum omnium et singulorum tenores, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die IX ianuarii MDCVIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 9 ianuarii 1608, pontif. an. III.

XCIV.

Committitur collectori generali regni Portugalliae et Algarbiorum, ut visitatorem Militiarum sancti Iacobi et de Avis deputet, a cuius sententiis appellari non possit, non obstantibus statutis dictarum Militiarum[2].

1 Saltem ad syntaxim legendum esset *quaevis*; nisi forsan amplioris emendationis opus sit, ex. g., *quibus, quaecumque illa fuerint, derogamus* qui verba aptius transponerentur paulo post (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Dilecto filio spoliorum et Iurium Camerae nostrae Apostolicae debitorum in Portugalliae et Algarbiorum regnis collectori generali

Paulus Papa V.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae commissionis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Portugalliae et Algarbiorum rex catholicus, quod certus visitator Militiarum sancti Iacobi et de Avis regni Portugalliae et fratrum militum illarum, in visitatione suâ deprehendit, quod earumdem Militiarum fratres milites regularium suorum institutorum immemores in vitia passim prolabuntur, et excessus committunt, et huius mali non levis est causa, quod iuxta privilegia Militiis huiusmodi a Sede Apostolicâ concessa, non nisi praeviis tribus conformibus sententiis puniri possunt. Quare idem rex nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis apostolicâ auctoritate providere dignaremur.

Commissio de qua in rubrica.

§ 2. Nos volentes ne, praetextu huiusmodi privilegiorum, delicta remaneant impunita, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut iudicem deputes, qui de vitâ et moribus militum dictarum Militiarum in praedicto regno existentium ac de excessibus et delictis ab eis commissis se diligenter informet, et ad condignas poenas per eius sententiam procedat, cuius exequutio per subsequentem appellationem, arbitrio tuo, minime retardetur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis ac dictarum Militiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem Militiis, illarumque magistris et aliis superioribus et personis, sub quibuscumque

tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda foret, tenores huiusmodi pro plene et sufficienter expressis habentes, hac vice specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV ianuarii MDCVIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 14 ianuarii 1608, pontif. an. III.

XCV.

Gratiae et indulta fratrum Ordinis sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, ad partes infidelium pro dictâ redemptione se transferentium, in favorem ipsorum captivorum necnon aliorum christifidelium etiam non captivorum ibi existentium[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex omnibus christianae charitatis officiis, quibus aeterna salus per gratiam Dei comparatur, illa Redemptori nostro Iesu Christo maxime placere credimus, per quae infelices captivi a terrâ impiorum et miserâ servitute revocantur, ac eorum saluti prospicitur.

Facultas fratrum Ordinis sanctissimae Trinitatis ad partes infidelium se transferentium confessiones christifidelium ibi degentium audiendi et in foro conscientiae absolvendi.

§ 1. Supplicationibus igitur dilectorum filiorum superiorum et Bernardi de Monroy administratoris Ordinis sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum nobis humiliter porrectis inclinati, dicto Bernardo (qui, ut asserit, forsan cum aliis dicti Ordinis professis, superiorum praedictorum iussu, brevi in Africam pro redimendis captivis profecturus est) et aliis professis ad huiusmodi munus obeundum deputandis, ut Algerium, et ad alias Africae et infidelium partes se transferre, declinare ac migrare, ibique conversari et commorari, ac in eisdem partibus omnium et singulorum utriusque sexus christifidelium captivorum et non captivorum, ibidem nunc et pro tempore degentium et commorantium, confessiones audire, ipsosque in captivitate positos, ac etiam liberos christifideles inibi commorantes (dummodo tamen animo infrascriptâ facultate fruendi ad partes illas non confugerint) a quibusvis suis peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi apostolicae reservatis, ac etiam contentis in litteris die Coenae Domini legi consuetis (non tamen haeresis, laesae maiestatis, apostasiae, idololatriae, iudaismi, nec delationis prohibitorum ad partes infidelium), scilicet semel in anno captivos praedictos, liberos autem praedictos semel tantum in vitâ, necnon a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, iniunctâ eis pro modo culpae poenitentiâ salutari, in foro conscientiae tantum absolvere;

Presbyteros ibidem degentes super irregularitate in foro conscientiae dispensandi.

§ 2. Necnon etiam cum presbyteris captivis, super quacumque irregularitate, per eos quomodolibet (praeterquam ex homicidio voluntario et bigamiâ) contractâ, cum liberis vero presbyteris in dictis partibus commorantibus, super irregularitatibus huiusmodi per eos dumtaxat in illis partibus contractis (ex homicidio et bigamiâ, ut praefertur, provenientibus pariter exceptis) in eodem foro tantum dispensare;

Captivos omnes votis absolvendi.

§ 3. Ac captivos etiam praedictos utriusque sexus in eisdem partibus, nunc

[1] Huius Ordinis institutionem et regulam vide in Constit. XVII Innocentii III *Operante*, tom. III pag. 133.

et pro tempore existentes, a quibuscumque votis, non tamen solemniter emissis, vel quae[1] captivi praedicti in eisdem partibus conversantes vel postea in libertate constituti commode adimplere poterunt, pariter absolvere;

Bonaque incerta et per eos captivos male parta condonandi.

§ 4. Praeterea sub[2] bonis incertis, quae captivi praedicti male parta habuerint (erogatâ tamen prius aliquâ portione in beneficium et usum redemptionis huiusmodi, Bernardi et professorum praedictorum arbitrio), disponere, illaque eis concedere et condonare;

Paramenta et ornamenta ecclesiastica benedicendi.

§ 5. Quodque Bernardus et professi praedicti, pro usu locorum et ministrorum ecclesiasticorum dictarum partium, paramenta et ornamenta ecclesiastica benedicere, eo tempore dumtaxat quo apud eosdem infideles commorabuntur, nisi ibi quispiam alius reperiatur, qui ex officio illa benedicere valeat;

Religiosi et alii presbyteri etiam captivi, certis horis missam in illis partibus celebrare possint in locis etiam profanis cum ornamentis et in altare portatili.

§ 6. Quodque religiosi et alii presbyteri, etiam captivi, in illis partibus nunc et pro tempore existentes, per unam horam ante ortum diei, usque ad horam meridianam, et post meridiem per aliam horam, missam, in locis etiam profanis ad id eis commodioribus, cum ornamentis et altari portatili celebrare possint, etiamsi tempore celebrationis huiusmodi Mauri, Turcae, Iudaei, idololatrae, haeretici, apostatae, vel alii ab Ecclesiâ Catholicâ separati, ibidem praesentes existant (nisi adsit probabilis suspicio illos irridendi hoc sacrum mysterium vel aliquam aliam irreverentiam illi inferendi causâ ibidem ex professo adesse);

Et sacramentum Eucharistiae ad christifideles deferre valeant.

§ 7. Atque tam religiosi, quam alii presbyteri praedicti, sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, in aliquâ capsâ ad id per dictos religiosos benedictâ inclusum, ad christifideles, qui ad locum, in quo missam celebrari contigerit accedere nequiverint, sine luminibus vel aliquâ esteriori pompâ, subtus vestes ordinarias, deferre possint;

Bonaque fratribus data recipere pro eorum usu et redemptione captivorum.

§ 8. Quodque dicti religiosi, omnes et singulas pecunias, res et bona, quae ad eos transmitti contigerit, recipere et retinere, illaque penes se habere ac in necessarios dumtaxat usus, tam proprios quam eorumdem captivorum, aut in praedictorum captivorum redemptiones convertere valeant, cum aliunde non habebunt, unde huiusmodi necessitatibus subvenire possint, ac cum quibusvis Turcis, Mauris, Iudeis, haereticis et aliis infidelibus communicare, pacisci et consuetudinem habere, iustâ subsistente causâ;

Fratres praedicti pro defunctis missam celebrare et animas a Purgatorio liberare.

§ 9. Quodque dictus Bernardus et alii professi sacerdotes, nunc et pro tempore in illis partibus existentes, possint in qualibet hebdomadâ tres missas in refrigerium animarum in Christi charitate defunctorum dicere et celebrare, et in unaquaque illarum unam animam ex fidelibus in illis partibus decedentibus a poenis Purgatorii liberare possint;

Indulgentiae plenariae omnibus christifidelibus in illis partibus existentibus, confessis et sacra communione refectis conceduntur.

§ 10. Denique, quod omnes utriusque praedicti sexus christifideles, tam liberi quam captivi, in dictis partibus pro tempore existentes, qui per unum aut duos dies ante festivitates Nativitatis, Resurrectionis, Ascensionis Domini nostri Iesu Christi, Pentecostes, Assumptionis, Nativitatis, Purificationis, Annunciationis beatissimae et gloriosissimae Dei Genitricis semperque Virginis Mariae, ac Omnium Sanctorum, Nativitatis beati Ioannis Baptistae, martyrii BB. Petri et Pauli Apostolorum, necnon sancti Iacobi Zebedaei, aut in ipsis festivitatibus, peccata sua confessi, et sacrâ communione refecti (si commode illâ refici possint, aliàs, si non si possint, saltem sacramentaliter confessi) pro exaltatione fidei catholicae

1 Non satis mihi constat utrum istud comma ad exceptionem vel ad extensionem potius facultatis referatur (R. T.).

2 Nisi quis malit legere *super* (R. T.).

ac Maurorum et infidelium conversione pias ad Deum preces effuderint, in singulis festivitatibus praedictis, in quibus praemissa peregerint, plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem consequantur;

Aliae indulgentiae pro eisdem.

§ 11. Ipsique fideles, qui aliquem ex captivis in eorum tribulationibus et angustiis consolati fuerint, seu aegrotum visitaverint, aut nudum vestiverint, aegenis quovis modo subvenerint, vel mortuum terrae commendaverint, qualibet vice qua id pro tempore fecerint, decem annos de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis consequantur;

Praesertim die sabbati certo modo orantibus.

§ 12. Ipsique fideles, qui die sabbati cuiuslibet hebdomadae ad occasum solis congregabuntur in aliquo loco populoso, seu deserto, vel in mari, ac in honorem eiusdem intemeratae Virginis Matris Mariae antiphonam, quae incipit *Salve Regina*, semel recitaverint vel cantaverint, aut cum aliis illam pie recitantibus vel cantantibus affuerint, quolibet die sabbati, quo id egerint, quadraginta annos de iniunctis eis, ut praefertur, seu aliàs quomodolibet poenitentiis debitis consequantur;

Indultum eorumdem confitendi in periculo mortis, sacerdoti etiam captivo qui eos ab omnibus delictis absolvat.

§ 13. Praeterea, quod supradicti christifideles in articulo vel periculo mortis (quando non dabitur accessus, vel spes accedendi ad ipsos religiosos) peccata sua cuilibet sacerdoti, etiam in huiusmodi captivitate detento, confiteri, dictique sacerdotes illos a quibuscumque peccatis, criminibus, excessibus et delictis, etiam Sedi predictae reservatis, etiam contentis in litteris die Coenae Domini, ut praefertur, legi solitis, etiam haeresis, apostasiae, idololatriae, iudaismi, absolvere, illisque plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concedere et impertiri libere et licite valeant;

Alia plenaria indulgentia pro eisdem in articulo mortis.

§ 14. Et praeterea, quod omnes et singuli utriusque sexus christifideles praedicti, in dictis partibus infidelium nunc et pro tempore existentes, vere poenitentes et confessi, vel, qui sine culpâ suâ non potuerint ad confessarios accedere, in dicto mortis articulo constituti, qui pium nomen Iesu corde, si ore non potuerint, invocantes[1], similiter plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem consequantur[2].

Declaratio quod concessio ista sit ad decennium.

§ 15. Praesentibus ad decennium proximum tantum valituris.

Exemplorum huius Bullae fides.

§ 16. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die VIII februarii MDCVIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 8 februarii 1608, pontif. an. III.

XCVI.

Quod rex Franciae perpetuus administrator Militaris Ordinis sancti Spiritus etiam exteros catholicos ad militiam admittere possit. Et tam ipse, quam alii eiusdem militiae milites sacramentum Eucharistiae infra octavam ante generalem congregationem, et sui admissionem sumere debeant.

Paulus Papa V

Charissimo in Christo filio nostro Henrico Francorum regi Christianissimo, salutem et apostolicam benedictionem.

Statutis Ordinis Militaris S. Spiritus ca-

§ 1. Maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, quod statutis militaris

1 Nisi quis malit legere *invocaverint* (R. T.).

2 Haeic subiungenda essent verba *concedimus et indulgemus* (vel alia similia) quae afficiant omnia praedicta in §§ praecedentibus (R. T.).

vatur, quod exteris, qui habilitatis et regni Franciae incolae non sunt non recipiantur et tam rex quam caeteri die congregationem generalis Eucharistiam sumere teneantur.

Ordinis sancti Spiritus, cuius maiestas tua perpetuus administrator esse dignoscitur, inter alia cautum est, ne exteri, qui habilitati et regni Franciae incolae non sunt, in milites dictae Militiae recipiantur, die vero generalis congregationis dicti Ordinis, quando etiam aliquis ad habitus per eiusdem militiae milites gestari soliti susceptionem admittitur, ut tam maiestas tua, quam officiales dicti Ordinis, et milites, et quisquis ad habitum admittitur, sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumere teneantur.

Rex ad exteros quoque militiam extendi et Eucharistiam ante congregationem generalis sumi posse petit.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, maiestas tua, quae sicut et praedicti officiales ac milites statuta huiusmodi observare voto et iuramento se adstrinxerunt, ad Spiritus Sancti gloriam et catholicae fidei exaltationem dictum Ordinem etiam extra regnum Franciae longius diffundi et in exteros fidei praedictae zelo conspicuos ac aliàs iuxta eiusdem Ordinis statuta qualificatos extendi posse plurimum desideret: cumque etiam (eo quod[1] dicto die generalis congregationis et admissionis ad habitus susceptionem, aliis negotiis et officiis, magnâ cum mentis agitatione, potius quam orationi et spirituali contemplationi vacari soleat) sanctissimae Eucharistiae sacramentum aliquot diebus ante, longe maiori cum reverentiâ, et spirituali fructu sumi posset; idcirco eadem maiestas tua nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis de benignitate apostolicâ providere dignaremur.

Conceditur itaque, exteros posse recipi;

§ 3. Nos igitur, qui illa, quae ad Spiritus Sancti gloriam et Catholicae fidei exaltationem cedunt, ac fidelium devotionem augent, eiusdem Sancti Spiritus gratiâ suffragante promovere desideramus, Ordinis praedicti propagationi et militum eiusdem animarum saluti quantum cum Domino possumus consulere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, votum et iuramentum praedicta (illis in caeteris omnibus in iis contentis firmis remanentibus) auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, relaxamus: utque maiestas tua et praedicti officiales ac milites exteros etiam non habilitatos nec regni Franciae incolas (catholicos tamen, et gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentes), dicto statuto non obstante, in milites dictae Militiae admittere, illique admitti (dummodo tamen in eorum admissione, aut aliàs quandocumque, qui non maiestatis tuae sed aliorum principum aut dominorum subditi et vassalli existerent, votum aliquod aut iuramentum non emittant aut praestent, quod potestati aut superioritati vel iurisdictioni aut alii[1] cuicumque iuri principum seu dominorum, quorum subditi ac vassalli erunt, quomodolibet adversetur) libere, et licite possint: necnon ut maiestas tua, officiales, et milites praedicti, et quisquis ad dictae Militiae habitus susceptionem admittitur, non ipso die congregationis generalis, et quo habitum suscipit, sed infra octavam praecedentem[2] sanctissimum Eucharistiae sacramentum suscipere valeant et teneantur (ita tamen, ut ante diem congregationis, et admissionis ad habitum huiusmodi, tam officiales, et milites, quam ad habitum admittendi se praedictum Sacramentum infra dictum tempus suscepisse legitime ostendant) eàdem auctoritate concedimus, et indulgemus. Et votum, ac iuramentum praedicta ad hunc effectum commutamus, et pariter relaxamus, ac statuimus, et ordinamus.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac dictae Militiae statutis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis fir-

1 Has voces *eo quod* nos addimus (R. T.).

1 Edit. Main. legit *ali* (R. T.).

2 Ibid. legitur *praecedente* (R. T.).

mitate alià roboratis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die XVI februarii MDCVIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 16 februarii 1608, pontif. an. III.

XCVII.

Erectio Ordinis Militaris sub titulo, habitu et regulâ beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, in Galliâ ab Henrico IV Francorum rege ex bonis suis mere laicalibus instituti; nec non ordinationum praescriptio pro feliciori regimine eiusdem Ordinis.

**Paulus Episcopus
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Romanus Pontifex, cuius principatum super omnes extulit divina maiestas, piis devotorum, et suis obsequentissimorum filiorum votis, qui maiorum suorum quamsimillimi evadere, et, quam nobilitatem a maioribus acceperunt, eamdem posteris suis insigni aliquâ accessione cumulatam tradere cupiunt, libenter annuit, et, quae ad id ac ad fidem catholicam sartam tectamque tuendam et illius inimicos propulsandos salutemque animarum procurandam tendere dignoscuntur, concedit, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Henricus IV rex Galliae Ordinem militarem sub denominatione et regula beatae Mariae de Monte Carmelo pro nobilibus et ingenuis Gallicae nationis viris de bonis suis mere laicalibus institui cupiens Pontifici pro opportuna provisione supplicat.

§ 1. Exposuit siquidem nobis nuper dilectus filius nobilis vir Carolus de Neufville, dominus in temporalibus d' Halincourt et eques utriusque ordinis regii, nomine charissimi in Christo filii nostri Henrici Francorum Regis Christianissimi, cuius ipse ad nos Sedemque Apostolicam orator existit, quod ipse Henricus rex (pro singulari quo, etiam uti dictae Sedis Apostolicae filius primogenitus, tuendae et propagandae, augendaeque religionis catholicae desiderio fervet) ad sanctae Romanae Ecclesiae exaltationem et profectum, haeresumque extirpationem et haereticorum depressionem, aliaque[1], iam diu, et usque a primordio eius feliciter suscepti Francorum regni, in eodem regno et aliis ditioni suae subiectis locis consuevit adhibere remedia. Quare unam Militiam seu Ordinem militarem ad ipsius Henrici regis arbitrium competenter de suis bonis mere laicalibus (non tamen beneficialibus seu redditibus ecclesiasticis) dotandam seu dotandum ex delectis Gallicanae nationis viris nobilibus et ingenue natis, denominatione seu titulo ac regulâ gloriosissimae semperque Virginis Dei Genitricis Mariae de Monte Carmelo (quam praedictus Henricus rex sui protectricem et advocatam singulari devotione semper habet ac veneratur) sub nostro et dictae Sedis beneplacito et auctoritate erigi et institui summopere desiderat, dictusque Carolus nomine ipsius Henrici regis nobis humiliter supplicavit, quatenus eumdem Henricum regem specialibus favoribus et gratiis prosequi, aliàsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 2. Nos igitur hoc pium et numquam satis laudandum desiderium promovere cupientes, ac dictum Henricum regem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi sup-

[1] Intellige *et ad alia huiusmodi*; nam si *aliaque* referas ad *remedia* paulo post dicenda, oratio erit defectiva. R. T.

plicationibus inclinati, Militiam seu Ordinem huiusmodi sub eâdem regulâ (cuius Militiae suprema vel principalis sedes et conventus ad id per dictum Henricum regem in ipso Franciae regno seu alio ab eodem Henrico rege possesso dominio consistente loco assignando et statuendo existat et esse debeat) ac in Militiâ seu Ordine huiusmodi unum magistrum magnum vocandum, supremam seu principalem illius dignitatem pro uno magistro magno vocando, qui eiusdem Militiae vel Ordinis caput et supremus sit; cum conventu per dictum Henricum regem (sine alicuius praeiudicio) constituendo; nec non militum seu ministrorum numero eidem magistro beneviso; qui magister et milites cum unâ, et, eâ defunctâ, cum alterâ muliere, etiam viduâ, dumtaxat matrimonium contrahere possint, et aliàs ipsi castitatem coniugalem et obedientiam expresse profiteantur, cum signo eiusdem beatae Mariae Virginis, et habitu ab aliis aliarum Militiarum signis omnino diversis et dissimilibus non immutandis; ac mensâ magistrali, prioratibus, praeceptoriis, allisque beneficiis et officiis, de bonis mere laicalibus, non tamen beneficialibus seu ex redditibus ecclesiasticis, ut praefertur, dotandis, ex nunc prout ex tunc, et e contra, postquam Militia seu Ordo huiusmodi competenter, ut praefertur, dotata vel dotatus fuerit, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo, et sine alicuius praeiudicio, erigimus et instituimus;

Magistratus quoque modo vacantis omnimoda dispositio regi Galliae asseritur.

§ 3. Ita quod dicti magistratus, etiam a primaevâ illius erectione et institutione vacantis, et de caetero perpetuis futuris temporibus, quotiescumque illum quovis modo, et ex cuiuscumque et qualitercumque qualificatâ personâ, etiam apud Sedem praedictam, aut aliàs quocumque tempore, aut quandocumque vacare contigerit, provisio et omnimoda dispositio ad dictum Henricum, et pro tempore existentem Francorum regem, perpetuo spectet et pertineat, spectareque et pertinere debeat.

Qui in fratres mentes confirmationem impetret et fidei professionem ad Sedem Apostolicam transmittat et interim in administratione magistratus se non intromittat.

§ 4. Et tam hac primâ vice, quam quotiescumque alia eiusdem magistratus vacatio evenerit, quicumque de eo per dictum regem provisus fuerit, ut praefertur, post provisionem huiusmodi factam, intra tres menses ex nunc proximos novam desuper ab eâdem Sede provisionem seu confirmationem petere et impetrare, ac fidei catholicae professionem iuxta articulos a dictâ Sede traditos emittere, illamque sic emissam, et ab eodem magno magistro manu suâ subscriptam, ad eamdem Sedem intra eosdem tres menses transmittere debeat et teneatur, cum eo tamen, quod dictus magnus magister in propriâ, et administratione dictae Militiae, nisi post obtentam novam provisionem et emissionem professionis huiusmodi, se nequeat intromittere. Necnon praedictae erectae Militiae dotem, per dictum Henricum regem de suis bonis mere laicalibus, non tamen ecclesiasticis, ut praefertur, dotandae, etiam perpetuo concedimus et applicamus.

Magnus magister principalem Ordinis sedem in locis a rege possessis collocare, et milites creare possit.

§ 5. Ac insuper pro tempore existenti magno magistro huiusmodi, ut supremam seu principalem eiusdem Militiae vel Ordinis sedem post hanc primam vicem ad quemcumque locum, etiam maritimum, in regno seu locis per eumdem regem possessis, de licentiâ tamen eiusdem Sedis Apostolicae, transferre et collocare, ac milites creare, qui eamdem fidem profiteri et fidelitatis iuramentum tam Romano Pontifici quam dicto magno magistro praestare etiam teneantur et debeant.

Statuta pro Ordinis regimine condere.

§ 6. Stabilimenta quoque, statuta et ordinationes Militiae seu Ordinis huiusmodi, illiusque prosperum regimen concernentia, a Sede Apostolicâ praedictâ

approbanda condere, ac condita pro temporum et rerum qualitate, si opus fuerit, mutare, et alia de novo edere (dummodo licita et honesta sint, ac sacris canonibus, et praesertim decretis Concilii Tridentini, ac constitutionibus apostolicis non contraria) eisdem auctoritate et tenore concedimus et indulgemus.

Prioratus etiam et beneficia quaecumque dicti Ordinis militibus conferre.

§ 7. Nec non praedicto magno magistro, ut perpetuis futuris temporibus per seipsum dumtaxat, et non alium, iuxta stabilimenta et decreta praedicta, de omnibus et singulis prioratibus, praeceptoriis et membris, caeterisque beneficiis ecclesiasticis eiusdem Militiae seu Ordinis, ut praefertur, erectae seu erecti, qui pro tempore, qualitercumque, et ex quorumcumque personis, etiam quamcumque reservationem inducentibus, ubique etiam apud Sedem Apostolicam praedictam vacaverint, militibus et personis dicti Ordinis providere possit.

Priores autem, praeceptores et capellani, habito magni magistri consensu et licentia Ordinariorum, in ecclesiis militiae ecclesiastica sacramenta administrare possint.

§ 8. Prioribus vero et praeceptoribus, ac capellanis Militiae seu Ordinis huiusmodi (habito et obtento sui magistri consensu, ac licentià et approbatione a locorum Ordinariis) in ecclesiis etiam Militiae missas celebrare, nec non quibuscumque militibus et personis Militiae seu Ordinis huiusmodi, Extremae Unctionis, aliaque ecclesiastica Sacramenta, etiam in mortis articulo, et omni tempore (sine tamen parochialium ecclesiarum et illarum rectorum praeiudicio) administrare, et eorum confessiones praevià Ordinariorum approbatione audire, et illos in formà Ecclesiae consuetà, impositâ poenitentià salutari, absolvere.

Magno magistro ut pro summa mille quingentorum et militibus pro summa ducatorum quingentorum pensiones super beneficiis ecclesiasticis in locis a rege possessis auctoritate apostolica reservandas una cum prioratibus, et aliis beneficiis dictae militiae habere possint indulget.

§ 9. Magistro autem ac militibus, presbyteris, ac capellanis praedictis, eorumque singulis, tam clericis quam laicis, etiam uxoratis et bigamis (non tamen trigamis) ut unam vel plures pensiones annuas, magistri videlicet usque ad mille quingentorum, caeteri vero milites praedicti ad quingentorum ducatorum auri de Camerâ summas, super cathedralium etiam metropolitanarum et aliarum ecclesiarum, necnon monasteriorum etiam consistorialium, prioratuum, canonicatuum et praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum cum curâ et sine curâ saecularium et quorumvis Ordinum regularium, qualitercumque qualificatorum, in dominiis per dictum regem possessis dumtaxat consistentium, fructibus, redditibus et proventibus, iuribus et emolumentis universis, ac etiam distributionibus quotidianis, eis apostolicâ auctoritate reservatas et reservandas, vel loco pensionum annuarum huiusmodi omnia et singula fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta, ac distributiones huiusmodi, sibi usque ad dictam summam, ut praefertur, reservata et reservanda, etiam si post illarum vel illorum reservationem uxorem duxerint et matrimonium contraxerint, ac, ut praefertur, bigami, non tamen trigami et ultra, dictoque matrimonio constante, ad eorum vitam, unâ cum quibusvis praeceptoriis et aliis beneficiis dictae Militiae percipere, exigere et levare et in suos usus et utilitatem convertere libere et licite valeant, eisdem auctoritate et tenore de speciali gratià etiam indulgemus, ac desuper cum eisdem magistro et militibus ac eorum singulis dispensamus.

Militiam eiusque personas et bona ab omnibus impositionibus et Ordinariorum superioritate eximit et magno magistro totaliter subiicit.

§ 10. Praeterea Militiam praedictam, illiusque milites, res et bona, a[1] quibusvis impositionibus, quartis, mediis, vel aliis quibuscumque gravaminibus impositis et quandocumque imponendis ac superioritate quorumcumque Ordinariorum etiam perpetuo eximimus et liberamus, illaque omnimodae iurisdictioni,

1 Perperam edit. Main. legit *aut* (R. T.).

superioritati, et obedientiae dicti magistri subiicimus et supponimus.

Magno magistro, militibus et personis dicti Ordinis peccatorum remissionem elargitur.

§ 11. Postremo, ad augendam christifidelium devotionem et animarum salutem procurandam, de omnipotentis Dei misericordiâ, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum auctoritate confisi, magistro, militibus et aliis personis praedictis vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ Communione refectis, tam in die, quâ in dictâ militiâ professionem emiserint, quam singulis annis in festo eiusdem beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo die decimasextâ iulii celebrari solito, a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem festi, et etiam in eorum mortis articulo saltem contritis ac nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, dictâ apostolicâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, misericorditer in Domino perpetuo concedimus et elargimur.

Exequutores huius constitutionis deputat.

§ 12. Quocirca dilectis filiis Aviciensi et Damascensi ac Parisiensi officialibus per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, faciant auctoritate nostrâ praesentes litteras et in eis contenta, ubi et quando opus fuerit, publicari, et ab omnibus ad quos spectat et spectabit in futurum firmiter observari, non permittentes milites praedictos desuper a quoquam quomodolibet molestari; contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo.

Contrariis derogat.

§ 13. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiarum praedictarum, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis illarumque praesulibus, capitulis, conventibus, superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium quomodolibet concessis. Quibus omnibus, etiamsi de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa ac individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolicâ sit Sede praedictâ indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Sanctionem poenalem addit.

§ 14. Nulli, *etc.*, nostrae absolutionis, erectionis, institutionis, applicationis, indultorum, dispositionis, exemptionis, liberationis, suppositionis, concessionis, mandati, derogationis et elargitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicae MDCVIII, XIV kalendas martii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 16 februarii 1608, pontif. an. III.

Sequuntur pontificiae ordinationes, de quibus in rubricâ.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Militantium Ordinum institutio, reipublicae christianae utilis et catholicae fidei tutelae et propagationi proficua futura

esse dignoscitur, si certae regulae praescribantur, sub quarum felici auspicio et regimine Militiis huiusmodi nomen daturi et recte vivere et catholici nominis hostes debellare valeant.

Ut militia praedicta piis regulis ordinata feliciùs in dies procedat, hic Pontifex haec statuit, videlicet:

§ 1. Hinc est, quod nos, qui nuper piis charissimi in Christo filii nostri Henrici Francorum regis Christianissimi nomine supplicationibus nobis humiliter porrectis inclinati, ad omnipotentis Dei et eius gloriosissimae Matris Virginis Mariae gloriam, et sanctae Romanae Ecclesiae exaltationem, haeresumque extirpationem et haereticorum depressionem, Militiam ex delectis Gallicanae nationis viris nobilibus, et ingenue natis, sub denominatione, seu titulo, ac regulà eiusdem gloriosissimae semper Virginis Dei Genitricis Mariae de Monte Carmelo, ereximus et instituimus; cupientes, ut illa, piis et opportunis regulis ordinata et innixa, religioso gradu iugiter et feliciter incedat, eiusdem Henrici regis nomine nobis humiliter porrectis precibus annuentes:

Milites fidei professionem emittant.

§ 2. Quod [1] perpetuis futuris temporibus dictae Militiae milites fidei professionem, iuxta articulos tempore felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri a Sede Apostolicà propositos et approbatos, in manibus magni magistri eiusdem Militiae, seu ab eo deputandi, emittere, illamque manu proprià subscriptam ei, qui curam archivii ipsius Militiae habebit, consignare [2];

In susceptione habitus Eucharistiae sacramentum sumant.

§ 3. Eoque die, quo habitum militarem suscipiunt, ante illius susceptionem, peccata sua sacramentaliter confiteri, et sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumere;

In palliisque crucem fulvi coloris imaginem beatae Virginis in medio habentem, et aliam crucem cum dicta imagine e collo pendentem gestent.

§ 4. Necnon in palliis crucem fulvi seu impluviati coloris, imaginem dictae Virginis Mariae in medio habentem, gestare, aliam quoque crucem auream, cui ab utroque latere eiusdem gloriosissimae Virginis imago sit vincta serica [1] eiusdem coloris, e collo pendentem deferre;

Vota obedientiae et castitatis coniugalis emittant.

§ 5. Insuper Deo, et eidem gloriosissimae Matri Mariae, et dictae Militiae magno magistro, iuxta tenorem praedictae erectionis creato, obedientiae et castitatis coniugalis vota emittere;

Contra Romanae Ecclesiae hostes pugnare promittant.

§ 6. Ac (quotiescumque a nobis et Sede Apostolicà, aut Francorum rege christianissimo pro tempore existente praedicto magno magistro praecipietur) contra Romanae Ecclesiae hostes pugnare;

Officium beatae Mariae seu Coronam singulis diebus recitent.

§ 7. Ad haec singulis diebus officium beatae Mariae, seu coronam, quantà maiori poterit devotione, recitare;

Festis et sabbati diebus missam audiant.

§ 8. Festis quoque, et, legittime non impediti, sabbati diebus sacrum Missae sacrificium audire;

Feria tertia ab esu carnium se abstineant.

§ 9. Necnon ferià tertià cuiuslibet hebdomadae ab esu carnium abstinere;

Festis beatae Mariae Eucharistiam sumant.

§ 10. Quolibet vero ipsius gloriosissimae Virginis Mariae festivitatis die, et praecipue de Monte Carmelo quae die XVI iulii celebrari solet, peccata sua sacramentaliter confiteri et sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumere;

Die festo beatae Mariae ad eum celebrandum conveniant.

§ 11. Eodemque die festivitatis beatae Mariae de Monte Carmelo in loco per dictum magnum magistrum designando ad devote celebrandam huiusmodi festivitatem simul congregari;

Militiae aerario solitas responsiones persolvant

§ 12. Denique ratione commendarum, quae iuxta tenorem erectionis praedictae fundabuntur, quasque obtinebunt, solita iura, et responsiones aerario dictae Militiae, prout aliarum Militiarum milites persolvere solent, etiam solvere debeant, et teneantur.

Sub quibusvis ducibus absque licentia magni

§ 13. Quia vero ex Francorum regis christianissimi subditis dictae Militiae mi-

1 Praeintellige *statuimus et ordinamus*, quae verba prope finem § 13 leguntur (R. T.).

2 Heic et deinceps semper subintellige verba *debeant et teneantur*, quae sequuntur ad finem § 12 (R. T.).

1 Apud Cherubin. legitur *sericea* (R. T.).

magistri non militent.

lites iuxta praedicae erectionis tenorem esse debent, sub quibuscumque ducibus, absque expressâ dicti magni magistri licentiâ, sub poenâ privationis habitus dictae Militiae, nullo modo militare possint, perpetuo statuimus et ordinamus; sicque a militibus praedictis observari praecipimus et mandamus;

Quibuscumque non obstantibus.

§ 14. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die XXVI februarii MDCVIII, anno III.

Dat. die 26 februarii 1608, pontif. anno III.

XCVIII.

Innovatio taxae Pii Papae IV servandae in officiis criminalibus Urbis cum nova declaratione[1].

Paulus Papa V,
Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Inter graves apostolatus nostri curas, quibus assidue premimur, dum regimini Ecclesiae universalis tenuitati nostrae nullo nostrorum meritorum suffragio, a Domino creditae invigilare nitimur, postrema illa non est, ut almae Urbis nostrae tribunalia, quae prae oculis quotidie habemus, et in quibus inter tam multos etiam remotissimarum nationum christifideles ius dicitur, ita sint ordinata, ut iustitiae, integritatis, et moderationis aliis sint speculum et exemplar. Quapropter, si quos abusus, praesertim ex omnium radice malorum cupiditate exortos, illa deformare[2] cognovimus, eos pastorali vigilantià recidere, ac penitus evellere debemus.

Pius IV taxam a tribunalibus criminalibus Urbis observandam praescripsit.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Pius Papa IV praedecessor noster, constituendo taxam mercedum notariorum causarum criminalium gubernatoris, auditoris Camerae, vicarii, senatoris Urbis, et iudicis Burgi, inter alia[1] statuit, et praecepit, quid[2] ipsi notarii pro eorum mercede pro notâ sententiae absolutoriae definitivae, seu decreti vim definitivae habentis, quidque pro cassatione processus tam in causis, in quibus capitalis, quam in aliis, in quibus non capitalis, sed corporalis, ac etiam in quibus, nec capitalis, nec corporalis poena imponenda erat, accipere deberent[3]; ex qua quidem constitutione, et taxa sic distincte praescripta[4], licet iidem notarii decreti notam, et processus cassationem praetendere nullo pacto possent, nisi in casu, in quo inquisiti rei, seu carcerati, ab illis imputato crimine absolvuntur.

Eam vero notarii non observantes pauperibus erant gravamini.

§ 2. Tamen, sicut accepimus, nec sine animi nostri molestià, complures inquisiti, seu carcerati, et forsan pro levi crimine vix examinati, et quandoque etiam non examinati, absque ullà eorum causae discussione, habentes decretum de relaxando, seu de non molestando, vel modicà solutà, aut commutatà, vel etiam (aliquà ex causà iudici benevisà) nullà solutà poenà, a notariis coguntur ipsis solvere et decreti notulas et processus cassationes, perinde ac si formaliter tamquam reperti non culpabiles, prout eadem Pii taxa loquitur, forent absoluti, sub praetextu, quod in eodem relaxationis, seu non molestationis, vel absolutionis decreto, ut plurimum a iudice non subscripto, et forsan etiam eodem iudice inscio, ad effectum extorquendi indebitas

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Edit. Main. habet *reformare;* quam inepte, quisque intelliget (R. T.)

1 Edit. Main. habet *inter aliaš* (R. T.).

2 Ibid. legitur *quod* (R. T.).

3 Vide eiusdem Pii IV Constit. LXII in tom. VI pag. 180 et signanter pag. 182 *b* et 183 *a* (R. T.).

4 Hic me fateor non intelligere; an aliquid desit iudicet prudens lector (R. T.).

pecunias, apponunt clausulam, *mandavit cassari, et amplius non molestari,* quam nec carcerati, nec inquisiti et non carcerati apponi petunt nec curant, credentes[1] sic locum esse exactioni dictae notae, et cassationi, quasi illae clausulae absolutionem importent, idque saepissime contingit, praesertim in carceratis pro praetensà contraventione exilii, vel praecepti pro delatione armorum non prohibitorum, pro rixà cum modico vulnere, aut similibus causis, quae sine plenà causae cognitione brevi manu expediendae sunt; unde interdum evenit, quod pauperes carcerati, non habentes unde solvant, in carceribus detineantur, nec relaxari possunt, nisi in die visitationis carcerum, in quo petunt et obtinent gratis relaxari. Adducunt autem, sicut etiam accepimus, ad eorum excusationem notarii, quod ita in praeteritum fuit observatum, et quod ab hac observantià sic eadem taxa interpretationem recipit: ignorantes, seu potius ignorare volentes, quod talis non observantia, sed corruptela et mala extorquendi alienas pecunias consuetudo dicenda est, quod constitutio et taxa praedictae interpretatione minime indigebant, cum earum verba clara, non autem dubia sint. Quin etiam iidem notarii frequenter reos inquisitos et processatos, non tamen unquam carceratos, vel etiam iam carceratos, et sub obligatione, vel fideiussione de se repraesentando, vel aliàs ante causae expeditionem relaxatos, ad eiusmodi processus cassationem, sententiaeve, seu decreti absolutorii prolationem a iudicibus obtinendam (ut exinde indebitum quaestum notulae sententiae, vel decreti, et cassationis processus faciant) variis artibus, et fallaciis, praesertim per citationes ad se repraesentandum, vel sententiam audiendum, in maximum pauperum reorum dispendium, invitos trahunt et inducunt.

Paulus praedictam taxam confirmat.

§ 3. Volentes igitur huiusmodi extorsionibus, et indebitarum pecuniarum exactionibus pro pastoralis officii debito occurrere, omnesque id genus abusus et corruptelas de medio tollere, ac pauperes carceratos, seu inquisitos, vel quaerelatos, quantum fieri potest, sublevare; idcirco, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex merâ deliberatione nostrâ, ac ex certà scientià, deque apostolicae potestatis plenitudine, reformationem et taxam Pii IV praedecessoris praedictas, omniaque et singula in eis contenta, ac prout ibi continentur, pro insertis habentes, auctoritate apostolicà confirmamus, approbamus et innovamus.

Prohibet quominus notarii quidquam accipiant pro notulis sententiarum

§ 4. Et insuper, eidem reformationi et taxae inhaerentes, et, quatenus opus sit, eas declarantes, hac nostrà perpetuà valiturà constitutione statuimus, decernimus, ac districte praecipiendo mandamus omnibus et singulis nostri et sanctae Romanae Ecclesiae camerarii, vicecamerarii, gubernatoris, auditoris camerae, vicarii, et clericorum etiam camerae nostrae praesidentium, senatoris, conservatorum, curiae Burgi, de gabellis, Ripaeque, et Ripettae, et aliarum quarumcumque etiam piorum locorum almae Urbis nostrae curiarum, vel ius dicentium notariis, actuariis, scribentibus, aut quoquo modo criminales causas exercentibus, ne (sub poenà privationis officiorum eorumque proprietatis ipso facto incurrendà, et camerae nostrae apostolicae applicandà, aliisque gravioribus et corporalibus arbitrio iudicis imponendis in casu contraventionis poenis) de caetero audeant vel praesumant mercedes notulae sententiae, aut etiam decreti, aut

[1] *Credentes*, ut videtur, ipsi inquisiti decepti ab illis notariorum formulis, vel *credentes* malâ fide ipsi notarii (R. T.)

processus cassationis in relaxatione carceratorum, seu abolitione quaerelarum non carceratorum, etiam a sponte dantibus, nec etiam quid minimum accipere, nisi quando ipse carceratus, quaerelatus, seu inquisitus (fabricato processu, et praecedente plenâ causae cognitione et discussione, fisco, aut parte, si aderit, citatis) in ipsâ sententiâ, seu decreto vim definitivae habente a iudice subscripto, fuerit a crimine, pro quo detinebatur, seu non detentus quaerelebatur, vel definitive tamquam innocens, vel ex hactenus deductis tamquam non repertus culpabilis expresse absolutus:

Exceptis casibus hic expressis.

§ 5. Pro compositionibus vero easdem notulas decretorum et cassationes[1] accipere minime possint, nisi in causis et criminibus gravibus, gravemque poenam merentibus, et in quibus non solum intervenerit plena causae cognitio, sed etiam discussio, et decreta fuerint nedum iudicis, sed manu etiam procuratoris nostri fiscalis subscripta. Remissiones tamen gratiosas bannitorum in contumaciam condemnatorum, nec non exilii, et triremium poenarum de ordine nostro, et pro tempore existentis Romani Pontificis, excipimus, in quibus iidem notarii notulas decretorum, et cassationis processuum accipere licite possint.

Mercedem pro causis accipiendam praescribit.

§ 6. In aliis autem quibuscumque casibus, si carcerati fuerint, contenti esse debeant solâ mercede mandati de relaxando iuxta dictam taxam Pii praedecessoris; si vero non fuerint carcerati, pariter contenti esse debeant eâ mercede, quae, si carcerati fuissent, ipsis deberetur pro mandato de relaxando, reprobatâ omnino, prout reprobamus, illâ seu omni aliâ pravâ consuetudine et observantiâ notariorum, qui, ad effectum extorquendi notulam decreti, in omnibus fere decretis de relaxando (sub gratiae, aut commutationis poenae, aut alio quocumque praetextu) apponunt clausulas: *mandavit cassari, amplius non molestari, silentium imponi, aut similes*.

Prohibet quoque quominus cogant reos ad petendam processus cassationem, *etc.*

§ 7. Et insuper sub eisdem poenis praedictis omnibus notariis prohibemus, ne, per se, vel alium, carceratos, inquisitos, vel processatos ad processus cassationem, aut cuiuscumque sententiae vel decreti absolutorii impetrationem vel postulationem, per citationem ad se repraesentandum, aut ad sententiam, vel aliâ quavis viâ, directe vel indirecte, aut quoquo modo cogere, inducere aut invitare audeant vel praesumant, sed omnia, et quaecumque contenta in dictâ reformatione et taxâ Pii IV praedecessoris praedicti, et iuxta hanc nostrae declarationis formam, ad unguem omnino observent.

Clausulae.

§ 8. Decernentes sic in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque iudices etiam ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate), iudicari et definiri debere: irritum quoque et inane, quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, stylo ac etiam consuetudine, quocumque temporis cursu, etiam immemorabili, roboratis statutis, usibus, privilegiis et indultis quibuscumque Urbis praefatae tribunalibus et curiis, earumque collegiis, et superioribus, praesidentibus, officialibus, notariis, aliisque ministris, et quibuscumque personis, quacumque speciali notâ et expressione dignis, et quomodocumque et qualitercumque privilegiatis, etiam motu, scientiâ, et potestatis plenitudine simili-

1 Forsan legendum *cassationis* (R. T.).

bus, etiam consistorialiter, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, in genere vel in specie, et aliàs quomodolibet etiam per nos concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, et quibuslibet aliis privilegiis, indultis, et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, de quibus quorumque totis tenoribus specifica, individua, et expressa, ac de verbo ad verbum habenda esset mentio specialis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium publicatio.

§ 10. Ut autem praesentes nostrae litterae ad omnium notitiam deducantur, ac omnes, quorum interest aut interesse poterit, afficiant, nec earum possint ignorantiam allegari[1], volumus et mandamus illas in Cancellariae Apostolicae[2], et in acie campi Florae affigi, et ibi relictâ copiâ aliquandiu detineri, sicque, ad effectum incurrendi omnes et singulas poenas in eo contentas, perinde ac si personaliter intimatae fuissent, omnes afficere.

1 Vel hic lege *allegare*, aut paulo antea *possit ignorantia* (R. T.).

2 Aptius leg. in *Cancellariâ Apostolicâ* (R. T.).

Fides danda transumptis.

§ 11. Volumus etiam, quod earum exemplis, etiam impressis, ac notarii publici manu subscriptis, et alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo signatis, plena et indubitâta fides, eaque prorsus adhibeatur in iudicio et extra, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Taxa Pii IV et praesens declaratio in officiis tenenda.

§ 12. Utque tam ipsis notariis et scribentibus, quantum petere valeant, quam partibus litigantibus, quantum solvere debeant, iugiter innotescat, ut singuli notarii praedicti dictam taxam Pii IV praedecessoris et hanc nostram declarationem impressam tabellae affixam in suo quisque officio in loco publico, quo ab omnibus inspici, legi et intelligi possint, omnino teneant.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die I martii MDCVIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 1 martii 1608, pontif. an. III.

XCIX.

Quod sacrum opus, agnusdei, *in cerâ signandi, et fractum renovandi, perpetuo spectet ad monachos dumtaxat Congregationis beatae Mariae Fuliensis in Urbe Cisterciensis Ordinis sancti Benedicti.*

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Romanum decet Pontificem in supremo Sedis Apostolicae solio divinâ dispositione constitutum, ad ea munera, in quibus sacra et sancta ex catholicae religionis ritu tractanda sunt, viros ex delectu peculiari curâ et sollicitudine assumere, qui aeque vitae integritate, ornatu[1], ac usu et peritiâ praediti, in muneribus huiusmodi hinc cum utilitate et fide,

1 Mallem legi *integritate ornati* (R. T.).

illinc cum rerum dignitate versari possint et velint.

Clemens VIII delegit hos religiosos ad signandum in cera Agnum Dei, toto tempore sui Pontificatus.

§ 1. Quod prudenti consilio a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro factum fuit. Nam cum animo destinasset ad opus sacrum *agnusdei* in cerâ signandi, et fractum renovandi, certas et idoneas personas deputare, quae ad hoc pium et devotum munus deligerentur, Religiosos Congregationis Beatae Mariae Fuliensis dignos et idoneos iudicavit, ac etiam pro insigni suâ pietate toto suo pontificatus tempore delegit.

Ipsi dictum munus plene impleverunt.

§ 2. Religiosi autem ipsi delatum munus aggressi, expectationi dicti Clementis praedecessoris abunde responderunt.

Leo ideo XI eisdem dictum munus confirmavit.

§ 3. Quod permovit piae memoriae Leonem Papam XI, etiam praedecessorem nostrum, ut ipsos religiosos in eo munere confirmaret.

Hic modo Pontifex eisdem dumtaxat illud perpetuo demandat.

§ 4. Cuius vestigiis nos inhaerentes, ac existimantes ipsos religiosos in praedicto munere retinendos, ac speciali aliquo Sedis Apostolicae privilegio et decreto in eam sententiam[1] cohonestandos, motu proprio, non ad ipsorum religiosorum vel alicuius alterius nobis pro eis oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ, meráque deliberatione nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine dictae Congregationi illiusque religiosis nunc et pro tempore existentibus munus et officium sacrum *agnusdei* in cerâ signandi, et fractum renovandi [in monasterio sanctae Pudentianae et prioratus sancti Bernardi de Urbe dictae Congregationis, ac quolibet eorum, vel alibi, (si ita nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti visum fuerit) per religiosos, ad id a moderno et pro tempore existente eiusdem Congregationis generali deputandos, debitis temporibus obeundum et exercendum], auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo committimus et mandamus, ac etiam concedimus et assignamus; ipsosque religiosos ad opus, munus, et officium huiusmodi, ab illis modo et formâ praemissis obeundum et exercendum, cum plenâ, liberâ, et omnimodâ facultate et auctoritate omnia et singula circa illud necessaria faciendi et exequendi, perpetuo constituimus et deputamus.

[1] Sic legitur in edit rom.; an recte, videat prudens lector (R. T.).

Caeterisque omnibus prohibet.

§ 5. Districtius propterea praecipientes et inhibentes omnibus et singulis, quorumcumque Ordinum, congregationum, societatum, et hospitalium, monachis, fratribus et religiosis, ac quibuscumque aliis personis, tam ecclesiasticis, quam saecularibus, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, et auctoritatis fuerint, in virtute sanctae obedientiae, ne in opere, munere, et officio huiusmodi, per se, vel alium, seu alios, se ingerere, vel immiscere, seu religiosos dictae Congregationis Fuliensis desuper quoquo praetextu vel causâ molestare, perturbare, seu inquietare quovis modo audeant seu praesumant.

Decretum irritans.

§ 6. Ac irritum decernentes et inane, quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praemissis, et quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XXVIII martii MDCVIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 28 martii 1608, pontif. an. III.

C.

Revocatio provisionis factae de baiulivatu Turcopilerii cum novâ illius unione magisterio hospitalis sancti Ioannis

Hierosolymitani, donec regnum Angliae ad obedientiam Sedis Apostolicae revertatur[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Apostolicae Sedis providentia circumspecta, personarum Religioni adstrictarum quieti invigilans, nonnumquam disposita mutat, et concessa revocat, prout ex re ipsâ conspicit salubriter in Domino expedire.

Gregorius XIII hunc baiulivatum magisterio univit.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Gregorius Papa XIII praedecessor noster baiulivatum Turcopilerii hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, qui caput Linguae Anglicanae existit, quovis modo vacantem magisterio dicti hospitalis, donec regnum Angliae ad obedientiam Sedis Apostolicae reductum foret, univit et incorporavit.

Paulus V hanc unionem dissolverat

§ 2. Ac postmodum nos, certis de causis animum nostrum tunc moventibus, unionem et incorporationem huiusmodi dissolventes baiulivatum Turcopilerii praedictum cum magnâ Cruce, ac omnibus et singulis eius honoribus et dignitatibus, aliisque pertinentiis suis, dilecto filio Francisco de Spinay, aliàs Sanlucas fratri militi dicti hospitalis, nondum tamen professo (quem charissimus in Christo filius noster Henricus Francorum et Navarrae rex christianissimus nobis per suas litteras plurimum commendaverat) ex tunc, prout ex eo tempore postquam professionem praedictam emisisset, contulimus et de illo providimus.

Et Francisco Spinay dictum baiulivatum contulerat.

Ac deinde suas litteras suspenderat.

§ 3. Deinde vero, nonnullis rationabilibus causis animum nostrum similiter moventibus adducti, litteras nostras earumque vim et effectum ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum suspendimus: prout in dicti Gregorii praedecessoris, et nostris desuper confectis litteris plenius continetur[1].

Nunc collationem a se factam revocat.

§ 4. Cum autem, sicut nobis fide dignorum relatione constitit, ad tranquillum statum et concordiam Religionis praedicti hospitalis maxime intersit, praedictam nostram provisionem, et unionis dissolutionem, effectum nunquam sortiri, sed in pristinum omnia restitui, et dilectus etiam filius Alphonsus de Wignacourt dicti hospitalis magnus magister praedicto Francisco (licet ille professionem per fratres milites dicti hospitalis emitti solitam non emiserit, minusque debitam in conventu eiusdem hospitalis residentiam et solitas caravanas fecerit) commendam gratias des Expaulx nuncupatam prioratus Aquitaniae eiusdem hospitalis contulerit: propterea nos, pro nostri pastoralis officii munere, ne inter personas religioni adscriptas discordiarum zizania irrepat providere volentes, dictarumque litterarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, provisionem dicti baiulivatus Turcopilerii praedicto Francisco per nos, ut supra factam, revocamus, cassamus et annullamus; ac eumdem baiulivatum quovis modo vacantem (etiamsi tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad Sedem praedictam legitime devoluta, ipseque baiulivatus dispositioni apostolicae specialiter vel generaliter reservatus existat, et ad eum consueverit quis per electionem assumi, super eo quoque inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa), dummodo tempore datae praesentium non sit in eo alicui alii, quam praedicto Francisco, ut praefertur, specialiter ius quaesitum, dicto magisterio,

Baiulivatum Turcopilerii magno magisterio unit donec Angliae regnum ad Sedis Apostolicae obedientiam revertatur

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Neutras puto in *Bullario* esse (R. T.).

donec regnum praedictum ad obedientiam dictae Sedis reductum fuerit, de novo unimus, annectimus, et incorporamus, ita ut liceat pro tempore existenti magistro dicti hospitalis, per se, vel alium, seu alios, possessionem baiulivatus, annexorum, membrorum, possessionum, iuriumque et pertinentiarum praedictorum retinere, seu, quatenus opus sit, propriâ auctoritate apprehendere, et, donec dictum regnum ad obedientiam praedictam reductum fuerit, similiter retinere.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus priori nostrâ voluntate praedictâ, ac Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri et aliis constitutionibus apostolicis, necnon regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, ac dicti hospitalis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis pro tempore existenti magistro praedicto, conventui, ac fratribus dicti hospitalis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem praedictam, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam ad imperatoris, regum, ducum, vel aliorum principum instantiam, seu etiam motu et scientiâ similibus, et potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, vel per viam statuti perpetui, seu contractus, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de dignitatibus dicti hospitalis speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictae Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum (quas quidem litteras et processus habitos per easdem, et inde sequuta quaecumque, ad dictum baiulivatum volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assequutionem dignitatum seu beneficiorum aliorum praeiudicium generari); et quibuslibet aliis privilegiis, indultis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quâ, cuiusque[1] toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Praecipit dicti baiulivatus oneribus satisfieri.

§ 6. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi dictus baiulivatus propterea debitis non fraudetur obsequiis, sed eius congrue supportentur onera consueta;

Irritamque hanc reddi unionem si Anglia ad dictam obedientiam reducatur.

§ 7. Quodque, postquam dictum regnum ab obedientiam praedictam reductum fuerit, unio, annexio et incorporatio praedictae dissolutae sint et esse censeantur, ipseque baiulivatus in pristinum statum revertatur eo ipso; et insuper ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Aptius *de quibus, quarumque*.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die XXIX martii MDCVIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 29 martii 1608, pontif. an. III.

CI.

Facultas christianissimo regi Franciae, perpetuo administratori militaris Ordinis Sancti Spiritus, statuta pro illius prospero regimine necessaria et utilia edendi, corrigendique et immutandi.

Paulus Papa V

Charissimo in Christo filio nostro Henrico Francorum regi christianissimo, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Maiestatis tuae votis, quae ex catholicae religionis zelo prodire conspicimus, libenter annuimus.

Facultas datur christianissimo regi Galliae edondi, corrigendi et immutandi statuta militaris ordinis Sancti Spiritus, licita tamen et onesta, Conciliique Tridentinus et Apostolicis Constitutionibus non contraria.

§ 1. Hinc est, quod nos, supplicationibus eiusdem maiestatis tuae (quae militaris Ordinis Sancti Spiritus perpetuus administrator existit) nomine nobis humiliter porrectis inclinati, tibi, et pro tempore existenti dicti Ordinis administratori, seu magno magistro, ut quaecumque statuta praedicti Ordinis, prout rerum et temporum qualitas et ratio exegerit, ac tibi et administratori seu magno magistro pro tempore existenti expediens videbitur, corrigere, seu in meliorem formam reducere, reformare, alterare, mutare et interpretari, ac alia dicti Ordinis, illiusque militum, rerum et bonorum prosperum statum, regimen et gubernium, felicemque directionem et administrationem concernentia, ac aliàs Ordini et militibus praedictis necessaria et utilia (licita tamen et honesta, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis non contraria) de novo ac ex integro condere, edere et facere libere et licite possis et valeas, ac possit et valeat, plenam et liberam facultatem et licentiam ac auctoritatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et elargimur.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XVII aprilis MDCVIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 17 aprilis 1608, pontif. an. III.

CII.

Facultates cardinali Ioanni Garziae Millino Sedis Apostolicae in Germaniam et Hungariam legato conceduntur[1].

Paulus Episcopus,
servus servorum Dei.

Dilecto filio nostro Ioanni Garziae, tituli sanctorum Quatuor Coronatorum, S. R. E. presbytero cardinali, Millino nuncupato, nostro et Apostolicae Sedis ad charissimum in Christo filium nostrum Rhodulphum Hungariae et Boemiae regem illustrem, Romanorum imperatorem electum, et principes Germaniae, et ipsam Germaniam et Hungariam universas de latere legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Mos concedendi facultates legatis Sedis Apostolicae.

Solemne est Romanis Pontificibus huius Sedis legatos, qui praesertim ad summos reges et remotas procul provincias e latere destinantur, privilegiis apostolicis, quantum fert temporis et locorum ratio, cumulate prosequi, ut et ipsi illis suffulti possint in functione muneris sui benignitatem huius Sedis erga eius fide-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

les et devotos, cum venerit usus, liberaliter impertiri.

Cardinale Millinus Legatus in Germaniam et Hungariam.

§ 1. Proinde, cum te ad charissimum in Christo filium nostrum Rodulphum Hungariae et Boemiae regem illustrem et imperatorem electum, ac Germaniae principes, et universam Germaniam et Hungariam, omnesque illius provincias, civitates, et terras, ac quaecumque eis adiacentia, et caetera alia earum loca, ad quae te declinare contigerit, ad componendas huius temporis discordias, nostrum et dictae Sedis de latere legatum de fratrum nostrorum consilio destinaverimus;

Facultates ei conceduntur.

§ 2. Nos, ut Germaniae et Hungariae provinciarum, civitatum, terrarum et locorum praedictorum, eorumque personarum saluti, operâ tuâ consulatur, hoc tuum munus specialibus favoribus prosequendum censuimus, ut illis suffultus, iuxta datam tibi a Domino sapientiam, utaris provide ac prudenter, sicut ad Dei gloriam, populorum solamen et aedificationem, ipsiusque Sedis decorem videris expedire.

Ecclesias omnes, Capitula et Regularium domos visitandi.

§ 3. Itaque (ut tu et personis Germaniae et Hungariae provinciarum, civitatum, terrarum et locorum praedictorum ad te undecumque confluentibus, ubicumque domicilium habuerint et undecumque originem trahent, opportune consulere, teque erga illos utilem et benignum exhibere possis) circumspectioni tuae[1], per te, vel alium, seu alios viros probos et idoneos, patriarchales, primatiales, metropolitanas, et alias cathedrales et collegiatas, ac parochiales ecclesias, necnon monasteria, tam virorum quam mulierum, prioratus, praeposituras, et loca saecularia, etiam Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, ac quorumvis aliorum Ordinum etiam Mendicantium regularia, necnon hospitalia, etiam exempta dictaeque Sedi immediate subiecta, vel quocumque alio privilegio suffulta, eorumque capitula, conventus, universitates, collegia et personas, tam saeculares quam regulares, etiam, ut praefertur, exemptas et subiectas, quoties tibi videbitur, Apostolicâ auctoritate visitandi[1]; ac in illorum statum, formam, regulas, instituta, regimen, statuta, consuetudines, vitam, ritus, mores, et disciplinam, tam coniunctim quam divisim, ac tam in capite quam in membris, diligenter inquirendi, necnon (evangelicae, et apostolicae doctrinae, sacrorumque canonum et generalium conciliorum decretis, ac sanctorum Patrum traditionibus, atque institutis inhaerendo, et aliàs, prout occasio, rerumque qualitas exegerit) quaecumque mutatione, correctione, emendatione, revocatione et renovatione, vel etiam ex integro editione indigere cognoveris, reformandi, mutandi, corrigendi, et etiam de novo condendi, condita sacris canonibus non repugnantia confirmandi, abusus quoscumque tollendi, regulas, institutiones, observationes et ecclesiasticam disciplinam, ubicumque illae exciderint, modis congruis restituendi et reintegrandi, praedicti Concilii Tridentini decreta, ubi nondum introducta sunt, proponendi et custodiri praecipiendi, ipsasque personas, tam saeculares, quam regulares, etiam exemptas, ad debitum et honestum vitae modum revocandi, ac, quidquid inde statueris et ordinaveris, perpetuo observari faciendi;

§ 4. Contra inobedientes, ac etiam contra falsarios, usurarios, raptores, incen- Contra reos procedendi.

1 Nempe *facultatem committimus* (ut postea dicetur) *visitandi, per te, vel alium... patriarchales, primitiales... ecclesias, nec non monasteria*, etc. (R. T.).

1 Hoic et semper deinceps subintellige *plenam et liberam facultatem et auctoritatem concedimus et indulgemus*, prout dicetur in fine § 16, nam eo usque oratio manet suspensa (R. T).

diarios, et alios criminosos, et delinquentes quoscumque, etiam exemptos, eorumque fautores et receptatores, cuiuscumque dignitatis, ordinis et conditionis fuerint, per viam accusationis, vel denunciationis, et etiam ex officio, etiam summarie, simpliciter, et de plano, ac sine strepitu et figurâ iudicii, inquirendi et procedendi, reosque, prout canonicae requirunt sanctiones, et aliàs tibi videbitur expedire, puniendi;

Causas ecclesiasticorum cognoscendi.

§ 5. Necnon horum criminum[1], et beneficiales, ac matrimoniales, et quascumque alias causas ecclesiasticas, profanas, civiles, criminales et mixtas, ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes (sine praeiudicio Ordinariorum, quoad causas huiusmodi in primâ instantiâ coram eis, iuxta Concilii Tridentini decretum, ubi illud receptum et in usu est, cognoscendas[2]), tam per viam simplicis querelae, quam etiam quarumcumque appellationum a quibuscumque iudicibus ordinariis et etiam a Sede praedictâ delegatis interpositarum et dictâ durante legatione interponendarum, motas et inchoatas ac interim movendas, cum omnibus earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, etiam summarie, simpliciter, et de plano, ac sine strepitu et figurâ iudicii, solâ veritate inspectâ, terminisque substantialibus unico contextu vel etiam non servatis[3], sed illorum loco praefixo termino arbitrio tuo, procedendi, audiendi et fine debito terminandi, et, ad hunc caeterorumque contingentium effectum, quoscumque etiam per edictum publicum (constito prius, etiam summarie et extraiudicialiter, de non tuto ad illos accessu) citandi et monendi, eisque, et etiam quibusvis iudicibus, caeterisque personis, quibus et quoties opus fuerit, etiam per simile edictum (ac etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, necnon pecuniariis, tuo vel delegatorum tuorum arbitrio moderandis et applicandis) inhibendi, ac contra inobedientes, et rebelles quoslibet, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravandi, interdictum ecclesiasticum apponendi et relaxandi, auxiliumque brachii saecularis invocandi, seu causas ipsas alii vel aliis idoneis, modo et formâ praemissis, ac cum simili vel limitatâ potestate pariter audiendas et terminandas delegandi; quascumque personas adversus sententias, res iudicatas, et contractus quoscumque, prout iuris fuerit, in integrum restituendi; iuramenta quaecumque, ad effectum agendi dumtaxat, quibuslibet relaxandi; quoscumque a quibusvis censuris et poenis simpliciter, vel ad cautelam, prout iuris fuerit, absolvendi;

Ab irregularitatibus dispensandi.

§ 6. Praeterea quoscumque ad te recurrentes[1], qui homicidium etiam voluntarium, necnon sacrilegium, simoniam et periurii reatum quomodocumque commiserint, qui bellis interfuerint, qui manus violentas in clericos et presbyteros (non tamen episcopos) iniecerint, et qui ratione beneficiorum ecclesiasticorum, per eos obtentorum, horas non dixerint,

1 Subintellige ex sequentibus *causas* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *cognoscendi*; sed vel aliquid deest, ex. g., *quoad ius quod habent* (Ordinarii) cognoscendi coram eis causas huiusmodi in prima istantia; vel correctione opus erat quam adhibuimus ut sensus sit: *sine praeiudicio Ordinariorum quoad causas huiusmodi in primâ instantiâ coram eis... cognoscendas*. Vide Concil. Trid. sess. XXI, cap. XX *De Reform.*: *causae omnes ad forum ecclesiasticum pertinentes, etiam si beneficiales sint, in primâ instantiâ coram Ordinariis locorum cognoscantur* (R. T.).

3 Sensus videtur esse: *terminis substantialibus servatis unico contextu, vel etiam omnino non servatis, sed, loco illorum, praefixo termino arbitrio tuo* (R. T.).

1 Heic et deinceps subintellige *absolvendi* quod postea subditur (R. T.).

et intra tempus a iure statutum vel fundatione aut aliàs requisitum se ad sacerdotium promoveri non fecerint, quive beneficia ecclesiastica contra Constitutionem felicis recordationis Ioannis Papae XXII praedecessoris nostri, quae incipit *Execrabilis*[1], aut aliàs indebite retinuerint, etiamsi ipsi, ac etiam alii quicumque ex aliis quibuscumque causis, fructus ecclesiasticos indebite, et quomodocumque perceperint; et praeterea eos, qui adulterium, incestum, sacrilegium, fornicationem et aliud quodcumque peccatum carnis perpetraverint; necnon litterarum et supplicationum apostolicarum falsarios, usurarios, raptores, incendiarios, et aliorum quorumcumque criminum ad forum ecclesiasticum pertinentium reos, tam clericos quam laicos, si hoc a te humiliter petierint; homicidas voluntarios, videlicet, ac in susceptis ordinibus simoniacos clericos, eis ab altaris ministerio perpetuo suspensis, alios vero simoniae labe occasione beneficiorum infectos, beneficiis ipsis prius realiter dimissis, et, qui fructus ecclesiasticos indebite perceperint, illis, pro facultate impetrantium, arbitrio tuo ecclesiis et locis, unde profecti sunt, restitutis, vel in pauperes erogatis, vel etiam ipsis impetrantibus in toto vel in parte remissis; necnon apostatas, postquam ad ovile redierint, vel, si necessitas aut utilitas postulaverit, ad alios Ordines pares vel strictiores transierint; et prorsus quoscumque alios in omnibus et quibuscumque aliis casibus, etiam dictae Sedi reservatis (non tamen aliàs contentis in litteris die Coenae Domini legi consuetis), necnon excommunicationis, aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, et temporalibus, quas propterea quomodolibet incurrerint, etiam in utroque foro absolvendi: ac cum eis, et prorsus cum quibusvis aliis clericis et personis ecclesiasticis super quacumque irregularitate, per eos (non tamen occasione homicidii voluntarii vel bigamiae) quomodolibet contractâ[1], etiamsi ipsi censuris huiusmodi sic ligati missas et alia divina officia (non tamen in contemptum clavium) celebraverint, vel aliàs se se divinis immiscuerint [ita ut nondum promoti omnes etiam sacros et presbiteratus ordines suscipere, ac tam ipsi quam alii in susceptis etiam in altaris ministerio ministrare, ac quaecumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica cum curâ et sine curâ, qualitercumque qualificata (quae tamen plura non sint, quam quae a Concilio Tridentino permittuntur) recipere, illaque et per eos obtenta retinere libere et licite valeant]; ac super male ablatis, et retentis incertis (factâ prius, si et prout poterit, debitâ satisfactione) dispensandi; et ab eis aliisque praedictis omnem inhabilitatis et infamiae maculam sive notam, contra eos insurgentem, penitus abolendi, et in pristinum statum restituendi.

Alias hic indicatas dispensationes concedendi.

§ 7. Ac quibusvis in aetate legitimâ constitutis, ac aliàs idoneis[2], ut ad omnes, et, qui competenter beneficiati fuerint vel etiam (ubi et ecclesiarum et locorum necessitas aut utilitas id suaserit) ad titulum patrimonii, etiam ad sacros et presbyteratus ordines a suo Ordinario in unitate fidei et dictae Sedis obedientiâ persistente, vel, cum eiusdem aut vicarii sui testimonio, alioquin a quocumque maluerint catholico antistite, gratiam et communionem dictae Sedis habente extra Romanam Curiam et in propriâ dioecesi residente, etiam quoad

1 Quae in *Bullario* non est (R. T.).

1 Heic subintellige *dispensandi*, quod sequetur postea (R. T.).

2 Subintellige *licentiam tribuendi*, ut paulo post dicetur (R. T.).

sacros ordines, quibusvis tribus dominicis vel aliis festis diebus, etiam extra tempora a iure statuta; ac etiam quibusvis aliis iuxta canonicas sanctiones qualificatis earum civitatum et dioecesum, in quibus similes antistites non fuerint, ut pariter a quocumque alio voluerint catholico antistite clericali charactere insigniri, et ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, ut praefertur, promoveri, et in illis sic promoti etiam in altaris ministerio ministrare possint, licentiam tribuendi: insuper cum patientibus defectum natalium (si consideratis diligenter circumstantiis universis, quae citra idoneitatem personarum fuerint attendendae[1], et si paternae non sint incontinentiae imitatores, sed bonae conversationis et vitae, aliaque eis merita suffragentur ad dispensationis gratiam obtinendam), cum corpore vitiatis (dummodo tanta non sit deformitas, quae scandalum in populo debeat generare[2]), ut pariter ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines promoveri, ac quaecumque beneficia ecclesiastica cum curà et sine curà (etiamsi parochiales ecclesiae, vel earum perpetuae vicariae, aut canonicatus, et praebendae, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in cathedralibus, vel metropolitanis, vel collegiatis ecclesiis, et dignitates ipsae, non tamen, quoad defectum natalium patientes, si in cathedralibus etiam metropolitanis post pontificales maiores, vel collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint) si eis aliàs canonice conferantur, aut eligantur, praesententur, vel aliàs assumantur ad illa, et instituantur in eis, recipere, et, dummodo plura simul non sint, retinere: ac etiam cum quibusvis personis tertio, seu tertio et quarto a communi stipite, aut quarto etiam duplicibus, vel multiplicibus consanguinitatis vel affinitatis gradibus invicem coniunctis, vel se se attinentibus (videlicet si vir vel alius aliter non obligatus mulierem nullam dotem habentem dotare, aut vir ipse eam cum dote minus competenti ducere voluerit, seu si locus angustus, et contrahere volentes, aut nobiles, aut illic principales fuerint, seu quia ipsi, in civitatibus vel oppidis insignibus primarii, paris conditionis personas invenire nequiverint, vel ubi mulier in proprio castro vel loco virum sibi non attinentem, cui honeste nubere possit, minime invenerit, et, si extra nubere cogeretur, dotem ad id in bonis stabilibus competentem non habuerit, ac etiam pro sedandis inimicitiis utriusque parentum, fratrum, cognatorum, vel affinium ante contractum matrimonii ex aliâ causâ intercedentibus, et pace incundâ, aliosque huiusmodi casus, et aliis quibuscumque causis, quae tibi videbuntur, ac etiam sine earum expressione, et pro tuae voluntatis libito) et simili modo in publicâ honestate iustitiae, ubi solum sponsalia intercesserint, ac cognatione spirituali (non tamen inter levatum et levantem), ut matrimonium inter se contrahere, et in facie Ecclesiae solemnizare, ac, postquam contractum fuerit, in eo remanere: ac pariter cum iis qui, huiusmodi impedimentis non obstantibus, illud scienter vel ignoranter contraxerint, prolemque exinde susceperint, ipsos ab incestus reatu, et excommunicationis poenâ, aliisque censuris ecclesiasticis in formâ Ecclesiae consuetâ (iniunctâ inde eis, pro culpae modo, poenitentiâ salutari, et aliis, quae de iure fuerint iniungenda, absolvendo[1]), ut etiam matrimonium de

Etiam matrimoniales.

1 Heic aliquid deesse puto, ex. g., *id fieri conveniat*, vel aliquid huiusmodi (R. T.).

2 Subintellige *dispensandi*, quod prope finem huius § legitur (R. T.).

1 Videretur legendum: *iniuncta inde eis pro culpae modo, poenitentia salutari, et ab aliis*

novo inter se contrahere, et, ut praefertur, solemnizare, ac pariter in eo remanere libere et licite valeant, dispensandi, prolem exinde susceptam et suscipiendam legitimam decernendi atque nunciandi:

Beneficia vacantia dimissa, vel resignata conferendi.

§ 8. Ad haec, resignationes[1] quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum cum curâ et sine curâ, saecularium nec non Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, Grandimontensis et Fontisebrandi, et quorumcumque aliorum Ordinum regularium, intra limites tuae legationis consistentium (etiamsi saecularia dignitates, canonicatus, et praebendae, personatus, administrationes, vel officia in cathedralibus etiam metropolitanis, vel collegiatis ecclesiis, et dignitates ipsae in cathedralibus etiam metropolitanis post pontificales maiores, vel collegiatis ecclesiis huiusmodi principales, aut parochiales ecclesiae, vel earum perpetuae vicariae; regularia vero beneficia huiusmodi prioratus, etiam conventuales et electivi, praepositurae, praepositatus, dignitates, personatus, administrationes, et officia, etiam curata et electiva, aut de iure patronatus laicorum, vel eorum et[2] ecclesiasticorum mixtim, et aliàs qualitercumque qualificata, ac etiam dispositioni apostolicae specialiter vel generaliter reservata vel affecta, et cuiuscumque annui valoris illorum fructus, redditus et proventus fuerint) simpliciter, vel ex causâ permutationis, ac cessiones commendarum, nec non litis, et causae beneficiorum, tam in dictâ Curiâ, quam extra eam litigiosorum, ac iurium quorumcumque, recipiendi et admittendi, causas desuper pendentes, quoad ipsos cedentes tantum, avocandi, litesque huiusmodi penitus extinguendi; uniones, annexiones et incorporationes, ex causis quae tibi iustae videbuntur, dissolvendi; dictaque beneficia, tam simpliciter quam ex causâ permutationis resignata, per resignationem, seu dissolutionem huiusmodi, ac quaecumque alia per obitum, aut aliàs quibusvis modis, et ex quorumcumque personis extra dictam Curiam intra limites dictae legationis, sive provinciae, et locorum eiusdem, ad quae eundo et redeundo te declinare contigerit, vacantia (dummodo illa, quae per obitum vacaverint, ratione familiaritatis continuae, commensalitatis nostrae, seu alicuius cardinalis viventis, praedictae dispositioni reservata vel affecta non fuerint) personis idoneis, ac etiam (pro ecclesiarum et locorum necessitate et utilitate presbyterorumque saecularium proborum et peritorum penuriâ) parochiales ecclesias vel earum perpetuas vicarias quibusvis fratribus Mendicantium Ordinum professoribus ad instruendum plebes et huiusmodi munera idoneis conferendi, et de illis etiam providendi; ac cum eisdem professoribus, ut dictas parochiales ecclesias seu vicarias recipere et retinere possint, dispensandi; monasteriis tam virorum, quam mulierum Ordinum quorumcumque legationis praedictae (quorum tamen virorum[1] fructus, redditus, et proventus ducentorum florenorum auri de Camerâ, secundum communem aestimationem, valorem annuum non excedant) nunc et pro tempore vacantibus, de abbatibus, et abbatissis, seu praelatis providendi; seu monasteria, et alia regularia beneficia huiusmodi commendari solita, vel saltem commendis de illis antea ad vitam factis tunc cessantibus vacantia, personis saecularibus per eas, quoad vixerint, vel ad tempus, tenenda, regenda et gu-

quae de iure fuerint iniungendae *absolvendo* (R. T.).

1 Subintellige *recipiendi et admittendi* (R. T.).

2 Particulam *et* adiungendam duximus (R. T.).

1 Vehementer suspicor non esse legendum *virorum*, sed, quid substituam, nescio (R. T.).

bernanda; ita quod liceat eis, debitis et consuetis illorum supportatis oneribus de residuis eorum fructibus redditibus et proventibus disponere et ordinare, sicuti illa in titulum pro tempore obtinentes de illis disponere et ordinare potuerunt seu etiam debuerunt (alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium, et pretiosorum mobilium, monasteriorum, et beneficiorum regularium commendandorum praedictorum eis penitus interdictâ) commendandi; et ad sententiarum rei iudicatae exequutorialium, et censurarum per resignantes seu cedentes in auditorio causarum Palatii Apostolici seu alibi ubicumque habitarum prosequutionem, illos, in quorum favorem resignaverint vel cesserint, admittendi, seu admitti faciendi; et ad ulteriorem exequutionem usque ad realem paritionem contra quoscumque, etiam pontificali dignitate praeditos, procedendi; ac iuri patronatus, etiam si laicorum tantum, etiam nobilium sit, ad effectum provisionum et commendarum huiusmodi eâ vice dumtaxat pro medietate, et, si ex causâ permutationis fiant, vel beneficia huiusmodi litigiosa fuerint, aut iuspatronatus huiusmodi etiam patronis laicis tantum aliter quam ex fundatione vel dotatione competat, seu laicorum et clericorum mixtim existat, in totum specialiter et expresse derogandi; necnon verum et ultimum vacationis modum (etiamsi ex eo quaevis generalis reservatio resultet) pro expresso habendi; et, ad effectum validitatis provisionum et commendarum per resignationem seu ex cessione iurium huiusmodi vacantium, quascumque reservationes, uniones, annexiones, incorporationes, absque consensu coadiutorum, deputationes, nominationes, ac nominandi, conferendi, et alias, citra accessus et regressus, facultates et mandata, etiam per nos et dictam Sedem illiusque legatos quibusvis personis, ecclesiis, hospitalibus, et locis (non tamen seminariis), sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, ac quacumque consideratione, intuitu et contemplatione factas et concessas, ac faciendas et concedendas, illorumque[1] omnium vim et effectum, quoad resignationes et concessiones in manibus tuis pro tempore faciendas dumtaxat, omnino suspendendi, et in huiusmodi vacatione effectum sortiri aut locum sibi vindicare non posse neque debere, decernendi; ac etiam super praedictorum beneficiorum resignatorum seu cessorum fructibus, redditibus et proventibus, quatenus id ferre commode poterunt, quascumque pensiones annuas (non tamen medietatem fructuum, reddituum et proventuum huiusmodi excedentes) ac fructus, redditus, et proventus huiusmodi usque ad dictam medietatem, loco pensionis, resignantibus vel cedentibus, quoad vixerint, per[2] praedicta beneficia pro tempore obtinentes et eorum successores annis singulis, in locis et terminis, ac sub privationis, et aliis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, necnon vinculis, clausulis et cautelis in talibus apponi solitis, persolvendos, etiam cum regressu ad resignata vel cessa beneficia huiusmodi ob non solutionem vel invalidam assignationem earum in formâ solitâ, de consensu illorum, qui dictas pensiones persolvere habebunt, reservandi, constituendi et as-

1 Ex lege cohaerentiae aptius legeretur *illarumque* (R. T.).

2 Praeposit. *per* censuimus esse addendam, et paulo post legimus *persolvendos*, dum edit. Main. legit *persolvendi*; utrum difficilem hunc locum recte intellexerimus iudicet prudens lector (R. T).

signandi; ac easdem, et alias hactenus reservatas, et deinceps reservandas pensiones de consensu, etiam anticipatâ solutione aliquorum annorum, cassandi, extinguendi, et annullandi;

Concordias confirmandi.

§ 9. Quascumque concordias licitas et honestas approbandi et confirmandi, omnes et quoscumque iuris et facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplendi, easque ab omnibus firmiter observari debere decernendi;

Canonicatus, dignitates, hospitalia, etc., erigendi.

§ 10. Ac in quibusvis cathedralibus, etiam metropolitanis, ac collegiatis ecclesiis canonicatus et praebendas, dignitates, personatus, administrationes, et officia; necnon monasteria, tam virorum quam mulierum, cuiuscumque Ordinis, et prorsus quaecumque alia beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ, saecularia et regularia, etiam, ut praefertur, qualificata, cum omnibus iurisdictionibus, et insignibus consuetis, ac etiam cum eo, quod in titulum perpetui beneficii ecclesiastici erigi numquam possint, hospitalia, confraternitates, et alia religiosa loca erigendi, et instituendi; ac bona, pro eorum dote assignandâ quae competens sit, perpetuo applicandi et approbandi; necnon in huiusmodi erectionibus dumtaxat ius patronatus et praesentandi Ordinario loci personas idoneas ex fundatione vel dotatione dumtaxat reservandi et concedendi; ac uniones, annexiones, translationes, separationes, dismembrationes, et alias huiusmodi dispositiones beneficiorum, et bonorum ac fructuum ecclesiasticorum, in omnibus casibus Concilii Tridentini, et aliàs, prout tibi, iuxta rerum et personarum exigentiam, expedire videbitur, perpetuo vel ad tempus faciendi; ac quaecumque statuta et ordinationes, licita et honesta ac sacris canonibus non contraria, condendi:

Ecclesiasticis facultatem concedendi bona permutandi, etc.

§ 11. Praeterea quibusvis personis, ecclesiis, capitulis, monasteriis, conventibus, confraternitatibus, et locis dictae legationis, ut bona immobilia monasteriorum, prioratuum, dignitatum et aliorum beneficiorum ac locorum ecclesiasticorum, in evidentem illorum utilitatem vel necessitatem, permutare seu vendere aut in emphytheusim etiam perpetuam concedere possint, licentiam concedendi; seu permutationes, aut venditiones, vel concessiones huiusmodi, sic iam factas, in formâ consuetâ approbari et confirmari, ac etiam quoscumque defectus in illis suppleri, mandandi;

Non residentibus indultum perceptionis fructuum elargiendi.

§ 12. Necnon quibusvis cathedralium, etiam metropolitanarum, et collegiatarum canonicis, aut dignitates, personatus, administrationes, officia, et alia beneficia ecclesiastica in eis obtinentibus[1] (non tamen curam animarum parochianorum habentibus) infra trigesimum annum constitutis, ut litterarum studio[2] in loco, ubi illud vigeat, generali[3] insistendo, et actu studendo, omnes fructus, redditus, et proventus suorum canonicatuum et praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, officiorum et beneficiorum praedictorum[4] cum eâ integritate (quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperent, si praesentes interessent, et ad residendum interim apud illas minime teneantur (ita tamen, ut, intra primum annum dicti quinquennii, ii saltem subdiaconi fiant, qui ratione suorum beneficiorum ad aliquem seu aliquos ex sacris ordinibus promoveri teneantur), eisdem et aliis, etiam presbyteris, ac etiam in dignitate ecclesiasticâ constitutis, ut leges et alia

1 Hanc vocem *obtinentibus* necessario adiungendam esse duximus (R. T.).

2 Heic videretur subdendum *per quinquennium* ut ex sequentibus constat (R. T.).

3 Heic adde *percipere*, nempe, valeant (R. T.).

4 Hanc vocem *generali* me fateor non intelligere; fors. dicit studiorum universitates (R. T.).

iura civilia, etiam in scholis publicis, usque ad quinquennium audire, in illis versari, et studere, et ad gradus omnes eius facultatis promoveri licite et libere valeant, indulgendi;

Notarios, comites, equitesque creandi, etc.

§ 13. Caeterum (ut virtutes et meritis praestantes dignioris nominis et titulo decorentur) viros aliquot (quos videris, sive nobilitate, sive gradu, vel doctrinâ et moribus laudabiles), alios, videlicet clericos, in nostros et dictae Sedis notarios (recepto prius ab eis solito iuramento), alios vero, laicos, in Palatii et Aulae nostrae Lateranensis comites, et alios auratae Militiae milites, cum insignibus debitis et consuetis (factâ ab eis Fidei professione) iuxta formam novissime a Sede praedictâ propositam creandi, recipiendi et instituendi, ac eos etiam aliorum notariorum necnon comitum et militum numero et consortio favorabiliter aggregandi, ipsisque (etiamsi notarii habitum et rochettum non ferant), nihilominus, ut omnibus et quibuscumque privilegiis, honoribus, praerogativis, favoribus, gratiis, et indultis aliis notariis, etiam de numero participantium, necnon comitibus, et militibus concessis (sine tamen praeiudicio dictorum notariorum de numero participantium, et citra exemptionem a Concilio Tridentino sublatam) utantur, concedendi;

Celebrandi vel celebrari faciendi in locis interdicto ecclesiastico suppositis licentiam dandi.

§ 14. Necnon quibuscumque utriusque sexus, ecclesiasticis et saecularibus, quos ad loca, ecclesiastico interdicto etiam apostolicâ auctoritate supposita [1], declinare contigerit, ut in eis (ianuis clausis, non pulsatis campanis, excommunicatis et interdictis prorsus exclusis), dummodo ipsi causam non dederint huiusmodi interdicto nec eis id contigerit specialiter interdici, in suâ et domesticorum familiarium suorum praesentiâ celebrare et celebrari facere licite possint, facultatem tribuendi;

Indulgentias concedendi.

§ 15. Postremo omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui quascumque saeculares vel regulares ecclesias seu cappellas [1], unâ die et unâ vice tantum plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, in unâ vero vel duabus anni festivitatibus dumtaxat, a primis vesperis usque ad secundas vesperas et occasum solis cuiusque diei festi visitaverint et pro unione principum et fidei catholicae propagatione preces Altissimo effuderint, quo die festo id fecerint, decem annos et decem quadragenas, et infra de iniunctis eis poenitentiis, seu quae merito iniungi debuissent, misericorditer in Domino relaxandi; ita ut relaxatio huiusmodi semel tantum pro unâ ecclesiâ vel cappellâ fiat; et, si pro duobus diebus festis concedatur, triennium, pro uno vero festo concessa, quinquennium tantum debeat perdurare;

Aliaque hic expressa faciendi.

§ 16. Necnon vota quaecumque (ultramarino, visitationis liminum beatorum Petri et Pauli apostolorum de Urbe, sancti Iacobi in Compostella, castitatis, et religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi; denique, ut omnibus utriusque sexus personis ecclesiasticis et saecularibus, non tamen regularibus, ut, propter adversam valetudinem et infirmitates, ovis, butyro, caseo, lacticiniis et carnibus tam quadragesimae quam aliis anni temporibus ac diebus quibus horum usus prohibetur (secreto tamen et sine scandalo ac de utriusque medici consilio), uti et vesci licite possint, in-

1 Nempe ad loca quae fuerint interdicto supposita, quantumvis sententia lata fuerit ex apostolicâ auctoritate (R. T.).

1 In hac § turpe hyperbaton irrepsit: sensus est pro visitatione ecclesiarum indulgentiam dari posse plenariam unâ die et unâ tantum, et partialem duabus ad summum anni festivitatibus pro qualibet ecclesiâ (R. T.)

dulgendi; ac etiam omnibus, et quibuscumque personis ecclesiasticis, etiam praelatis, ut de bonis et rebus ecclesiasticis, iuxta formam in quinterno Cancellariae Apostolicae adnotatam, testari et disponere libere et licite valeant, facultatem concedendi; tempus quoque praefixum exequutoribus ultimarum voluntatum ad illas exequendum prorogandi, ipsasque ultimas voluntates in alios pios usus commutandi; et (ut concessiones, gratiae, ac litterae per te vigore praesentium concedendae, sublatis obstaculis, suum sortiantur effectum) quascumque personas (ad effectum omnium, et singulorum praemissorum dumtaxat consequendum) ab omnibus et quibuscumque excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati fuerint (dummodo in eis per annum non insorduerint) absolvendi, et absolutos fore censendi; vicesque tuas in praemissis, sive universis sive singulis, committendi, iudices assistentes, commissarios, et exequutores pro praedictorum et litterarum tuarum exequutione et observatione delegandi, mandata, prohibitiones, et monitoria, etiam sub censuris et aliis poenis praedictis, caeterisque tibi benevisis remediis, et etiam appellatione postpositâ, decernendi; ac omnia et quaecumque alia in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna faciendi, decernendi et exequendi, etiam per alium, seu alios, auctoritate apostolicâ praedictâ, tenore praesentium, plenam et liberam facultatem et auctoritatem concedimus et indulgemus.

§ 17. Decernentes te omnibus facultatibus et concessionibus praedictis, etiam cum derogationibus, suspensionibus, indultis, irritantibus, aliisque decretis et clausulis necessariis et opportunis, ac in litteris apostolicis concedi et extendi solitis, eundo, stando et redeundo in quibuscumque partibus, regnis, provinciis, terris, civitatibus et locis praedictis, ad quae te declinare ac etiam morari contigerit, et cum personis illorum, etiam alienigenis, undecumque ad te venientibus, necnon familiaribus tuis, libere et licite uti posse, ac in concessionibus, provisionibus, et aliis dispositionibus, etiam de beneficiis, aliisque gratiis per te auctoritate praesentium tuaeque legationis faciendis, soli narrativae tuae, et etiam solis concessionibus et litteris tuis, absque aliâ praesentium insertione seu exhibitione, aut notarii testiumve adhibitione, stari, nec ad id alterius probationis adminiculum requiri, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, in quavis causâ et instantiâ (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, et auctoritate) ubique iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 18. Non obstantibus defectibus, et aliis praedictis, ac de certo notariorum numero, etiamsi ad illud nondum deventum sit, ac quorumcumque conciliorum universalium, provincialium et synodalium, necnon piae memoriae Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, etiam de unâ et de duabus dietis, ac aliis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon Cancellariae Apostolicae regulis, nullis prorsus exceptis, et quae singillatim in quaque re exprimi et extendi possint, statutis quoque et consuetudinibus ecclesiarum, monasteriorum, capitulorum, conventuum, necnon uni- Derogatio contrariorum.

versitatum, collegiorum, civitatum et locorum quorumcumque, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis (etiamsi de illis servandis, et non impetrandis litteris apostolicis contra illa, et, illis etiam ab alio vel aliis impetratis seu aliàs quovis modo concessis, non utentibus[1], personae praestiterint eâtenus, vel imposterum praestare contigerit iuramentum), ac quibusvis privilegiis et indultis apostolicis, generalibus et specialibus, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemostratensis et aliorum praedictorum, caeterorumque Ordinum (et aliàs in omnibus aliis, quae praemissis quovis modo obstare videantur, quae, quoad haec, nullatenus cuiquam in aliquo suffragari volumus, aliisque omnibus, et caeteris contrariis quibuscumque, ubi et quando expediet secundum rei et casus exigentiam, in genere et in specie, ac tam coniunctim quam divisim, prout tibi placuerit, valeas derogare, et super his indulgere); quodque[2] aliqui super provisionibus seu commendis sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dictae Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, et decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum, quibus omnibus personas, in quorum favorem per te de beneficii praedictis providebitur, aut aliàs disponetur, in eorum assequutione volumus anteferri, sed nullum per hoc eis, quoad assequutionem beneficiorum aliorum, praeiudicium generari; seu[3] si locorum Ordinariis, et collatoribus, ac praedictis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut, quod interdici vel excommunicari non possint, quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem, coniunctim vel separatim, spectantibus, nulli valeant provideri, seu commenda fieri, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et qualibet aliâ dictae Sedis indulgentiâ, generali vel speciali, cuiuscumque tenoris exsistat, per quam, praesentibus necnon litteris per te earumdem vigore concedendis non expressam vel omnino non insertam, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in eisdem litteris mentio specialis.

§ 19. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu regentis cancellariae tuae, ac sigillo tuo obsignatis, eadem illa prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae. Transumptis danda fides.

Datum Romae apud sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicae MDCVIII, tertio nonas maii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 5 maii 1608, pontif. an. III.

Concessio ecclesiae Beatae Mariae de Catena, in civitate Panormitana existentis, fratribus Ordinis Eremitarum sancti Augustini Discalceatorum Congregationis Siciliae[1].

1 Legere oportet *non utendi*, vel *non utendis;* nempe iuramentum *non utendi* vel *de non utendis* illis litteris apostolicis, quando fuerint ab alio vel ab aliis impetratae aut concessae (R. T.).

2 Nempe: *et non obstante quod*, etc. (R. T.).

3 Nempe: *seu non obstante si*, ut patet ex huius formulae adiectione in aliis bullis (R. T.).

1 Hanc Pauli V Constitutionem Cocquelines dedit in tomo sequenti ad calcem Constit. XLIX Greg. XV; nos huc eam tamquam in locum suum transposuimus (R. T.).

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Collapsae regularis disciplinae restitutioni pro pastoralis officii nostri debito assidue invigilantes, omnem adhibemus operam, ut Religioni primaevus sanctitatis ordo restituatur.

Nonnulli fratres huius Ordinis regulae observantiam in Siciliam inducere curant.

§ 1. Cum itaque (sicut accepimus) dilectus filius Dionysius de Neapoli in sacrâ theologiâ magister et nonnulli eius socii Ordinis sancti Augustini fratrum Eremitarum expresse professi reformationem et observantiam regularem, ad praescriptum regulae beati Augustini et decretorum felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri super reformatione dicti Ordinis Eremitarum sancti Augustini editorum, in Siciliae regnum introducere intendant;

Paulus V eis concedit Panormi ecclesiam sanctae Mariae de Catena.

§ 2. Et nos, dicti Ordinis decus, integritatem, suique pristini candoris restitutionem sincero desiderantes effectu, Dionysio et aliis fratribus sub reformatione et observantiâ praedictis vitam acturis ecclesiam sanctae Mariae, de Catena nuncupatam, Panormitanam, quae (ut accepimus) per beneficiatos, ad nominationem communitatis et hominum civitatis Panormitanae quolibet anno mutari solitos, regi consuevit, cum illius aedibus rectoralibus, ac iuribus et pertinentiis suis universis, ad effectum aedes praedictas ad formam domus regularis Observantium Eremitarum Ordinis sancti Augustini nuncupandae reducendi (accedente tamen consensu Ordinarii et quorumcumque interesse habentium) perpetuo concedimus.

Datque facultatem novitios admittendi.

§ 3. Ac Dionysio et fratribus praedictis, ut, iuxta regularia instituta Ordinis huiusmodi, novitios absque licentiâ Ordinariorum ad habitus susceptionem et professionis emissionem, servatis in reliquis decretis dicti Clementis praedecessoris desuper editis, admittere,

Novas quae recipiendi domos.

§ 4. Et in quibusvis regnis et provinciis ecclesias et aedes quascumque eis oblatas de licentiâ Ordinariorum pro fabricandis novis domibus Reformatorum, iuxta formam similiter constitutionis dicti Clementis praedecessoris, et non aliis, non autem domos iam fundatas seu constructas alterius provinciae vel congregationis absque expressâ dicti prioris generalis licentiâ, accipere possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, permittimus et licentiam damus.

Nullos tamen titulos ab eis vult usurpari.

§ 5. Cum declaratione tamen, quod priori generali praedicto subiecti remaneant, et aliquem gradum quovis nomine nuncupatum suscipere non possint, sed iuxta tenorem constitutionum apostolicarum habeant gradus absolute ad ius exponendum, legendum, interpretandum, et concionandum, et nomen regentis, respondentis, magistri, studentium, et lectoris solus ipse actu legentibus, disputantibus respondentibus, et argumentandibus fratribus tribuat, et eo in actu tantum huiusmodi nominibus frui et gaudere possint, sed omnes communi nomine fratrum Reformatorum nuncupentur, et, si magisterii aut alio gradu insigniti dictam Refomationem seu Observantiam ingredi petierint aut voluerint, nomine tantum fratris appellentur.

Eorum superiores ab ipsis reformatis eligi statuit.

§ 6. Insuper perpetuo statuimus et ordinamus, quod superiores ipsorum Reformatorum seu Observantium ab ipsismet Reformatoribus seu Observantibus tantum, servatâ tamen formâ constitutionum Ordinis praedicti, eligantur, ac a priore generali totius Ordinis pro tempore existenti confirmentur; quodque, si numerus domorum Reformatorum seu Observantium huiusmodi excreverit, vicarius huius Reformationis iuxta constitutiones praedictas eligatur, et in quibusvis capitulis eorum prior primae domus, in quam primum Reformatio seu

Observantia regularis introducetur, vel primus definitor, et eorum quilibet pro suo biennio, quod a priore generali confirmabitur, praesidens existat; liberum autem sit priori generali in certis casibus praesidentem nominare, et mittere non solum ex praedictâ Reformatione, sed quemcumque alium, non tamen regni Siciliae, cum pro quiete fratrum Reformationis huiusmodi ita expedire in Domino visum fuerit.

Definitque formam habitus.

§ 7. Omnes autem calceati incedant, ac panno crasso et vilis pretii, seu ferendinâ, ut vocant, etiam crassâ, iuxta formam constitutionum Ordinis praedicti, non autem alio panno subtiliori utantur, et in reliquis constitutiones, decreta et ordinationes a dicto Clemente praedecessore edita, praesertim quae fratres dicti Ordinis nominatim concernunt, observent.

Gratias spirituales nonnullas fratribus elargitur.

§ 8. Denique, ut reformatio huiusmodi cum puritate cordis introducatur, fratribus Reformatis praedictis, ut eâ die, qua possessionem dictae ecclesiae accipient, sese invicem a quibusvis peccatis, erroribus, et excessibus etiam Sedi Apostolicae reservatis, non tamen haeresis, iniunctâ pro modo culpae poenitentiâ salutari, absolvere possint et valeant, auctoritatem et facultatem concedimus.

Derogat obstantibus.

§ 9. Ac tam ipsis, quam aliis utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui eodem die eamdem ecclesiam visitaverint, ac ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§ 10. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et constitutionibus [1], privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini, illiusque superioribus, et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac etiam motu proprio, vel concistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, ac individua, et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliquà alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIII maii MDCVIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 maii 1608, pontif. an. III.

Sequitur vivae vocis oraculum datum cardinali Saulio protectori ab eodem Paulo V super unione, atque incorporatione Congregationum Italiae et Siciliae.

Antonius cardinalis Saulius Congregationis Reformatorum Ordinis Eremitarum sancti

1 Alibi de stylo legitur *consuetudinibus* (R. T.).

Augustini Discalceatorum Italiae nuncupatorum protector.

Cum reverendus pater frater Ioseph a Messana, unus ex congregatione Discalceatorum illius regni, qui fratres Reformati Discalceati Ordinis Eremitarum sancti Augustini sanctae Mariae de Succursu nuncupantur, Romam ex Panormo venerit, mandatum procurae secum afferens, ut fratrum illorum omnium nomine unionem et incorporationem cum Reformatorum eiusdem Ordinis Eremitarum sancti Augustini Discalceatorum Italiae nuncupatorum congregatione (ut sic uniti ac incorporati Deo humilius et ferventius possent inservire) peteret; nos, nostrae protectionis munere fungentes, eorumque huiusmodi piae petitioni favere volentes, verbum hac de re cum SS. D. N. Paulo Papa V fecimus: sua vero Sanctitas cum annuerit, nos auctoritate ob nostram eamdem protectionem nobis a Sanctitate suâ concessâ supradictos Siciliae fratres Reformatos Discalceatos cum fratrum Italiae Discalceatorum Reformatorum congregatione omnibus cum clausulis necessariis atque opportunis unimus atque incorporamus. Deum optimum maximum precantes, ut hoc fidelium bono, et sui ipsius nominis fieri cum gloriâ velit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Romae in aedibus nostris die VII mensis maii MDCXI.

Antonius cardinalis SAULIUS
Ordinis protector.

Sequitur aliud vivae vocis oraculum super unione confirmatorium primi cum supplemento quorumcumque defectuum, si qui desuper intervenerint.

Antonius cardinalis Saulius totius Ordinis sancti Augustini protector.

Novem iam prope abierunt anni, cum, sic volentibus atque poscentibus reverendis nobis dilectis fratribus in Siciliâ Reformatis Discalceatis Eremitis sancti Augustini sanctae Mariae de Succursu nuncupatis, eos nos cum Reformatorum eiusdem Ordinis Eremitarum sancti Augustini Discalceatorum Italiae nuncupatorum congregatione, facto hac de re verbo cum sanctissimo domino nostro Papa Paulo V, qui annuit, univimus atque incorporavimus. Nuper extitere tamen ex Siculis fratres nonnulli, qui istam congregationum[1] coniunctionem dirimere, atque etiam tollere cogitarint, invalidam illam, ac nullam esse iactantes. Aiunt namque procurationis mandatum ad ipsam hanc congregationum unionem atque incorporationem obtinendam ex Siciliae aliarum[2] non rite, neque eo quo debuit modo, hoc est, non omnibus convocatis fratribus neque per campanae (ut dicitur) sonum fuisse confectum; propterea nullas etiam esse habitus susceptiones, et professiones ab incorporatis ante lapsum probationis annum emissas. Nos omnia haec SS. D. N. narravimus: sua vero Sanctitas dissensiones et lites tollens omnes tam praesentes quam futuras, et defectus (si qui fuerunt) tam iuris quam facti super praemisso procurationis mandato, super etiam habitus susceptionibus, ac professionibus praedictis ab incorporatis emissis[3], aliisque omnibus, nobis satis cognitis iustis de causis hic non expressis supplevit, ipsarumque congregationum unionem atque incorporationem manere voluit; itaque nos ex auctoritate nobis, qui totius Ordinis Eremitarum sancti Augustini protectoris munus gerimus, a

1 Edit. Main. legit *congregationem* (R. T.).
2 An errata sit lectio, nescio (R. T.).
3 Edit. Main. legit *emissas* (R. T.).

Sanctitate suâ vivae vocis oraculo concessâ eam confirmamus, et, quatenus opus sit, denuo facimus, perpetuisque futuris temporibus in omnibus iuxta voluntatem ac iussum Sanctitatis suae observari mandamus. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Romae die v martii MDCXI.

Antonius cardinal SAULIUS protector.

Subsequuntur decretum ac litterae, quibus conceditur facultas dictis fratribus in domibus sancti Nicolai ac sancti Gregorii Panormitanensis ante dictam unionem professis transeundi ad alias domos conventuales extra dictum regnum per priorem generalem assignandas infra sex menses a notitiâ praesentium decurrendos.

Ex Audientiâ Sanctissimi,
die ultimâ novembris MDCXIX.

Sanctissimus dominus noster confirmationem huiusmodi unionis ab illustrissimo cardinali Saulio factam probavit, ac (quatenus opus sit) denuo uniri mandavit, cum decreto, quod religiosi, qui in sancti Nicolai de Tolentino ac sancti Gregorii Panormitani domibus ante supradictam unionem professionem emiserunt, si congregationem Italiae ingredi, illiusque reformationem ac regularia instituta accipere noluerint, ad alias domos conventuales, etiam extra dictum regnum Siciliae, eis per priorem generalem eiusdem Ordinis designandas, ad sex menses dumtaxat a die notificationis praesentium inchoandos, transire possint et valeant, litterasque sub annulo Piscatoris desuper expediri mandavit.

Ex Audientiâ Sactissimi,
die IX decembris MDCXXI.

Sant'Agostino Scalzi d'Italia

Al Generale. Napoli.

Avendo fatto supplicare alla Santità di nostro signore li Scalzi di cotesta Religione, che sono in Sicilia, e che si trovarono professi prima che da noi col vivo oracolo della Santità sua fossero uniti alla congregazione delli Scalzi d'Italia del medesimo Ordine, di passare ad alcune di quelle congregazioni dell'istess'Ordine, che più piacerà loro: m'ha la Santità sua ordinato di scriverne a V. P. che a tutti quelli Scalzi suddetti, che dentro a sei mesi da cominciarsi dalla notizia della presente vorranno passare a qualsivoglia delle congregazioni di cotesta Religione, dia loro licenza di poterlo fare, con pigliare l'abito della medesima congregazione, alla quale passeranno, e restando ferma nel resto l'unione suddetta, conforme al decreto della Sagra Congregazione per quelli che non si curano di fare simile transito, e per quelli, che hanno professato dopo la suddetta unione, a' quali resteranno anco li conventi di Palermo. E Dio, ecc.

CIII.

Canonizatio sanctae Franciscae Romanae, ex Oblatis Sororibus Ordinis sancti Benedicti Congregationis Montis Oliveti.

Paulus Episcopus
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Caelestis aquae flumen, quod ab inexhausto vitae fonte procedens perpetuo fluit impetu qui laetificat Civitatem Dei, Prooemium.

cum abundantius effunditur et hortos plantationum supernae Sapientiae, hoc est fidelium mentes, septem charismatum donis felici inundatione foecundat, tunc sane, qui magnus est semper, magnus nimis apparet et mirabilis in altis Dominus, in sanctis suis videlicet, qui, terrena abnegantes desideria, ac solem iustitiae induti Dominum nostrum Iesum Christum, vitae puritate sine reprehensione nitidi, virtutum luminibus, igne charitatis accensis, quasi stellis ornati, excelsi spiritu in carne ambulantes, et secundum carnem non militantes, caeli pretiosi Domino et Dei sedes sufficiuntur. Quae sane dexterae Excelsi opera multo illustriora resplendent, multoque cernitur admirabilior magnificentia Domini, cum, erga vascula infirmiora et sexum consilii imbecillioris apponens cor suum, misericordiarum suarum divitias superabundanter elargitur. De quo caelesti dono merito omnis Ecclesia, sed Romana praecipue in Domino gloriatur. Quae cum inenarrabili Dei beneficio, cunctis praelata Ecclesiis, principatum acceperit Ecclesiarum et beatorum Principum Apostolorum doctrinâ fuerit unâ cum sanguine irrigata, in hoc etiam agnoscit felicitatem suam, quod, ut fortissimorum martyrum purpuratis populis, ut venerabilium sacerdotum beatis coetibus, castissimarumque virginum splendidis choris, ita etiam sanctarum mulierum caelestibus numeris, quasi multiplici rutilantium honore gemmarum corona decora Orbi universo praefulget.

Beatae Franciscae laus et qualitates.

§ 1. In hac igitur Ecclesiâ, matre Ecclesiarum et magistrâ sanctitatis, renovans Dominus castitatis et multarum excellentium virtutum vetusta Romanarum mulierum infidelium exempla, ducentis ferme ab hinc annis, in ornamentum totius domus suae Ecclesiae universae, suscitavit mulierem, verâ fortitudine fortem, Franciscam nomine. Haec enim, per gratiam Spiritus Sancti, naturae usum et sexus infirmitatem transgrediens, accincta robore et in spiritu ambulans, desideria carnis non perfecit, sed odit animam suam in hoc mundo, ut in vitam aeternam custodiret eam; et per altissimam humilitatem elegit abiecta esse in domo Domini, ac propter verba labiorum eius custodire vias duras, currens per arduas christianae perfectionis semitas in odorem unguentorum sponsi: quamobrem introduxit illam rex in cellaria sua, ubi exultat et laetatur in eo, ubi non occidet ultra sol eius, et luna eius non minuetur. Huius virtutes, fidei puritas, vitae morumque sanctitas, aliaque huiusmodi caelestia dona, miraculorum insignibus comprobata testimoniis, adeo excellentia fuerunt, ut Ecclesiae catholicae autoritatis illustratione diutius destitui plane non deberent, sed proponenda aliquando essent imitanda fidelibus, ut glorificaretur per illam Dominus Pater misericordiarum.

Eius nativitas et infantia.

§ 2. Quam etiam ob rem nonnulla de eiusdem virtutibus, et miraculis hic duximus ex legitimis actis referenda. Dilecta Dei filia Francisca ex Paulo Buxio et Iacobella de Broffedeschis Romanis, nobilibus genere, sed longe nobilioribus prole, coniugibus nata, et e Laurentii mariti familiâ de Pontianis vocata, data est Ecclesiae suae a Domino circa annum MCCCLXXXIV. Quae, ut erat sorte gratiae Spiritus Sancti sortita animam bonam, vel in infantiâ suâ signa futurae sanctitatis dabat. Aversabatur gaudia huius saeculi, eiusque aetatis ludos, et illecebras abhorrens, solitudine magnopere capiebatur. Crescens confortabatur spiritu, et, quam amabat, solitudine fruebatur, in dies magis orationi vacando.

Nupta virum habuit tamquam non haberet.

§ 3. Undecimum annum nata, ut iugum Domini cito portare inciperet, Christo virginitatem consecrare, et monasterium

ingredi proposuit, sanctoque proposito huiusmodi convenienter vivendo, quasi solitariam vitam agebat, et iam in caelis conversari incipiebat. Verum, quia voluntas Dei erat, ut coniugalis status perfectionis grande documentum daret, parentes, quibus subdita erat, nubere viro diviti et nobili eam voluerunt: illa vero haud desiit nupta cogitare quae Dei sunt, sed in sancto et immaculato coniugio virum habuit tamquam non haberet, et quemadomodum Sara obediebat Abrahae, sic illa viro semper obediens fuit.

Meditationibus, aliisque sanctis operibus studuit.

§ 4. Curis familiaribus a spiritualibus minime distrahebatur, sed rebus domesticis dispositis, non egrediebatur foras cum Dina, ut videret filias alienigenas, sed ipsas horas in secreto cubiculi sui devote orando et meditando quotidie transigebat. Abstinebat spectaculis, nuptiarum celebritatibus, non ingrediebatur domum convivii, neque etiam cognatorum, eiusque oblectamenta et deliciae erant ecclesias et hospitalia frequentare, verbi Dei praedicationibus, et divinis officiis cum devotione intendere.

Religiosam domum pro Oblatis congregationis montis Oliveti in Urbe instituit.

§ 5. At qua ratione in dies magis Christo placeret indagans, quod sibi viro alligatae non licebat, id, ut sorores suae in Christo Romanae mulieres praestarent, curavit. Itaque complures a saeculari ad arctioris vitae institutum revocans domum religiosam Oblatarum in regulâ beati Benedicti congregationis Montis Oliveti in Urbe instituit. Et cum dedisset Domino innupta, dedisset nupta fructus suos, multiplicans Deus cum illâ misericordiam suam, fructificare etiam eam voluit in sanctâ viduitate.

Et inter eas post viri obitum adscribitur.

§ 6. Itaque defuncto marito, paucis annis ante suam dormitionem, variis servitutis obsequiis non destitit Christo famulari. Proinde sanctum claustralis vitae propositum sollicite adimplere volens, absque morâ Oblatas, quas ipsa Christo pepererat, nudis pedibus adit, ac vinculo de collo pendente, prona in terram, multisque cum lacrymis, quasi peccatrix indigna, non tamquam earum parens, suppliciter illas orat, ut se ipsarum numero adscribant. Adscripta, verbo et exemplo magnopere, ut par erat, in sororibus profecit, donêc, consummato curriculo, ad coronam iustitiae accipiendam de manu Dei, aetatis suae anno LVI, virtutum donis onusta, et signis ac prodigiis clara a Domino evocata est.

Humilitate et in proximum charitate eximia claruit.

§ 7. Cuius ex multis ac praeclaris virtutibus humilitas in primis, per quam ad solidam, veramque celsitudinem pervenitur, maxime enituit. Non illi, etiam dum in coniugio vixit, quamquam nobili et opulento viro collocatae, serica, non auro contexta, sed vilis, et lanea vestis. In claustrali vitâ, esset licet omnium Oblatarum mater, item domi, quasi domina ministrari numquam, sed, memor Domini verbi, ministrare omnibus amabat: ac tamquam ancilla tractari, et ancilla videri delectabatur: alioque honoris titulo, quam peccatricis, immunditiae vasculi, foeminaeque vilissimae et abiectae se minime insignivit. Nec verbis tantum, sed re etiam propter Christum, ut abiecta esset, sedula curabat: ita ut saepe e suburbanâ vineâ suâ revertens, lignorum fasces in capite pauperibus portaret, interdum asellum lignis et sarmentis in usum similiter pauperum onustum per Urbem ageret, ostendens videlicet, omnia esse facilia charitati. Qua etiam beatam mulierem abunde fuisse a Spiritu Sancto donatam, praeter huiusmodi perfectionis opera, cuius est vinculum charitas[1], illi[2] praeterea declarant: super egenos, et pauperes benigne, et multifariam respiciebat: largas eleemosynas, hospitalium praesertim infirmis, erogabat: visitabat

1 Edit. Main. legit *charitatis* (R. T.).
2 Videretur legendum *illa* (R. T.).

eos frequenter, neque solum afferebat corporis cibaria, sed monita etiam salutis, et ad Ecclesiae sacramenta suscipienda illos inducebat: pium afflictos consolandi officium, ad amorem Dei et mundi contemptum cohortando, assidue praestitit: orabat frequenter pro peccatoribus ferventi spiritu, maximeque in id incumbebat eius sollicitudo, ut Romanas matronas a pompis saeculi et ornatus vanitate abduceret.

Patientia et fortitudine multa claruit.

§ 8. Et quoniam, ut beatus inquit Gregorius, poena interrogat, si quietus veraciter amat, sicut non extollebatur prosperis, sic, tribulationibus agitata, non solum aequo animo patienterque ferebat, sed novit etiam, sanctorum emulando virtutem, Domino gratias agere. Nam exilio mariti, bonorumque magnâ iacturâ, et domus universae moerore aliquando graviter tentata, eius querelae benedictiones illae frequentes fuere; *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Potuit similiter in eo, qui illam confortabat, non solum adversa mundi huius, sed principis quoque tenebrarum visibilibus insultibus fortiter resistere. Saepe enim inter orandum a diabolo verberibus affecta, ad terram allisa, caesaque in facie, induta loricam iustitiae, et sumpto scuto fidei, tentatorem sic imperterrita elusit, ut illi formidabilis evaderet: sed et angeli praesidio, quem familiarem protectorem et comitem singulari Dei beneficio habebat, ab huiusmodi inimici tentationibus defensam in actis consignatum apparet. Unde factum putatur, ut, post beatae Franciscae dormitionem, statim eiusdem imagines cum angelo pingerentur, et usu retentum fuerit.

Asperitate vitae et maxima obedientia enituit.

§ 9. Nec minori virtute in Christo Iesu cum hoste domestico pugnavit; sed exemplo electorum Dei admirabilem in modum castigavit corpus suum, et in servitutem redegit. Cibum illi semel in die herbae et legumina, aqua potum praebuerunt. Sive vigilaret, sive dormiret, asperum laneum indusium non exuebat, duroque cilicio ac ferreo cingulo super nuda membra mortificabat; accedebant flagella ferreis aculeis aspera, quibus corpusculum, quamquam aliunde attritum, severissime atterebat. Sed quoniam tanta illi erat obedientia, ut iussa ageret etiam quod nolebat, confessarii mandato ab huiusmodi corporis cruciatibus modice temperavit. His autem modis cum, qui foris est, hominem affligens, ex quo ille, qui intus est, firmior redditur, magno mentis ardore divina omnia, praesertim Domini Passionem contemplabatur, tantumque lacrymarum profundebat, ut doloris sensu acerbissimo confici putaretur. Saepe cum oraret, maxime sumpto sanctissimo Eucharistiae sacramento, spiritu in Deum elevata, ac caelestium contemplatione rapta immobilis persistebat.

Divinorumque contemplatione.

Miraculis vivens illustris fuit quorum aliqua referuntur.

§ 10. Huiusmodi virtutes, ardentis fidei munere stabilitas, miraculorum clarissimis luminibus manifestare volens mirabilis Dominus, multa grandia signa, multaque mirabilia operari per Sanctam suam, etiam viventem, et dormientem dignatus est.

Ægrum a comitiali morbo sanavit.

§ 11. Nam, ut ex multis pauca referantur, primum super aegros manus imposuit, et bene habuerunt. Siquidem comitiali morbo gravissimo quinque annorum aegrotus adolescens, Menicus nomine, Tartagliae cuiusdam filius, cum illum ad sanctam mulierem Rentius avunculus duxisset, ut orationibus eius iuvaretur, et illa, manu super aegroti caput impositâ, bene sperare iussisset, quando divinâ bonitate confideret amplius morbum non passurum, confestim sanatus est.

Hernia liberantem liberavit.

§ 12. Eiusdem manus contactu puerum Lelii de Cinque Romani filium, herniâ cum rupturâ laborantem, et mox chi-

rurgo tradendum extrema remedia adhibituro, statim similiter ancilla Christi sanavit.

Brachii usum mulieri reddidit.

§ 13. Ac Sanctae auxilium implorando obviam illi facta foemina quaedam, Angelella nomine, quae ex articulari morbo brachii usum absque spe sanitatis perdiderat, illico convaluit.

Panes multiplicavit.

§ 14. Dedit quoque admirabiliter per illam Dominus escam esurientibus, et opera, quae ipse fecit, innovavit. Cum in monasterio ageret Oblatam, contigit aliquando, ut sororibus, tunc numero undecim, sub refectionis horam panis paucula solum fragmenta, quae vix tribus reficiendis sufficerent, esse cognosceret, quamobrem, caeteris valde sollicitis, sola ipsa immota Dominum provisurum inquit, positisque fragmentis super mensam benedixit, et comederunt omnes agentes gratias Deo, ac saturatae sunt, tantumque panis superfuit, ut canistrum impleretur.

Ea orante uvae sitientibus sororibus apparent.

§ 15. Ad haec, cum ex iisdem sororibus complures extra Urbem, ligna parandi causà, mense ianuario essent, ac prae labore sitirent, et ad aquam hauriendam ullam ex iis procul ire Francisca honestum non duceret, in Domino sperare illas iubet, Dominumque provisurum pariter affirmat: tum vero statim ad vicinam arborem conversae, vitem, et in ea tantum uvae adspiciunt, ut suum unaquaeque botrum, iussu Franciscae gratias Deo agentis, decerpere, ac sitim extinguere potuerit.

Super aquas orans siccis vestibus egreditur.

§ 16. Elementa quoque non semel beatae Franciscae sanctitatis testimonium dederunt. Primum enim, cum in vigilià sanctorum apostolorum Petri et Pauli a visitandà apostoli Pauli basilicà, nonnullis ex sororibus comitata, reverteretur, in proximam vineam suam cum stetisset, ibique ad aquae rivum sedisset, mentemque levasset ad Deum, in extasim rapta, super labentem aquam, minime advertens, genua flexit, nec modico tempore aqua circumsepta perstitit: postquam vero ad se rediit, siccis vero vestibus ex aquà egressa est, non secus ac si illam non attigisset. Simili deinde miraculo eodem anno, et loco B. Virginis Mariae horas recitans, Ancilla Dei honorificata est, maximo enim imbre in aperto oppressa, orare nihilominus perseveravit, et comitibus omnibus madidis, sola madefacta non est.

Cordium secreta agnoscit et aperit.

§ 17. Potens etiam fuit, caelestis gratiae dono, secreta cordium cognoscere. Etenim Laurentium Tuccii filium adolescentem a proposito occidendi gladio linguae Franciscum Sclavium educatorem suum revocavit, christianà charitate illum corripiendo, et a concepto peccato dehortando, quod nulli revelaverat.

Infantis obitum praevidet.

§ 18. Simili spiritu mortem inopinatam incolumis infantis, quasi praevidens, vitam illi aeternam procuravit. Nam horà secundà noctis, quae diem natalem eiusdem infantis sequuta est, domo praeter morem egressa, stimulo charitatis et gratià Spiritus Sancti, quae tarda nescit molimina, impellentibus, intempestivà sollicitudine, ut caeteris videbatur, cum nulla accelerandi baptismi appareret causa, ut statim baptizaretur curavit; post baptisma vero subitus infantem morbus, quem mors consequuta est, occulto Dei iudicio invasit. Et his quidem signis inter caetera clarificavit Dominus famulam suam in servitute corruptionis vitae huius degentem.

Mortuae corpus suavi odore fragrat.

§ 19. Postquam vero ab hac servitute in libertatem gloriae liberata est, ipso die dormitionis eius, quae Urbem universam commovit, et duobus sequentibus, quibus diebus eius corpus inhumatum fuit in ecclesià sanctae Mariae Novae nuncupatà, simili miraculo, quo Sanctorum suorum corpora non semel hono-

ravit, Franciscae etiam corpus honorare dignatus est Dominus. Tantis enim odoribus fragravit, ut omnia odoratis floribus referta visa fuisse, acta testentur.

Miraculisque multis claruit, quorum pauca hic referuntur.

§ 20. Multa exinde Ancillae Dei sanctimoniae praeclara miracula fidem fecerunt. Complures enim gravissimis et extremis morbis[1] opem, quam in medicinae auxiliis invenire non potuerunt, in eius vel libri horarum B. Mariae Virginis vel vestium contactu, per eius merita et intercessionem, praesentaneam invenerunt.

Mulieri visum restituit.

21. Constat enim inter caetera Viterbiensem foeminam Augustinam Angeli lippitudine, quae visum illi ademerat, panno oculis admoto, quo sacrae Franciscae corpus contectum fuerat, subito sanatam.

Peste infectum liberavit.

§ 22. Et Hieronymum quemdam aromatarium, qui peste laborabat, in articulo mortis, eiusdem Sanctae veste superiniectâ, ac voto eidem facto, subito similiter convaluisse.

Febri alteram brevi morituram sanavit.

§ 23. Aliam vero foeminam febri cum pleuritide ad perniciem procedente affectam, cui medicus neque ad sequentem diem vitam promittebat, Franciscae velo lateri imposito, dolore statim liberatam, et postridie e lecto sanam consurrexisse.

Morbo simili alteram laborantem sanam reddidit.

§ 24. Multi etiam, sanctae mulieris auxilio et intercessione devote solum invocatis, e morbis similiter variis et gravibus divinâ gratiâ evaserunt. In his mulier quaedam, nomine Magdalena de Clarellis, peste et ipsa laborans, quae, quamquam chirurgi scalpello laesa brachii dolore ita cruciaretur, ut non putaretur a morte procul abesse, eâdem horâ convaluit, qua mater ad Franciscae sepulchrum pro filiae sanitate oravit.

Puero gressum restituit.

§ 25. Insigni quoque miraculo crurum sanitate, B. Franciscae intercessione, a Domino donatus fuit puer annorum quatuor, Pauli Totti filius, qui, cum gravibus ulceribus incessu prohiberetur, mater, quod puerum minime sanescere medicinae remediis cerneret, illo in ulnis suscepto, cum ad Sanctae imaginem in ecclesiam beatae Mariae Transtyberim pro eius sanitate devote oratum venisset, nondum finitâ oratione, ecce ex ulnis deponi puer rogat, depositus ambulare incipit, ac domum pedibus redit, solitisque ligaminibus et emplastris emotis, non solum sanis cruribus, sed etiam ut divina magis per Sanctae suae merita eluceret potentia, sine cicatricibus invenitur.

Vicarius itaque Eugenii IV super eius vitam et miraculis, statim post obitum, inquisitionem fieri iussit.

§ 26. Huius itaque tam excellentis sanctitatis lucernam, quoniam sub modio esse nolebat Dominus, sed aliquando super candelabrum apostolicae auctoritatis decreto constituendam praeordinaverat, factum est, vel paucis mensibus post felicem Sanctae obitum, ut bonae memoriae Andreas episcopus Auximanus felicis recordationis Eugenii Papae IV, praedecessoris nostri, tunc in Urbe in spiritualibus vicarius examen testium super eius vitâ et miraculis committeret episcopo Bovensi, ac priori monasterii Sanctae Crucis in Hierusalem Ordinis Carthusiensis, qui, multorum testimoniis susceptis, summariam inquisitionem egerunt.

Processus per cardinalem ad hoc deputatum habitus.

§ 27. Deinde vero biennio ac nonnullis mensibus elapsis, et causâ bonae memoriae cardinali de Albertis delegatâ, instantibus procuratore et syndico monasterii sanctae Mariae Novae, anno MCDXLIII, processu causae huiusmodi coram bonae memoriae Dominico cardinale Firmano nuncupato, subdelegato cardinalis de Albertis, rite instituto, triginta et octo testes super octoginta articulis recepti sunt.

Duo postea Episcopi iussu Nicolai V alium desuper processum fecerunt.

§ 28. Defuncto Eugenio praedecessore praedicto, anno MCDLI, meritis beatae Franciscae exigentibus, felicis recordationis Nicolaus Papa V pariter praede-

1 Subde *laborantes* (R. T.).

cessor noster, qui Eugenio in apostolatu successerat, canonizationis eius negotium aggressus, inquisitionem peragi per Spoletanum et Mindonensem episcopos mandavit, coram quibus a procuratore et syndico praedictis testes ad numerum centum et triginta duorum sunt producti, et super novis articulis rite et recte recepti, ac processus accurate et legitime formatus.

Dies obitus beatae Franciscae festus habitus est usque ad Clementem VIII; qui dictam canonizationem terminare volens

§ 29. Ac licet rem transigi, et beatam Franciscam Sanctam declarari, nec tunc temporis, neque postea tot annis successerit; tamen Dominus, Sanctae suae summum honorem in terris debitum ad hanc usque diem occultà dispensatione differri volens, non permisit interea aliis honoribus destitui: numquam enim devotio fidelium erga ancillam suam refrixit in Urbe, quinimo die transitus eius, auctoritate apostolicà, et populi Romani pià sollicitudine in honore, et in Curià Capitolinà festus habitus fuit, donec felicis recordationis Clemens Papa VIII predecessor noster, pro sui pastorali providentià, spiritu Dei motus, piis eiusdem populi Romani precibus benigne aures praebens, canonizationis beatae Franciscae opus, ad decorem et utilitatem domus Dei iamdiu coeptum, consummandum censuit.

Tribus Rotae Auditoribus negocium commisit.

§ 30. Itaque bonae memoriae Seraphino sancti Salvatoris in Lauro, necnon dilectis filiis nostris Hieronymo sancti Blasii de Annulo Pamphilio et Ioanni Garziae Ss. Quatuor Coronatorum titulis S. R. E. presbyteris cardinalibus Millino nuncupatis, tunc sacri Palatii Apostolici causarum auditoribus commisit, ut viderent: an secundum sacrorum canonum decreta et Ecclesiae Romanae receptum morem canonizatio huiusmodi celebrari posset. Illis vero et in eorum locum, iisdem ad cardinalatus honorem eorum exigentibus meritis promotis, postea subrogati dilecti etiam filii Franciscus Pennia, Horatius Lancellottus et Ioannes Baptista Pamphilius eiusdem sacri Palatii causarum pariter auditores, processus, et acta omnia ab exordio causae, ut res postulabat, recensentes, probationes diligenter perpenderunt, novoque processu rite confecto, sanctitatis et miraculorum beatae Franciscae ab eius obitu ad annum usque MDCIV, quo anno haec agebantur, continuam constantemque famam probari voluerunt.

Eo defuncto, Paulus habità relatione et sententià dictorum Auditorum, canonizationis definitionem cardinalibus praefectis sacris ritibus commisit.

§ 31. Verum, viam universae carnis ingresso Clemente praedecessore, et humilitate nostrà ad summum Apostolatus gradum nullo suffragio meritorum a Domino vocatà, nec cessante populo Romano sanctà sedulitate instare, ut causa canonizationis huiusmodi absolveretur; nos ex officii debito pastoralis, quae ad Dei laudem et fidelium aedificationem sunt, quantum in Domino possumus, promovere cupientes, ac non ambigentes, id genus esse triumphalem canonizationis honorem, per quem sapientiam Sanctorum narrant populi, et laudem eorum nunciant Ecclesiae, patriaeque nostrae inclitae Urbis charitate cogente, ne filiae suae merità veneratione quasi novà coronà destitueretur, praedecessorum nostrorum vestigiis insistentes, rei tantae in nomine Domini perficiendae consilium coepimus. Quapropter cognità, eorumdem ex auditorum relatione, illorum pro canonizatione sententià, illam et universam causam a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus sacris ritibus et coeremoniis praefectis accuratissime recognosci et examinari mandavimus.

Qua eandem beatam Franciscam canonizandam esse sancit.

§ 32. Qui re diu multumque discussà ac disputatà, beatae Franciscae vitae excellentem cum fide sanctitatem, et praeclara miracula ex omnibus processibus, primo excepto, satisque legitime ad rem

de qua agebatur, probata, ad canonizationem procedi recte posse censuerunt.

Hic Pontifex horum omnium relationem in Consistorio secreto habuit, et etiam sententiam cardinalium, quos ipse omnes hortatus est ad piis operibus divinum desuper auxilium implorandum.

§ 33. Itaque eorum sententiâ unâ cum omnibus, quae in causâ erant, in consistorio nostro secreto a venerabilibus fratre nostro Dominico episcopo Hostiensi S. R. E. cardinali Pinello nuncupato, sacri collegii decano, et eorumdem cardinalium antiquiore, summatim et apposite relatis, cum reliqui cardinales, qui adfuerunt, idem censuissent, in publico frequenti consistorio auditâ dilectorum filiorum Camerae Urbis nostrae conservatorum pro canonizatione huiusmodi, per dilectum filium Hieronymum de Rubeis P. R. advocatum habitâ disertâ oratione, ac de re tantâ nos, ut oportebat, cum iisdem cardinalibus et episcopis deliberaturos responso dato, eosdem cardinales et episcopos ad implorandum eleemosynis, ieiuniis, et orationibus divinum auxilium in Domino hortati sumus.

Tandem sententiam in Consistorio praelati comprobarunt.

§ 34. Deinde eorumdem cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in Urbe praesentium, consistorio semipublico indicto, in quo etiam nostri, et apostolicae Sedis notarii et sacri Palatii Apostolici causarum auditores vocati adfuerunt, iidem cardinales, patriarchae, archiepiscopi omnes, beatam Franciscam ex iis, quae a nobis proposita et ex processu relata fuerant, iure canonizandam esse censuerunt.

Et Pontifex diem canonizationis praefigendam sibi reservat.

§ 35. Quorum sententiis auditis, nos gratias Deo agentes, quod ancillam suam per ministerium nostrum honorificari velle dignaretur, canonizationis diei declarationem nobis reservavimus, omnesque ad devote interim nobiscum orandum, et eleemosynis, ieiuniis ac sacrificiis caelestem Spiritus Sancti favorem in eam rem infirmitati nostrae procurandum [1], iterum adhortati sumus.

Tandem servatis servandis beatam Franciscam Sanctam esse pronunciat et canonizat.

§ 36. Ac tandem, rite peractis omnibus, quae sanctorum patrum auctoritas, sacrorum canonum statuta, sanctaeque Romanae Ecclesiae antiqua consuetudo in re huiusmodi peragendâ praescribunt, hodie in sacrâ beati Petri principis apostolorum basilicâ, ad quam unâ cum iisdem fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, necnon patriarchis, archiepiscopis, episcopis, aliisque Romanae Curiae praelatis, officialibus, ac familiaribus nostris, clero saeculari ac regulari, hymnum *Ave maris stella* beatae Mariae Virginis cantorum coetu resonante, solemni ritu processimus, maximâ populi frequentiâ. Post praedictorum conservatorum, pro canonizationis decreto, per eumdem advocatum consuetas petitiones repetitas, post sacras litanias, hymnosque decantatos, precibusque in spiritu humilitatis praemissis, ac Spiritus Sancti gratiâ rite imploratâ: ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, ad Fidei Catholicae exaltationem et Religionis Christianae augmentum, auctoritate eiusdem Sanctissimae Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in Urbe praesentium consilio, et unanimi consensu, beatam Franciscam Romanam, ex Oblatis monasterii Turris speculorum Urbis, Ordinis sancti Benedicti congregationis Montis Oliveti, cuius corpus Romae in Ecclesiâ sanctae Mariae Novae nuncupatâ in pace quiescit, de cuius sanctitate vitae, fidei sinceritate, et miraculis plene constabat et constat, Sanctam esse definivimus, ac Sanctarum mulierum catalogo adscribendam decrevimus, prout praesentium tenore definimus, decernimus et adscribimus, illamque omnes fideles venerari mandavimus et mandamus.

[1] Edit. Main. legit *procurandam* (R. T.).

Eiusque in honorem ecclesias construi et festum die 9 martii celebrari iubet.

§ 37. Statuentes, ut ab universali Ecclesia in eius honorem ecclesiae et altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, aedificari et consecrari possint, et singulis annis die IX martii festum ipsius, et officium Sanctarum nec virginum nec martyrum ad Breviarii Romani praescriptum devote celebretur.

Indulgentias eiusdem sepulchrum visitantibus elargitur.

§ 38. Praeterea eâdem auctoritate, omnibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui annis singulis eodem die festo, ad sepulchrum, in quo corpus eius requiescit, devote accesserint, nec non ecclesias et altaria in ipsius honorem constructa devote pariter visitaverint, easdem indulgentias et peccatorum remissiones concessimus, et elargiti sumus, prout concedimus, et elargimur, quae caeteris dicti Ordinis ecclesiis in diebus festis eiusdem congregationis Montis Oliveti Sanctorum iam concessae sunt.

Praesentibus huic canonizationi peccatorum remmissionem concedit.

§ 39. Denique, exactis omnibus, quae canonizatio huiusmodi postulabat, ac Deo Patri immensae maiestatis venerandoque eius vero et unico Flio, Sanctoque Paraclito Spiritui laudibus sacro hymno cantatis, Ecclesiae communi prece oravimus Dominum, ut quoniam beatae Franciscae festivitate gaudebamus, eius exemplo piae devotionis erudiremur affectu, ac sacrosanctis sacrificiis ad altare Principis Apostolorum pontificali ritu, cum eiusdem Sanctae commemoratione oblatis, plenariam omnibus christifidelibus ibi praesentibus, ad Dei laudem, et gloriam Sanctae eius, peccatorum indulgentiam et remissionem concessimus.

Sanctaeque Franciscae praesidium implorat.

§ 40. Confiteamur igitur Domino dominorum, per quem amici eius honorificantur nimis, et a quo gloria et honor omni operanti bonum. Et quoniam Sanctae etiam huius praesidium iam cernimus nobis divinitus comparatum, aequum est, nos sempiternam clementiam orare, ut cuius in terris voluit his nostris calamitosis temporibus gloriam manifestari, illam etiam in tribulationibus nostris nobis adesse, et obsecrationes pro Ecclesiae sanctae exaltatione, haeresum extirpatione, principum christianorum unione, patrocinio suo promovere sentiamus per Christum Dominum nostrum.

Huius bullae transumptis credi mandat.

§ 41. Caeterum, quia nimis difficile foret, praesentes nostras literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus, si exhibitae vel ostensae essent, haberetur.

Sanctionemque poenalem apponit.

§ 42. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo octavo, IV kalendas iunii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 29 maii 1608, pontif. an. III.

✠ EGO PAULUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

✠ Ego Dominicus episcopus Ostiensis card. Pinellus.

✠ Ego Fr. Hieronymus episcopus Portuensis card. Asculanus.

✠ Ego Antonius Maria episcopus Praenestinus card. Gallus.

✠ Ego Antonius episcopus Albanensis card. Saulius.

✠ Ego Marianus episcopus Tusculan card. de Camerino.

† Ego Evang. tit. S. Laurentii in Lucina presb. card. Cusentinus.

† Ego Gregorius tit. S. Mariae Transt. presb. card. de Monte Elpero.

† Ego Franc. Maria tit. S. Mariae in Ara-Caeli presb. card. a Monte.

† Ego Octavius tit. S. Alexii presbyt. card. Paravicinus.

† Ego Octavius tit. S. Praxedis presb. card. Aquaviva.

† Ego Octavius tit. S. Sabinae presb. card. Bandinus.

† Ego Lauren. tit. S. Laurentii in Pane et Perna presbyter card. Blanchettus.

† Ego Bartholomeus tit. S. Mariae in Porticu presb. card. Caesius.

† Ego Franciscus tit. S. Mariae de Populo presb. card. Mantica.

† Ego Pompeius tit. S. Balbinae presb. card. Arigonus.

† Ego Bonifacius tit. S. Hyeronimi Illiricorum presb. card. Bevilaqua.

† Ego Dominicus tit. S. Honufrii presb. cardinalis Tuscus.

† Ego Robertus tit. S. Mariae in Via presb. card. Bellarminus.

† Ego Dominicus Ss. Duodecim Apostolorum presb. card. Gymnasius.

† Ego Antonius tit. S. Crucis in Hierusalem presb. card. Zapata.

† Ego Innocentius tit. Ss. Nerei, et Achillei presb. card. Bubalus.

† Ego Ioannes tit. S. Marci presb. card. de Vicentia.

† Ego Iacobus tit. S. Stephani in Monte Coelio presb. card. Sannesius.

† Ego Hieronymus tit. S. Blasii de Annulo presb. card. Pamphilius.

† Ego Ferdinandus tit. S. Eusebii presb. card.

† Ego Scipio tit. S. Chrysogoni presb. card. Burghesius.

† Ego Ludovicus tit. S. Pancratii presb. card. Montis Regalis.

† Ego Mapheus tit. S. Petri in Monte Aureo presb. card. Barberinus.

† Ego Ioannes Garzia tit. Ss. Quatuor presb. card. Millinus.

† Ego Marcellus tit. Ss. Quirici et Iulitae presb. card. Lantes.

† Ego Franciscus Sfortia diac. card. in Via Lata.

† Ego Alexander S. Laurentii in Damaso diac. card. Montaltus S. R. E. Vicecancellarius.

† Ego Andreas S. Angeli in foro Piscium diac. card. Perettus.

† Ego Ioannes Baptista S. Mariae in Cosmedin, diac. card. Detus.

CIV.

Suspensio abrogationis poenae excommunicationis contra ecclesiasticos Indiarum Occidentalium illicitae negociationi vacantes inflictae[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Illicitam negociationem ecclesiasticis interdixerat Paulus, abrogatâ tamen excommunicationis poenâ.

§ 1. Aliàs per nos accepto, quod in Indiarum occidentalium partibus inoleverat abusus, seu potius corruptela, ut clerici, etiam in sacris ordinibus constituti, ac etiam ecclesiarum parochialium rectores, aliaeque personae ecclesiasticae, partim sub praetextu, quod redditus sufficientes ad congruam sustentationem non haberent, partim aliis frivolis causis, sed potius avaritiâ adducti, diversis illicitae negociationis generibus se se involvebant in ecclesiastici Ordinis dedecus, eorumque animarum perniciem et scandalum plurimorum; nos, talem abusum de medio tollere ac ecclesiasticas personas praedictas ab eorum erroribus ad rectam ecclesiasticae disciplinae normam revocare

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

volentes, per nostras in simili formâ Brevis litteras[1] sub datum die septimâ maii pontificatus nostri anno II, motu proprio et ex certâ scientiâ nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, detestabilem huiusmodi abusum improbantes, ecclesiasticis quibuscumque personis, et praesertim sacerdotibus, ne quodvis illicitae negociationis genus quovis praetextu, causâ et occasione exercere auderent vel praesumerent, sub poenis a sacris canonibus et apostolicis constitutionibus contra illicitos negociatores inflictis per eos ipso facto incurrendis, expresse interdiximus et prohibuimus, et contra eosdem illicitos negociatores imposterum per easdem poenas cum omni rigore et severitate procedi voluimus, statuimus et ordinavimus, excommunicationis tantum poenam contra sacerdotes illarum partium illicitas negociationes exercentes, per quascumque provinciales aut synodales constitutiones praesertim in Synodo Limanâ editas quomodolibet impositam et inflictam ex tunc perpetuo abrogavimus et annullavimus, prout in dictis litteris, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, plenius continetur.

Nunc huiusmodi abrogationem suspendit.

§ 2. Nunc autem, iustis de causis animum nostrum moventibus, motu et scientiâ ac potestatis plenitudine similibus, abrogationem et annullationem excommunicationis poenae, per nos, ut supra, factas, ad nostrum et Sedis apostolicae beneplacitum suspendimus, ac suspensas esse decernimus et declaramus, ita ut interim excommunicationis poena sacerdotes praedictos illicitae negociationi vacantes, prout ante abrogationem et annullationionem praedictas, arctet et afficiat, ac synodales constitutiones praesertim synodi Limanae praedictae in suo robore permaneant, perinde ac si huiusmodi abrogatio et annullatio non emanassent[1], dictis tamen litteris in suo robore permansuris. Non obstantibus priori nostrâ voluntate, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Tusculi sub annulô Piscatoris die IX iunii MDCVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 9 iunii 1608, pontif. anno IV.

1 Quas vide supra pag. 4'5 (R. T.).

CV[2].

Facultas superioribus Religionum transmittendi religiosos in Indias Occidentales[3] per aliam viam, quam per Lusitaniam[4].

Paulus Papa V,

Universis et singulis praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sedis Apostolicae providentia circumspecta, quae ratione suadente aliquando decrevit, experientiâ deinde comperto mutatione indigere, nonnumquam immutat, prout re mature discussâ in Domino iudicat expedire.

Gregorius XIII prohibuit, quominus quis ad Chinam, Iaponiamve ad missiones exercendas proficisceretur sine licentia Sedis Apostolicae.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Gregorius Papa XIII praedecessor noster, certis tunc expressis causis adductus, per suas in simili formâ Brevis litteras sub datum die XXVIII ianuarii MDLXXXV, pontificatus sui anno XIII[5], omnibus pa-

1 Edit. Main. habet *emanasset* (R. T.).

2 Hanc Constitutionem iterum Cocquelinius edidit in sequenti volumine edit. Main. pag. 293 sub numero CCCXIV: nos semel edimus, nam secunda recensio Cocqueliniana nil habet diversi ab hac prima (R. T.).

3 Vel potius, uti postea dicemus, *Orientales* (R. T)

4 Ex Regest. in Secret. Brev.

5 Hae litterae in *Bullario* non sunt (R. T.).

† Ego Evang. tit. S. Laurentii in Lucina presb. card. Cusentinus.

† Ego Gregorius tit. S. Mariae Transt. presb. card. de Monte Elpero.

† Ego Franc. Maria tit. S. Mariae in Ara-Caeli presb. card. a Monte.

† Ego Octavius tit. S. Alexii presbyt. card. Paravicinus.

† Ego Octavius tit. S. Praxedis presb. card. Aquaviva.

† Ego Octavius tit. S. Sabinae presb. card. Bandinus.

† Ego Lauren. tit. S. Laurentii in Pane et Perna presbyter card. Blanchettus.

† Ego Bartholomeus tit. S. Mariae in Porticu presb. card. Caesius.

† Ego Franciscus tit. S. Mariae de Populo presb. card. Mantica.

† Ego Pompeius tit. S. Balbinae presb. card. Arigonus.

† Ego Bonifacius tit. S. Hyeronimi Illiricorum presb. card. Bevilaqua.

† Ego Dominicus tit. S. Honufrii presb. cardinalis Tuscus.

† Ego Robertus tit. S. Mariae in Via presb. card. Bellarminus.

† Ego Dominicus Ss. Duodecim Apostolorum presb. card. Gymnasius.

† Ego Antonius tit. S. Crucis in Hierusalem presb. card. Zapata.

† Ego Innocentius tit. Ss. Nerei, et Achillei presb. card. Bubalus.

† Ego Ioannes tit. S. Marci presb. card. de Vicentia.

† Ego Iacobus tit. S. Stephani in Monte Coelio presb. card. Sannesius.

† Ego Hieronymus tit. S. Blasii de Annulo presb. card. Pamphilius.

† Ego Ferdinandus tit. S. Eusebii presb. card.

† Ego Scipio tit. S. Chrysogoni presb. card. Burghesius.

† Ego Ludovicus tit. S. Pancratii presb. card. Montis Regalis.

† Ego Mapheus tit. S. Petri in Monte Aureo presb. card. Barberinus.

† Ego Ioannes Garzia tit. Ss. Quatuor presb. card. Millinus.

† Ego Marcellus tit. Ss. Quirici et Iulitae presb. card. Lantes.

† Ego Franciscus Sfortia diac. card. in Via Lata.

† Ego Alexander S. Laurentii in Damaso diac. card. Montaltus S. R. E. Vicecancellarius.

† Ego Andreas S. Angeli in foro Piscium diac. card. Perettus.

† Ego Ioannes Baptista S. Mariae in Cosmedin, diac. card. Detus.

CIV.

Suspensio abrogationis poenae excommunicationis contra ecclesiasticos Indiarum Occidentalium illicitae negociationi vacantes inflictae [1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Aliàs per nos accepto, quod in Indiarum occidentalium partibus inoleverat abusus, seu potius corruptela, ut clerici, etiam in sacris ordinibus constituti, ac etiam ecclesiarum parochialium rectores, aliaeque personae ecclesiasticae, partim sub praetextu, quod redditus sufficientes ad congruam sustentationem non haberent, partim aliis frivolis causis, sed potius avaritiâ adducti, diversis illicitae negociationis generibus se se involvebant in ecclesiastici Ordinis dedecus, eorumque animarum perniciem et scandalum plurimorum; nos, talem abusum de medio tollere ac ecclesiasticas personas praedictas ab eorum erroribus ad rectam ecclesiasticae disciplinae normam revocare

Illicitam negociationem ecclesiasticis interdixerat Paulus, abrogatâ tamen excommunicationis poenâ.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

volentes, per nostras in simili formâ Brevis litteras[1] sub datum die septimâ maii pontificatus nostri anno II, motu proprio et ex certâ scientiâ nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, detestabilem huiusmodi abusum improbantes, ecclesiasticis quibuscumque personis, et praesertim sacerdotibus, ne quodvis illicitae negociationis genus quovis praetextu, causâ et occasione exercere auderent vel praesumerent, sub poenis a sacris canonibus et apostolicis constitutionibus contra illicitos negociatores inflictis per eos ipso facto incurrendis, expresse interdiximus et prohibuimus, et contra eosdem illicitos negociatores imposterum per easdem poenas cum omni rigore et severitate procedi voluimus, statuimus et ordinavimus, excommunicationis tantum poenam contra sacerdotes illarum partium illicitas negociationes exercentes, per quascumque provinciales aut synodales constitutiones praesertim in Synodo Limanâ editas quomodolibet impositam et inflictam ex tunc perpetuo abrogavimus et annullavimus, prout in dictis litteris, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, plenius continetur.

Nunc huiusmodi abrogationem suspendit.

§ 2. Nunc autem, iustis de causis animum nostrum moventibus, motu et scientiâ ac potestatis plenitudine similibus, abrogationem et annullationem excommunicationis poenae, per nos, ut supra, factas, ad nostrum et Sedis apostolicae beneplacitum suspendimus, ac suspensas esse decernimus et declaramus, ita ut interim excommunicationis poena sacerdotes praedictos illicitae negociationi vacantes, prout ante abrogationem et annullationionem praedictas, arctet et afficiat, ac synodales constitutiones praesertim synodi Limanae praedictae in suo robore permaneant, perinde ac si huiusmodi abrogatio et annullatio non emanassent[1], dictis tamen litteris in suo robore permansuris. Non obstantibus priori nostrâ voluntate, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Tusculi sub annulo Piscatoris die IX iunii MDCVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 9 iunii 1608, pontif. anno IV.

1 Quas vide supra pag. 4(5 (R. T.).

CV[2].

Facultas superioribus Religionum transmittendi religiosos in Indias Occidentales[3] per aliam viam, quam per Lusitaniam[4].

Paulus Papa V,

Universis et singulis praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sedis Apostolicae providentia circumspecta, quae ratione suadente aliquando decrevit, experientiâ deinde comperto mutatione indigere, nonnumquam immutat, prout re mature discussâ in Domino iudicat expedire.

Gregorius XIII prohibuit, quominus quis ad Chinam, Iaponiamve ad missiones exercendas proficisceretur sine licentia Sedis Apostolicae

§ 1. Aliâs siquidem felicis recordationis Gregorius Papa XIII praedecessor noster, certis tunc expressis causis adductus, per suas in simili formâ Brevis litteras sub datum die XXVIII ianuarii MDLXXXV, pontificatus sui anno XIII[5], omnibus pa-

1 Edit. Main. habet *emanasset* (R. T.).

2 Hanc Constitutionem iterum Cocquelinius edidit in sequenti volumine edit. Main. pag. 293 sub numero CCCXIV: nos semel edimus, nam secunda recensio Cocqueliniana nil habet diversi ab hac prima (R. T.).

3 Vel potius, uti postea dicemus, *Orientales* (R. T.)

4 Ex Regest. in Secret. Brev.

5 Hae litterae in *Bullario* non sunt (R. T.).

triarchis et episcopis, etiam provinciae Chinae et Iaponis, sub interdicti ecclesiastici et suspensionis ab ingressu ecclesiae et pontificalium exercitio, aliis vero sacerdotibus, clericis et ministris ecclesiasticis, tam saecularibus quam cuiusvis Ordinis regularibus, cuiuscumque status, gradus et conditionis existerent, sub excommunicationis maioris poenis ipso facto incurrendis, interdixit et inhibuit, ne ad easdem regiones et provincias Iaponicas, Evangelii praedicandi vel Doctrinam Christianam docendi aut sacramenta ministrandi aliave munia ecclesiastica obeundi causâ, sine suâ et Sedis Apostolicae expressâ licentiâ proficisci auderent.

Clemens VIII data superioribus regularibus missionarios illuc transmittendi facultate decrevit ab hisce missionariis per Lusitaniam tantum iter esse faciendum.

§ 2. Postmodum autem recolendae memoriae Clemens Papa VIII, similiter praedecessor noster, accepto, quod tam Chinae et Iaponum, quam aliae illis vicinae et adiacentes insulae, regiones et provinciae, ac finitima regna Indiae Occidentalis[1] amplissima et populis refertissima erant, et pro tantâ animarum multitudine ad fidem catholicam traducenda, et spiritualibus alimentis fovenda, plures operarii ac ministri necessarii erant, quam ex solâ religiosorum Societate Iesu haberi poterant, omnibus et singulis Mendicantium Ordinum magistris seu prioribus generalibus tunc et pro tempore existentibus indulsit, ut, cum necessitas postulasset, quoslibet Ordinis sui spectatae vitae et eruditionis religiosos, quos nimirum ad praedicta officia et ministeria idoneos et utiles fore in Domino iudicarent, per Lusitaniam dumtaxat et susceptâ inde navigatione, in Indias et civitatem Goanensem atque ad superiores Ordinum in illis partibus existentes transmittere, et tam ipsi sic transmittendi, quam alii superiorum Ordinum religiosi in eisdem Indiarum partibus existentes, et ad hoc munus obeundum a suis magistris, ministris vel prioribus generalibus seu aliis superioribus electi et approbati, tam ad Iaponicas praedictas, quam ad alias proximas et adiacentes, etiam Chinae et finitimorum regnorum et Terraefirmae Indiae Orientalis, insulas, regiones et provincias accedere possent. Caeterum omnibus et singulis religiosis cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis essent, sub excommunicationis maioris, a qua nonnisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo, absolvi possent, necnon privationis vocis tam activae quam passivae, ac dignitatum, administrationum et officiorum quorumcumque, necnon inhabilitatis ad illa et alia imposterum obtinenda ac exercenda, poenis ipso facto absque ullâ declaratione incurrendis, interdixit et prohibuit, ne ex insulis Philippinis nuncupatis, sive qualibet aliâ Indiarum Occidentalium, vel quae pro partibus Indiarum Occidentalium tunc habebantur, parte ad illas pertinente, ad[1] Iaponicas et alias illis proximas adiacentes et finitimas insulas, provincias et regiones praedictas (etiam quorumcumque privilegiorum eis vel suis Ordinibus a dicto Clemente et Romanis Pontificibus praedecessoribus suis sub quibuscumque tenoribus et formis, in genere vel in specie, etiam super facultate praedicandi verbum Dei per universum mundum, eàtenus concessorum, seu imposterum etiam concedendorum, approbandorum et innovandorum, nisi in illis de prohibitione huiusmodi et interdicto specialis, specifica et expressa mentio cum sufficienti derogatione fieret, aut quovis alio praetextu et quaesito colore) proficisci et transire auderent vel praesumerent, et si qui eàtenus vel imposterum secus facerent, postquam moniti essent, statim sub eisdem poenis, omni

1 Videretur potius legendum *Orientalis* (R. T.).

1 Edit. Main. inepte legit *et* (R. T.).

morâ et excusatione cessante, ad dictas Insulas Philippinas vel alias partes Indiarum Occidentalium reverti et redire omnino tenerentur, et ad id per quoscumque iudices ecclesiasticos sub eisdem et aliis eorum arbitrio infligendis poenis cogi et compelli possent: prout in dictis Gregorii ac praedictis Clementis praedecessorum desuper etiam in formâ Brevis sub datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XII decembris MDC, pontificatus sui anno IX, confectis litteris plenius continetur [1].

Paulus concedit iter per aliam viam sibi benevisa faciant.

§ 3. Cum autem, sicut ex insinuatione carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici accepimus, experientiâ compertum sit, quod prohibitio accedendi ad Indias et civitatem Goanensem aliàs quam per Lusitaniam, nec qui sperabatur ex eo fructum protulit, neque Catholicae Fidei propagationis negocio utilis fuit; nos pastoralis officii nostri debito, ut tantum opus Dei, omni sublato impedimento, libere peragi possit, quantum humilitati nostrae ex alto conceditur, providere volentes, dictarumque litterarum Gregorii et Clementis praedecessorum tenores praesentibus pro expressis habentes, omnibus et singulis Mendicantium Ordinum magistris, ministris seu prioribus generalibus, aut aliis quocumque nomine nuncupatis Ordinum capitibus nunc et pro tempore existentibus, ut, cum necessitas postulaverit, quoslibet Ordinis sui spectatae vitae et eruditionis religiosos, quos nimirum ad praedicta officia et munia idoneos et utiles fore in Domino iudicaverint, ad superiores Ordinum in illis partibus existentes, etiam per aliam viam quam per Lusitaniam, in Iaponicas et alias illis proximas adiacentes et finitimas insulas, provincias et regiones praedictas, servatâ in reliquis dictarum litterarum Clementis praedecessoris formâ in omnibus et per omnia, et non aliàs, transmittere libere et licite valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus interdicto et prohibitionibus, ac litteris dictorum praedecessorum, aliisque praemissis, nec non apostolicis, ac in [1] synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, nec non praedictae Societatis Iesu, aliarumque Religionum provinciarum et regionum praedictarum, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis, illis eorumque praelatis, superioribus et personis, etiam particularibus sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus (etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset) tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, hac vice specialiter et expresse, in quantum nostris prohibitioni et interdicto aliisque praemissis adversentur, harum serie derogamus, ac derogatum esse et censeri, neque illa eis

1 Quas vide in tom. X pag. 631 (R. T.).

1 Praep. *in* nos addidimus (R. T.).

ullatenus suffragari, volumus et declaramus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem addit.

§ 5. Et quia difficile foret, praesentes litteras, ubicumque usus venerit, ostendi et publicari, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici, vel alicuius dictarum Religionum secretarii subscriptis, et personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae vel cuiusvis ex generalibus praedictis sigillo munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die II iunii MDCVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 2 iunii 1608, pontif. an. IV.

CVI.

Ampliatio privilegiorum Militiae sancti Stephani circa annuas pensiones ecclesiasticas, habitumque a Militibus deferendum[1].

Paulus Episcopus
Servus Servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam

Exordium.

Dum generosa militum Militiae sancti Stephani Papae et Martyris, sub felici religiosissimi principis Ferdinandi magni Hetruriae sibi subiectae ducis et dictae Militiae magistri auspicio, gubernio, et directione plurimum progredientis, gesta, laudabilesque et gloriosas contra nefarios Turcarum ausus reportatas victorias animo perpendimus; dignum, quin potius debitum arbitramur, ut eosdem milites, utpote Domini nostri Iesu Christi athletas acerrimos, peculiari beneficientiae nostrae largitate prosequamur, eorumque commodis et congruae substentationi opportune consulamus, ut ipsi exinde ad maiora ab ipsorum Turcarum copiis trophaea reportanda alacriores reddantur et promptiores.

Pius IV immunitates et exemptiones a decimis et alias gratias et signanter facultatem retinendi et transferendi annuas pensionis ducatorum ducentorum militibus omnibus sancti Stephani concessit.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Pius Papa IV praedecessor noster (post erectionem et institutionem dictae Militiae sub regulâ sancti Benedicti, per clarae memoriae Cosmum tunc Florentiae et Senarum ducem in ducatu Florentiae, de licentiâ Sedis Apostolicae ipsi Cosmo duci per litteras eiusdem Pii praedecessoris attributâ, antea factam) eidem Cosmo duci magno magistro, nec non conventui, militibus, priori, caeterisque ministris ecclesiae dicti conventus et aliis personis, etiam in sacris, etiam presbyteratus ordinibus constitutis, etiam quaecumque, quotcumque, et qualiacumque, cum curà et sine curà, beneficia ecclesiastica obtinentibus, eorumque beneficiis, praeceptoriis, sive commendis, rebus et bonis, diversas exemptiones, etiam a iurisdictione Ordinariorum, libertates, immunitates, etiam a contributione decimarum et onerum, indulta, privilegia, facultates, indulgentias, gratias spirituales et temporales benigne concessit, et elargitus fuit, atque inter caetera indulsit omnibus et singulis dictae Militiae militibus, etiam coniugatis, ac etiam bigamis, aliisque praedictis, ut singuli singulas pensiones annuas, usque ad summam ducentorum ducatorum auri de Camerâ, super quorumvis cathedralium, et metropolitanarum, aliarumque ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, canonicatuum et praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum

1 De institutione totoque statu huius Militiae, vide in Constit. LXX Pii IV *His quae* in h. n. edit. LV in tom. VII pag. 158.

curâ et sine curâ, saecularium et quorumvis Ordinum regularium, fructibus, proventibus, iuribus, obventionibus, et emolumentis, aliàs sibi canonice reservandas, cumulative cum quibusvis aliis pensionibus annuis, quas illos ex quovis alio privilegio apostolico pro tempore percipere contingeret, ad vitam percipere, exigere et levare, ac in suos usus et utilitatem convertere, libere et licite valerent, prout in eiusdem Pii IV praedecessoris binis litteris, prioribus nimirum sub kalendis februarii, posterioribus vero sub nonis iulii datum[1] pontificatus sui anno tertio confectis, plenius continetur.

Pius V indultum obtinendi pensiones militibus istis abstulit et obtentas per contractum matrimonii vacare decrevit in constitutione *Sacrosanctum*.

§ 2. Successive vero piae memoriae Pius Papa V, etiam praedecessor noster, per suam quae incipit: *Sacrosanctum*, desuper editam constitutionem[2], revocavit et abolevit omnia et quaecumque privilegia, facultates, dispensationes et indulta percipiendi similes pensiones, fructus et alias res ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum, saecularium et regularium, dicti sancti Stephani caeterisque Militiis et hospitalibus, eorumque militibus, fratribus et personis tam clericis quam coniugatis, quibusvis modo et formâ ac quibuscumque de causis concessa et approbata, ita quod ipsi sive coniugati, sive bigami, sive clerici, sive etiam presbyteri, nullas de caetero reciperent, sed eas solas, quas tunc habebant, retinerent, et eae quoque per futurum contractum matrimonii extinctae censerentur, prout in eâdem constitutione latius continetur.

Sixtus V Bullam Pii V quoad istos milites revocavit in Constitutione CLXXII, tom. IX pag. 490, *Circumspecta*.

§ 3. Postmodum recolendae memoriae Sixtus Papa V, similiter praedecessor noster, considerans suis potissimum temporibus huiusmodi milites, pro Dei et christiani nominis gloriâ et fidei catholicae defensione, non solum saepius in diversis expeditionibus contra, etc. *Omittitur residuum, quia tota Bulla legitur loco hic in margine indicato.*

Paulus ex causis, quae hic recensentur,

§ 4. Cum autem, sicut nobis innotescit, dicta Militia, sub felicibus ipsius Ferdinandi magni ducis auspiciis, fortium et strenuorum militum, triremiumque et aliorum navigiorum bellicis et nauticis apparatibus optime instructorum numero copioso aucta, ipsique illius milites, piratarum infidelium oras Tyrrheni[1] maris passim infestantium excursionibus et depraedationibus armatâ classe obsistentes, non solum Italiam ipsam pluries ab incursionum huiusmodi damnis et incommodis, magno eius bono, egregiâ animi fortitudine tutati sint, sed etiam in ipsorummet infidelium dominia et regiones magnis ausis summo cum vitae fortunarumque discrimine irrumpentes, graves eis clades, oppidorum expugnationes et direptiones intulerint, ac partis non semel de illis insignibus victoriis eorumdem audaciam represserint, vires fregerint, impios conatus contuderint, ac perinde se se magnâ sui gloriâ et nominis Christiani commendatione formidabiles eis reddiderint hisce; et aliis rebus praeclare gestis cum de ipsâ Italiâ atque adeo totâ republicâ christianâ optime meriti et apud etiam exteras nationes inclytam magnanimitatis reique militaris peritiae famam adepti sint; ipsaque Militia, tum dicti Ferdinandi magni ducis, qui maiorum suorum vestigiis insistens in hoc eius eminentiori animi studio et curâ incumbit, praestanti virtute et potentiâ, tum etiam propriorum militum fortitudine eximiâ, clarior et illustrior in dies evadat; et quemadmodum hucusque reipublicae christianae adversus infidelium incursiones magno propugnaculo fuit, ita etiam de caetero in expeditionibus contra eosdem

1 Quae leguntur in *Bull.* tom. cit. p. 161 (R. T.).
2 Quam vide ibid. pag. 709 (R. T.).

1 Edit. Main. legit *Tyrrenique* (R. T.).

infideles pro fidei catholicae defensione pari vel maiori adiumento esse possit:

Gratias et facultates a Pio IV et Sixto V percipiendi pensiones militibus tam laicis quam clericis, tam coniugatis quam bigamis, concessas restituit et ad summam ducatorum quadringentorum extendit, etiam ad favorem illegitimorum.

§ 5. Nos idcirco, eam magis in dies florere ac novis incrementis augeri desiderantes, illiusque milites pro insigni eorum virtute, ac in nos et Sedem Apostolicam devotâ propensione, speciali aliquâ apostolicâ beneficentiae gratiâ cohonestare volentes, omniumque et singularum litterarum et constitutionum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, necnon dictum Ferdinandum magnum ducem, ac conventus huiusmodi singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, dicti Ferdinandi magni ducis nobis desuper porrectis supplicationibus inclinati, facultatem et indultum percipiendi et exigendi pensiones annuas usque ad summam ducentorum ducatorum auri de Camerâ huiusmodi militibus praedictis, tam laicis quam clericis, etiam coniugatis, etiam bigamis, aliisque etiam presbyteris per Pium IV concessa, et per Pium V revocata, deindeque per Sixtum V praedecessores praedictos adversus ipsam revocationem in integrum restituta, reposita et revalidata, ac de novo etiam concessa, ut praefertur, ac singulas eorum Pii IV et Sixti V praedecessorum desuper confectas litteras, usque ad summam quadringentorum ducatorum auri de Camerâ huiusmodi in totum [ita quod omnes et singuli milites dictae Militiae, nunc et pro tempore existentes, tam laici quam clerici, etiam coniugati et bigami, aliique, etiam presbyteri, etiam illegitimi ex quovis reprobato vel damnato coitu procreati, deinceps in perpetuum quascumque pensiones annuas, usque ad summam praefatam quadringentorum ducatorum auri de Camerâ, super quibusvis cathedralium et metropolitanarum, aut aliarum ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, canonicatuum, praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, officiorum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, saecularium et quorumvis Ordinum regularium huiusmodi fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis, ac distributionibus etiam quotidianis, aliâs eis canonice reservandas, etiam cumulative cum quibusvis aliis pensionibus annuis (quas ex quovis alio privilegio, seu indulto, aut dispensatione apostolicâ eis in genere, vel communiter, seu eorum cuilibet nominatim et singillatim, etiam in unâ non factâ mentione de aliâ vel aliis, ante et post datam praesentium quandocumque concessa aut concedenda[1] usque ad quamcumque summam dictis quadringentis ducatis longe maiorem de praesenti percipiunt et pro tempore percipient) ad vitam retinere, percipere, exigere, levare, et recuperare, inque suos usus et utilitatem convertere; libere et licite valeant et ex iis, tam laici quam clerici, coniugati et non coniugati, ratione pensionum[2] huiusmodi, quas sic pro tempore perceperint, ad incedendum in habitu et tonsurâ clericali, deferendumque vestes talares iuxta praefatam Sixti praedecessoris constitutionem[3] minime teneantur, neque ad id obligati existant, aut aliquâ ratione cogi aut compelli possint; neque ipsarum pensionum, vel, illarum loco, fructuum, reddituum et proventuum huiusmodi reservationes, ob non delationem habitus, tonsurae aut vestis huiusmodi,

1 Potius lege: *concessas aut concedendas* (R. T).
2 Edit. Main. legit *pensionis... quas* (R. T.).
3 Cuius lege § 8 (R. T.).

seu per contractum matrimonii, seu per bigamiam quamcumque, etiam supervenientem, aut per exercitium militiae, et quoscumque actus bellicos clericis et ecclesiasticis personis de iure et per sacros canones prohibitos, nimirum militares (et[1] sanguinis effusione, membrorum mutilatione et morte infidelium subsequutâ), minime cessent et expirent, aut cassatae vel extinctae dici aut censeri possint; sed ipsi milites nihilominus, ut prius, pensiones ac fructus, redditus et proventus huiusmodi percipere et exigere possint et valeant; et[2], dummodo habitum militarem (vestes nimirum laicales communes cum insignibus crucis dictae Militiae consuetis, iuxta alias dicti Sixti V praedecessoris super declaratione huiusmodi habitus militaris, sub datum videlicet pridie kalendas februarii pontificatus sui anno IV, quae incipiunt: *Pastoralis*, editas litteras[3] deferant, utique constitutioni[4] eiusdem Sixti V praedecessoris plene satisfacere intelligantur et censeantur] auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, extendimus et ampliamus, et, quatenus opus sit, usque ad dictam summam quadringentorum ducatorum huiusmodi de novo concedimus.

Clausulas praeservativas apponit.

§. 6. Decernentes facultatem et indultum huiusmodi, et litteras Pii IV et Sixti V praedecessorum eorumdem desuper editas, ex nunc perpetuo extensas et ampliatas esse et fore; nec praemissa ac praesentes litteras de subreptionis, obreptionis et nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quovis alio defectu, notari, impugnari, invalidari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illas quodcumque iuris, gratiae, vel facti remedium impetrari, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concedi posse, aut debere, neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum suspensionibus, revocationibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus a nobis et successoribus nostris, ac Sede Apostolicâ, quavis de causâ, quantumvis iustâ, pro tempore emanatis et emanandis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ, per dictum Ferdinandum magnum ducem et magistrum, et milites dictae militiae pro tempore existentes, quandocumque eligendâ, concessas esse et censeri; sicque per quoscumque iudices, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) ubique iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputat.

§ 7. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Florentino et Pisano archiepiscopis, ac dilecto filio causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Ferdinandi magni ducis, ac conventus et militum praedictorum, seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ eos et eorum quemlibet

1 Nempe *etiam*, ut legitur tom. IX p. 193 *b* (R. T.).
2 Particulam *et* nos addimus ex cit. loco parallelo (R. T.).
3 Quas vide in tom. IX pag. 69 (R. T.).
4 Nempe Constit. CXII. ibid. pag. 66 (R. T.).

eisdem praesentibus et in eis contentis quibuscumque pacifice frui et gaudere: non permittentes eos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari; contradictores per censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio quorumcumque contrariorum.

§ 8. Non obstantibus recolendae memoriae Bonifacii papae VIII pariter praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo non ultra tres dietas aliquis vigore praesentium ad iudicium trahatur, necnon Pictaviensis concilii contra illegitimos, ac dicti Pii V praedecessoris revocatoriâ, ac illâ quae[1] inter alia vetuit[2], gratias huiusmodi suis excludi temporibus, et, quod sibi licere non est passus, etiam suis successoribus non licere iudicavit[3], nec non praefatis Sixti V praedecessoris, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac in conciliis etiam generalibus editis, et quarumcumque ecclesiarum, monasteriorum et Ordinum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis, monasteriis et Ordinibus, eorumque praesulibus, capitulis, conventibus, superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, ac aliis quae praesenti gratiae obesse possent (etiamsi pro illarum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret), tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse plenissime derogamus, ac derogatum esse volumus et decernimus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter aut divisim, ab eàdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo, etc.

Datum Romae apud sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo octavo, XIV kalendas iunii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 18 iunii 1608, an. pontif. IV.

1 Forsan legendum *qua* (R. T.).

2 Ex § 9 cit. Constit. Pii V lege *voluit*, et paulo post *explodi* pro *excludi* (R. T.).

3 Ex cit. § Pii V legerem *indicavit* (R. T.).

CVII.

Quod rectores ecclesiarum parochialium Indiarum Occidentalium et Orientalium, ab iis qui in ecclesiis et domibus fratrum et monialium Ordinis sancti Francisci de Observantiâ sepeliuntur, eam tantum quaerant eleemosynam, quae a Concilio Tridentino praescripta et a Pio V explicata fuit[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Rectores ecclesiarum parochialium Indiarum introduxerunt abusus quosdam circa eleemosynas eorum, qui in domibus fratrum

§ 1. Expositum nobis nuper fuit pro parte dilecti filii Matthaei de Recalde vicecommissarii generalis Indiarum Occidentalium Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ, quod recto-

1 Vide aliam similem huic Constit. in favorem fratrum S. Augustini supra pag. 196 (R. T.).

et monialium de Observantiâ sepeliebantur;

res parochialium ecclesiarum Indiarum Occidentalium et Orientalium, ne christifidelium, qui pro tempore ab humanis decedunt, cadavera ita commode in ecclesiis fratrum et monialium dicti Ordinis ecclesiasticae sepulturae tradi valeant, ut in eorum parochialibus ecclesiis valerent, de consilio forsan suorum superiorum abusum introduxerunt, ut maiorem scilicet eleemosynam ab illis exigant, qui in ecclesiis dicti Ordinis sepeliuntur, quam si in propriis ecclesiis sepelirentur, ita ut christifideles, qui in ecclesiis huiusmodi sepeliri desiderant, parem ad minus parochialibus ecclesiis eleemosynam relinquere debeant, ratione eorum sepulturae, ei[1], quam ecclesiis Ordinis huiusmodi relinquunt.

Et quoad eleemosynam missarum quas pro anima sua a dictis fratribus dicendas quis relinquebat;

§ 2. Et quod peius est, si quis pro animae suae refrigerio nonnullas missas a fratribus praedicti Ordinis celebrandas reliquerit, praetendunt parochi eleemosynam ratione missarum huiusmodi relictam inter ipsos et fratres praedictos dividendam esse.

Necnon quoad cogendos aliquos, ut in dictis ecclesiis parochialibus sepelirentur.

§ 3. Et ulterius iidem rectores (de mandato forsan suorum Ordinariorum) filios (quorum patres in ecclesiis dictorum fratrum vel monialium sepulti sunt, aut sepulturam particularem pro se et suis habent) nullâ consuetudine legitime suffulti in eorum parochialibus ecclesiis sepeliri, et dictos patres ad hoc, ut dictis parochialibus ecclesiis sepeliantur, cogere et compellere contendunt, et quotquot fratres regulares defunctum aliquem ad ecclesiasticam sepulturam in suas regulares ecclesias comitantur, tot etiam saeculares sacerdotes, aut clericos assumi volunt, in maximum domorum et monasteriorum dicti Ordinis praeiudicium, eo quod multi, duplicis huiusmodi funerum impensae difficultate deterriti, in dictis regularibus ecclesiis sepulturam eligere nequeunt; unde fit, ut dicti Ordinis ecclesias mortuorum sepulturis, et consequenter eleemosynis, etiam quae in suffragium animarum fieri consueverunt, paulatim destitutas iri verendum sit.

Supplicatum itaque fuit Papae pro opportuna provisione.

§. 4. Quare dictus Matthaeus nobis humiliter supplicari fecit, ut domorum et monasteriorum, necnon fratrum et monialium dicti Ordinis illarum partium indemnitati consulere, ac aliàs in praemissis opportùne providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Qui dictis rectoribus praecipit, ut solum eam petant eleemosynam quam praescripsit Concilium Tridentinum, sess. xxv cap. III, et explicavit Pius V.

§ 5. Nos igitur huiusmodi abusus e medio tollere, ac dicti Ordinis eiusque religiosorum utriusque sexus, ut maiores in vineâ Domini fructus in dies afferre studeant, commoditatibus, quantum cum Domino possumus, prospicere cupientes, de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consultationibus et negotiis episcoporum et regularium praepositorum, omnibus et singulis parochialium ecclesiarum in partibus Indiarum, tam Occidentalium quam Orientalium, rectoribus, nunc et pro tempore existentibus, harum serie interdicimus et prohibemus, ne, sub excommunicationis maioris latae sententiae poenâ, a quâ nonnisi a nobis, seu a Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint, ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus maiorem eleemosynam ab iis, qui in dictarum domorum utriusque sexus Ordinis sancti Francisci ecclesiis sepulturam eligunt et sepeliuntur, eâ quam illis praescribit Concilium Tridentinum sess. xxv, cap. XIII (iuxta explicationem a felicis recordationis Pio Papa V praedecessore nostro emanatam sub datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDLXVII decimoseptimo kalendas iunii, pontificatus sui anno II[1]) quovis

1 Edit. Main. legit *ea*; aliqua emendatio requirebatur (R. T.).

1 Quam vide in tom. VII pag. 573 (R. T.).

praetextu aut occasione, etiam de consilio, consensu et mandato suorum Ordinariorum, exigere;

Nec ad sepeliendum in parochialibus cogere posse, qui in domibus dicti Ordinis sepulturam elegerunt.

§ 6. Nec filios, quorum patres in ecclesiis dictorum fratrum et monialium sepulti sunt, aut sepulturam particularem pro se et suis habent, in eorum parochialibus ecclesiis sepeliri, et dictos patres ad hoc, ut in dictis parochialibus sepeliantur, cogere valeant seu praesumant.

Exequutores huius constitutionis deputat.

§ 7. Quocirca dilectis filiis curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, ac Indiarum Occidentalium et Orientalium Societatis Iesu provincialibus pro tempore existentibus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte superiorum et fratrum cuiuscumque domus et monasterii dicti Ordinis illarum partium fuerint requisiti, vel eorum aliquis fuerit requisitus, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostrâ, illorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere: non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari; contradictores quoscumque et praemissis non parentes, eisque auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quomodolibet praestantes, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione posposità, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariisque derogat.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiarum domorum et monasteriorum, et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis, quibusvis ecclesiis, ac illarum rectoribus, aut quibuscumque aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et approbatis: quibus omnibus et singulis, eorum tenores, praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptisque credi mandat.

§ 9. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici suscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXV iunii MDCVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 25 iunii 1608, pontif. an. IV.

CVIII.

De Ambitu fratribus Eremitis Ordinis sancti Augustini interdicto[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Admonemur pastoralis officii nostri debito diligentius prospicere, ne religiosis, qui regularem vitam professi saeculo renunciarunt, ad dignitates et officia per emendicata suffragia ambitiosus pateat accessus[2].

Ambitus prohibetur praelatis huius Ordinis.

§ 1. Quocirca motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicae pote-

1 Alia de his fratribus vide in Alexandro IV Constit. XXIX *Licet* tom. III pag. 636.

2 De hac ipsa re vide Constit. Clem. VIII supra pag. 136 huius voluminis.

statis plenitudine, dilectis filiis priori generali, ac provincialibus, et reliquis Ordinis sancti Augustini fratrum Eremitarum praelatis, nunc, et pro tempore existentibus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis poenâ ipso facto incurrendâ, praecipimus et mandamus, ne ad instantiam et requisitionem quarumcumque personarum, tam laicarum quam ecclesiasticarum extra dictum Ordinem constitutarum, etiam cardinalatus honore, et quacumque saeculari dignitate et excellentiâ, etiam ducali, regali, et imperiali fulgentium, cuivis dicti Ordinis religioso ullam gratiam concedere, vel poenas aliquas remittere, seu gradus, honores, dignitates, officia, et administrationes, functiones, et praelaturas eiusdem Ordinis concedere audeant.

Favores exquirentium poena.

§ 2. Quinimo dicti Ordinis fratres et religiosos, qui, contra decreta, hac viâ et his mediis per conquisitos favores et suffragia aliquid sibi procuraverint, ad talia et similia ac etiam maiora in eodem Ordine consequenda perpetuo inhabiles declaramus.

Prohibitionis ampliatio.

§ 3. Insuper dictis religiosis et fratribus eiusdem Ordinis quibuscumque sub eisdem poenis praecipimus, et expresse interdicimus, ut nôn solum in praemissis omnibus favores huiusmodi minime procurare, sed nec etiam sponte oblatos aut ab eis minime procuratos recipere, et similiter ne ad hunc effectum munera aliqua praedictis personis exhibere audeant seu praesumant.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique Ordinis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, caeterisque contrariis quibuscumque: aut si eidem Ordini, et fratribus praedictis, communiter aut divisim, ab apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris die IV iulii MDCVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 4 iulii 1608, pontif. an. IV.

CIX.

Confirmatur erectio collegii doctorum, et bibliothecae Ambrosianae, necnon sex cappellaniarum per cardinalem Fridericum Borromaeum in ecclesiâ metropolitanâ Mediolanensi erectarum; tituli que nonnulli doctoribus praedictis conceduntur[1].

Paulus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Creditam nobis militantis Ecclesiae providentiam[2], coadiuvante Domino, utiliter exequi cupientes, ac etiam animo contemplantes suavissimos atque uberes fructus, quos viri litterarum scientiâ praediti in agro Domini in dies producunt, ea, quae pro collegiorum selectu, eruditorum virorum huiusmodi, et bibliothecarum ad publicum commodum et utilitatem propagatione, cum divini cultus

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Conferenda est cum istâ etiam alia Pauli V Constit. XXX, quam supra habes pag. 279 huius volum. (R. T.).

incremento provide facta fuisse dicuntur, ut perpetuo firma et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, et praesertim venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium vota id exposcunt, apostolico praesidio communimus, ipsosque collegiales honoris et famae amplioribus praeconiis ac praeclaris dignitatum titulis decoramus et ornamus, prout, locorum, temporum, et personarum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Fridericus Borromaeus collegium et bibliothecam Ambrosianam fundaverat.

§ 1. Sane dilectus filius noster Fridericus tituli sanctae Mariae Angelorum in Termis presbyter cardinalis Borromaeus nuncupatus, ac ecclesiae Mediolanensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesul, nobis exponi fecit, quod cum aliâs dictus Fridericus cardinalis (singulari Dei munere, et beatae memoriae Caroli, olim tituli sanctae Praxedis presbyteri cardinalis etiam Borromaei nuncupati, ac ex concessione et dispensatione similibus dictae ecclesiae praesulis, pastorali curâ et vigilantiâ) civitatem Mediolanensem ad iuventutem in optimarum artium studiis erudiendam, necnon ecclesiasticâ disciplinâ bonisque moribus imbuendam, multis collegiis instructam et nobilitatam (tanto cum progressu, ut inde prodiissent, et in dies prodirent quamplures sacrae theologiae philosophiaeque ac iurisprudentiae in publicis eisque celebrioribus academiis creati doctores cum magnâ clericalis ordinis utilitate et laude) invenisset; animadvertens tamen, in ipsâ civitate nullum adhuc collegium ecclesiasticum erectum esse, ad eum finem instructum, ut in eo, velut in palaestrâ quadam, post exactum studiorum cursum paratamque rerum plurimarum notitiam, aliqui[1] se exercentes, catholicae Fidei veritatem adversus impios haereticorum conatus scriptis et lucubrationibus aliquando tueri possent et tuerentur, aliasque scientias et facultates, quas profiterentur, suis in publicum emissis operibus illustrarent, remque litterariam iuvarent, et certis aliis de causis adductus, iamdiu in opportuno dictae civitatis loco unum perpetuum collegium ecclesiasticum doctorum bibliothecae Ambrosianae, certorum et designatorum virorum, tum in sacrâ theologiâ tum in aliis facultatibus insigniter eruditorum, qui supradicta, prout infrascripta, praestare valerent, cum dote competenti, et sub legibus, regulis et ordinibus per ipsum Fridericum cardinalem et praesulem, etiam ex auctoritate apostolicâ praescribendis, erigere et fundare, ibidemque amplam et locupletem bibliothecam, omnium librorum copiâ refertam, parare in animo suo destinasset, et constituisset; praeterea super annos tres (re prius communicatâ cum dilectis filiis praeposito et sacerdotibus Congregationis Oblatorum sancti Ambrosii in aedibus sancti Sepulchri Mediolanensis per eumdem Carolum cardinalem et praesulem institutae residentibus) in certis situ et loco eiusdem Congregationis prope ecclesiam eiusdem sancti Sepulchri ac aedes residentiales ipsius Congregationis existentibus, et per Fridericum cardinalem de propriis suis pecuniis nuper emptis, extruere et fabricare aggressus fuerit, aedificarique curaverit amplum locum, et seu aulam magnam, et sedimen eidem aulae coniunctum, cum multis locis subterraneis, terraneis, et superioribus ad usum praecipuum dictorum collegii et bibliothecae, utilitatemque publicam, servatâ formâ typi ac delineationis de architectorum et ecclesiasticorum virorum, in utroque iure et in sacrâ paginâ laureatorum, scientiâ comprobatâ, deiectis ac penitus destructis antiquis

[1] Hanc vocem *aliqui* addendam censuimus ex loco parallelo alterius Constit. antea cit. (R. T.).

domibus fere vetustate consumptis et iam ruinosis, quae intra situs et loca praedicta aderant, extruere, et fabricare aggressus fuit[1], ipsamque fabricam postmodum propriâ, et centum ac quatuor mille ac noningentarum librarum imperialium monetae illarum partium, et ultra, impensâ (ut ipsius operis structura satis per se indicat, et ex codicibus mensae archiepiscopalis Mediolanensis iuxta earumdem impensarum notam clare perspicitur)[2]; et tamen pro earum fabricatione persolvendâ, suisque numeris absolvendâ, alii non exigui remaneant faciendi sumptus, quos libenter facere intendit: pro bibliothecâ vero, tam ad dicti collegii ecclesiastici doctorum quam etiam publicum usum, instruendâ, paravit ingentem numerum et copiam sacrorum aliorum librorum, tam antiquorum quam recentiorum, et manuscriptorum codicum a se diligenter undique conquisitorum, sumptuque non modico comparatorum; nec quotidie alios libros, quotquot haberi possunt, diversarum scientiarum, magnâ diligentiâ perquirendos et coëmendos ad ipsam bibliothecam magis cohonestandam et locupletendam, curare desistit.

Hanc erectionem confirmaverat Paulus, eique nonnullas univerat Collegii Ticinensis proprietates pro scholarium et doctorum sustentatione.

§ 2. Cum autem collegio doctorum et bibliothecae huiusmodi de competenti aliquâ dote providendum esset, et, pro parte eiusdem Friderici cardinalis et praesulis, nobis erronee tum expositum fuisset, ipsum Fridericum cardinalem in aedibus eiusdem Congregationis unam scholam Ambrosianam cum bibliothecâ huiusmodi erexisse et instituisse, aliaque multa tunc inibi expressa perfecisse; nosque, dicti Friderici cardinalis et praesulis supplicationibus inclinati, erectionem, institutionem, aliaque praetensa facta, etiam modo et formâ tunc expressa, apostolicâ auctoritate approbari, confirmari, omnesque et singulos iuris et facti defectus suppleri, necnon (pro ipsarum scholae et bibliothecae dote, ac illarum doctorum, aliarumque personarum sustentatione et manutentione, onerumque illis incumbentium supportatione) a collegio Borromaeo nuncupato, in civitate Ticinensi auctoritate apostolicâ erecto, tot proprietates, census, et alia bona stabilia ex beneficiis ecclesiasticis illi dictâ auctoritate apostolicâ unitis[1], quae, detractis infrascriptis, ad manutentionem illius alumnorum et personarum sufficerent, per dictum Fridericum cardinalem et praesulem discernenda et specificanda, quorum annuus valor ad mille scuta, ad rationem sex librarum monetae pro quolibet scuto huiusmodi, iudicio dicti Friderici cardinalis et praesulis ascenderet, perpetuo dismembrari et separari, illaque sic separata et dismembrata eisdem scholae et bibliothecae per alias nostras litteras, sub certis modo et formâ tunc expressis, applicari et approbari mandassemus;

Dictoque Friderico statuta condendi facultatem dederat.

§ 3. Necnon, pro dictarum scholae et bibliothecae felici successu et regimine, eidem Friderico cardinali et praesuli, ut quaecumque statuta et ordinationes (licita tamen et honesta, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis non repugnantia) facere, ac pro rerum, temporum et personarum qualitate cassare, mutare et alia de novo edere libere et licite valeret, eâdem apostolicâ auctori-

1 Vel haec verba *extruere et fabricare aggressus fuit*, vel superiora *extruere et fabricare aggressus fuerit aedificarique curaverit* nobis viderentur abundare; sed ad absolutionem syntaxis in sequentibus aliquid deest, nec satis constat ubi desinat regimen particulae suspensivae *cum*, et ubi incipiat obiectum particulae *quod*, ab initio huius paragraphi positarum (R. T.).

2 Heic forsan addendum *ampliaverit* vel *ampliavit*, aut quid simile (R. T.).

1 Hinc colliges quod etiam in aliâ Constit. pag. 283 *a* lin. 5 ult. aptius lectum fuisset *unitis* quam *unita* (R. T.).

tate concessissemus et indulsissemus, prout in dictis litteris sub datum videlicet v kalendas martii, pontificatus nostri anno I, expeditis[1] plenius continetur;

Nonnulla tamen fuerant erronee enunciata.

§ 4. Et quia multa in dictis litteris per errorem enarrata, expressaque fuerant (praeter mentem eiusdem Friderici cardinalis et praesulis) et tamquam facta, uti erectio dicti collegii doctorum, institutio bibliothecae, librorum traditio, ac legum, regularum et ordinationum praescriptio, et alia forsan, quae revera non erant adhuc effecta, sed ipse Fridericus cardinalis et praesul in pluribus ea peragere destinaverat, seu potius in animo conceperat; et propterea, erroribus praedictis non circumspectis, nec earumdem litterarum tenore animadverso, illarum exequutionem, et ad[2] specificationem etiam bonorum dicti collegii Ticinensis, quae dismembrari et applicari exoptabat, decernendo, et illorum possessionem etiam per alium apprehendendo, procuraverat;

Quibus cum per eum provide fuerit consultum collegium doctorum instituit.

§ 5. Visis postmodum erroribus praedictis, ad magis firmandum stabiliendumque hoc suum institutum, immutatis etiam nonnullis ex assertis in eisdem litteris, uti antea cogitaverat reservare post obitum suum penes dictam Congregationem, ad publicum tamen et eumdem pium usum, proprietatem ac dominium ipsius bibliotechae, considerans, utilius fore dictae Congregationi habere pretium dictorum situs et locorum, quam nudam proprietatem ac dominium bibliothecae, cum iam illius usus, etiam ab ipso initio, fuerit destinatus, et nunc in perpetuum disponatur ad publicam omnium, non autem privatam cuiusque personae seu certae universitatis, utilitatem; nuper, sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito et assensu, emit ab eâdem Congregatione situm et loca huiusmodi, in quibus dicta fabricatio extructa conspicitur, necnon ad dictam bibliothecam ingentem librorum ab eo, ut supra, comparatorum copiam, prout[1] transferri curavit, et alios quamplures libros ex longinquis partibus advectos, in aedibus archiepiscopalibus existentes, transportari curabit; et deinde, fabricâ sic absolutâ, et bibliothecâ instructâ, ut praefertur, ad Dei Omnipotentis laudem, ac sub peculiari patrocinio beatae Mariae Virginis, necnon divi Ambrosii patroni auspicio, item eiusdem Caroli cardinalis et praesulis, in dictis locis, ut supra, emptis et extructis, novisque fabricationibus ampliatis et decoratis, unum perpetuum collegium ecclesiasticum doctorum, bibliothecae Ambrosianae nuncupatum (omnibus melioribus iure, viâ, et auctoritate, quibus potuit) erexit et instituit: cui quidem collegio sic erecto voluit esse adscriptos et cooptatos, iuxta electionem ab eo, quoad vixerit, faciendam, duodecim viros ecclesiasticos, quorum quatuor necessario semper sacrae theologiae addicti, reliqui vero aliis facultatibus bonisque artibus dediti essent, hisque adiunxit quatuor laicos liberalibus aeque disciplinis excultos ab eo pariter deligendos; post illius vero ab hac vitâ discessum, si quem ex praedicto doctorum collegio aut numero mori aut amoveri contigerit, voluit, ut reliqui ex eorum doctorum collegio superstites alium in demortui seu amoti locum, iuxta leges et regulas ab ipso Friderico cardinale praescribendas, perpetuo iure substituerent: in hoc autem doctorum collegium adscribendi, pro suo stipendio, seu potius honorario, haberent quisque proventus annuos pecuniarum sibi persolvendos ab inferius deputandis conservatoribus, modis et formis in dictis legibus edendis; scopum vero et mu-

1 Vide Constit. XXX supra citatam (R. T.).

2 Praepos. *ad* mihi videretur delenda (R. T.).

1 Vox *prout* vel delenda, vel postponenda (R. T.).

nus in praedictum doctorum collegium, ut supra, recipiendorum, illud praecipuum esse voluit et decrevit, ut, infra perfunctâ eorum quisquam facultate quam profitetur, aliquod semper ad publicam utilitatem in apertum proferret opus elaboratum ac excultum, aliaque peragerent, quae sancita reperientur in dictis legibus et regulis, ita ut semper constaret huiusce collegii fructus, ac illius progressus, tam in praedictâ civitate quam alibi, apparerent et elucescerent;

Eique bibliothecam addixit.

§ 6. Ac proinde, videns ad huiusmodi collegii ecclesiastici usum opus esse librorum copiâ, cum etiam illud appellaverit *collegium doctorum bibliothecae Ambrosianae*, in eisdem locis, ut supra, emptis, constructis et fabricatis, etiam erexit, instituit et fundavit bibliothecam, quam appellari voluit *Ambrosianam*: haec autem bibliothecae huiusmodi erectio censeretur et esset facta, prout eam fecit et facere declaravit, ex ordine qui requiritur, sive ante sive post erectionem dicti collegii doctorum, sive distinctim sive coniunctim, ac simul cum, et unico contextu haec peragerentur [1].

Leges pro huiusmodi bibliotheca tulit.

§ 7. Decrevit quoque, hanc bibliothecam sic erectam censeri et esse dispositam, prout disposuit et ordinavit, nedum ad privatorum eorumdem doctorum collegii praedicti sed etiam omnium communem usum, atque in hoc et caeteris adamussim observari leges et regulas, ut superius et inferius proferendas, edixit; et huic bibliothecae sic instructae et erectae donavit antiquos codices manuscriptos, aliosque etiam sacros libros, ut praefertur, transportatos, et quos in futurum illuc transferri mandaret; voluitque libros omnes, qui in dictâ bibliothecâ tunc erant repositi, et ex nunc [2] reponerentur, tum ad privatum ipsorum collegii [1] usum, tum ad publicam utilitatem asservari, ut saepius praedixit, iuxta easdem leges; et proposuit, statuit, et promulgavit excommunicationis latae sententiae poenam, eo ipso et facto incurrendam, adversus omnes et singulos, qui praedictos libros, seu alios ibidem deponendos, vel aliquem eorum, vendere, commodare, aut quoquo modo distrahere, vel ex bibliothecâ ac eiusdem aedibus annexis efferre praesumerent, eorum absolutione soli Romano Pontifici reservatâ, confidens et hoc ipsum unâ cum aliis a nobis confirmatum iri: ut autem haec censura personam suam non includat, sibi reservavit, desuper aut infra, eorum librorum dominium, vitâ suâ durante, ita ut non comprehendat personas, quibus ipse facultatem extrahendi, et ad aliquod tempus utendi seu aptandi concesserit. Insuper voluit eidem bibliothecae semper debere praefigi eruditum virum e numero atque Ordine praedictorum Oblatorum; ipsumque etiam posse vivere in aedibus sancti Sepulchri declaravit, sibique, quoad viveret, electionem bibliothecarii dictae bibliothecae, qui stipendium et facultates, praerogativas, ac potestates haberet ad formam et modum praedictarum legum. Sancivit quoque, hunc pro tempore bibliothecarium, quatenus viveret seu vivere vellet in praedictis aedibus sancti Sepulchri, fore et esse exemptum et immunem ab omnibus institutis dictae Congregationis Oblatorum, praeterquam ab onere in dictâ ecclesiâ sancti Sepulchri missas celebrandi, et nihilominus eum frui et gaudere posse et debere omnibus privilegiis et praerogativis ac iuribus, quibus gaudent ac fruuntur caeteri Oblati residentes in dictis aedibus sancti Sepulchri et munera ex dictae Congregationis institutis obeuntes: ipsum au-

1 An aliquâ emendatione opus sit iudicet lector; fors. legend. *ac si simul cum eo* collegio), etc. (R. T.)

2 Aptius legeretur *ex tunc* (R. T.)

1 Forsan deest vox *doctorum* (R. T.)

tem bibliothecarium debere servare, quae in dictis legibus et regulis praescribentur. Quoniam vero frustra bibliothecam construxisset, atque omni librorum genere instruxisset, nisi etiam de eâ perpetuo conservandâ provisum foret, ne, vel varietate temporum, vel hominum improbitate, dissolvi eiusque ius ad quemvis alium transferri posset; idcirco prohibuit dealienationem tam librorum praedictorum, quam quorumcumque bonorum et iurium ad dictum collegium et bibliothecam quomodolibet spectantium et pertinentium, quia voluit, ea semper et perpetuo deservire ad publicam omnium utilitatem; interim vero proprietatem ac dominium, tam dictorum locorum per eum a praedictâ Congregatione emptorum et extructorum fabricisque adauctorum, quam dictae bibliothecae et collegii, illiusque bonorum, iurium, omniumque et singulorum librorum in eâdem bibliothecâ hactenus reconditorum et in futurum recondendorum, sibi, quamdiu vixerit, reservavit, salvis tamen manentibus in suo robore pactionibus inter eum et dictam Congregationem super emptione situs et locorum praedictorum initis. Ipsi autem bibliothecae dilectum filium Antonium Olgiatum, ex numero et Congregatione dictorum Oblatorum, praefecit, voluitque, ut ipse bibliothecarius de praedictis libris intra biennium indices per alphabetum conficeret, quorum alter nomina librorum omnium impressorum complecteretur, alter vero codices manuscriptos contineret, quorum indicum duo exempla exscriberentur, quae ipsius bibliothecarii et conservatorum manu firmata notario consignarentur (qui tamen notarius aliquod exinde exemplum nulli dare aut ostendere posset, praeterquam ipsis conservatoribus); stipendium autem, seu honorarium, pro bibliothecario statuendum, non curreret praedicto Antonio, nisi post obtentam praemissorum a nobis confirmationem, et doctorum electionem, et tunc a die, quam ipse Fridericus cardinalis et praesul declararet, et in dictis regulis contineretur.

Conservatores nonnullos deputavit.

§ 8. Praeterea, ut haec, quae ipse Fridericus cardinalis et praesul instituit, firma et perpetua essent, ad tuendum et conservandum, tum dictum collegium doctorum et bibliothecam, tum bona quae infrascriptis cappellaniis ac huiusmodi collegio et bibliothecae fuerant hactenus respective applicata et in futurum quomodolibet applicarentur, conflavit, deputavit et constituit Congregationem infrascriptorum virorum, qui *Conservatores* appellarentur, ex singulis infrascriptis Ordinibus civitatis Mediolanensis, ita, ut essent octo in numero, hoc modo, videlicet: in primis duos ex dilectis filiis capitulo canonicorum ordinariorum maioris ecclesiae Mediolanensis, ab ipso capitulo, duos alios ex reliquo clero urbano, ab ipso clero urbano respective eligendos; pro tempore existentem praepositum sancti Sepulchri; unum ex sexaginta decurionibus concilii generalis eiusdem civitatis, ab eodem collegio seligendum; unum ex collegio iurisperitorum, ab eodem collegio denominandum; et unum ex collegio physicorum, ab ipso etiam collegio eligendum adscripsit, ac perpetuis futuris temporibus adscriptos esse voluit; ita ut semper praedicti Ordines haberent ius eligendi dictos conservatores in perpetuum, iuxta numerum cuilibet Ordini respective assignatum, ac modis et formis, quibus supra et prout etiam in dictis legibus cavebitur. Archiepiscopum vero Mediolanensem pro tempore existentem (cui a dicti collegii doctoribus observantiam et obsequium praestari perpetuo voluit, et a quo hoc suum institutum adeo probatum iri confidebat, ut dicti collegii doctoribus ac bibliothecae con-

servatoribus numquam esset suo studio, auctoritate et gratiâ defuturus) ideo credidit huiusmodi curâ implicari non debere, quod illum aliis curis assidue premi intelligeret. Horum autem conservatorum munus esset, redditus et bona collegii et bibliothecae ac cappellaniarum infrascriptarum fideliter administrare, et erogare stipendia sive honoraria in eiusdem collegii et bibliothecae usum, iuxta formam in erectione dictarum cappellaniarum traditam et in dictis legibus praescribendam. Et quia dicti redditus sunt ex bonis ecclesiae, ab ecclesiasticis profecti, et aliàs in pios usus destinati, necnon collegium doctorum, cum bibliothecâ, illorum locis et bonis, est ecclesiasticum; voluit, ut iidem conservatores unum ecclesiasticum ex eorum corpore thesaurarium per suffragia secreta quotannis crearent, qui, post annum exactum, ipsimet congregationi conservatorum reposcenti, prout reposcere debeat, rationem bene gestae administrationis confestim redderet. Item, semel in mense, nisi saepius opus foret, simul in unum coacti, de rebus ad collegii doctorum, bibliothecae, et cappellaniarum huiusmodi, illorumque bonorum conservationem spectantibus inter se conferrent; his autem singulis annis, et crebrius si ita res expostularet, bibliothecam visitarent, indicemque seu indices librorum et libros ipsos inspicerent, et numerum diligentissime recognoscerent, darentque operam, ut bibliotheca nitida esset, atque omni genere sordium munda; et, si in hoc exequendo, quoad caput visitationis, per biennium negligentes forent, ad capitulum dictae maioris ecclesiae, et, eo negligente, ad praefectos fabricae ipsiusmet ecclesiae ius visitandi dictam bibliothecam, ipso facto et absque aliâ iudicis ecclesiastici declaratione, spectaret. Item conservatores praedicti in omnibus et per omnia ita se gererent, prout in legibus praedictis, et sub poenis in eis cautum esset. Ius autem indicendae congregationis inter ipsos conservatores, quae haberetur, prout haberi deberet, semper in loco dictae bibliothecae, perpetuo esset penes unum ex dictis canonicis ordinariis, videlicet digniorem[1], isque in omnibus semper praeesset ipsi congregationi, et, eo impedito, alter succederet, ambobus autem impeditis, dignior succederet in ordine ecclesiastico. Declaravit tamen ac decrevit, hoc munus et officium conservatorum tunc esse assumendum, inchoandum, et successive exercendum, postquam ipse Fridericus cardinalis et praesul praemissorum et aliorum infrascriptorum confirmationem a nobis impetrasset, ac leges et regulas praedictas edidisset.

Voluit quaeque bona collegii doctorum et bibliothecae esse bona pia et ecclesiastica.

§ 9. Insuper declaravit et ordinavit, quod huiusmodi collegium doctorum et bibliotheca eorumque bona et iura quaecumque, praesentia et futura, essent et censerentur omni tempore, prout revera erant et sunt, res, loca, bona et iura pia ac ecclesiastica, gauderentque et fruerentur privilegiis, iuribus et praerogativis, quibus gaudent et fruuntur aliae res ecclesiasticae.

Iudicemque causarum omnium, quae ex huiusmodi legum interpretatione oriri possent, Vicarium generalem archiepiscopi Mediolanensis esse voluit.

§ 10. Ad haec declaravit et statuit, quod, si et quoties super exequutione et interpretatione praemissorum vel alicuius eorum, necnon legum et regularum praedictarum, aliqua lis, controversia, vel differentia oriretur, in omnibus et per omnia iudicium pertineret ad pro tempore existentem vicarium archiepiscopi Mediolanensis in spiritualibus generalem, qui summatim, ac sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, omni appellatione prorsus remotâ, quamcumque controversiam dirimeret, salvâ semper potestate suâ dum viveret, et ubi ad

1 Hinc confirmatur et perficitur coniectura quam posuimus supra in notâ ad pag. 282 (R. T.).

alium iudicem, quam ecclesiasticum, facto ipso, conservatores dicti collegii doctorum, vel in eorum collegio locum habentium, quoquo modo lis et iudicium traheretur, seu aliàs devolveretur, tunc ipso facto illos iure administrationis, vel loci collegii praedicti, ex tunc privavit et privatos esse voluit.

Fundavit praeterea sex cappellanias ad altare Beatae Virginis de Arbore.

§ 11. Praeterea ob singularem, quam ad eamdem Virginem Mariam gerit devotionem, ad altare eiusdem beatae Mariae de *Arbore* nuncupatae in aquilonari plagâ dictae maioris ecclesiae situm, ubi aliàs clarae memoriae Franciscus II Sfortia vicecomes, dum vixit, Mediolani dux, unam perpetuam cappellaniam, certis designatis redditibus, cum onere missae quotidianae fundavit, et ubi ipse Fridericus cardinalis et praesul suam proposuit eligere sepulturam, alias sex cappellanias sacerdotales, sacerdotaliaque officia, non tamen collativa, sed electiva (ita ut nullo umquam tempore in titulum erigi, vel conferri possent, neque ullatenus beneficia ecclesiastica essent, aut censerentur), cum dote, oneribus et legibus infrascriptis, etiam erexit et instituit; ipsasque

Easque dotavit.

cappellanias sic erectas perpetuo dotavit omnibus et quibuscumque possessionibus, bonis immobilibus et iuribus, quae suis pecuniis a dilectis filiis Bartholomaeo et Melchiorre fratribus de Cribellis in agro Indi Ganibaterii plebis Cesani Mediolanensis dioecesis, quantitatis quingentarum sex perticarum, sex tabularum et sex unciarum mensurae illarum partium (computatis aedificiis, tam pro nobilibus, quam massariis et inquilinis) pro pretio quinquaginta duarum millium ac sexcentarum et quinquaginta librarum, ad rationem centum et quatuor librarum monetae earumdem partium pro qualibet perticâ huiusmodi, ex quibus iam viginti septem millia ac octingenta et viginti tres librae et solidi duo persoluta fuerunt; item omnibus bonis et iuribus aquarum, sitis iacentibus et existentibus in dicto territorio Indi Ganibaterii, trecentarum et sexaginta sex perticarum, trium tabularum, unius pedis et duarum unciarum (computatis sediminibus pro nobilibus, massariis et inquilinis) quae etiam suo aere a dilecto filio Caesare etiam Cribello, pretio triginta duarum millium ac ducentarum et quadraginta duarum librarum similium, ad rationem octuaginta quinque librarum et solidorum quindecim pro qualibet perticâ (ex quibus viginti quatuor millia, ducenta et nonaginta novem et solidi decem persoluta fuerunt) respective acquisivit; quae quidem omnia bona nomine ficti simplicis modo locata sunt, partim Ioanni Paulo et fratribus de Tabuchis et Baptistae de Heco dilectis filiis ad computum in totum duarum millium, noningentarum et nonaginta quatuor librarum et quinque solidorum dictae monetae: sed quia, pro integrâ satisfactione totius pretii dictorum bonorum, summa viginti quatuor millium, octingentarum et viginti sex librarum et solidorum octodecim Bartholomaeo et Melchiorri, ac septem millium, noningentarum et quadraginta duarum librarum et solidorum decem Caesari praedictis respective adhuc solvenda est, ut exinde universa bona, ut supra, acquisita libera remaneant, voluit, quod eorumdem bonorum fructus, redditus et proventus (tam post emptionem sequutam maturatique ex tunc maturandi[1] et modo etiam pendentes) cederent et cedere omnino deberent ad extinctionem totius pretii ipsorum bonorum, neque in alium usum transire possent, donec et quousque, integro exbursato pretio, ab omni et quocumque venditorum iure et ipo-

1 Videretur legendum *tam post emptionem sequutam maturati, quam ex tunc maturandi, et modo etiam pendentes* (R. T.).

thecâ libera essent, nisi tamen aliâ ratione et aliis aliunde conflatis pecuniis hoc residuum debitum extingueret, quem in eventum de fructibus decursis et decurrendis, ad cuius quorumve servitium futuri essent declaret[1]: hoc vero expleto, et non aliàs et non alio modo, ex tunc, ex fructibus dictorum bonorum sequentibus annis maturandis, sacerdotalia indumenta et ornamenta infrascripta confici mandavit et alia, quae hic enumerantur, videlicet: albae duodecim cum suis cingulis et amictibus telae lineae subtilioris; planetae decem panni damasceni albi, rubri, viridis, violacei et nigri colorum, ita ut duae quaeque sint consimiles, cum suis etiam manipulis panno et colore praedictis; thecae duodecim corporalium; pulvinaria totidem et missalium integumenta et calicum velamina; calices quatuor argentei cum patenis; corporalia viginti quatuor cum suis pallis; purificatoria centum, quae omnia, in indicem relata, sacristiae, publico desuper celebrato instrumento, concederentur, ut cappellanorum usui sint et esse debeant: nolens autem, quod fabrica dictae maioris ecclesiae (quae totius supellectilis, necnon vini, hostiarum et clericorum, qui sacerdotibus celebrantibus inserviunt et etiam respectu laboris sacristae sumptum sustinet) ac[2] etiam impensâ pro cappellaniis praedictis ullo modo gravaretur, de consensu illius deputatorum, qui hoc onus tunc acceptarunt, summam ducentarum et sexaginta librarum parium ex bonorum traditorum huiusmodi redditibus per conservatores seu thesaurarium antedictos in annos singulos, scilicet in qualibet festivitate sancti Martini, exsolvi mandavit, eo nomine, ut supellectilem sarciendam, reficiendam, et, quandocumque oporteret, novam conficiendam curaret, tum cerae, vini, hostiarum, lotionis, purgationis pannorum lineorum, ac demum necessarias et opportunas et clericorum sacristaeque impensas subministraret; et quamvis in sacristiâ aquilonari certum sacristiae officium, eiusdem Caroli cardinalis et praesulis curâ, cum competenti dote erectum extet, illudque exercens totam supellectilem custodiat, et ad cuiusquam diei usum necessaria indumenta et ornamenta per clericos cappellanis et aliis sacerdotibus celebrantibus exhibeat, et praeterea dicta fabrica iam onus supellectilis et sacristae etiam in se suscepit; nihilominus, ut eidem beatae Mariae apparatui et nitori commodius prospiceret, et, ne cappellanis eiusdem in eis quae partes suae sunt quidquam deesset, invigilaret, eiusdem onorarii titulo, dicto sacristae pro tempore existenti eam annuam summam per praedictos conservatores tribuendam assignavit, quam dicti conservatores pro eorum voluntate et liberalitate elargiri arbitrarentur, modo sexaginta libras eiusdem monetae in anno non excederet, et praedicta etiam locum haberent, ubi tamen sacrista bene se gereret erga cappellanos, eosque honorifice tractaret, sicque dictis conservatoribus videretur, ita ut dictum honorarium ex aliquâ obligatione a sacristà peti non posset, sed id totum a conservatorum arbitrio et beneficentiâ penderet.

§ 12. Bonorum vero omnium, quibus dictas cappellanias dotavit, eorumque fructuum conservationem et[1] exactionem, et administrationem bibliothecae et collegii doctorum huiusmodi, praedictis conservatoribus commisit; quos in Domino enixe hortatus est, ut bonis conservandis, iisque melioribus reddendis, et a quibuscumque defendendis, tamquam viri providi et solertes incumberent; fructus, quos

Administrationem huiusmodi dictis conservatoribus dictorum collegii et bibliothecae committit.

1 Forsan legendum *declararet* (R. T.).

2 Videretur legendum *hac* (R. T.).

1 Particulam *et* nos addimus (R. T.).

annuatim exigerent et[1] perciperent[2], cum aliis collegii et doctorum huiusmodi redditibus, proventibus et emolumentis administrarent; et cuilibet cappellano, qui missarum oneri, ut infra, imponendo, plene satisfecerit, servatis regulis praedictis, eam summam tribuerent[3], quam in dictis regulis distribuendam esse statueret.

Onera nonnulla cappellanis imposuit.

§ 13. Cappellaniis[4] singulis praedictis onus missae quotidianae celebrandae imposuit, quam singuli per seipsos, et non per alios interpositos sacerdotes, celebrarent, hac tamen declaratione, ut uno die cuiusque hebdomadae ex aliquâ legitimâ causâ vacare possint, dummodo alibi missae sacrificium non faciant, et, si forte aliqui ad tempus vel perpetuo detinerentur impedimento quominus celebrare possent, tunc per alios saeculares idoneosque sacerdotes onus explerent: ab his exciperentur dies, quibus ex rubricarum praescripto vel Ecclesiae Ambrosianae recepto et approbato ritu celebrari vetitum est, vel una tantum missa qualibet in ecclesiâ celebranda est; item dies litaniarum minorum[5], et cum sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, seu sanctissimus Domini nostri Iesu Christi Clavus pro oratione quadraginta horarum in maiori dictae ecclesiae altari propositus est, et denique cum alii sacerdotes ex quavis causâ celebrare non debent. Ut autem cappellanis praedictis, ad animos relaxandum et propriis domesticisque rebus consulendum, aliquod temporis spatium daret, eisdem permisit, quod dies quinquaginta in anno, etiam interpolatis diebus, abesse valerent, modo interea per alios sacerdotes missae celebrationi satisfacere non omitterent.

Cappellanos ex doctorum collegio desumi praecepit.

§ 14. Sex hi cappellani de praedictorum doctorum numero desumerentur ad praescriptum legum et regularum praedictarum, electionem personarum sibi viventi, et, post eius obitum, conservatoribus eisdem perpetuo reservavit; expresse inhibens, ne alterius saecularis vel regularis Ordinis sacerdotes assumerentur, et, ubi secus fieret, quaecumque electio ita nulla et invalida esset, ut numquam suffragaretur.

Legesque nonnullas eis indixit.

§ 15. Cappellani indumentis sacerdotalibus in sacristiâ aquilonari induti, in proprio eiusdem sanctae Mariae de Arbore altari semper celebrarent, nisi tamen aliquando ob aliquod inevitabile impedimentum vel urgentem causam sacrista necesse iudicarit, aliquos ex dictis cappellanis ad alia altaria ipsius ecclesiae transmittendos esse, quo casu, ac si in proprio celebrarent altari censerentur: quem tamen sacristam monet, ut sacerdotes ad reliqua altaria ita disponat, ut hoc beatae Virginis ab aliis quam a destinatis cappellanis minime occupetur. Et, quoniam cappellani praedicti ex dicti collegii numero desumendi, ut supra, ex ipsius collegii praecipuo instituto in diversis scientiarum et professionum studiis, scriptionibus et lucubrationibus, ut supra, versari et assidue defatigare tenentur, eos et eorum quemlibet a publicis functionibus, actibus collegialibus cleri, processionibusque et supplicationibus generalibus vel specialibus, aliisque conventibus et congressibus declaravit et declarat, salvis infrascriptis, exemptos; et tamen omnibus et quibuscumque privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, et praerogativis gauderent, et potirentur, prout alii ecclesiastici gaudere et potiri solent: ac praeterea ab illius tabellae observatione exemit, in qua

1 Particulam *et* etiam addimus (R. T.).

2 Legimus *perciperent* loco *perciperentur* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *tribueret* (R. T.).

4 Aptius forsan legeretur *Capellanis* (R. T.).

5 Nisi quis malit legere *maiorum* (R. T.).

certa omnium missarum celebrandarum hora per ordinem distributa est. Ne autem propter hoc celebrandi ordo everteretur, aut alio quovis modo praeverteretur, distinctam tabellam pro his sex cappellanis conficiendam in sacristiâ affigendam esse praecepit, aliumque librum ab alio, qui in sacristiâ habetur, separatim perpetuo detineri oporteret, in quo unusquisque dictorum cappellanorum in singulos dies, quibus missae sacrificium faceret, manu suâ subscriberet: hunc quidem librum, anno expleto, vel etiam brevioris temporis spatio, inspicerent conservatores, ut, ubi missarum, quas celebraverint, supputato numero revera compererint, quemlibet cappellanorum muneri celebrando[1] non defuisse, cuilibet, qui munus suum impleverit, summam designandam traderent; si vero aliquem quandocumque celebrare praetermisisse compertum erit, tunc, quod, ob praetermissionem huiusmodi, cappellanis vel eorum alicui tribuendum nequaquam esset, aeque demeretur, servatis regulis praedictis: aliaque circa praemissa statuit et ordinavit, prout in dicti Friderici cardinalis et praesulis erectionibus, institutionibus, fundationibusque huiusmodi ac instrumentis diversis publicis desuper confectis dicitur contineri.

Praedicta omnia a Pontifice confirmari petit.

§ 16. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praemissa omnia in laudem Dei, ac divini cultus augmentum, totiusque dictae civitatis, illiusque personarum litteris et virtutibus praeditarum, et praecipue necessitatibus oppressarum, commodum et utilitatem, nec non fidei orthodoxae contra illius hostes propugnaculum, bonarumque artium ampliationem cedant et cessura sint: propterea dictus Fridericus cardinalis et praesul nobis humiliter supplicari fecit, ut illa omnia pro firmiori illorum subsistentiâ confirmare et approbare, aliaque infrascripta sibi concedere, de benignitate apostolicâ dignaremur.

Qui ea confirmat.

§ 17. Nos igitur (qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem aestimationem etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, idemque servaretur in quibuscumque perpetuis concessionibus, dismembrationibus, et applicationibus de quibuscumque fructibus et bonis ecclesiasticis) pium hoc et laudabile dicti Friderici cardinalis opus plurimum in Domino commendantes, tam collegii doctorum et bibliotechae Ambrosianae, quam sex cappellaniarum huiusmodi erectionem, institutionem, fundationem, dotationem, ordinationes, omniaque et singula alia in praedictis erectionibus, necnon instrumentis super praemissis omnibus et singulis celebratis contenta, ac inde sequuta et sequenda quaecumque, praesentem gratiam tangentia et concernentia, tum licita, tum etiam honesta ac sacris canonibus et decretis Concilii Tridentini non repugnantia, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, et solemnitatum quomodolibet requisitarum, forsan omissarum, ac quovis alios, etiam quantumvis substantiales, defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Et sic iubet observari.

§ 18. Decernentes eadem praemissa omnia et singula perpetuo valida et efficacia fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac

1 Aptius forsan legeres *celebrandi* (R. T.).

ab omnibus et quibuscumque, ad quos[1] nunc quomodolibet spectat et spectabit, firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri: nec ab illis ullo umquam tempore resiliri posse, neque debere, eàdem auctoritate decernimus.

Collegium et bibliothecam sub sua protectione suscipit.

§ 19. Et nihilominus collegium doctorum et bibliothecam, illorumque bona huiusmodi, salvo tamem iure Ordinarii in casibus sibi a iure concessis, sub nostrâ et Sedis Apostolicae protectione et defensione etiam perpetuo suscipimus.

Rata quoque habet quae pro doctorum sustentatione, bibliothecae conservatione et cappellaniarum erectione et dota sunt statuta.

§ 20. Necnon (pro collegii doctorum et bibliothecae ac eorumdem doctorum aliarumque personarum praedictorum et ministrorum sustentatione et manutentione) a praedictis collegio Ticinensi Borromaeo nuncupato, ex[2] beneficiis ecclesiasticis ac bonis illi auctoritate apostolicâ praedictâ aliàs unitis, unam domum, seu domorum, et bonorum locis domus Thisini, seu *la casa di Thisino* nuncupati[3], Papiensis dioecesis, mille et decem et novem perticarum vel alterius mensurae illarum partium, cum suis domibus, massaritiis et iuribus; item alteram, tenutas et possessiones Vogherae etiam nuncupatam, sexcentarum et quinquaginta circiter perticarum dictae mensurae; cum eius domibus et iuribus (quas tenutas et possessiones cum predictis iuribus ipse Fridericus cardinalis et praesul, existimans praedictas litteras apostolicas, ut supra, suffragari, specificaverat, ac nunc denuo etiam specificat); et quarum annuus valor, iudicio suo, ascendit ad praedictam summam mille scutorum, ad rationem sex librarum imperialium pro quolibet scuto huiusmodi (quibus detractis, reliqua bona, et fructus ipsius collegii Ticinensis, ad illius alumnorum et personarum congruam manutentionem sufficient), auctoritate et tenore praedictis de novo similiter perpetuo dismembramus et separamus, illasque sic separatas et dismembratas, nec non alias quascumque proprietates, res, iura et bona in quibuscumque rebus consistentia, ac cuiusvis quantitatis et speciei existentia, per quoscumque christifideles quandocumque donanda, leganda, relinquenda et elargienda, collegio doctorum et bibliothecae huiusmodi (ita quod liceat eisdem Friderico cardinali et praesuli, ac illorum conservatoribus pro tempore existentibus, per se, vel alium, seu alios eorum, ac collegii doctorum et bibliothecae huiusmodi nominibus, corporalem, realem et actualem possessionem bonorum praedictorum, propriâ auctoritate, libere apprehendere, et perpetuo retinere, seu iam forsan apprehensam continuare, illorumque fructus, redditus, proventus, obventiones et emolumenta quaecumque percipere, exigere et levare, ac ex praedictis duabus tenutis in festo sancti Martini anno Domini MDCVI ac in antea, a quo priores dismembratio et applicatio per exequutorem dictarum litterarum facta fuerunt, perceptos et percipiendos, retinere, exigere et levare, ac in collegii doctorum et bibliothecae huiusmodi usus, utilitatem et necessitatem convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ) pariter perpetuo applicamus et appropriamus.

Leges condendi eidem Friderico facultatem tribuit.

§ 21. Praeterea eidem Friderico cardinali, quoad vixerit, ut pro eorumdem collegii doctorum et bibliothecae necnon cappellaniarum felici successu, regimine et administratione, necnon circa[1] illo-

1 Haec verba *ad quos* nos addimus (R. T.).

2 Vel praep. *ex* hic delenda; vel antea legi debuit *praedicto* pro *praedictis* (R. T.).

3 Adamussim retuli lectionem Mainardianam, quae aliquid emendationis desiderare videtur. Forsan ordo verborum sic est mutandus: *a praedictis... aliàs unitis, seu domorum et bonorum locis, unam domum, domus Thisini seu* la casa di Tisino *nuncupatam*, etc. (R. T.).

1 Edit. Main. legit *citra* (R. T.).

rum qualitates, conditiones, numerum, receptionem, administrationem, et alia quaecumque collegium doctorum ac bibliothecam et cappellanias praedictas quomodolibet concernentia, quaecumque statuta, ordinationes, constitutiones, leges, regulas, decreta et capitula (licita tamen et honesta, ac praedictis canonibus et concilii Tridentini decretis, nec non constitutionibus apostolicis non repugnantia) facere, edere, et condere, illaque pro rerum, temporum et personarum qualitate irritare, innovare, reformare, et illorum loco alia de novo, toties quoties sibi libuerit, facere, edere, minuere, augere, et corrigere, seu aliàs immutare, etiam quoad numerum doctorum dicti collegii, nec non etiam conservatorum praedictorum, sive ecclesiasticorum, sive laicorum, seu aliàs (modo, et prout, et quoties idem Fridericus cardinalis maluerit) libere et licite valeat, apostolicà auctoritate et tenore similibus, licentiam et facultatem tribuimus et impertimur; nec non postquam illa facta, reformata, ac de novo facta et edita fuerint, perpetuo valida et efficacia fore et esse, ac ab omnibus, ad quos pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, perpetuo inviolabiliter observari et adimpleri debere; ac, ipso Friderico cardinali vità functo, a quoquam, quavis auctoritate, causàque et occasione, violari, infringi, restringi, immutari, vel etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices, nisi de [1] illis de verbo ad verbum insertis et expressis, derogari, dictasque sex cappellanias, ut praefertur, erectas, in titulum perpetuorum beneficiorum ecclesiasticorum, quavis auctoritate, erigi et institui, aut tamquam collativas, seu in titulum perpetuorum simplicium beneficiorum ecclesiasticorum quavis auctoritate erectas et institutas impetrari nullatenus umquam posse, ac quascumque erectiones, institutiones, collationes, provisiones, commendas, aut alias dispositiones de illis, quibusvis personis, etiam quavis auctoritate, pro tempore factas, nullas et invalidas, nulliusque roboris vel momenti existere, nec cuiquam ius in re vel ad rem tribuere posse, apostolicà auctoritate et tenore paribus, etiam perpetuo statuimus et ordinamus.

Archiepiscopo Medialonensi facultatem dat collegium et bibliothecam quolibet biennio visitandi

§ 22. Praeterea archiepiscopo Mediolanensi pro tempore existenti, ut per se ipsum, et simul cum conservatoribus praedictis, semel in biennio dictum collegium doctorum et bibliothecam visitare possit (ita tamen, ut visitationem infra terminum octo continuorum dierum omnino perficiat, nihil constituat, decernatve, quod dicti collegii et bibliothecae fundationi, legibus et regulis, ut supra praescribendis, et constitutionibus pontificiis resistat, seu repugnet, nec aliquod aliud statuat sine nostro et Sedis Apostolicae auctoritate), eisdem apostolicà auctoritate et tenore pariter, perpetuo concedimus;

Doctores et bibliothecarium ab actis publicis eximit

§ 23. Insuper (ut collegii doctorum, et bibliothecae huiusmodi doctores ecclesiastici et bibliothecarius suis muneribus commodius vacare possint) praedictos doctores ecclesiasticos, eorumque quemlibet, et bibliothecarium ab omnibus, et quibuscumque publicis functionibus, actibus collegialibus, cleri processionibus, generalibus vel specialibus, aliisque quibusvis conventibus et congressibus (exceptis tamen processionibus generalibus sanctissimi Corporis Christi, Clavi eiusdem Domini nostri Iesu Christi, et triduanis, nec non synodis dioecesanis et provincialibus) itidem perpetuo eximimus et liberamus, ipsisque nihilominus, ut omnibus et singulis ac quibuscumque privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis,

1 Vel propositio *de* tollenda, vel addendum postea *mentio fiat* (R. T.).

concessionibus, indultis, favoribus praeeminentiis, aliisque universis gratiis, quibus alii ecclesiastici de more, usu, consuetudine, vel ex privilegio, aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, absque ullâ prorsus differentiâ, in omnibus et per omnia, uti, potiri et gaudere liberè et licite valeant, simili apostolicâ auctoritate concedimus et indulgemus.

Doctores sacri palatii comites creat.

§ 24. Denique omnes et singulos eiusdem collegii doctorum doctores, pro tempore existentes, Sacri Palatii et Aulae Lateranensis comites, milites, et almae Urbis cives originarios et antiquissimos, pari apostolicâ auctoritate creamus et instituimus, ac Palatii et Aulae praedictorum comitum et militum, et civium huiusmodi originariorum numero et consortio favorabiliter aggregamus; eisque, ut in quibuscumqne impetrationibus, concessionibus et litteris, tam gratiam quam iustitiam concernentibus, se comites, milites et cives Romanos etiam originarios nominare, nec propterea impetrationes, concessiones et litterae ipsae subreptionis vitio subiaceant, sed validae et efficaces existant, necnon, ex nunc deinceps in perpetuum, omnibus et quibuscumque ac prorsus similibus antelationibus, praerogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, declarationibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis, ac iuribus, quibus alii Palatii et Aulae comites, milites, ac Urbis praedictorum cives, etiam ex utroque parente vere nobili et cive originario et antiquissimo procreati, de iure, statuto, consuedine, vel aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, itidem uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant, realiter et integre, in omnibus et per omnia, perinde ac si de vere nobili genere ex utroque parente nobili, originario et antiquissimo cive Romano procreati forent, eisdem apostolicâ auctoritate et tenore, etiam perpetuo indulgemus.

Libros e bibliotheca distrahi, alienari, etc., sub poenis hic expressis cavet.

§ 25. Porro (ut perpetuae conservationi librorum et codicum in praedictâ bibliothecâ reconditorum et recondendorum consulatur) omnibus et quibuscumque, tam ecclesiasticis, etiam in presbyteratus ordine ac dignitate ecclesiasticâ constitutis, quam saecularibus cuiuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existentibus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, et Romani Pontificis pro tempore existentis, et Sedis praedictae, necnon reatus peccati mortalis, ac etiam maioris excommunicationis latae sententiae, et ulterius, quoad ecclesiasticos, etiam privationis quorumcumque beneficiorum et officiorum per eos pro tempore obtentorum, inhabilitatisque ad illa et alia quaecumque imposterum quandocumque obtinenda, per quoscumque contravenientes incurrendis poenis, a quibus nonnisi per nos et successores nostros praedictos, praeterquam in mortis articulo constituti absolvi queant, ne deinceps, ullo unquam tempore, aliquos libros, codices, volumina et quinternos dictae bibliothecae, seu eorum folia integra vel non integra, tam ex hactenus ibidem repositis, quam reponendis, ab eàdem bibliothecâ ac eiusdem aedibus annexis et ipsius propriis, etiam animo et intentione restituendi, aut alio quovis quaesito colore vel praetextu, asportare, commodare, vendere, alienare, aut aliàs quomodolibet distrahere, vel auferre, seu quod asportentur, commodentur, vendantur, alienentur, vel distrahantur, aut auferantur procurare, vel consentire, aut

permittere, vel etiam mutuo dare, vel accomodare quoquo modo audeant seu praesumant, auctoritate apostolica praedictà perpetuo districtius inhibemus; quae tamen censurae et poenae non includant personam praedicti Friderici cardinalis, neque comprehendant personas, quibus ipse Fridericus cardinalis facultatem extrahendi, et, ad tempus ipsi Friderico cardinali visum, utendi seu aptandi concesserit.

Clausulae pro praesentium litterarum firmitate.

§ 26. Decernentes, praesentes litteras, etiam ex eo, quod interesse habentes seu habere praetendentes ad praemissa vocati non fuerint, nec illis consenserint, minusque causae, propter quas emanarunt, etiam coram loci Ordinario, etiam tamquam a Sede Apostolicà delegato, examinatae et iustificatae vel verificatae extiterint, aut ex quovis alio capite vel causà, quantumvis legitimà et iuridicà, de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quopiam defectu notari, impugnari, retractari, annullari, invalidari, seu in ius vel controversiam vocari, aut adversus illas quodcumque iuris, gratiae, vel facti remedium impetrari nullatenus umquam posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere: sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos (sublatà eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretand facultate et auctoritate) ubique iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores earumdem designant.

§ 27. Quocirca dilectis filiis curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, ac archipresbytero ecclesiae Mediolanensis, ac vicario venerabilis fratris nostri archiepiscopi Mediolanensis in spiritualibus generali, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi, et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Friderici cardinalis et doctorum et aliorum praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant eos et eorum singulos praemissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere, ac easdem praesentes et in eis contenta quaecumque firmiter observari, non permittentes illos vel eorum aliquem super praemissis per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel impediri: contradictores quoslibet et rebelles, ac praesentibus non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, easdem sententias, censuras et poenas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantibus derogat.

§ 28. Non obstantibus priori voluntate nostrà praedictà, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, nec non felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri etiam illà, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem, vel dioecesim, nisi in certis expressis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices ab eàdem Sede deputati extra civitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere prae-

sumant, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo[1] ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, ac aliis quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiae et civitatis Mediolanensis praedictarum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque praesuli et dilectis filiis capitulo et canonicis, senatui et civibus, aliisque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam vim contractus et statuti perpetui continentibus, etiam motu proprio, et aliàs, in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque;

§ 29. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem;

§ 30. Et qualibet aliâ dictae Sedis indulgentiâ generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam, praesentibus non expressam vel totaliter non insertam, effectus huiusmodi gratiae impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

§ 31. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum approbationis, confirmationis, adiectionis, suppletionis, susceptionis, dismembrationis, separationis, applicationis, appropriationis, tributionis, impartitionis, statuti, ordinationis, exemptionis, liberationis, concessionum, creationis, institutionis, aggregationis, indultorum, inhibitionis, decretorum, mandati, et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum. Clausulae poenales.

Datum Romae apud sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicae MDCVIII, septimo idus iulii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 9 iulii 1608, pontif. an. IV.

CX.

Quod fratres Ordinis beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum non recipiant fratres Ordinis Minorum sancti Francisci Cappuccinorum neque alios strictioris regulae[1].

Paulus Papa V,

ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Nuper ad nos perlatum est Religiosos Ordinis beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum (praetextu cu- Causa huius constitutionis.

1 Vocem *non* hic delemus, nam postea sequitur (R. T.).

1 Eamdem fere Constitutionem ad favorem omnium fratrum Minorum edixit Clem. VIII in suà Const. CXL *Nuper ad nos* in h. n. edit. CXLVI, tom. x, pag. 319). Quo vero ad Cappuccinos, vide in Clem. VII Constit. XXIV *Religionis* tom. VI pag. 113.

iusdam indulti apostolici dicto Ordini antiquitus concessi, ac demum per felicis recordationis Clementem Papam VIII praedecessorem nostrum per suas in huiusmodi formâ Brevis litteras datas xxv decembris MDXCVI, pontificatus sui anno v, aboliti et revocati[1], aut forsan alterius) professores Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, et alios regulae strictioris, in eorum sodalitatem, seu domos, aut conventus recipere.

Prohibitio de qua in rubrica.

§ 2. Quare, cum id saepius meritas poenas eludendi causâ fiat, et ex hoc multa scandala in populo generentur et alia multa incommoda nascantur, nos huiusmodi scandalis obviare et quieti religiosorum amplius prospicere cupientes, ne quis praelatorum, seu superiorum, aut fratrum conventuum seu domorum dicti Ordinis beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, tam in regnis Hispaniarum quam alibi consistentium, quavis ille dignitate, praeeminentiâ, prerogativâ, vel munere fungatur, praetextu cuiusvis indulti seu privilegii apostolici eos recipere audeat vel praesumat causâ quarti voti, quod ipsi professores Ordinis beatae Mariae de Mercede huiusmodi faciunt, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, districte prohibemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus privilegiis, seu indultis huiusmodi, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicti Ordinis beatae Mariae de Mercede, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illi sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, ac aliâs, in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, in iudicio et extra illud, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die VII iulii MDCVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 7 iulii 1608, pontif. anno IV.

1 Vide Constit. cit. in notâ ad rubricam (R. T.).

CXI.

Ampliatio iurisdictionis S. R. E. cardinalis archipresbyteri, et iudicis causarum sacrosanctae Lateranensis ecclesiae et capituli interesse concernentium[1].

Paulus Episcopus
servus servorum Dei

Dilecto filio Scipioni, tituli S. Chrysosogoni presbytero cardinali Burghesio nuncupato, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Ad ea circumspectioni tuae multis nominibus de Sede Apostolicâ benemeritae et nobis plurimum gratae et acceptae

1 De hac iurisdictione extat Constitutio LXX Greg. XIII *Cum, sicut accepimus, saepe*, tom. VIII pag. 179.

concedenda libenter inducimur, per quae felici ecclesiae Lateranensi [1] operâ tuâ prospici, et personarum ipsius ecclesiae (erga quam peculiarem geris devotionis effectum) commoda in dies augeri et illarum iura conservari possint.

Confirmatio omnium privilegiorum quae aliis archipresbyteris concessa fuerunt.

§ 1. Cum itaque nos nuper archipresbyteratum dictae ecclesiae, certo (quem haberi volumus pro expresso) modo vacantem, tibi, qui noster secundum carnem ex sorore germanâ nepos existis, per te, quoad vixeris, tenendum, regendum, et gubernandum apostolicâ commendaverimus auctoritate, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur; ipsius ecclesiae indemnitati, utilitati, et bono regimini salubriter consulere, prout ex debito pastoralis officii tenemur, ac dilectorum filiorum illius capituli et canonicorum ac [2] ministrorum commodis, ac iurium conservationi, et, ne ad diversa tribunalia dictae personae trahantur, earum quieti et litium dispendio providere cupientes, necnon de tuis integritate, providentiâ, et circumspectione plurimum in Domino confidentes, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex merâ nostrâ deliberatione ac certâ scientiâ, omnes et singulas iurisdictiones, potestates, privilegia, exemptiones libertates, praerogativas, antelationes, indulta, etiam super collatione beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque, auctoritates et facultates, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros aliis S. R. E. eiusdem Lateranensis archipresbyteris, qui pro tempore fuerunt, quoad ecclesias ipsas [3], et illarum personarum intuitu, et ad eorum vitam, in genere vel in specie, concessa, ad te, quamdiu dictum presbyteratum obtinueris, tuumque et dictae ecclesiae vicarium per te deputatum, et pro tempore a te deputandum, dictâ auctoritate, tenore praesentium, extendimus, et ampliamus.

Concessio iurisdictionis et facultatis cognoscendi omnes causas interesse Lateranensis ecclesiae et capituli canonicorum, *etc.*, concernentes.

§ 2. Et nihilominus, motu et scientiâ similibus, et inhaerentes aliis facultatibus et privilegiis, per felicis recordationis Gregorium Papam XIII et alios quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, archipresbyteris et canonicis ac beneficiatis dictae ecclesiae Lateranensis pro tempore existentibus hactenus concessis (quas et quae salva et illaesa ac salvas et illaesas esse, ac suam valoris firmitatem obtinere, illasque et illa ampliare et extendere volumus et intendimus), omnes et singulas causas, etiam beneficiales, ecclesiasticas, spirituales, mere profanas, et mixtas, etiam compromissas, tam civiles quam criminales (citra tamen poenam sanguinis et corporis afflictivam), inter dictos capitulum et canonicos et beneficiatos et clericos, necnon cappellanos, ministros, servientes respective, seu quemcumque eorum ex unâ, et quascumque alias personas, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, et praeeminentiae existentes, necnon hospitalia, pia loca, et collegia, communitates, vel universitates ex alterâ partibus, sive inter dictum capitulum et canonicos, vel eorum quemlibet, ac beneficiatos, clericos, seu cappellanos praedictos, vel quoscumque eorum, coram quibuscumque iudicibus ordinariis, extraordinariis, commissariis, et exequutoribus, etiam S. R. E. cardinalibus, ac causarum Palatii Apostolici, et curiae Camerae Apostolicae auditoribus, et locumtenentibus, super quibuscumque

1 Aptius forsan legeretur *felici ecclesiae Lateranensis statui* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *ad ministrorum*, quod posset intelligi *administrorum*; sed edit. Cherubini habet *ac ministrorum* (R. T.).

3 Dicit *ecclesias ipsas* non *ecclesiam ipsam*, quia ecclesias annexas complectitur ut patet ex seq. § 2 (R. T.).

rebus, bonis, et pecuniarum summis, etiam vigore obligationis in formâ Camerae Apostolicae vertentes, et pendentes respective (quorum omnium et singulorum status, et merita, nominaque, et cognomina, ac qualitates, tam partium et personarum praedictarum, quam etiam rerum, super quibus lis pendet, praesentibus pro expressis habentes[1]) ad nos per easdem praesentes avocantes, illasque in statu et terminis, in quibus ad praesens reperiuntur, et quas in futurum moveri denuo contigerit, tam active quam passive, etiam per praedictos capitulum, canonicos, beneficiatos, clericos et cappellanos, seu eorum quemlibet, contra quascumque personas, conventum[2], collegia, capitula, universitates, societates, hospitalia et loca quaecumque, saecularia et quorumvis Ordinum, Militiarum et hospitalium regularia privilegiata, etiam per praedictos capitulum et canonicos contra beneficiatos, clericos, et cappellanos praedictos, super quibuscumque pecuniarum summis, bonis ecclesiasticis, censibus, canonibus tritici, grani, vini, pecuniarum, aut aliarum rerum responsionibus, praediis, rebusque et bonis, ad quamcumque pecuniarum summam, numerum et quantitatem ac valorem ascendentibus, ad dictam Lateranensem, aut illi unitas vel annexas ecclesias et parochiales, seu capitulum, canonicos, beneficiatos, clericos et ministros, etiam privatim ac ratione singularum personarum, quomodolibet spectantibus, aut eorum interesse, directe, vel indirecte, communiter vel divisim, ad eorum quemlibet concernentibus, rebus aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis et deducendis, ac illorum occasione, cum omnibus et singulis suis incidentibus, dependentibus, emergentiis, annexis et connexis, tibi, tuoque vicario, nunc et pro tempore per te deputato, summarie, simpliciter, et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, solâ veritate facti inspectâ, et, quatenus opus sit, exequutive, etiam manu regiâ, absque terminorum substantialium, et alicuius telae iudiciariae observatione, sine confectione registri sive extractus, quacumque appellatione postpositâ etiam non frivolâ, audiendas, cognoscendas, verificandas, fineque debito terminandas, dictâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, committimus et mandamus, eisque praesentibus perpetuis temporibus duraturis;

Facultas citandi in curia et extra, et omnibus iudicibus inhibendi, causasque reassumendi, etc.

§ 3. Cum potestate dictas partes respective et omnes alios, quos opus fuerit, sua communiter vel divisim interesse putantes, omnes in exequutione citationis nominandos, in Romanâ Curiâ vel extra, tam[1] per edictum publicum, constito summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu, citandi; ac omnibus iudicibus supradictis, et quibus et quoties opus fuerit, etiam sub censuris ecclesiasticis et pecuniariis, tuo arbitrio moderandis et applicandis, etiam per simile edictum inhibendi; causasque ipsas, coram quibusvis eorum de facto forsan introductas seu introducendas, ab eis avocandi et reassumendi; etiam, in eventum non paritionis, poenas et censuras praedictas damnabiliter incurrisse et incidisse declarandi; illasque etiam iteratis vicibus aggravandi et reaggravandi; interdictum ecclesiasticum apponendi; et brachii saecularis auxilium habendi et invocandi; loco unius sententiae, seu sententiarum praedictarum, mandata exequutiva in formâ solitâ et consuetâ decernendi; illudque et[2] illa, quicquid per te et vicarium

1 Aptior syntaxis foret legendo *horum..... habentes* vel *quorum..... habemus* (R. T.).

2 Forsan legere oportet *conventus* (R. T.).

1 Forsan legendum *etiam* (R. T.).

2 Coniunct. *et* addimus ex Cherubinio (R. T.).

praedictum vel alterum vestrum iudicatum fuerit, exequendi; expensas[1] quascumque taxandi et moderandi;

Singulis diebus in honorem Dei non feriatis procedendi;

§ 4. Ac in causis omnibus et singulis praemissis, vel earum qualibet seu quolibet praemissorum, etiam singulis diebus et horis, praeterquam in honorem Dei feriatis, procedendi;

Canonicosque et alios a iuramento absolvendi ad effectum agendi.

§ 5. Necnon capitulum, canonicos, beneficiatos, clericos et cappellanos praedictos, seu eorum quemlibet, a vinculo iuramenti, ad effectum agendi, aliisque censuris et poenis, quatenus oportuerit, absolvendi; omniaque et singula alia faciendi, gerendi, exercendi in praemissis necessaria, seu quomodolibet opportuna;

Commissiones causarum praeiudicantes dictae iurisdictioni a solo Papa citato archipresbytero signatae valent.

§ 6. Ac insuper (si in praeiudicium auctoritatis, iurisdictionis, et facultatum praefatarum contingat causas sub diversis praetextibus a te, seu dicto vicario, avocari, ac aliis iudicibus committi) omnes et quascumque commissiones, tam gratiae quam iustitiae, interesse ecclesiae Lateranensis, capituli et personarum huiusmodi quomodolibet concernentes, aliter quam manu nostrâ et pro tempore existentis Romani Pontificis (te ad id vocato) signatas, et inhibitiones earum praetextu emanandas, processusque per eosdem habendos, et inde sequuta quaecumque, nullius roboris vel momenti esse, et, illis non obstantibus, te dictumque vicarium, ut ad ulteriora in causis huiusmodi procedere possis[2], atque ad parendum commissionibus praedictis, earumque praetextu emanatis inhibitionibus, minime teneri, ac, ob non paritionem, censuras aut poenas aliquas minime incurrere posse, declaramus:

Clausulae huius constitutionis praeservativae.

§ 7. Decernentes easdem praesentes ad tui vitam, seu quamdiu archipresbyteratum huiusmodi obtinueris, tam nostris quam Romanorum Pontificum praedecessorum[1] nostrorum temporibus durare, suamque vim et roboris firmitatem obtinere, nec easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium facultatum et gratiarum derogationibus, revocationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per nos vel Romanos Pontifices successores nostros praefatos etiam motu simili et ex certâ nostrâ scientiâ ac de Apostolicae potestatis plenitudine edendis, comprehendi, nec per eas immutari, suspendi, limitari, moderari, aut ad terminos iuris reduci posse, sed eas perpetuo validas et efficaces fore, ac, quoties huiusmodi contraria emanabunt, toties illas in pristinum et eum, in quo antea erant, statum restitutas, et sub posteriori datâ, per te seu dictum Vicarium eligendâ, de novo concessas censeri, et quicquid illarum vigore aliàs rite gestum, statutum, factum, mandatum, indultum et exequutum fuerit, perpetuam vim et roboris firmitatem obtinere, ac de subreptionis vitio, seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel ad terminos iuris, seu in ius vel controversiam revocari non posse;

§ 8. Sicque per quoscumque iudices, et causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate) in quavis causâ et instantiâ iudicari et diffiniri debere, necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac conciliis etiam generalibus editis, stylo Palatii, regulâ Cancellariae Apostolicae prohibente, mandata exequutiva aliàs quam

1 Edit. Main. habet *expensa* (R. T.).

2 Syntaxis est: *te dictum Vicarium declaramus ut ad ulteriora in causis procedere possis, atque minime teneri ad parendum*, etc. (R. T.).

1 Vix temperare possum quominus scribam *successorum* (R. T.).

sub plumbo expediri, facultatibus et iurisdictionibus nostro in Urbe et eius districtu in spiritualibus vicario generali, senatori et causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, seu S. R. E. cardinalibus, quibusvis dictae Urbis iudicibus supradictis, et aliis quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, necnon irritantibus et fortioribus decretis, etiam motu, scientiâ, et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, per nos seu quoscumque alios Romanos Pontifices, praedecessores nostros, in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis (etiam si cautum sit in eis expresse, quod illis nullatenus, vel nonnisi sub certis inibi forsan expressis et nominatis modis et formâ, derogari seu contra illa quicquam concedi possit, et aliter factae pro tempore derogationes et[1] concessiones nullatenus eis quibus concedentur suffragari possint seu debeant, nulliusque roboris vel momenti existant); quibus omnibus, etiamsi de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ[2], praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, etiam motu et scientiâ similibus, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse, nec illa eisdem praesentibus quicquam adversari vel obstare volumus, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, etc.

Datum Romae apud sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicae MDCVIII, VI idus iulii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 10 iulii 1608, pontif. an. IV.

1 Coniunctionem *et* nos addimus (R. T.).

2 De more solito subdendum foret *exprimerentur* et *insererentur* (R. T).

CXII.

Facultas regi catholico imponendi census super bonis stabilibus mensarum magistralium trium Militiarum sancti Iacobi, de Calatrava et de Alcantara[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico Paulus Papa V.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae faciendae concessionis

§ 1. Maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, tibi pro satisfactione creditorum tuorum inter alia expedire, ut super bonis stabilibus mensarum magistralium trium Militiarum sancti Iacobi, de Calatrava et de Alcantara, quarum maiestas tua perpetuus administrator apostolicâ auctoritate deputatus existit, unus vel plures annui census redimibiles centum millium ducatorum annuorum, valoris vicies centenorum millium ducatorum in proprietate ad rationem quinque pro quolibet centenario, imponerentur, illique uni vel pluribus personis pro solutione debitorum tuorum venderentur: cum autem impositio et venditio huiusmodi absque nostrâ et Sedis Apostolicae dispensatione fieri nequeat, ideo nobis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

humiliter supplicari fecisti, ut opportunam tibi ad id licentiam de benignitate apostolicâ concedere dignaremur.

Concessio de qua in rubrica.

§ 2. Nos igitur, maiestatem tuam specialis gratiae favore prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodata existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem maiestati tuae, super dictis bonis stabilibus trium mensarum magistralium Militiarum sancti Iacobi, de Calatrava et de Alcantara praedictarum ubicumque existentibus, unum vel plures annuos census redimibiles summam centum millium ducatorum annui redditus insimul non excedentes, valoris vicies centenorum millium ducatorum similium in proprietate, semel vel successive ac diversis temporibus constituendi et imponendi, et sic constitutos et impositos uni seu pluribus et quibuscumque personis, tam ecclesiasticis quacumque dignitate et auctoritate fungentibus, quam saecularibus, etiam communitatibus, universitatibus, collegiis, capitulis, conventibus vel locis, ad rationem quinque pro centenario, vendendi, pretiumque seu pretia inde provenientia per te, vel alium, seu alios, exigendi, recipiendi, seu recepisse confitendi, illudque vel illa in solutionem debitorum tuorum convertendi, necnon (pro evictione et legitimâ defensione censuum, ut praefertur constituendorum, fructuumque, et emolumentorum occasione illorum pro tempore debitorum solutione faciendâ, ac perpetuâ et inviolabili omnium et singulorum in instrumento seu instrumentis desuper conficiendis promittendorum observatione) dicta bona stabilia, etiam in ampliori formâ Camerae Apostolicae, cum iuramento, procuratione, constitutione, et aliis in similibus apponi solitis et necessariis, obligandi et hypothecandi, ac instrumenta desuper opportuna stipulata quibuscumque promissionibus et clausulis in similibus apponi solitis vallata celebrandi, stipulandi et obligandi, licentiam et facultatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstanti recolendae memoriae Pauli Papae II, praedecessoris nostri, de rebus ecclesiae non alienandis, aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus, necnon dictarum Militiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Militiis, illarumque magno magistro, conventibus et fratribus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum etiam pluries concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si ad verbum exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XVI iulii MDCVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 16 iulii 1608, pontif. an. IV.

CXIII.

Praeceptum regi catholico extinguendi census imponendos super bonis mensarum magistralium Militiarum sancti Iacobi de Calatrava et de Alcantara infra viginti annos[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico Paulus Papa V.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Recensetur facultas, regi concessa, census imponendi.

§ 1. Nuper, supplicationibus maiestatis tuae nomine nobis humiliter porrectis inclinati, per alias nostras in simili formâ Brevis litteras eidem maiestati tuae super bonis stabilibus trium mensarum magistralium Militiarum sancti Iacobi, de Calatrava et de Alcantara ubicumque existentibus, unum seu plures annuos census redimibiles, summám centum millium ducatorum annui redditus insimul non excedentes, valoris vicies centenorum millium ducatorum similium in proprietate, semel vel successive ac diversis temporibus constituendi et imponendi, ac sic constitutos et impositos uni vel pluribus et quibuscumque personis, tam ecclesiasticis quacumque dignitate et auctoritate fungentibus, quam saecularibus, etiam communitatibus, universitatibus, collegiis, capitulis, conventibus vel locis, ad rationem quinque pro centenario, vendendi, pretiumque seu pretia inde provenientia, per te, vel alium, seu alios, exigendi, recipiendi, seu recepisse confitendi, illudque vel illa in solutionem debitorum tuorum convertendi, necnon, pro evictione et legitimâ defensione censuum, ut praefertur, constituendorum, fructuumque et emolumentorum, occasione illorum pro tempore debitorum, solutione faciendâ, ac perpetuâ et inviolabili omnium et singulorum in instrumento seu instrumentis desuper conficiendis promittendorum observatione, dicta bona, etiam in ampliori formâ Camerae Apostolicae, cum iuramento, procuratione, et aliis in similibus apponi solitis et necessariis, obligandi et hypothecandi, ac instrumenta desuper opportuna stipulata quibuscumque promissionibus et clausulis in similibus apponi solitis vallata celebrandi, stipulandi et obligandi, licentiam et facultatem concessimus, prout in dictis litteris, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, plenius continetur.

Praeceptum eosdem census infra viginti annos redimendi.

§ 2. Ne autem bona praedicta obligationi et hypothecae huiusmodi perpetuo subiaceant, maiestatem tuam hortamur, et paterne in Domino admonemus, ut census imponendos huiusmodi quam primum extinguat et bona praedicta ab illorum onere, obligatione et hypothecâ praedictis omnino liberet, ita ut infra viginti annos census penitus extincti, ac bona liberata existant: nos enim, ut saltem infra dictum tempus viginti annorum census extinguere et bona praedicta, ut praefertur, penitus liberare (super quo tuam conscientiam oneramus) omnino debeas et tenearis, volumus et decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XVIII iulii MDCVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 18 iulii 1608, pontif. an. IV.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

CXIV.

Venerabilis servus Dei Ludovicus Bertrandus beatorum numero adscribitur[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In Sede principis Apostolorum, nullis licet nostris suffragantibus meritis, a Domino constituti, piis catholicorum regum et aliorum fidelium votis, quibus virtutum Dominus in servis suis honorificatur, libenter annuimus et apostolicâ auctoritate indulgemus, prout in Domino conspicimus expedire.

Philippus rex Hispaniaeque proceres venerabilem Ludovicum Bertrandum beatum vocari, officiumque de eo, missamque legi petunt.

§ 1. Sane charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, regni Valentiae, et totius Ordinis fratrum Praedicatorum nomine nobis expositum fuit, quod bonae memoriae Ludovicus Bertrandus Valentinus, dicti Ordinis fratrum Praedicatorum professus, multis et eximiis virtutibus et gratiis vivens, ac miraculorum dono a Domino tam in vitâ quam post mortem illustratus fuit, et ideo magna est etiam erga eius nomen et memoriam populorum et Aragonum regni devotio. Quapropter tam dictus Philippus rex, quam regnum, et Ordo praedicti, semel et iterum, nobis supplicari fecerunt, ut, donec canonizationis honorem, quem dicto Ludovico ob excellentia eius merita aliquando divinâ adspirante gratiâ habitum iri sperant, ab Apostolicâ Sede impetrent, eumdem Ludovicum beatum vocari et de eodem Officium et Missam in civitate et regno Valentiae tanquam de confessore non pontifice agi posset, auctoritate apostolicâ indulgeremus.

Annuit Pontifex.

§ 2. Quare nos, re prius per venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales sacris ritibus praefectos, quibus eam examinandam demandavimus, mature discussâ, de eorumdem cardinalium consilio, praedictorum Philippi regis, regni Valentiae, et Ordinis fratrum Praedicatorum supplicationibus inclinati, quod imposterum dictus Ludovicus Bertrandus Beatus nuncupari, deque eo in civitatis et regni Valentiae omnibus monasteriis et ecclesiis fratrum atque monialium eiusdem Ordinis Praedicatorum ab ipsis fratribus et monialibuus die decimâ nonâ mensis octobris, quae, ut asseritur, eius obitus dies est, singulis annis Officium et Missa de communi unius confessoris non pontificis secundum ritum et consuetudinem sui Ordinis celebrari libere et licite possit et valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XIX iulii MDCVIII, pontificatus nostri anno IV[1].

Dat. die 19 iulii 1608, pontif. an. IV.

---

1 Ex regest. in Secret. Brev.

1 Eâdem die Paulus PP. litteris apostolicis in formâ Brevis datis, et quibus initium est *Totius orbis*, facultatem P. Thomae a Iesu Carmelitae Discalceato, viro clarissimo, ac iis, qui ecclesiasticam callent historiam, apprime noto opere, quod publici iuris fecit, *De conversione omnium Gentium*, facultatem concessit seminarium Ulyssipone erigendi pro istruendis Ordinis sui missionariis, qui in regno Congensi, aliisque Africae partibus, propagandae christianae fidei operam darent. Nos eas ommittendas putavimus, cum exequutioni demandatae non fuerint. Congi siquidem, Africae et Brasiliae missiones PP. Capuccinis commissae postmodum fuerunt, nec sine fidei nostrae emolumento. Erectum tamen posterioribus temporibus fuit seminarium pro missionariis Carmelitis Discalceatis ad aedes sancti Pancrati extra Urbis moenia.

CXV.

Erectio Congregationis sancti Pauli fratrum Ordinis Carmelitarum Discalceatorum pro missionibus obeundis[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Onus pastoralis officii, supremae maiestatis providentiâ nobis, meritis licet imparibus, commissi, debitores nos constituit, non solum populorum christifidelium, sed et universarum gentium salutem sedulo procurandi, quippe qui, ut Apostolus nos admonet, non solum sapientibus, sed etiam insipientibus debitores simus. Quocirca ad universi orbis provincias, urbes et loca et ad universas creaturas, quibus praedicari Evangelium Dominus apostolos suos mandavit, mentis nostrae oculos dirigentes, et de conversione animarum et ad Christi ovile reductionem meditantes, valde opportunum fore existimavimus, ex Ordine beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo novae Reformationis, tam Hispaniarum quam Italiae, in qua, benedicente Domino, viri vitae sanctitate et sacrarum litterarum doctrinâ et christianae fidei propagandae zelo praestantes conspiciuntur, aliquot probitate morum, exemplo vitae, atque scientiâ magis conspicuos eligere et ex illis unam Congregationem, quae in dies similium religiosorum copiâ, ne operariorum messis tam grandis operâ umquam deficiat, augeri poterit, constituere.

Ex nonnullis selectis viris Congregationem Discalceatorum sancti Pauli pro missionibus obeundis erigit.

§ 1. Igitur ad omnipotentis Dei gloriam, sanctae fidei catholicae exaltationem et universi orbis, animarumque, quae extra Ecclesiae Dei gremium per aeternae damnationis viam incedunt, salutem, motu proprio, ac ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ex infrascriptis ad hoc munus electis, tam ex Congregatione Hispaniarum quam Italiae, religiosis viris, qui spiritu Dei afflati huic sanctissimo operi se obtulerunt, nempe ex Congregatione Hispanicâ dilectis filiis Thoma a Iesu, Didaco ab Incarnatione; ex Congregatione vero Italicâ Philippo a sancto Iacopo, Redempto a Cruce, Bartholomaeo Maria a sancto Francisco, Adriano a sancta Maria, Leandro ab Annunciatione, Hyacinto a sancto Angelo, Ioanne Damasceno ab Annunciatione, Hilario a sancto Augustino, Fulgentio a Conceptione, Cassiano a sancto Anselmo, Simeone a Monte Carmelo, Donato et Thaddaeo a sanctis Elia et Donato (quos omnes et singulos idcirco ad hunc effectum penitus et omnino in perpetuum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, separamus, sciungimus et dismembramus a praedictis Congregationibus, tam Hispanicâ, quam Italicâ[1] et ab obedientiâ praelatorum praedictarum Congregationum eximimus) et[2] animarum conversioni procurandae perpetuo emancipatam Congregationem unam sub invocatione sancti Pauli Apostoli[3], ab uno commissario generali cum definitorum interventu iuxta regularia instituta infrascripta regendam et gubernandam, auctoritate et tenore praedictis perpetuo erigimus et instituimus; cuius Religiosorum vocationis praecipuus finis sit, ut orthodoxae fidei propagationi, Ecclesiae sanctae per universum orbem dilatationi, et animarum infidelium et aliorum a dictâ fide errantium ad eiusdem fidei veritatem reductioni et conversioni sedulo incumbant.

Exercitia quibus religiosi antequam ad missiones mittantur vacare debent.

§ 2. Ut autem praedicti Religiosi ad haec sufficienter et pro dignitate praestanda difficultatesque superandas et pericula, quibus in huiusmodi ministeriis se exponent, subeunda aptiores invenian-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. legit *Hispanicae... Italicae* (R. T.).
2 Particula *et* redundare videtur (R. T.).
3 Edit. Main. fert *Apostolici* (R. T).

tur, ante omnia volumus et ordinamus, ut ipsius Congregationis[1] divinarum rerum contemplationi et profectibus animarum vacent, ita ut ex caelestium contemplatione animarum salutis zelus, quasi ex ardentissimae charitatis fonte, derivetur, omnesque deinceps professionis suae tempore, praeter tria quae aliis religiosis sunt communia vota, quartum votum emittant, videlicet per totius vitae spatium et animarum saluti se se operam daturos, et a Sede Apostolicâ seu a commissario generali missos, ad quamlibet totius orbis regionem pro animarum salute procurandâ, etiam cum periculo vitae, ituros.

Quintum votum de non ambiendis dignitatibus debent emittere.

§ 3. Praeterea, quia Evangelii ministros, inter alias, humilitatis praecipue virtutem habere oportet, professionis eiusdem tempore quintum etiam votum non ambiendi dignitates et praelationes, neque directe neque indirecte, per se neque per alium, intra Ordinem neque extra Ordinem, pariter emittant.

Huic congregationi commissarius generalis praeficitur.

§ 4. Et, ut eiusdem Congregationis prospero regimini consulatur, praedictae Congregationis commissarium generalem eumdem Thomam a Iesu eiusdem Ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo novae Reformationis Discalceatorum Congregationis Hispaniarum expresse professum (de cuius pietate, prudentiâ, doctrinâ, et religionis zelo plurimum in Domino confidimus) motu pari constituimus et deputamus, illique, ac successoribus suis futuris pro tempore commissariis generalibus, universam dictae Congregationis sancti Pauli curam in spiritualibus et temporalibus plenarie committimus, ac Congregationem ipsam, eiusque provincias, domos, seminaria, quae pro tempore fuerint, et regulares personas quascumque regendi, gubernandi, visitandi, corrigendi et reformandi, et alia quaecumque ad regimen et administrationem eiusdem Congregationis sancti Pauli pertinentia faciendi, prout omnes et singuli aliorum Ordinum superiores generales in suis Ordinibus de iure vel privilegiis et indultis apostolicis possunt, plenariam et liberam tribuimus facultatem et potestatem.

Qui triennio quolibet eligatur.

§ 5. Ipsum autem fratrem Thomam a Iesu, commissarium generalem a nobis deputatum, hac prima vice officium praedictum ad sexennium obtinere; finito vero sexennio, commissarium generalem huiusmodi de triennio in triennium a capitulo generali eligi, et eum, qui uno triennio commissarii officio functus fuerit, ad illud successive reeligi non posse, sed aliud triennium vacare, pariter volumus et ordinamus: teneaturque commissarius generalis praedictus, secundum regulam Alberti primitivam et constitutiones sui Ordinis (quas quidem constitutiones ad praescriptum huius novae Congregationis instituti ex voto quatuor definitorum, cum primum fieri poterit, aptari[1] volumus, ita ut aptatio sic facienda usque ad capitulum generale celebrandum duret), Congregationem eamdem gubernare.

Commissarii huiusmodi auctoritas.

§ 6. Interea vero, donec dictae constitutiones aptentur, idem Thomas commissarius praedictus omnia et singula, quae praepositus generalis et definitores facere possunt, faciendi auctoritatem habeat. Si vero praedictus commissarius, antequam eligantur definitores, e vitâ decesserit, antiquior ex fratribus praesideat, et, quamprimum fieri poterit, convocatis professis sacerdotibus omnibus, per secreta vota, et servatis aliis ad electionem canonicam per dictas constitutiones requisitis, novus Commissarius eli-

1 Heic aliquid deesse videtur, ex. g. *alumni* vel *religiosi*, vel quid simile (R. T).

1 Edit. Main. legit *optari*, et paulo post *optatio*; sed ex § seq. legend. *aptari* et *aptatio* constat (R. T.).

gatur. Insuper praedictae Congregationi sic erectae, et eidem Thomae a Iesu commissario eiusque successoribus, monasteria et seminaria, servatà formà Concilii Tridentini, erigendi, novitios ad habitum recipiendi et ad professionem regularem suo tempore admittendi, novas constitutiones et ordinationes condendi (dummodo eorum primitivae regulae et ipsius Congregationis instituto, sacris canonibus, Concilio Tridentino, et constitutionibus apostolicis non sint contrariae) facultatem concedimus.

Congregatio huiusmodi ab Ordinariorum et generalis congregationis Italo-Hispanae exempta iurisdictione.

§ 7. Ad haec, eamdem Congregationem sancti Pauli, eiusque monasteria, domos, seminaria, praelatos, et religiosos universos et singulos nunc et pro tempore existentes, illorumque bona mobilia et immobilia ab omni iurisdictione Ordinariorum locorum quorumcumque, necnon ab obedientià, superioritate et potestate praepositorum generalium tam Congrega.ionis Hispaniarum quam Italiae (praeterquam in infrascriptis) perpetuo eximimus, et liberamus, ac exemptos et liberos esse volumus et declaramus, ac sub nostrà et Sedis Apostolicae ac beati Petri protectione suscipimus, nobisque et dictae Sedi immediate subiicimus.

Priori vero generali congregationis Italiae quoad visitationem subsit.

§ 8. Volumus autem, ut praedicta Congregatio eiusque commissarius generalis priori generali dictae Congregationis Italiae tamquam universali et superiori capiti (iuxta tamen formam infrascriptam) subiaceant; qui prior generalis domos, monasteria ac seminaria dictae Congregationis sancti Pauli, eorumque conventus et personas, solus per se ipsum personaliter cum duobus sociis et uno scribà seu secretario ab ipsà Congregatione sancti Pauli eligendo, et iuxta eiusdem Congregationis instituta, nec aliàs, visitare, corrigere et reformare, et delinquentes punire, idque de consensu dictorum sociorum, et intra monasteria ipsius Congregationis dumtaxat (extra quae nullatenus Religiosi praedictae Congregationis, eorumque aliquis, ab eodem praeposito generali amoveri, vel alio modo transferri, neque eorum loco mutari aut[1] poni, neque priores, aut alii[2] officiales eorumdem seminariorum aut monasteriorum et locorum Congregationis sancti Pauli pro tempore eis praesidentes, a suis officiis amoveri, neque alii eorum loco substitui possint[3], nisi ob enormem excessum qui iuste tolerari nequeat, et tunc[4] in defectum praedicti commissarii generalis et de consensu dictorum sociorum, nec aliàs ullo modo), valeat. Prohibemus quoque, ne idem praepositus generalis aliquas gratias particulares praedictis fratribus concedat.

Commissario generali locus asseritur in capitulis generalibus Ordinis.

§ 9. Commissarius autem praedictae Congregationis sancti Pauli cum duobus sociis in capitulo eligendis capitulo generali totius Ordinis interesse, ibique vocem tam activam quam passivam, et locum sibi congruentem tam ipse quam socii habere debeant.

Prior generalis quomodo se gerere debeat in visitatione peragenda.

§ 10. Prior autem generalis praedictus (quoad visitanda monasteria, domos et loca) statutis et privilegiis eiusdem Congregationis sancti Pauli in omnibus et per omnia se conformet, nihilque contra illa renovare aut alterare praesumat; praedictaeque Congregationis, ut praefertur, monasteria, domos, loca et personas visitare valeat; et, antequam visitationem incipiat, hoc ipsum in capitulo generali dictae Congregationis intimare et denunciare teneatur, ad effectum, ut ibi praedicti socii visitationis (uti superius dispositum est) deputentur; ac denique inhibemus, ne in aliquà alià re

1 Hic forsan deest vox *alii* (R. T.).

2 Incongrue edit. Main. heic legit *alios* (R. T.).

3 Vocem *possint* nos addimus (R. T.).

4 Nempe: *et tunc prior generalis valeat etiam illos amovere, sed solummodo in defectum*, etc. Caeterum, quantum potui, mendosissimum locum sanare conatus sum (R. T.).

ad praedictam Congregationem sancti Pauli spectante praedictus generalis, seu alii praelati se nullo modo immisceant, exceptis iis, quae hîc exprimuntur.

Huic congregationi privilegia omnia Ordinis communicantur.

§ 11. Omnia praeterea privilegia, speciali quoque notâ digna, immunitates, exemptiones, libertates, facultates, concessiones, gratias, tam spirituales quam temporales, et indulta, etiam per modum extensionis, vel communicationis cum particulâ exclusivâ, aut aliàs concessa (quorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus) et concedenda universo Carmelitarum et novae Reformationis Ordini et quibusvis aliis fratrum et sororum Mendicantium et non Mendicantium Ordinibus, eorumque congregationibus, conventibus, capitulis, et utriusque sexus personis, tam praelatis quam subditis, ac illorum monasteriis, domibus, ecclesiis, hospitalibus, et quibusvis piis locis, praedictae Congregationi Sancti Pauli, utpote uni ex Mendicantibus, eiusque commissario generali, aliisque superioribus et personis, monasteriis, domibus, ecclesiis et seminariis quibuscumque (ita ut hi omnes et singuli non solum ad supradictorum instar, sed pariformiter, et aeque principaliter, ac perinde ac si illis nominatim et in specie concessa fuissent, huiusmodi privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, concessionibus, gratiis et indultis, illis praesertim, quae personis quibuscumque in animarum conversione laborantibus hactênus concessa sunt aut imposterum concedentur, praeviâ tamen, quoad inferiores fratres, dicti commissarii licentiâ, dummodo tamen Concilio Tridentino et constitutionibus apostolicis non sint contraria, nisi tamen, quoad eos qui in missionibus erunt, post praedictum Concilium alicui fuerint concessa, et non sint revocata, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant ac debeant) praedictâ auctoritate perpetuo pariter concedimus, communicamus et extendimus.

Poenae contra molestiam ei inferentes.

§ 12. Praecipientes sub excommunicationis poenâ, ne quisque quavis auctoritate praedictae Congregationis religiosos super praemissis quomodolibet molestare, perturbare, inquietare aut impedire quovis quaesito colore audeat, vel praesumat.

Transitus ab hac congregatione in Italo-Hispanam et e converso prohibetur.

§ 13. Et sub eâdem poenâ inhibentes religiosis Congregationis Hispaniarum et Italiae praedicti Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, ne ad hanc Congregationem sancti Pauli, et vicissim huius etiam Congregationis religiosis[1], ne ad aliquam praedictarum Congregationum, neque aliam quamcumque, absque nostrâ et pro tempore existentis Romani Pontificis vel suorum generalium speciali licentiâ, transire audeant vel praesumant, quam excommunicationis poenam tam transeuntes quam illos admittentes incursuros declaramus.

Clausulae pro praedictorum firmitate.

§ 14. Decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque perpetuo valida, firma, et efficacia fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, nec a quoquam quavis auctoritate fungente impugnari, rescindi, retractari, vel revocari, neque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari nullatenus[2] posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores (sublatâ eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Edit. Main. legit *religiosi* (R. T.).
2 Legendum *ullatenus* (R. T.).

Ordinarii omnes huiusce constitutionis executores deputantur.

§ 15. Hortamur autem in Domino venerabiles fratres patriarchas, archiepiscopos, episcopos, et alios locorum Ordinarios, ac dilectos filios nostros, et Apostolicae Sedis de latere legatos, vicelegatos, nuncios, et alios ministros, illisque in virtute sanctae obedientiae mandamus ut Congregationem sancti Pauli praedictam eiusque religiosos pro nostrâ et Sedis Apostolicae reverentiâ propensius commendatos habentes, illos benigni favoris praesidio, ubi opus fuerit, fulciant, nec non praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte commissarii generalis aut aliorum dictae Congregationis fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ Congregationem ipsam eiusque religiosos eorumdem praemissorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari; contradictores quoscumque per censuras, et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 16. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et Concilii generalis de duabus dictis, dummodo ultra tres dietas quis non trahatur, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis Carmelitarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis, quibusvis Ordinibus, congregationibus, superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 17. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo dictae Congregationis, vel alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae praesentibus originalibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXII iulii MDCVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 22 iulii 1608, pontif. an. IV.

CXVI.

Episcopis Mazariensi et Agrigentino in regno Siciliae mandatur, ut cogant ecclesiasticos, tam saeculares quam cuiuscumque Ordinis regulares, ad revelanda, iustoque pretio vendenda blada et frumenta tempore caritatis annonae in eodem regno, usque ad novam messem[1].

Venerabilibus fratribus Mazariensi et Agrigentino episcopis, nec non dilecto filio etiam venerabilis fratris archiepiscopi Panormitani in spiritualibus vicario generali

Paulus Papa V.

Venerabiles fratres et dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Proregis Siciliae petitio.

§ 1. Expositum nobis nuper fuit nomine dilecti filii nobilis viri Ioannis Fernandez Pacheco marchionis Villenae,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

regni Siciliae proregis, quod in eodem Siciliae regno frumenti et bladorum messis hoc anno tenuis adeo fuerit, ut non obscure colligatur, annonam graviorem, ac magnam populi eiusdem regni, pauperum praecipue, calamitatem successuram: quibus ipse marchio prorex, ut iuxta officii sui debitum provide occurrat, nullam praetermittit diligentiam, qua eisdem opportune consuli posse speret. Quare cum intellexerit in eodem regno et insulâ Siciliae complures personas ecclesiasticas, tam saeculares quam regulares, etiam hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, reperiri, quae frumentum, quod habent, absconditum servant, ut illud quanti plurimi poterunt vendant, magno cum proximi detrimento ac Dei offensâ, quod a christianâ, qua ecclesiasticos praecipue praestare decet, pietate ac charitate alienissimum est: ideo nobis humiliter supplicari fecit, ut opportune desuper providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Commissio de qua in rubrica.

§ 2. Nos igitur iustis eiusdem Ioannis marchionis proregis petitionibus annuentes, ac supplicationibus inclinati, vobis et cuilibet vestrum per praesentes committimus et mandamus, ut quascumque personas ecclesiasticas, tam saeculares quam cuiusvis Ordinis et instituti regulares, etiam dicti hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, cuiusvis status, gradus, ordinis, dignitatis, praeeminentiae et conditionis existant et quantumvis exemptas, ac nobis et Apostolicae Sedi immediate subiectas, per pecuniarias, ac amissionis frumentorum et bladorum quae habent, ac, in subsidium, per censuras et poenas ecclesiasticas arbitrio vestro declarandas, aggravandas et reaggravandas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, omni et quacumque appellatione, recursu et reclamatione postpositis, auctoritate nostrâ cogatis et compellatis, ut frumenta et blada quae habent, etiamsi ex redditibus ecclesiasticis percepta fuerint, vobis et vestrum cuilibet, seu a vobis et quolibet vestrum deputandis, fideliter notificent, ac, detractâ ex eisdem frumentis et bladis eâ quantitate, quae pro usu illa habentium et illorum familiarium, usque ad novam messem, respective necessaria fuerit, residuum pro communi populorum usu (iusto pretio, praesente tamen pecuniâ, solvendo, nisi aliud venditoribus placuerit) vendant;

Facultates ad id commissariis concessae.

§ 3. Et ut praemissa adimplere facilius in Domino valeatis et quoscumque tam ecclesiasticos quam laicos ad frumenta et blada revelanda sub poenis et censuris ecclesiasticis tam in genere quam in specie compellatis: nos enim vobis et vestrum cuilibet super his omnibus et singulis per praesentes opportunam facultatem tribuimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quarumvis ecclesiarum, monasteriorum, Ordinum et dicti hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis: quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Tempus commissionis limitatum.

§ 5. Volumus autem, ut praesens commissio, seu mandatum ac facultas, ad messem novam usque tantum perduret,

ac in compellendis ecclesiasticis debitus honor et reverentia Ordini habeatur.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXX iulii MDCVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 30 iulii 1608, pontif. an. IV.

CXVII.

Nuncio apostolico apud Helvetios commoranti committitur, ut quamdam concordiam super nonnullis bonis et iuribus initam, inter abbatem monasterii sancti Galli nullius dioecesis provinciae Maguntinae, et consules ac magistratum oppidi Wangen in Helvetiâ, confirmet.

**Paulus Episcopus
servus servorum Dei**

Dilecto filio nuncio apostolico apud Helvetios commoranti, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

His quae, pro monasteriorum et aliorum religiosorum locorum commodo et utilitate, ex concordiâ seu transactione provide facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo et illibata persistant; libenter, cum a nobis petitur, apostolici mandamus adiici muniminis firmitatem.

Paulus II statutis poenis decrevit a delegatis apostolicis in causis alienationum bonorum ecclesiasticorum utilitatem Ecclesiarum esse respiciendam.

§ 1. Dudum siquidem a felicis recordationis Paulo Papa II, praedecessore nostro, emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet [1]: Paulus Episcopus servus servorum Dei. Cum in omnibus iudiciis sit rectitudo iustitiae et praescientiae [2] puritas observanda, id multo magis in commissionibus [1] alienationum rerum ecclesiasticarum convenit observari, in quibus de Christi patrimonio et dispensatione pauperum, non de proprio cuiusque peculio, agitur aut tractatur. Quapropter oportet, ut, in examinandis huiusmodi alienationum causis, quae a Sede Apostolicâ in formâ *Si in evidentem utilitatem cedant*, oneratis ecclesiasticorum iudicum conscientiis, delegantur, nihil favor usurpet, nihil timor extorqueat, nulla expectatio praemii iustitiam, conscientiamque subvertat. Monemus igitur, et, sub interminatione divini iudicii, omnibus commissariis et delegatis huiusmodi praecipimus, ut caute et diligenter attendant causas in litteris apostolicis per supplicantes [2] expressas, illasque sollicite examinent atque discutiant, testes et probationes super narratorum veritate recipiant, et, solum Deum prae oculis habentes, omni timore aut favore deposito, ecclesiarum indemnitatibus consulant, nec in laesionem aut in detrimentum earum decretum quomodolibet interponant. Si quis autem commissarius aut delegatus, conscientiae suae prodigus, in gravamen aut detrimentum Ecclesiae, per gratiam, timorem vel sordes, alienationi consenserit, aut decretum vel auctoritatem interposuerit, inferior quidem episcopo sententiam excommunicationis incurrat; episcopus vero aut superior ab exequutione officii per annum noverit se suspensum, ad aestimationem detrimenti Ecclesiae illati nihilominus condemnandus, sciturus, quod, si suspensione durante damnabiliter ingesserit se in divinis, irregularitatis laqueo se involvere [3], a qua nonnisi per summum Pontificem poterit liberari. Is vero, qui dolo vel

1 Sequens Pauli II Constitutio iam habebatur in *Bullario* tom. V pag. 183; attamen hic iterum insertam tradit Cocquelines (R. T.).

2 Legendum *conscientiae*, uti ex loco cit. constat. (R. T.).

1 Loco cit. legitur *concessionibus* (R. T).

2 Ibidem legitur *supplicationes*; minus recte (R. T.).

3 Legendum se *involvet* (R. T.).

fraude aut scienter in detrimentum Ecclesiae[1] alienationem fieri procuraverit, aut per sordes vel impressionem alienationis decretum extorserit, similem sententiam excommunicationis incurrat, a qua nonnisi per Romanum Pontificem poterit absolvi, ad restitutionem nihilominus rerum alienatarum cum fructibus, quandocumque de praemissis constiterit, condemnandus. Volumus autem quod delegati et commissarii praedicti de poenis constitutionis nostrae specifice moneantur et in quibuscumque litteris commissionum[2] huiusmodi hoc statutum nostrum inseratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae monitionis, praecepti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MCDLXV, quinto idus maii, pontificatus nostri anno I.

Abbas monasterii sancti Galli et consules oppidi Wangen quamdam concordiam ineunt.

§ 2. Et deinde exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Bernardi abbatis monasterii, Sedi Apostolicae immediate subiecti, sancti Galli in Helvetiis Ordinis sancti Benedicti, nullius dioecesis, provinciae Maguntinae, necnon modernorum consulum et magistratus oppidi Wangen petitio continebat, quod, cum, de anno Domini MDLXXXVI, quondam Ioachinus, olim abbas dicti monasterii, certa quaedam bona ad ipsum monasterium spectantia, ac intra et extra dictum oppidum existentia (videlicet ius advocariae[3] ab eodem monasterio praetensum, non tamen actualiter possessum, item ius et censum feudi, necnon ius directum in hospitale, certos servos et complura feuda rustica, cum quibus etiam iuspatronatus duarum ecclesiarum parochialium Wangen et Tuchelridt, ac nonnullorum beneficiorum ecclesiasticorum in dicto oppido existentium, ac quidam census et decimae transiverant; praeterea quoddam dominium novo nomine Spergam nuncupatum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis) consulibus et magistratui praedictis, pro certo tunc expresso pretio, vendidisset, ac dictus Bernardus abbas, praetendens venditionem huiusmodi non tantum multis nullitatibus laborare, sed etiam in magnum praeiudicium et damnum dicti monasterii factam fuisse, et ante quatuor annos, plus vel minus, contra eam reclamari et protestari coepisset, causamque desuper coram certis illarum partium iudicibus competentibus committi obtinuisset; postmodum, illà adhuc pendente indecisà, Bernardus abbas et consules et magistratus praedicti, volentes litium anfractus et dubios eventus declinare, mutuamque inter se et successores suos benevolentiam conservare, ad infrascripta, mediante voto viri gravis et eruditi, ac consilio dilecti filii abbatis monasterii Wengacsen, eiusdem Ordinis, arbitri commissarii a Bernardo abbate necnon consulibus et magistratu praedictis electi, devenerunt inter se ad concordiam, seu transactionem, videlicet, quod Bernardus abbas, suo et praedicti monasterii S. Galli nomine, omnibus et singulis praetensionibus, iuribus et bonis, quae idem monasterium S. Galli intra et extra muros dicti oppidi Wangen aliquando habuit, sive ea liquida sive olim controversa fuissent, et in favorem eiusdem Wangen cedere et renunciare[1]; consules vero et magistratus praedicti, pro cessione et renunciatione praetensionum, iurium et bonorum huiusmodi, dicto

1 Ibidem legitur *ecclesiarum* (R. T.)

2 Ib. legitur *litteris* et *commissionibus* (R. T.).

3 De *advocaria* et *advocatia* v. Ducange (R. T.).

1 Subintellige verbum *teneretur*, quod paulo post sequitur (R. T.).

Bernardo abbati seu eidem monasterio S. Galli universum dominium Novoramen[1] Spergam praedictum cum iuribus et pertinentiis suis quibuscumque[2]; Bernardus vero abbas praedictus oppido Wangen seu illius consulibus et magistratui praedictis unum et viginti mille ac noningentos florenos romanos ex pretio aliàs accepto restituere teneretur, prout in concordiâ seu transactione huiusmodi ac scripturis publicis desuper confectis dicitur contineri.

Petiturque eam Pontificiâ auctoritate roborari.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, concordia seu transactio huiusmodi, non solum pro componendis lite et causâ praedictis, sed etiam pro evidenti dicti monasterii sancti Galli utilitate inita esse dignoscatur, idque ex informatione tuâ, de mandato nostro super praemissis diligenter et accurate factâ et ad nos transmissâ, plene et sufficienter constet, pro parte Bernardi abbatis ac consulum et magistratus praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus concordiae seu transactioni huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione inviolabili, robur apostolicae confirmationis adiicere, aliàsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Paulus rem Nuncio apostolico committit.

§ 4. Nos igitur certam de praemissis notitiam[3] habentes, ac Bernardum abbatem, necnon consules et magistratum praedictos, ac eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon bonorum et dominii praedictorum situationes, confines, vocabula, denominationes, qualitates, quantitates, ac veros et annuos valores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus (si et postquam, vocatis qui fuerint evocandi, ac specificatis prius coram te bonis et dominio praedictis, nec non servatâ formâ litterarum praedecessoris huiusmodi, de concordiâ seu transactione huiusmodi et quod in evidentem dicti monasterii S. Galli cesserit et cedat utilitatem, ut praefertur, legitime constiterit) concordiam seu transactionem praedictas auctoritate nostrâ perpetuo approbes et confirmes, illique perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicias, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti et solemnitatum de usu, iure et consuetudine aut aliàs quomodolibet requisitarum vel necessariarum, ac quosvis alios, etiam quantumvis substantiales, defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem, suppleas, decernendo, concordiam, seu transactionem huiusmodi perpetuo validam et efficacem esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac tam ab ipsis Bernardo abbate et consulibus et magistratu, quam eorum successoribus et quibusvis aliis, ad quos nunc quomodolibet spectat et spectare poterit in futurum, perpetuo firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri debere, nec ab illis ullo umquam tempore, quovis praetextu, colore vel ingenio, resiliri vel recedi posse, ac praesentes litteras semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis

1 Sic legitur hoc loco; paulo superius habebatur *novo nomine Spergam nuncupatum* (R. T.).

2 Subintellige *restituere tenerentur*, quod paulo post sequitur (R. T.).

3 Heic edit. Main. fert particulam *non* quam nos abolendam esse censuimus (R. T.).

auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et vicelegatos, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus singulis praemissis, ac Pauli praedecessoris huiusmodi, et quorumvis aliorum Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, ac aliis quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, neenon monasterii S. Galli et Ordinis praedictorum, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis, illis illorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis: quibus omnibus, etiamsi de illis specialis mentio habenda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicae MDCVIII, septimo idus augusti, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 7 augusti 1608, pontif. an. IV.

CXVIII.

Quod monachi Congregationis beatae Mariae Fuliensis, Ordinis Cisterciensis, possint ubique, de solâ Ordinariorum licentiâ, nova monasteria construere[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ministerio sacri apostolatus officii licet immeriti praesidentes, ad ea, per quae cunctorum fidelium, praesertim Religiosorum sub reformatione ad arctiorem regularis disciplinae observantiam introductâ vacantium, profectui et eorum locorum regularium propagationi provideatur, libenter intendimus, et ea, quae his quodammodo obstare videntur, tollimus, et aliàs in his officii nostri partes favorabiliter impertimur, prout, rerum, temporum et personarum qualitatibus diligenter pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Fructus ex huius Congregationis ampliatione manantes.

§ 1. Cum igitur, sicut cum magno spirituali gaudio nostro accepimus, dilecti filii Religiosi et monachi Congregationis beatae Mariae Fuliensis Ordinis Cisterciensis, tam Galliae quam Italiae aliisque mundi partibus, pergant assidue Deo et Ecclesiae suae sanctae (non solum ipsi Deo per orationem et contemplationem sedulo vacando, verum etiam animarum salutem exemplo et doctrinâ sollicite procurando) gratum exhibere famulatum; cumque in dies fructus uberiores ex dictae Religionis propagatione, benedicente Domino, sperandi sint: nos ad[1] ea, quae Religiosorum praedictorum adiumento esse possunt, concedenda, et ad ea, quae illis in hoc impedimentum aliquod adferre dignoscuntur, removenda, merito propensiores sumus.

Pontifex loca ubique de sola ordinariorum licentia construi et recipi posse concedit.

§ 2. Quapropter dictam Congregationem Fuliensem specialis gratiae favore prosequi volentes, illiusque singulares personas a quibusvis excommunicationis, etc., censentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petititionis instantiam, sed de merâ deliberatione ac certâ scientiâ, deque apostocae potestatis plenitudine, de consilio

1 Istam Congregationem primo approbavit Sixtus V Constit. XC *Super specula* (in h. n. edit. CX tom. VIII pag. 945).

1 Praep. *ad* nos addimus (R. T.).

venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, negociis Episcoporum et Regularium praepositorum, eiusdem Congregationis Fuliensis generali, abbatibus, prioribus, religiosis ubique locorum (iuxta litterarum felicis recordationis Sixti Papae V praedecessoris nostri super erectione Congregationis huiusmodi, sub datum idibus novembris, pontificatus sui anno III, expeditarum formam et tenorem, quas praesentibus pro expressis, ac si de verbo ad verbum insererentur, haberi volumus, ac dictae Congregationis, constitutiones et statuta) monasteria, domos, conventus, oratoria, grangias et alia quaecumque loca, iuxta Concilii Tridentini decreta, de solà Ordinariorum licentià, nullo aliarum personarum cuiusvis Ordinis, etiam regularium, requisito consensu, construere, fundare et erigere, ac etiam per alios iam fundata et erecta recipere possint et valeant, auctoritate apostolicà, tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et impertimur.

Exequutores huius constitutionis deputat.

§ 3. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Tholosano, et episcopo Parisiensi, seu eorum officiali, et vicario in spiritualibus generali respective, ac dilecto filio curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et perpetuo mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes nostras litteras, et in eis contenta quaecumque, quoties pro parte dictae Congregationis Fuliensis religiosorum vel cuiuslibet eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrà ab omnibus inviolabiliter observari, dictaeque Congregationis monachos ac eorum singulos illis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos vel quemlibet eorum per quoscumque desuper quomodolibet indebite molestari vel perturbari; contradictores et rebelles quoslibet per sententias, censuras et poenas, etiam pecuniarias, eorum arbitrio imponenendas, moderandas, et applicandas, caeteraque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariisque derogat.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Clementis Papae VIII, similiter praedecessoris nostri, quae incipit: *Quoniam ad institutam*, sub datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris die XXIII iulii MDCIII, pontificatus sui anno XII [1], necnon piae memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, ac cuiusvis alterius Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicà vel quavis firmitate alià roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis aliis Ordinibus ac eorum superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse de-derogamus, caeterisque contrariis qui-

1 Quam habes supra pag. 21 huius vol (R. T.).

buscumque; aut si aliquibus, communiter aut divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis quoque credi mandat.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, aut manu generalis et sigillo dictae Congregationis Fuliensis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et alibi, ubi opus fuerit, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris die XIV augusti MDCVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 14 augusti 1608, pontif. an. IV.

CXIX.

Confirmantur litterae Clementis Papae VIII super reductione fratrum Tertii Ordinis sancti Francisci regni Franciae ad obedientiam magistri generalis Ordinis sancti Francisci de Observantiâ [1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

In supremi Apostolatus apice constituti ad [2] ea libenter intendimus, per quae Religiosorum Ordinum quorumcumque status optime dirigitur, et quae ideo etiam apostolicâ auctoritate facta fuerunt, ut firmiora perpetuo subsistant, nostrae quoque apostolicae auctoritatis robore communimus.

Clemens VIII fratres Tertii Ordinis Provinciae Franciae ad obedientiam ministri generalis de Observantia rodigi iussit.

§ 1. Aliàs siquidem a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro emanarunt in simili formâ Brevis litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Eiusdem Clementis litterae.

Ex iniuncto nobis pastoralis muneris debito Religiosorum quorumcumque statui prospere dirigendo libenter prospicimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Volentes igitur prospero statui et felici regimini fratrum Tertii Ordinis sancti Francisci in regno Franciae existentium, quantum in Domino possumus, opportune prospicere, motu proprio, et ex certâ nostrâ scientiâ, ac merâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, universos fratres dicti Tertii Ordinis sancti Francisci regni Franciae, eorumque conventus, seu domos quascumque, dilecto filio ministro generali Ordinis sancti Francisci de Observantiâ, ac commissario generali ultramontanae familiae praedicti Ordinis, nec non commissario generali nationali Franciae, quem praedictus minister generalis pro tempore deputaverit, qui, ut accepimus, in ipsorum ministri et commissarii generalis absentiâ septem provincias dicti Ordinis Minorum de Observantiâ regni Franciae gubernare solet, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo subiicimus, ipsisque ministro et commissario generalibus ultramontanae familiae, nec non commissario generali nationali Franciae respective, ut eorum singuli, per se, vel alios sui Ordinis fratres ad hoc idoneos, ab eis respective deputandos, domos et conventus ac fratres Tertii Ordinis sancti Francisci supradictos tam in capite quam in membris visitare, corrigere, reformare et castigare, necnon electionem ministri provincialis, ut infra,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Perperam edit. Main. legit *de ea* (R. T.).

faciendam, servatâ formâ decretorum Concilii Tridentini, facere et confirmare possint, facultatem concedimus et impertimur.

Praeterea, cum modo praedicti Tertii Ordinis fratres ministrum provincialem non habeant, volumus et eâdem auctoritate statuimus et ordinamus, quod fratres praedicti Tertii Ordinis, seu eorum conventuum superiores et alii vocales, in unum congregentur iussu dicti ministri generalis sancti Francisci de Observantiâ, seu commissarii nationalis Franciae, et ex se ipsis unum ministrum provincialem per vota secreta eligant, qui, sic electus, ab eodem ministro generali vel commissario nationali Franciae, aut alio qui eorum nomine huiusmodi electioni praefuerit, confirmari[1] debeat, ac omnibus privilegiis, facultatibus et auctoritate super omnes dicti Tertii Ordinis conventus et fratres regni Franciae, quibus alii ministri provinciales aliarum provinciarum Tertii Ordinis sancti Francisci huiusmodi ubivis existentium frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, sine aliquâ differentiâ frui et gaudere possit et debeat, prout ei ad hoc nominatim facultatem concedimus et impertimur.

Volumus tamen, quod singulis bienniis, seu trienniis, iidem fratres vocales Tertii Ordinis praedicti capitulum provinciale celebrent, ante cuius celebratiobrationem tunc existens minister eorum provincialis teneatur a dicto generali ministro fratrum de Observantiâ, vel a commissario generali ultramontanae familiae, seu a commissario generali Franciae nationali eiusdem Ordinis de Observantiâ, visitatorem petere, qui eorum provinciam visitet, et electionem novi ministri provincialis, ut supra, faciat et confirmet.

1 Edit. Main. legit *confirmare*; erronee, ut patet (R. T.).

Verum, si huiusmodi visitator intra duos aut tres menses ad summum non accesserit, supradicti fratres Tertii Ordinis ad celebrationem capituli et electionem novi ministri provincialis, absque interventu dicti visitatoris procedere valeant, de qua electione visitatorem postea accedentem, qui eam confirmare teneatur, certiorem facere debeant. Sed, si post factam huiusmodi electionem, et dictis superioribus notificatam, electio praedicta intra sex menses ab eis confirmata vel infirmata non fuerit, ipsa electio apostolicâ auctoritate censeatur confirmata eo ipso.

Decernentes sic, et non aliter, perpetuo observari debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Tertii Ordinis sancti Francisci, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et constitutionibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini illiusque superioribus et personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus, et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Tusculi sub annulo Piscatoris die II octobris MDCIII, pontificatus nostri anno XII[1].

Exequutionem demandat praecipit Paulus

§ 2. Nos igitur omnino cupientes dictas Clementi praedecessoris litteras suos plenarios et integros effectus, ubi sortitae non sunt, perpetuo sortiri, ac maius, quo saepius a Sede Aposolicâ fuerint

1 Huiusmodi litterae in *Bullario* Clementis non legebantur (R. T.).

confirmatae, firmitatis robur obtinere; motu simili, ac ex certâ nostrâ scientiâ et merâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, easdem litteras et in eis contenta quaecumque perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae, indubitatae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac per eos, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, etiam perpetuo observari mandamus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes pariter irritum et inane, quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Tertii Ordinis sancti Francisci, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, nec non omnibus illis, quae idem Clemens praedecessor in iisdem praeinsertis litteris voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXVII augusti MDCVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 27 augusti 1608, pontif. an. IV.

CXX.

Contra mulieres ingrediendi monasteria Monialium licentiis abutentes.

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Facultatem plura monasteria monialium ingrediendi abusus tollere volentes;

Declaratio circa usum licentiarum.

§ 1. Tenore praesentium statuimus et ordinamus, quod nulla persona, cuiuscumque gradus, status et conditionis ac praeeminentiae existat, etiamsi ducali, marchionali, aut aliâ dignitate praefulgeat, vigore licentiarum plura monasteria, domos et loca monialium pluribus vicibus ingrediendi, etiam absque clausulâ (in totum, seu in universa, non autem in eorum aliqua, vel singula) a nobis vel praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sub quovis tenore vel formâ, etiam motu proprio, concessarum et expeditarum, aut imposterum forsan concedendarum et expediendarum, aliqua vel singula monasteria pluribus vicibus ingredi possit; sed licentiae huiusmodi respectu universorum, non autem aliquorum vel singulorum monasteriorum, suffragentur, ita ut cui bis in anno, seu amplius, plura monasteria ingredi conceditur, bis vel amplius tantum universa, non autem eorum aliqua vel singula, ingredi liceat, etiamsi praedicta monasteria in diversis civitatibus, terris, dioecesibus, et locis existant.

Poena abutentium.

§ 2. Iisdem mulieribus, aliter quam ut praefertur easdem licentias interpretari, vel illis uti, sub censuris et poenis, a Concilio Tridentino et apostolicis constitutionibus intra septa monasteriorum monialium absque licentiâ ingredientibus inflictis, ipso facto incurrendis, eâdem auctoritate prohibemus.

Clausula derogatoria.

§ 3. Praemissis et aliis quomodolibet in contrarium facientibus quibuscumque non obstantibus.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem, ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, qui ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris die I septembris MDCVIII, pontificatus nostri anno IV[1].

Dat. die 1 septembris 1608, pontif. an. IV.

1 Die XVI mensis huius Paulus PP. Constitu-

CXXI.

Monachis Ordinis sancti Basilii magni conceditur facultas monasteria erigendi Matriti, et in aliis quatuor Hispaniarum locis[1].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Clemens VIII, duobus exceptis Basilitarum monasteriis in Hispaniis, in caeteris novitios recipi cavit.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Celi, Ordinis sancti Basilii procurator generalis, nomine omnium monasteriorum dicti Ordinis in regnis Hispaniarum existentium, quod aliàs felicis recordationis Clemens Papa VIII, praedecessor noster, duo monasteria del Tardon nuncupata ab aliis eiusdem Ordinis monasteriis dictorum regnorum separavit, et, duobus illis exceptis, caeteris omnibus receptionem novitiorum, novorumque locorum, seu monasteriorum fundationem interdixit[2]. Subinde tamen dilectus filius noster Ioannes Garzias tituli sanctorum Quatuor Coronatorum presbyter cardinalis Millinus nuncupatus, tunc noster et Sedis Apostolicae in dictis regnis nuncius, de mandato nostro monasteriis praedictis constitutiones monachorum dicti Ordinis provinciae Italiae assignavit.

Et cardinalis Millinus eis regulas monasteriorum Italiae tradidit.

Petunt itaque facultatem sibi concedi nova erigendi monasteria Matriti, et in aliis Hispaniarum locis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in oppido Madriti Toletanae dioecesis nullum monasterium dicti Ordinis reperiatur; et propterea monachi eiusdem Ordinis, qui ad curiam charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici pro negotiis suorum monasteriorum pertractandis accedunt, ad hospitia personarum saecularium divertere et inibi etiam morari cogantur; idcirco superiores et monachi dictorum monasteriorum plurimum cupiant, sibi concedi, ut tam in praedicto oppido, quam in aliis dictorum regnorum locis nova monasteria erigere possint; idcirco dictus Petrus, nomine quo supra, nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Paulus concedit ut illa Matriti, et in aliis quatuor locis possint erigere.

§ 3. Nos igitur ad[1] ea, quae monachorum praedictorum augmento et commoditatibus cedere possunt, libenter attendentes, dictosque superiores et monachos ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, superioribus et monachis praedictis, ut in dicto oppido Madriti, et quatuor aliis locis dictorum regnorum, monasteria eiusdem Ordinis iuxta Concilii Tridentini decreta, de solâ licentiâ Ordinariorum, nullo aliarum personarum cuiusvis Ordinis requisito consensu, absque tamen alicuius praeiudicio, condere, fundare et erigere valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et indulgemus.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus dicti Clementis praedecessoris interdicto praedicto, ac eiusdem quae incipiunt *Quoniam ad institutam*, sub datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die XXIII iulii MDCIII, pontificatus sui anno XII[2], aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et cuiusvis alterius Ordinis,

tione, quae incipit *Iniuncti nobis*, privilegia omnia Ordini Minorum de Observantiâ concessa confirmavit.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Vide Clem. VIII Constit. CCCXXVIII superius relatam pag. 39 huius tomi (R. T.).

1 Edit. Main. iterum leg. *de ea* ut supra pag. 546 (R. T.).

2 Quae a *Bullario* exulant (R. T.).

etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis aliis Ordinibus ac eorum superioribus et personis, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XVII septembris MDCVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 17 septembris 1608, pontif. anno IV.

CXXII.

Deputatio cardinalis Lantes in protectorem Ordinis fratrum Minorum Conventualium sancti Francisci, cum facultatum declaratione[1].

Dilecto filio nostro Marcello, tituli sanctorum Quirici et Iulittae, presbytero cardinali Lantes nuncupato

Paulus Papa V.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Deputatio cardinalis Lantes in protectorem.

§ 1. Cum Ordo fratrum Minorum Conventualium sancti Francisci protectore ad praesens destitutus reperiatur; nos eidem Ordini de idoneo protectore providere volentes, ac de tuâ industriâ, singulari prudentiâ, doctrinâ et integritate ac religionis zelo, plurimam in Domino fiduciam habentes, motu proprio, non ad ipsius Ordinis, aut eius superiorum, vel alterius pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et deliberatione nostris, te, ex cuius protectione ob tuas eximias virtutes Ordinem praedictum commodi plurimum suscepturum esse confidimus, praedicti Ordinis, ac illius domorum, conventuum et fratrum quorumcumque, apud nos et Sedem Apostolicam protectorem, cum omnibus facultatibus, iurisdictionibus, honoribus et oneribus solitis et consuetis, ac quibus alii Ordinis huiusmodi protectores usi sunt, ac uti quomodolibet potuerunt, seu etiam debuerunt, ad tui vitam facimus, constituimus et deputamus.

Declaratio auctoritatis.

§ 2. Volumus autem, ac tibi in virtute sanctae obedientiae per praesentes easdem iniungimus et mandamus, ut superiorum dicti Ordinis auctoritatem, quantum fieri poterit, conservare cures. Et propterea, cum ipsi superiores eorum officii debito satisfecerint, ac gubernio subditorum sufficienter incubuerint, tunc negociis eorumdem fratrum te non immisceas. Quando autem ab ipsis fueris requisitus, ut in eisdem negociis auctoritatem interponas, vel necesse fore cognoveris ut eamdem auctoritatem tuam in eisdem negociis exerceas, tunc id libere facere possis: sed, quoad potueris, per te ipsum hoc facere cures, adhibito ad scribendum, quando opus fuerit, in eisdem negociis seu causis, loco notarii, aliquo ex fratribus dicti Ordinis.

Obedientia ei dem praestanda.

§ 3. Mandantes propterea praedictis superioribus nec non universis fratribus et personis quibuscumque Ordinis huiusmodi in virtute sanctae obedientiae, ut te in eumdem protectorem iuxta praesentium tenorem recipiant et eâ, qua

1 Easdem fere facultates habent alii aliarum Religionum protectores, sed has congruentius ponendas duxit Cherubinus.

decet, reverentià prosequantur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Adhortatio ad eumdem cardinalem.

§ 4. Caeterum te in Domino hortamur, ut huiusmodi protectionis munus ita obire studeas, ut apud Deum bonorum operum retributorem aeternum praemium et a nobis condignam laudem valeas promereri.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die VII octobris MDCVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 7 octobris 1608, pontif. an. IV.

CXXIII.

In hospitali sancti Ioannis Hierosolymitani praecedentia servanda iuxta antianitatem receptionis magnae crucis[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Circumspecta Romani Pontificis, in quo plenitudo potestatis consistit, providentia in id magnopere intendit, ut christifideles, praesertim Religioni addicti, semotis discordiis, Altissimo famulatum exhibeant.

Facti series.

§ 1. Sane non sine animi nostri molestià accepimus, in conventu hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani controversias inter baiulivos capitulares et priores seu fratres magnae crucis nuncupatos dicti hospitalis circa locum et praecedentiam tam in processionibus quam in publicis et privatis sessionibus in ecclesià et extra eam quotidie exoriri, cum alii alios variis rationibus et praetensionibus praecedere praetendant et propterea quandoque ad publica consilia venire, non sine scandalo et perturbatione dicti hospitalis, recusent.

Declaratio de qua in rubrica.

§ 2. Nos idcirco, pro nostri pastoralis officii debito, huic malo occurrere volentes, ac singulorum baiulivorum et priorum seu fratrum magnae crucis praedictorum iura, actiones et praetensiones praesentibus pro sufficienter expressis habentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus et caeremoniis praepositorum consilio, et apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, statuimus et ordinamus, ut imposterum perpetuis futuris temporibus inter baiulivos capitulares et priores seu fratres magnae crucis dicti hospitalis nulla alia ratio praecedentiae attendatur, nisi antianitatis receptionis magnae crucis, ut ille scilicet baiulivus capitularis et prior seu frater magnae crucis caeteris tam in publicis quam privatis sessionibus et processionibus praeferatur, qui prius magnam crucem susceperit, licet simplicem habitum dicti hospitalis alius similis baiulivus capitularis et prior seu frater magnae crucis ante ipsum suscepisset, exceptis tamen episcopo et octo baiulivis conventualibus ac priore ecclesiae Melevitanae, inter quos nulla est, sicut accepimus, huiusmodi controversia.

Contraria tolluntur.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac regulà nostrà de non tollendo iure quaesito, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicti hospitalis, etiam iuramento, confirmatione apostolicà, vel quavis firmitate alià roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem hospitali, illiusque magno magistro, conventui et fratribus, ac quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in con-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

trarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die IX octobris MDCVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 9 octobris 1608, pontif. an. IV.

CXXIV.

Declaratur fratres Cappuccinos vere fratres Minores sancti Francisci eiusque filios et eorum constitutiones eiusdem sancti Francisci regulae consentaneas esse[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ecclesiae militantis regimini, auctore Domino, nullo suffragio meritorum, praesidentes, ex iniuncti nobis officii debito providere tenemur, ut, qui sub beati Francisci vexillis, qui inter strenuos Christi duces gloriae splendore coruscat[2], in huius vitae militià sub strictioris eiusdem beati Francisci regulà disciplinae Altissimo obsequium praestant, et per corporis castigationem, per divitiarum contemptum, suique ipsius abnegationem, ieiuniis, orationibus, sacris praedicationibus, aliisque religiosis operibus vacantes, verbo et exemplo veros se se beati Francisci imitatores et germina ostendunt, tales ab omnibus absque ullà controversià habeantur.

Causa huius constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, a nonnullis revocetur in dubium, an fratres Ordinis eiusdem sancti Francisci Cappuccini nuncupati, sint vere fratres Minores, et etiam, quoniam regulam sancti Francisci profitentur, filii sancti Francisci, cum tempore sancti Francisci instituti non fuerint, pariterque an eorum constitutiones aliquid habeant, quod regulae sancti Francisci repugnet;

Cappuccini sunt vere fratres Minores sancti Francisci.

§ 2. Nos dubia huiusmodi apostolicae declarationis oraculo decidere cupientes, cum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, maturà deliberatione habità, hac nostra perpetuo valiturà constitutione, auctoritate apostolicà, declaramus, fratres Cappuccinos esse vere fratres Minores, ac etiam (quamvis tempore sancti Francisci minime instituti fuerint, cum tamen eius regulam profiteantur, atque eorum instituta congruant tam regulae statutis[1], quam eiusdem regulae declarationibus, quae habentur in constitutione felicis recordationis Clementis Papae V praedecessoris nostri in generali Concilio Viennensi editâ, quae incipit: *Exivi de Paradiso*[2]) filios S. Francisci;

Eorumque constitutiones sunt consentaneae regulae sancti Francisci.

§ 3. Eorum praeterea constitutiones nihil continere, quod non sit regulae S. Francisci praedictae consentaneum;

Clausula sublati, etc.

§ 4. Sicque ab omnibus et singulis censeri ac reputari et iudicari debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Exequutores deputantur.

§ 5. Quocirca omnibus et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, archi-

1 Cappuccinorum institutionem primo approbavit Clem. VII in sua Constit. XXIV *Religionis* tom. VI pag. 113.

2 Sic legimus cum Cherubinio, dum edit. Main. legit *coruscant* contra rationem contextus, ut patet (R. T.).

1 Edit. Main. erronee habet *statuti* (R. T.).

2 Quae in *Bull.* hactenus non legitur (R. T.).

episcopis, episcopis, ac dilectis filiis nostris et Apostolicae Sedis nunciis per praesentes mandamus, quatenus ipsi, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte fratrum Cappuccinorum praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ eos praemissis omnibus et singulis, iuxta praesentium continentiam et tenorem, pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo: necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, illos sententias, censuras, et poenas praedictas incurrisse declarando; illasque iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria tolluntur et transumptis additur fides.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, et auctoritate praedictâ decernimus, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris die XV octobris MDCVIII pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 15 octobris 1608, pontif. an. IV.

CXXV.

Conceditur secundas instantias causarum militum Militiarum sancti Iacobi de Spatha, de Calatrava et de Alcantara, a rege catholico earum administratore committi posse duobus militibus dictarum Militiarum locum in consilio regio habentibus[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico

Paulus Papa V.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Philippus rex nonnulla statuerat super modo appellandi in causis huiusmodi Militiarum, easque decidendi,

§. 1. Maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, quod aliàs maiestas tua, pro dirimendis nonnullis differentiis et controversiis inter tribunalia saecularia et consilium Ordinum Militiarum sancti Iacobi de Spatha sub sancti Augustini, ac de Caltrava et Alcantara sub Cisterciensi regulis, quarum tu perpetuus administrator apostolicâ auctoritate deputatus existis, super modo et formâ cognoscendi et tractandi causas criminales et mixtas militum dictarum Militiarum vigentibus, statuit et ordinavit, ut de caetero causae criminales et mixtae militum quorumcumque dictarum Militiarum, qui tamquam delinquentes carceribus mancipati essent, a quibuscumque aliis iudicibus remitti deberent, nec ipsi iudices in ipsorum militum causis se intromittere possint: quodque a sententiis, per dictum consilium super huiusmodi causis criminalibus et mixtis ferendis, ad maiestatem tuam tamquam Militiarum praedictarum administratorem appellari posset: ac eadem maiestas tua causas appellationum huiusmodi in se-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

cundâ instantiâ quatuor iudicibus, quorum duo de consilio regio, et alii duo de consilio ordinum Militiarum praedictarum existerent, committeret; ab istis vero quatuor iudicibus, si partes se gravatas sentirent, illis ad maiestatem tuam tamquam administratorem dictarum Militiarum, ut praefertur, iterum appellare licitum esset; quo casu maiestas tua per se ipsam, adhibitis personis ab eâ deputandis, causas cognoscere et terminare ac sententiam per se ferendam exequutioni demandare quibuscumque non obstantibus omnino deberet.

Quae a Clemente VIII fuerunt approbata.

§ 2. Et subinde felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster per suas in formâ Brevis litteras ordinationem praedictam quoad milites dictarum Militiarum (non tamen clericos beneficiatos, vel in sacris ordinibus constitutos, aut eos qui vulgo *Frayles* nuncupantur, quorum causas, necnon criminales et mixtas ipsorum militum, quae merae existunt ecclesiasticae, videlicet haeresis, simoniae, ac usurae, ubi agitur, an contractus sit foeneratius, vel ne, à praedictâ ordinatione excepit) confirmavit et approbavit, ac inviolabilis firmitatis robore communivit, omnesque et singulos, tam iuris quam facti, defectus, si qui desuper intervenissent, supplevit: et nihilominus, quod causae criminales et mixtae ad milites quarumcumque Militiarum praedictarum (non tamen ad clericos beneficiatos, vel in sacris ordinibus constitutos, aut *Frayles* nuncupatos, pertinentes, nec praedictae criminales et mixtae vere ecclesiasticae, haeresis videlicet, simoniae et usurae, ubi agitur an contractus sit foeneratitius) vel in primâ instantiâ per consilium dictarum Militiarum iuxta formam statutorum et stabilimentorum ipsarum Militiarum cognosci et terminari; quodque ad ipsum consilium milites Militiarum, qui tamquam delinquentes carceribus manciparentur, a quibuscumque aliis iudicibus remitti deberent; nec ipsi iudices in ipsorum militum causis, criminalibus et mixtis praedictis, ut supra, exceptis sese intromittere possent; quodque a sententiis, per dictum consilium super huiusmodi causis criminalibus et mixtis ferendis, ad maiestatem tuam tamquam Militiarum praedictarum administratorem appellari posset, ac eadem maiestas tua causas appellationis huiusmodi in secundâ instantiâ quatuor iudicibus, quorum duo de consilio regio et alii duo de dicto consilio ordinum Militiarum huiusmodi essent, committere; ab ipsis vero quatuor iudicibus, si partes se gravatas sentirent, illis ad maiestatem tuam tamquam administratorem dictarum Militiarum, ut prafertur, iterum appellare liceret; quo casu maiestas tua per se ipsam, adhibitis personis ab eâ deputandis, causas easdem in tertiâ et ultimâ instantiâ cognoscere et terminare, quacumque ulteriori appellatione remotâ, deberet, statuit et ordinavit, prout in dictis litteris plenius continetur[1].

Idem Philippus statui petit prout in rubrica.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, maiestati tuae conveniens visum fuerit, ut duo iudices per eamdem maiestatem tuam, uti dictarum Militiarum administratorem, ex consilio tuo regio pro cognitione dictarum causarum in secundâ instantiâ iuxta formam praedictarum liitterarum deputandi, sint etiam dictarum Militiarum milites, si in dicto consilio adfuerint; ideo dictae maiestatis tuae nomine nobis humiliter supplicatum fuit, ut desuper providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concedit Paulus.

§ 4. Nos igitur, honestis maiestatis tuae votis, quantum cum Domino possumus, benigne favorabiliter annuere cu-

1 Huiusmodi Clementis VIII litterae hactenus, quod sciam, in *Bullario* non extant.

pientes, ac dictarum litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod maiestas tua tamquam dictarum Militiarum administrator (quoties causae huiusmodi in secundâ instantiâ committendae erunt quatuor iudicibus, duobus videlicet de consilio regio et duobus de consilio Militiarum praedictis)[1] ita tamen, quod, si in dicto consilio regio dictarum Militiarum extiterint, illis, simulque praedictis duobus de consilio Militiarum, et non aliis, illas committere debeat (exceptione, et litteris praedictis aliàs in suo robore permansuris), auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus, statuimus et ordinamus.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictarum Militiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die v novembris MDCVIII pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 5 novembris 1608, pontif. an. IV.

---

1 Ad syntaxis complementum heic aliqua addenda forent, ex. g., *id quidem faciat, ita tamen*, etc. (R. T.)

CXXVI.

Misso ad Maronitas Iubilaeo admonentur, ut zelosum probumque eligant patriarcham, et in fide erga Sedem Apostolicam perseverent[1].

Paulus Episcopus servus servorum Dei

Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, nec non dilectis filiis clero et populo Maronitarum.

Maronitae constanter uniti cum S. R. E. haeresisque expertes.

Benedictus Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam in diluvio aquarum multarum, variorum schismatum, scilicet, et haeresum, impiarumque perversitatum, quae iamdiu orientem inundaverunt, et pene universum obrutum miserabiliter tenent, illas ad vos approximare non permisit, sed singulari clementiae suo dono in catholicae fidei veritate, et in Romanae Sedis unitate, tot saeculis vos conservare dignatus est. Quapropter fides vestra annunciatur in universo mundo, celebratur in mundi totius ecclesiarum matre et magistrâ Romanâ Ecclesiâ, beati Petri merito, Domini voce consecratâ, cuius vos divinum agnoscentes super omnes Ecclesias primatum, debitum Christo honorem impenditis, qui ex universo hominum genere unum Petrum elegit, quem universarum gentium vocationi, et omnibus apostolis, cunctique gregis sui non solum ovibus sed regendis etiam praeficeret pastoribus. Gaudete igitur in Domino semper, gaudete, inquam, gaudeamus omnes de tanto Domini dono, et gratias agentes Deo, confiteamur Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius; dicat nunc populus Maronitarum, quoniam in saeculum misericordia eius.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Sergius Archiepiscopus Damascenus ad Pontificem legatus a patriarcha,

§ 1. Quod sane gaudium renovavit et auxit magnopere in nobis gratissimus adventus venerabilis fratris Sergiii Damasceni archiepiscopi Maronitarum, unâ cum dilectis filiis Elia et Georgio presbyteris monachis Ordinis sancti Antonii ac Iosepho clerico, ad Apostolatum nostrum, ad praestandum humilitati nostrae et B. Petri Sedi obedientiam et de aliis gravibus Ecclesiae vestrae negociis, missi: sed gaudium nostrum, sicut divinae dignationis voluntas fuit, ne plenum esset, factum est gravi nuncio et inexpectato obitus bonae memoriae Petri patriarchae vestri Maronitarum Antiocheni, qui pro suâ pastorali sollicitudine, catholicae religionis zelo, et in Apostolicam Sedem sincerâ devotione, Sergium archiepiscopum suum fratrem germanum misit: quo tanto pastore orbatos sane ut vos merito dolere non dubitamus, ita nos iusto vobiscum dolore compatimur.

Qui cum obierit, ut alium eligant monentur.

§ 2. Verum, quando ille, divinâ disponente clementia, cursum consummavit, et ad coronam iustitiae accipiendam decessit, reliquum est, ut, pro vestrâ fraternâ ac filiali pietate, sacrificia, orationes et eleemosynas pro illo Deo offeratis, ut, si quid ex culpis per humanam fragilitatem in vitâ contractis purgandum illi restat, propitiationibus vestris iuvetur, aut gratiarum actionis loco pia huiusmodi opera Deus suscipiat, si ad aeternae pacis beatitudinem per abundantiam gratiae Christi pervenire promeruit. Illud autem (vobis illis loquimur, ad quos electio novi patriarchae spectat) illudque cordi esse, illud vos diligentissime curare et a Domino instanter petere desideramus, et, ut re ipsâ efficiatis, pro pastoralis officii debito enixe hortamur, ut Petro successorem dignum, ac tanto oneri gerendo aptum eligatis. Videte, ne caro et sanguis revelet vobis, quis ad ministerium curae pastoralis huiusmodi promovendus sit: sed omnes parvulos vestros, hoc est omnia carnalia desideria, ad petram angularem Christum Iesum Dominum nostrum allidentes, in sinceritate et rectitudine spiritus, zelum domus Dei solius sequentes, virum eligite prudentem in primis et humilem, fidei chatholicae ardore conspicuum, qui, cum opus fuerit, possit murum se opponere pro domo Israel, et paratus sit obedire magis Deo quam hominibus, quique evangelicam doctrinam, ritus Ecclesiae, ac sacrorum canonum decreta docendo munus suum adimplere recte valeat, et gregem sibi commissum verbo et exemplo pascere et ad vitam deducere sempiternam.

Apostolica benedictio eis conceditur.

§ 3. Caeterum, quoniam ob Petri patriarchae transitum, ea, quae a nobis et Apostolicâ Sede postulabat, indugere non licuit, fraternitates ac dilectiones vestras scire volumus, humilitatem nostram et Apostolicam Sedem vos ac nationem vestram unice in Domino diligere, et memoriam vestri nos facere in orationibus nostris, vos beatis Apostolis commendantes, ut eripiant suâ intercessione e tribulationibus, quibus circumdati estis; nec deerimus umquam vestram in eamdem Sedem antiquam constantemque devotionem paternis officiis et gratiis, quantum in Domino concedetur, libentissime prosequi. Interim, quod etiam ab eodem Sergio archiepiscopo petitum fuit, ex parte omnipotentis Dei, Patris ac Filii et Spiritus Sancti, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, vobis omnibus et singulis apostolicam nostram benedictionem impertimur.

Et iubilaeum.

§ 4. Mittimus etiam ad fraternitates et dilectiones vestras iubilaeum universale, superioribus diebus, pro praesentibus Ecclesiae necessitatibus, a nobis indictum, hortamurque vos, ut devote tantum Ecclesiae thesaurum accipiatis,

nostramque humilitatem, et Ecclesiam Dei, orationibus vestris iuvare procuretis. Dedimus praeterea Sergio archiepiscopo nonnullas alias indulgentias pro certis Ecclesiis vestris, quibus, suis temporibus, frui ad animarum vestrarum salutem et in Christo quiescentium refrigerium possitis.

Et ad patientiam et constantiam adhortantur.

§ 5. Restat, ut fraternitates et dilectiones vestras hortemur ad patienter pro Christo ferendas pressuras: breves dies sunt, et adhuc pusillum et non erit peccator, sustinentesque Dominum haereditate possidebunt terram illam viventium, ubi gloria et honor omni operanti bonum in saecula saeculorum.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo octavo, IV kalendas decembris, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 28 novembris 1608, pontif. an. IV.

CXXVII.

Admonetur Hispaniarum rex, ut decem millia ducatorum auri de Camerâ, ex eleemosynis, quae causâ et occasione indulgentiarum et gratiarum Cruciatae erogabuntur in regnis Portugalliae, fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe quotannis solvi curet[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Portugalliae et Algarbiorum regi catholico

Paulus Papa V.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad triennium Paulus prorogaverat indulgentias cruciatae pro incolis regnorum Portugalliae et Algarbiorum.

§ 1. Hodie per alias nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras[2], iustis et gravibus causis adducti (vice et loco indulgentiarum et gratiarum clarae memoriae Philippo Portugalliae et Algarbiorum regi catholico genitori tuo, et omnibus in regnis praedictis consistentibus et ad illa declinantibus, per felicis recordationis Gregorium XIII, Clementem VIII, Romanos Pontifices praedecessores nostros, et postremo per nos ad triennium concessarum, extensarum, et saepius prorogatarum), maiestati tuae, et omnibus christifidelibus in praedictis Portugalliae et Algarbiorum regnis, ac eorumdem regnorum insulis, Indiis Orientalibus, et ultramarinis conquisitis terris, et locis dominio temporali praedictorum regnorum subiectis commorantibus et ad illa declinantibus, ac eorumdem regnorum subditis in dictis Indiis in alieno dominio mercimonii causâ, non tamen animo in alieno dominio huiusmodi permanendi, degentibus, indulgentias et gratias illas spirituales et temporales ad sexennium publicandas et duraturas praedicto Philippo genitori tuo ac omnibus et singulis christifidelibus in regnis et dominiis Hispaniarum, et illis adiacentibus, nec non Sardiniae, insulis consistentibus et ad illa declinantibus, qui certa munera adimplevissent, a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, et postremo a nobis concessas et prorogatas ad triennium proximum concessimus et indulsimus, prout in dictis litteris plenius continetur.

Statuit ex eleemosynis colligendis decem millia ducatorum quotannis fabricae sancti Petri de Urbe solvi.

§ 2. Ut autem fabrica basilicae Principis Apostolorum de Urbe, quae in eiusdem Apostoli honorem iam multis annis ingentibus sumptibus extruitur, fidelium eleemosynis adiuvetur, volumus, et apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus, ut ex eleemosynis, quae causâ et occasione dictarum indulgentiarum et gratiarum erogabuntur, decem millia ducatorum auri de Camerâ quotannis, a datâ praesentis incipiendis, eidem

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Quas non recensuit Cocquelines (R. T.).

fabricae impertiri, et pro eâ venerabili fratri Decio archiepiscopo Damasceno moderno et pro tempore existenti nostro et Apostolicae Sedis apud maiestatem tuam in regnis Hispaniarum nuncio solvi omnino debeant.

Derogat obstantibus.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die IX decembris MDCVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 9 decembris 1608, an. pontif. IV.

CXXVIII.

Angamalensis ecclesia in archiepiscopatum restituitur[1].

Paulus episcopus
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex, aequi bonique supremus assertor, ea, quae per alios Romanos Pontifices praedecessores suos circa certarum civitatum et ecclesiarum statum provide disposita et ordinata credebantur, ut civitatum tranquillitati, necnon ecclesiarum ipsarum honori et decori consulatur, ac scandalorum, animarumque periculis occurratur, successu temporis in pristinum statum reponere, et ex potestate sibi divinitus traditâ desuper opportune providere consuevit, prout, personarum, temporum et locorum qualitatibus debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Clemens VIII ecclesiam Angamalensem ad episcopatum redegit et archiepiscopo Goano subiecit.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster certis tunc causis adductus, in ecclesiâ Angamalensi (quae in remotis, et inter gentiles et schismaticos, et alios errorum sectatores existit, et cui venerabilis frater noster Franciscus episcopus Angamalensis ad praesens praesse dignoscitur) suffraganeis tunc carente, et certo modo pastoris solatio destitutâ, nomen et titulum archiepiscopi ac metropolitanae ecclesiae, necnon sedem, dignitatem, superioritatem, praeeminentiam archiepiscopales, universumque ius metropoliticum per quasdam suas litteras perpetuo suppressit et extinxit, ipsamque ecclesiam ad statum simplicis cathedralis ecclesiae[1] pro uno episcopo futuro suffraganeo pro tempore existenti archiepiscopo Goano metropolitico iure etiam perpetuo subiecit, prout in dictis litteris plenius continetur[2].

Eam in Archiepiscopatum restituit Paulus.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, suppressio, extinctio, reductio et subiectio huiusmodi perturbationem in dilectis filiis clero et populo civitatis Angamalensis introduxerint: nos ne earumdem suppressionis, extinctionis, reductionis et subiectionis praetextu, dicta ecclesia Angamalensis aliqua in spiritualibus et temporalibus dispendia patiatur, pro nostro pastoralis officii debito providere volentes, motu proprio, non ad praedicti Francisci episcopi, vel alterius pro eo nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostrâ merâ deliberatione in dictâ ecclesiâ Angamalensi nomen et titulum archiepiscopi et metropolitanae ecclesiae, necnon sedem, dignitatem et praeeminentiam archiepiscopales, universumque ius metropoliticum, de voto venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negociis et rebus consistorialibus praefectorum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo restituimus, ac ipsam ecclesiam Angamalensem adversus suppressionem, extinctionem et litteras

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Videretur deesse vox *reductam* (R. T.).

2 Non puto praecitatam Clem. VIII Constitutionem reperiri in *Bullario* (R. T.)

Clementis praedecessoris huiusmodi, ac omnia et singula in eis contenta, et aliàs, in integrum ac pristinum ac eumdemmet statum, in quo ante suppressionem et litteras praedictas reperiebatur (ita quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus tam illa, quam Franciscus episcopus, et illius in dictà ecclesià Angamalensi successores, nomine et titulo metropolitanae ecclesiae ac archiepiscopi, necnon sede, dignitate, superioritate et praeeminentià archiepiscopalibus, universoque iure metropolitico uti et gaudere possint et debeant, in omnibus et per omnia, perinde ac si suppressio et litterae praedictae nunquam emanassent), auctoritate et tenore praemissis similiter perpetuo restituimus, reponimus et plenarie reintegramus, ipsamque ecclesiam Angamalensem ad statum et essentiam archiepiscopalis et metropolitanae ecclesiae, prout antea erat, reducimus, et ab omni suffraganeatus, superioritate et metropolitico iure ecclesiae Goanae, illiusque archiepiscopi, eisdem auctoritate et tenore etiam perpetuo eximimus et liberamus.

Clausulae praesentis constitutionis firmitate.

§ 3. Decernentes ecclesiam Angamalensem huiusmodi adversus suppressionem et litteras praedictas perpetuo restitutam, reductam, exemptam et liberam, necnon easdem praesentes litteras nullo unquam tempore ex quavis causà de subreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel retractari posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere: sicque et non aliter per quoscumque iudices, etiam commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores (sublatà eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus suppressione, ac prioribus litteris, aliisque praemissis, necnon quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae poenalos.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae restitutionis, repositionis, reintegrationis, reductionis, exemptionis, liberationis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noviter incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MDCVIII, undecimo kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 22 decembris 1608, pontif. an. IV.

CXXIX.

Ne fratres et moniales eligant confessarium ex privilegio Bullae Cruciatae[1].

Paulus Papa V,

ad perpetuam rei memoriam.

Clemens VIII declarat neque fratres neque moniales posse confessarium sibi eligere ex privilegio Bullae Cruciatae.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Clementi Papae VIII praedecessori nostro, nomine prioris generalis fratrum beatae Mariae de Monte Carmelo, exposito, quod, cum in Bullà Cruciatae sanctae, et aliis privilegiis, quae ab Apostolicà Sede concedi solent, detur facultas eligendi confessorem idoneum ab Ordinario approbatum, qui possit christifideles absolvere

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

a casibus Ordinario reservatis, et a quibusdam etiam, quae dictae Sedi reservata sunt, Religiosi dicti Ordinis, seu eorum nonnulli, etiam iis facultatibus uti praesumebant, et illorum praetextu eligebant confessorem aliquando praeter eos, qui a suis praelatis eorum confessionibus audiendis deputati erant, quod aliquando in spirituale eorum vergebat detrimentum; dictus Clemens praedecessor, eiusdem prioris supplicationibus etiam ex tunc sibi humiliter porrectis inclinatus, per suas in simili formâ Brevis expeditas litteras, concessionem sanctae Cruciatae et aliorum indultorum particularium, quantum ad praedictum articulum eligendi confessarium et absolvendi a casibus reservatis cum fratribus et sororibus monialibus Ordinis praedicti ac aliorum quorumcumque Ordinum ac Congregationum cuiusvis instituti, Mendicantium et non Mendicantium, tam provinciae Hispaniae, quam extra eam ubilibet locorum[1] minime habere, neque censeri, sed suae intentionis fuisse, quod iidem fratres et moniales, quantum ad sacramentum poenitentiae, seu confessionis administrationem, dispositioni suorum praelatorum subiecti essent, perpetuo declaravit: iisdem tamen praelatis, ut in usu huiusmodi potestatis se cum subditis faciles et benignos exhiberent, praecepit et mandavit, prout in dictis litteris plenius continetur[2].

Episcopus Salamantinus Clementis litteras petit confirmari.

§ 2. Cum autem, sicut nobis nuper nomine venerabilis fratris Ludovici episcopi Salamantini expositum fuit, pro declarationis ac praecepti et mandati nec non litterarum praedictarum firmiori subsistentiâ plurimum expediat, illas per nos approbari et confirmari; ideo nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Paulus.

§ 3. Nos igitur, qui personarum sub Religionis iugo Altissimo famulantium statui et salubri directioni libenter consulimus, et per Romanos Pontifices praedecessores nostros provide disposita, ut inviolabiliter observentur, curare tenemur, dictarum litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, declarationem et litteras praedictas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac ab aliis monachis et fratribus ac monialibus praedicti et quorumvis aliorum Ordinum et Congregationum cuiusvis instituti, Mendicantium et non Mendicantium, tam provinciae Hispaniae, quam extra eam, inviolabiliter observari similiter mandamus et praecipimus.

Obstantia tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac praedicti et quorumvis aliorum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 5. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV decembris MDCVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 24 decembris 1608, pontif. an. IV.

1 Sic fert edit. Main., at forsan interpunctione mutatâ *locum* pro *locorum* legere oportet hoc modo; *quam extra eam ubilibet, locum minime habere*, etc. (R. T.).

2 Quas habes in tom. X pag. 549 (R. T.).

CXXX.

Facultas nuncio Sabaudiae cognoscendi quascumque causas in secundâ instantiâ universitatum sancti Benigni, Montanari, Filetti et Lombardoni iurisdictionis monasterii abbatiae nuncupati sancti Benigni, Ordinis sancti Benedicti, nullius dioecesis, provinciae Taurinensis [1].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex commissâ nobis desuper pastoralis officii curâ invigilare debemus, ne christifideles, praesertim Apostolicae Sedi subiecti, qui in remotis degunt, et paupertate premuntur, in prosequendis eorum litibus, expensis et incommodis graventur.

Pius IV abbati sancti Benigni concessit ut causas incolarum horum oppidorum cognosceret in secunda instantia.

§ 1. Sane dilecti filii universitates et homines sancti Benigni, et Montanari, ac Filetti, necnon Lombardoni, et aliorum locorum iurisdictionis monasterii abbatiae nuncupati, Sedi Apostolicae immediate subiecti, eiusdem sancti Benigni, Ordinis sancti Benedicti, nullius dioecesis, provinciae Taurinensis, nobis nuper exponi fecerunt, quod aliàs felicis recordationis Pius Papa IV, praedecessor noster, dictis universitatibus et hominibus, qui propter eorum paupertatem, magnamque dictorum locorum a Sede Apostolicâ distantiam, causas ad dictam Sedem pro tempore devolutas prosequì nequibant, tunc et pro tempore existentem Sedis praedictae in illis partibus legatum, seu nuncium, iudicem (qui quascumque causas in secundà instantià a quibuscumque sententiis, summam quinquaginta scutorum auri in auro non excedentibus, per ipsius monasterii abbatem aut ab eo deputatos pro tempore latis, cognoscere, decidere et fine debito terminare, ac debitae exequutioni demandare valeret) ad ipsius praedecessoris et dictae Sedis beneplacitum constituit et deputavit;

Clemens VIII eamdem facultatem nuncio apostolico concessit ad quinquennium.

§ 2. Et subinde, pro eo quod universitatibus et hominibus praedictis propter paupertatem et distantiam huiusmodi valde difficile erat pro singulis casibus dictam summam quinquaginta scutorum excedentibus ad Sedem eamdem recursum habere, recolendae memoriae Clemens Papa VIII, etiam praedecessor noster, facultatem cognoscendi quascumque causas in secundâ instantiâ usque ad summam quinquaginta scutorum, nuncio apostolico concessam, ad omnes et quascumque causas in secundà instantià, civiles et criminales ac mixtas, et etiam beneficiales et matrimoniales, ac alias quascumque, cuiuscumque qualitatis existentes, et ad quamcumque summam ascendentes, pro tempore movendas, ad certum tunc expressum tempus extendit, ipsumque tempus pluries, et ultimo ad quinquennium prorogavit, prout in litteris desuper expeditis [1] plenius continetur.

Quo elapso, Paulus ad aliud quinquennium illam prorogat.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, finis praedicti quinquennii instet, et universitates et homines praedicti eàdem paupertate premantur, ideo nobis humiliter supplicari fecerunt, ut ipsis de ulteriori prorogatione in praemissis opportune providere de benignitate apostolicà dignaremus. Nos igitur, dictos universitates et homines amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulis a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causà latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon dictarum litterarum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Quas non puto esse in *Bullario* (R. T.).

a casibus Ordinario reservatis, et a quibusdam etiam, quae dictae Sedi reservata sunt, Religiosi dicti Ordinis, seu eorum nonnulli, etiam iis facultatibus uti praesumebant, et illorum praetextu eligebant confessorem aliquando praeter eos, qui a suis praelatis eorum confessionibus audiendis deputati erant, quod aliquando in spirituale eorum vergebat detrimentum; dictus Clemens praedecessor, eiusdem prioris supplicationibus etiam ex tunc sibi humiliter porrectis inclinatus, per suas in simili formâ Brevis expeditas litteras, concessionem sanctae Cruciatae et aliorum indultorum particularium, quantum ad praedictum articulum eligendi confessarium et absolvendi a casibus reservatis cum fratribus et sororibus monialibus Ordinis praedicti ac aliorum quorumcumque Ordinum ac Congregationum cuiusvis instituti, Mendicantium et non Mendicantium, tam provinciae Hispaniae, quam extra eam ubilibet locorum[1] minime habere, neque censeri, sed suae intentionis fuisse, quod iidem fratres et moniales, quantum ad sacramentum poenitentiae, seu confessionis administrationem, dispositioni suorum praelatorum subiecti essent, perpetuo declaravit: iisdem tamen praelatis, ut in usu huiusmodi potestatis se cum subditis faciles et benignos exhiberent, praecepit et mandavit, prout in dictis litteris plenius continetur[2].

Episcopus Salamantinus Clementis litteras petit confirmari.

§ 2. Cum autem, sicut nobis nuper nomine venerabilis fratris Ludovici episcopi Salamantini expositum fuit, pro declarationis ac praecepti et mandati nec non litterarum praedictarum firmiori subsistentiâ plurimum expediat, illas per nos approbari et confirmari; ideo nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Paulus.

§ 3. Nos igitur, qui personarum sub Religionis iugo Altissimo famulantium statui et salubri directioni libenter consulimus, et per Romanos Pontifices praedecessores nostros provide disposita, ut inviolabiliter observentur, curare tenemur, dictarum litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, declarationem et litteras praedictas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac ab aliis monachis et fratribus ac monialibus praedicti et quorumvis aliorum Ordinum et Congregationum cuiusvis instituti, Mendicantium et non Mendicantium, tam provinciae Hispaniae, quam extra eam, inviolabiliter observari similiter mandamus et praecipimus.

Obstantia tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac praedicti et quorumvis aliorum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 5. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV decembris MDCVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 24 decembris 1608, pontif. an. IV.

1 Sic fert edit. Main., at forsan interpunctione mutatâ *locum* pro *locorum* legere oportet hoc modo; *quam extra eam ubilibet, locum minime habere*, etc. (R. T.).

2 Quas habes in tom. X pag. 549 (R. T.).

CXXX.

Facultas nuncio Sabaudiae cognoscendi quascumque causas in secundâ instantiâ universitatum sancti Benigni, Montanari, Filetti et Lombardoni iurisdictionis monasterii abbatiae nuncupati sancti Benigni, Ordinis sancti Benedicti, nullius dioecesis, provinciae Taurinensis [1].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex commissà nobis desuper pastoralis officii curà invigilare debemus, ne christifideles, praesertim Apostolicae Sedi subiecti, qui in remotis degunt, et paupertate premuntur, in prosequendis eorum litibus, expensis et incommodis graventur.

Pius IV abbati sancti Benigni concessit ut causas incolarum horum oppidorum cognosceret in secunda instantia.

§ 1. Sane dilecti filii universitates et homines sancti Benigni, et Montanari, ac Filetti, necnon Lombardoni, et aliorum locorum iurisdictionis monasterii abbatiae nuncupati, Sedi Apostolicae immediate subiecti, eiusdem sancti Benigni, Ordinis sancti Benedicti, nullius dioecesis, provinciae Taurinensis, nobis nuper exponi fecerunt, quod aliàs felicis recordationis Pius Papa IV, praedecessor noster, dictis universitatibus et hominibus, qui propter eorum paupertatem, magnamque dictorum locorum a Sede Apostolicà distantiam, causas ad dictam Sedem pro tempore devolutas prosequì nequibant, tunc et pro tempore existentem Sedis praedictae in illis partibus legatum, seu nuncium, iudicem (qui quascumque causas in secundà instantià a quibuscumque sententiis, summam quinquaginta scutorum auri in auro non excedentibus, per ipsius monasterii abbatem aut ab eo deputatos pro tempore latis, cognoscere, decidere et fine debito terminare, ac debitae exequutioni demandare valeret) ad ipsius praedecessoris et dictae Sedis beneplacitum constituit et deputavit;

Clemens VIII eamdem facultatem nuncio apostolico concessit ad quinquennium.

§ 2. Et subinde, pro eo quod universitatibus et hominibus praedictis propter paupertatem et distantiam huiusmodi valde difficile erat pro singulis casibus dictam summam quinquaginta scutorum excedentibus ad Sedem eamdem recursum habere, recolendae memoriae Clemens Papa VIII, etiam praedecessor noster, facultatem cognoscendi quascumque causas in secundâ instantiâ usque ad summam quinquaginta scutorum, nuncio apostolico concessam, ad omnes et quascumque causas in secundà instantià, civiles et criminales ac mixtas, et etiam beneficiales et matrimoniales, ac alias quascumque, cuiuscumque qualitatis existentes, et ad quamcumque summam ascendentes, pro tempore movendas, ad certum tunc expressum tempus extendit, ipsumque tempus pluries, et ultimo ad quinquennium prorogavit, prout in litteris desuper expeditis [1] plenius continetur.

Quo elapso, Paulus ad aliud quinquennium illam prorogat.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, finis praedicti quinquennii instet, et universitates et homines praedicti eàdem paupertate premantur, ideo nobis humiliter supplicari fecerunt, ut ipsis de ulteriori prorogatione in praemissis opportune providere de benignitate apostolicà dignaremur. Nos igitur, dictos universitates et homines amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulis a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causà latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon dictarum litterarum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Quas non puto esse in *Bullario* (R. T.).

tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, dictum quinquennium, quod, ut dicti universitates et homines asserunt, adhuc durat, ad aliud quinquennium, quo durante, nunc et pro tempore existens in illis partibus nuncius causas quascumque in secundâ instantiâ, civiles, criminales et mixtas, ac etiam beneficiales et matrimoniales, et alias quascumque, cuiuscumque qualitatis existentes, ad quamcumque summam ascendentes, iuxta praedictarum litterarum tenorem, audire, cognoscere, decidere et fine debito terminare, ac exequutioni demandare possit et debeat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, extendimus et ampliamus.

Derogat obstantibus.

§ 4. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis et edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon omnibus illis, quae Pius et Clemens, praedecessores praedicti, in suis quisque litteris voluerunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 5. Caeterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula loca, in quibus de eis forsan fides facienda fuerit, deferri, etiam volumus et eâdem auctoritate decernimus, quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius curiae ecclesiasticae vel personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX ianuarii MDCIX, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 19 ianuarii 1609, pontif. an. IV.

CXXXI.

Commissio officiali Remensi erigendi in collegiatam ecclesiam de Charville eiusdem Remensis dioecesis, eique uniendi quatuordecim canonicatus ecclesiae collegiatae de Rosoir.

Paulus Episcopus
servus servorum Dei,

Dilecto filio officiali Remensi,
salutem et apostolicam benedictionem.

Proœmium.

In supernae apostolicae dignitatis speculâ, meritis licet insufficientibus, divinâ dispositione constituti, ad ecclesiarum quarumlibet erectionem et institutionem, illarumque decus et venustatem ac statum augendum et feliciter dirigendum nostrae sollicitudinis aciem dirigere intendentes, ea fieri mandamus, per quae illis ac in eis divinis officiis insistentibus personis honor accrescat, divinus cultus floreat, et excitetur devotio, animarumque desiderata salus proveniat; praecipue cum nobilium virorum vota hoc exposcunt, nosque aliàs id conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae erigendi ecclesiam de Charville in collegiatam.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte devoti filii Caroli Gonzaga Clevei, ducis Nivernensium et Reteleorum, petitio continebat, quod ipse Carolus dux (provide considerans, oppidum de Charville Remensis dioecesis, cuius dominus in temporalibus existit, non longe a Stenay aliisque oppidis et locis circumvicinis, in quibus nullum orthodoxae et catholicae religionis exercitium habetur, quinimo in eis haereticae pravitatis virus admodum grassatur, distare, dictique oppidi de Charville incolas, ob haereticorum in aliis oppidis et locis praedictis existentium vicinitatem, de facili in perfidae haeresis labem incidere posse, ac

adolescentes, nisi recte, antequam vitiorum habitus totos eos possideat, in divini numinis cultu veràque religione instituantur ac bonis moribus et disciplinis imbuantur, ex adipe haereticae pravitatis allectos, ad illam et quascumque mundi voluptates amplectendas pronos existere; huicque inconvenienti, quantum in se est, aliquo salubri remedio viam praecludere, simulque charitatem, qua erga eius vassallos semper fuit affectus, hoc speciali signo exhibere cupiens), ad Dei omnipotentis laudem et gloriam, dictorum vassallorum spiritualem consolationem, et adolescentium huiusmodi in pietate, religione, litterarumque scientià institutionem, in dicto oppido de Charville, aggeribus et propugnaculis satis superque munito, unam ecclesiam, quam felicibus auspiciis collegiatae ecclesiae titulo decorari in votis habet, unum collegium, in quo viros summae eruditionis introduxit, praeclaro ac celebri aedificio construi fecit; et, ut voti sui huiusmodi compos effici queat, quatuordecim canonicatus et totidem praebendas saecularis et collegiatae ecclesiae loci de Rosoir Laudunensis dioecesis (quam, et in eà triginta duos canonicatus et totidem praebendas, eius maiores et antecessores fundaverint, eosque redditu annuo ter mille scutorum aureorum dotaverint, maximâ cum iniurià temporum, et bellorum illis in partibus superioribus annis gestorum, dictus locus de Rosoir ita destructus fuerit, ut vix decem aut duodecim canonici in eo habitare possint, alii vero in locis circumvicinis in maximum divini cultus detrimentum, dictis decem aut duodecim canonicis residentibus divina inibi officia dumtaxat peragentibus, morari cogantur) providà nostrà dispositione supprimi et extingui, illorumque fructus et proventus mensae capitulari ecclesiae erigendae applicari et appropriari desiderat.

Ducis Nivernensis hac super re petitio.

§ 2. Quare pro parte dicti Caroli ducis (asserentis fructus, redditus et proventus singulorum quatuordecim canonicatuum, et praebendarum praedictarum, viginti quatuor, computatis vero distributionibus quotidianis, nonaginta ducatorum auri de Camerà, secundum communem aestimationem, valorem annuum non excedere) nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus suo pio desiderio in praemissis annuere ac aliàs opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Paulus Remensi officiali facultatem illam erigendi cum canonicatibus tribuit,

§ 3. Nos igitur, qui ecclesiarum quarumlibet decorem et venustatem ac divini cultus augmentum animarumque salutem ubique vigere et augeri sinceris desideramus affectibus, ipsumque Carolum ducem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causà latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, vocatis qui fuerint evocandi, dictam ecclesiam ab eodem Carolo duce, ut praefertur, noviter erectam in saecularem et collegiatam ecclesiam, sub invocatione eidem Carolo benevisà, cum mensà capitulari, sigillo, arcà communi, aliisque collegialibus insignibus, et ad instar aliarum saecularium et collegiatarum ecclesiarum, ac in eà unum decanatum (qui inibi prima et principalis dignitas existat, pro uno illius decano, qui inibi caput et superior sit, ac illius canonicos iuxta eius praeeminentiam praecedat) ac novem canonicatus et totidem praebendas pro novem canonicis, qui in dictà novà collegiatà ecclesià capitulum constituant (ac tam decanus, quam omnes novem canonici praedicti apud

eam personaliter resideant, horasque, tam diurnas quam nocturnas, ac missam conventualem, caeteraque divina officia solita et consueta, cum mentis devotione et attentione, servatâque disciplinâ ecclesiasticâ, ad instar aliarum collegiatarum ecclesiarum huiusmodi decantent, recitent et celebrent, illisque intersint, et aliàs dictae novae collegiatae ecclesiae in divinis laudabiliter deserviant), perpetuo, sine alicuius praeiudicio, auctoritate nostrâ erigas et instituas;

Atque illi uniendi quatuordecim canonicatus ad ecclesiam de Rosoir pertinentes.

§ 4. Illisque sic erectis et institutis, quatuordecim canonicatus et totidem praebendas dictae ecclesiae de Rosoir (qui de iurepatronatus dicti ducis ex fundatione vel dotatione huiusmodi existunt, ac quorum singulorum omnium fructus, redditus et proventus viginti quatuor, computatis vero distributionibus quotidianis, quadraginta[1] ducatorum auri de Camerâ similium secundum existimationem praedictam valorem annuum, ut dictus Carolus dux asserit, non excedunt) (cum illos primo loco[2] per cessum, etiam ex causâ permutationis, vel decessum seu quamlibet aliam dimissionem vel amissionem seu privationem illos ad praesens obtinentium, aut aliàs, quando etiam apud Sedem Apostolicam, seu etiam in quocumque vel quibuscumque ex mensibus nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti ac dictae Sedi per quascumque constitutiones apostolicas vel Cancellariae Apostolicae regulas editas et edendas, seu aliàs quomodolibet, reservatis et reservandis, aut locorum Ordinariis et aliis collectoribus[3] per easdem vel alias constitutiones apostolicas seu dictae Cancellariae regulas similiter editas et edendas aut litteras alternativarum vel quaevis alia privilegia et indulta apostolica, seu aliàs quomodolibet, per dictam Sedem concessis et imposterum concedendis, aut etiam de iure communi vel particulari seu aliàs quoquo modo competentibus et competituris, ac aliàs quomodocumque et ubicumque vacare contigerit; etiam[1] ipsi, aut eorum aliqui iam ad praesens vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, ipsique quatuordecim canonicatus et praebendae dispositioni apostolicae specialiter vel generaliter reservati existant, et[2] super eis inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa) illorumque ac singulorum eorum nomina, titulos, denominationes, essentiam et naturam, etiam perpetuo, dictâ auctoritate, supprimas et extinguas; illorumque sic suppressorum et extinctorum decimas et primitias, si quae[3] habeantur, proprietates, res, census et bona, eorumque fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque, ex nunc prout ex tunc et e contra, cum primum illos et eorum singulos vacare contigerit, ut praefertur, mensae capitulari dictae noviter erectae ecclesiae similiter perpetuo applices et appropries; ita quod, si suppressionem, extinctionem et applicationem ac appropriationem huiusmodi per te vigore praesentium fieri contigerit, postquam factae fuerint, liceat illius decano et canonicis pro tempore existentibus, per se, vel alium, seu alios, eorum et dictae mensae capitularis nominibus propriâ auctoritate corporalem,

1 Paulo ante § 2 dicebatur *nonaginta* (R. T).

2 Forsan vox *loco* erronee adiecta fuit (R. T.).

3 Melius infra in loco parallelo § 7 legitur *collatoribus* (R. T.).

1 Semper intellige *quando etiam*, vel *etiamsi* (R. T.).

2 Iterum subintellige *etiamsi* (R. T.).

3 Erronee ut patet edit. Main. legit *si quas habeantur*, vel legendum *si quas habeant* (R.T).

realem et actualem possessionem decimarum, primitiarum, proprietatum, rerum, censuum et bonorum huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis libere apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, ac fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque percipere, exigere, levare, arrendare, locare, dislocare, ac (deductis in primis et ante omnia trecentis, quae in dictae noviter erectae ecclesiae fabricam, ac paramentorum et ornamentorum et rerum aliarum illiusque sacristiae necessariarum emptionem ac luminariorum usum, et aliorum onerum et pro tempore incumbentium supportationem expendantur, nec non quingentis et quinquaginta scutis aureis, ex quibus decanus centum, et singuli canonici praedicti quinquaginta scuta aurea similia pro decanatus, nec non canonicatuum et praebendarum huiusmodi dotibus habeant) reliqua vero omnia, decimae, primitiae[1], res, census, bona, ac fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta huiusmodi in usum distributionum inter decanum et canonicos praedictos apud dictam noviter erectam ecclesiam pro tempore residentes, et horis canonicis aliisque divinis officiis suis loco et tempore in eadem noviter erectâ ecclesiâ celebrandis personaliter interessentes, dumtaxat (iuxta providam dispositionem ab eodem Carolo duce cum interventu Ordinarii loci desuper faciendam) dividenda et repartienda et per eos lucrifacienda (absentium[2] aut non residentium, pro uniuscuiusque ratâ, portiones[3], infirmitatis aut alio legitimo impedimento, de quo docere debeant, cessantibus[1], aliis praesentibus et praedictis divinis officiis, ut praefertur, personaliter interessentibus, pro uniuscuiusque ratâ, accrescant et accrescere debeant) convertere[2], Dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ[3].

Huic capitulo caeterorum capitulorum privilegia concedit,

§ 5. Et insuper dictae noviter erectae ecclesiae, illiusque decano, necnon canonicis pro tempore existentibus, eorumque ministris, familiaribus et personis, quod omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, antelationibus, favoribus, praeeminentiis, indultis, concessionibus, aliisque gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus aliae saeculares et collegiatae ecclesiae illarum partium, illarumque capitula et canonici, de iure, privilegio, usu, consuetudine, aut aliâs quomodolibet, utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, ipsi pariter et pariformiter ac aeque principaliter, absque ullâ prorsus differentiâ, in omnibus et per omnia ac si illa nominatim et expresse per praesentes concessa et impertita forent (etiamsi talia existant, quae specialem et individuam requirant mentionem et sub generali expressione non comprehendantur), etiam uti, frui, potiri et gaudere[4];

Et facultatem speciales edendi constitutiones

§ 6. Ac pro suis, et dictae noviter erectae ecclesiae, et personarum ei pro tempore in divinis deservientium feliciori re-

1 Puto legendum esse *decimas*, *primitias* (R. T.).

2 Heic libenter adderem particulam *autem* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *pro uniuscuiusque ratâ portione* (R. T.).

1 Sensus est: *cessantibus*, nempe, *non existentibus*, legitimis impedimentis; at ego vel heic legerem *cessanti*, vel paulo ante legerem *infirmitatis aut alio legitimo, de quo docere debeant, impedimentis cessantibus* (R. T.).

2 Nempe *liceat*, quod verbum praecessit (R. T.).

3 Quantum itaque potui locum in edit. Main. inextricabilem explicare conatus sum; si, lector, aliquid melius invenies, magis utere (R. T.).

4 Subintellige *possint, indulgeas*; quae verba postea sequuntur in fine § seq. (R. T.).

gimine et salubri directione, quaecumque constitutiones, ordinationes, statuta rationabilia et honesta, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis minime contraria, nec sub ullis revocationibus comprehensa, ac aliàs recta et utilia, ab Ordinario tamen examinanda et approbanda, condere, et condita, toties quoties opus fuerit, immutâre, limitare, corrigere et interpretari, ac, prout rerum et temporum qualitates exegerint, ipsaque occasio se se exhibuerit, alias constitutiones, ordinationes et statuta, quoties eis ita videbitur expedire, praeviis tamen examine et approbatione huiusmodi, de novo edere, ac tam illa, quam prius edita, limitare, corrigere, reformare, alterare, penitusque abrogare, et ad eorum observationem singulos de gremio dictae noviter erectae ecclesiae per subtractionem fructuum et distributionum decanatus ac singulorum canonicatuum et praebendarum huiusmodi obligare possint et valeant, eâdem auctoritate nostrâ de speciali gratiâ indulgeas.

Duci vero Nivernensi tribuit iuspatronatus et praesentandi ad decanatum et canonicatus.

§ 7. Praeterea eidem Carolo duci, eiusque successoribus dicti oppidi de Charville dominis in temporalibus pro tempore existentibus, iuspatronatus et praesentandi personas idoneas ad decanatum et singulos canonicatus et praebendas vigore praesentium erigendos huiusmodi (quoties illos et eorum quemlibet similiter per cessum, etiam ex causâ permutationis, vel decessum, seu quamvis aliam demissionem vel amissionem aut privationem illos et illorum singulos pro tempore obtinentium, aut aliàs quomodocumque, seu in quocumque, seu quibuscumque ex mensibus nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti et dictae Sedi per easdem constitutiones apostolicas seu dictae Cancellariae regulas editas et edendas, seu aliàs quomodolibet, reservatis vel reservandis, aut locorum Ordinariis vel aliis collatoribus praedictis per easdem vel alias constitutiones apostolicas seu Cancellariae praedictae regulas similiter editas et edendas seu litteras alternativarum aut quaevis alia privilegia et indulta apostolica, seu aliàs quomodolibet, per dictam Sedem hactenus concessis et imposterum pariter concedendis, aut etiam de iure communi vel particulari seu aliàs quoquomodo competentibus et competituris, ac aliàs, quomodocumque, quandocumque, et ubicumque vacare contigerit) loci Ordinario, seu eius officiali pro tempore existenti, ad praesentationem eamdem in decanatu ac singulis canonicatibus et praebendis per praesentes erigendis praedictis instituendas[1], etiam perpetuo dictâ nostrâ auctoritate reserves, concedas et assignes; ita quod non censeatur dicto Carolo duci reservatum iuspatronatus vigore praesentium ad decanatum ac novem canonicatus et praebendas erigendos huiusmodi, nisi quatenus dicto Carolo duci ad quatuordecim canonicatus et praebendas supprimendos idem iuspatronatus ex fundatione vel dotatione legitime competat, illudque coram te verificatum fuerit, et non aliàs, nec alio modo; decernendo iuspatronatus et praesentandi huiusmodi laicorum nobilium dicto Carolo duci ac futuris patrônis praedictis non ex privilegio apostolico, sed ex veris primaevâ reali, actuali, integrâ, et omnimodâ fundatione, et perpetuâ dotatione laicali ex bonis mere patrimonialibus etiam laicalibus dumtaxat competere, et ad illos pertinere; ac ut tale sub derogatione iurispatronatus ex privilegio apostolico nullatenus umquam comprehendi, nec illi, ullo umquam tempore quocumque praetextu et ex quavis causâ quantumvis ur-

1 Adverte hanc vocem *instituendas* referri ad *personas idoneas* antea dictas (R. T.).

genti et necessariâ, per quoscumque Romanos Pontifices pro tempore existentes, ac nos, et Sedem praedictam, aut illius legatos de latere, nuncios, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, seu cuiusvis intuitu et contemplatione, derogari, aut derogatum censeri posse, neque debere, ac quascumque collationes, provisiones, commendas, praesentationes, institutiones et alias dispositiones de decanatu, et singulis canonicatibus, et praebendis noviter erectis praedictis, ut praefertur, vacantibus, quibusvis personis, aliàs quam ad fundationem[1] dictorum patronorum, etiam cum speciali et expressâ derogatione iurispatronatus huiusmodi, pro tempore factas, processusque desuper formatos, ac inde sequuta et sequenda quaecumque, nulla et invalida, nulliusque roboris vel momenti esse et fore, et pro nullis et infectis haberi et censeri debere, nec ius aut coloratum titulum possidenti cuiquam tribuere, vel per illa acquiri.

Clausulae praesentium praeservativae.

§ 8. Ac praesentes litteras ab omnibus et singulis, quos illae concernunt et concernent quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari debere; sicque ab omnibus, et singulis censeri, et ita per quoscumque iudices, et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus[2] Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae ecclesiae de Rosoir, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem ecclesiae de Rosoir, ac dilectis filiis illius capitulo, canonicis, aliisque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis aliâ expressio habenda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliqui apostolicâ praedictâ vel aliâ quavis auctoritate in dictâ ecclesiâ de Rosoir in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et praebendis dictae ecclesiae de Rosoir speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictae Sedis aut legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel aliàs quomodolibet, sit processum (quas quidem litteras, et processus habitos per easdem, et inde sequuta quaecumque, ad dictos quatuordecim canonicatus et praebendas volumus non extendi; sed nullum per hoc eis, quoad assequutionem canonicatuum et praebendarum seu beneficiorum aliorum, praeiudicium generari), et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri,

1 Videtur legendum *praesentationem* (R. T.).
2 Subintellige *constitutione* (R. T).

et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in eisdem litteris mentio specialis.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo octavo, XIV kalendas februarii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 19 ianuarii 1609, pontif. an. IV.

CXXXII.

Reservatio iuris patronatus et praesentandi personas idoneas ad metropolitanas et cathedrales ecclesias et monasteria etiam consistorialia, in Siciliae ultra Pharum et Sardiniae regnis, pro Philippo III rege eiusque filio.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico

Paulus Papa V.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Philippus rex de Apostolica Sede optime meritus.

§ 1. Tantus est devotionis tuae erga nos et Apostolicam Sedem affectus, talisque in te fidei catholicae conservandae et propagandae ardor, ut non immerito, quae tibi tuisque progenitoribus a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa fuerunt, eadem nos successoribus tuis etiam libenter indulgeamus, firmam[1] in Domino spem concipientes, quod successores tui, gratiâ sibi assistente divinâ, paterna et avita sequentes exempla, paribus etiam praefulgebunt meritis.

Clemens VII Carolo V ius nominandi de quo in rubrica concesserat.

§. 2. Aliàs siquidem felicis recordationis Clemens Papa VII, praedecessor noster, clarae memoriae Cârolo V Romanorum imperatori tunc in humanis agenti, avo tuo, ob eius praeclara in eamdem

1 Edit. Main. legit *firmamque* (R. T.).

Sedem merita, de tunc existentium fratrum suorum S. R. E. cardinalium consilio, iuspatronatus et praesentandi personas idoneas ad cathedrales et metropolitanas ecclesias in Siciliae ultra Pharum et Sardiniae regnis et insulis, quorum rex et dominus in temporalibus idem Carolus imperator tunc existebat, consistentes, quoties illas vacare contingeret, quamdiu idem Carolus imperator viveret, reservavit, atque concessit[1].

Quod deinde Philippo II et eius filio concessit Sixtus V.

§ 3. Et deinde recolendae memoriae Sixtus Papa V, etiam praedecessor noster, clarae similiter memoriae Philippo genitori tuo, quamdiu ille viveret, et, illo vitâ functo, tibi similiter, quamdiu viveres, iuspatronatus et praesentandi personas idoneas sibi et pro tempore existentibus Romanis Pontificibus successoribus suis, ad praesentationem huiusmodi praeficiendas ad quascumque cathedrales, etiam metropolitanas ecclesias, ac quaecumque monasteria, etiam consistorialia, in Siciliae ultra Pharum et Sardiniae regnis praedictis ac illorum insulis consistentia, quoties illas et illa quovis modo, et ex quorumcumque et ex S. R. E. cardinalium personis vacare contingeret, etiam concessit et assignavit[2], prout in Clementis et Sixti praedecessorum litteris desuper confectis plenius continetur.

Philippus III idem privilegium Philippo IV filio suo concedi petit.

§ 4. Cum autem, sicut tuo nomine nobis nuper expositum fuit, tu plurimum cupias, dilectissimo filio nobili puero Philippo, Hispaniarum et eorumdem regnorum et insularum principi, nato tuo, et praeterea alteri tantum in Siciliae ultra Pharum et Sardiniae regnis et illorum insulis legittimo successori, simile indultum per nos concedi, nobis idcirco humiliter supplicari fecisti, ut votis tuis

1 Constit. huiusmodi Clementis VII in *Bullario* non est (R. T.).

2 Ne Sixti quidem Constit. in *Bullario* reperio (R. T.).

in praemissis annuere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concedit Paulus.

§ 5. Nos igitur, dictarum litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex nunc, prout postquam tu viam universae carnis ingressus fueris, eisdem Philippo principi, et alteri tantum in Siciliae ultra Pharum et Sardiniae regnis et illorum insulis legitimo successori (ita ut personam Philippi et alterius legitimi successoris praedicti haec nostra reservatio et concessio non egrediatur, sed duabus tantum personis praedictis suffragetur), quamdiu illi vixerint, ius patronatus et praesentandi personas idoneas nobis, et pro tempore existentibus Romanis Pontificibus successoribus nostris, ad praesentationem huiusmodi praeficiendas ad quascumque cathedrales et metropolitanas ecclesias et quaecumque monasteria, etiam consistorialia, in Siciliae ultra Pharum et Sardiniae regnis praedictis ac illorum insulis consistentia, quoties illas et illa quibusvis modis et ex quorumcumque, etiam S. R. E. cardinalium, personis vacare contigerit, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, similiter reservamus, concedimus et assignamus.

Clausulae.

§ 6. Decernentes quascumque provisiones et alias dispositiones de ecclesiis et monasteriis praedictis, postquam tu e vitâ decesseris, aliàs quam ad Philippi principis et alterius tantum legitimi successoris praedictorum, ut praefertur, praesentationem, pro tempore quomodolibet faciendas et inde sequuta quaecumque nulla et invalida, nulliusque roboris vel momenti fore et esse, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus quibusvis generalibus vel specialibus cathedralium, metropolitanarum ecclesiarum, ac monasteriorum praedictorum reservationibus, seu affectionibus, necnon Cancellariae Apostolicae regulis editis et edendis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum et monasteriorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam quasvis clausulas et reservationes in se continentibus, per eosdem praedecessores ac nos et Sedem eamdem quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum et formà in illis traditâ observatâ insererentur et exprimerentur, pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Haec concessio iuri, si quod Philippus habet, non praeiudicet.

§ 8. Per praesentes autem in iuris patronatus[1] (si quod iisdem Philippo principi et alteri legitimo successori praedicto competere poterit ad metropolitanas et alias cathedrales ecclesias et monasteria praedicta Siciliae ultra Pharum et Sardiniae regnorum huiusmodi, ratione illorum fundationis, seu recuperationis a manibus inimicorum, vel per privilegia apostolica, quae nihilominus valere et in suo robore permanere volumus) aliquid innovare seu minuere non

[1] Aut aliquid deest, ex. g. *re* vel *materie*, aut legendum *in iure patronatus* (R. T.).

intendimus; cum intentionis nostrae fuerit maiestatem tuam novis favoribus prosequi, non autem tollere ea, quae sui iuris sunt.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die VII aprilis MDCIX, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 7 aprilis 1609, pontif. an. IV.

CXXXIII.

Quod unus ex confratribus Congregationis Ioannis Dei nuncupatae in qualibet domo eiusdem Congregationis ad presbyteratum promoveri et sacramenta administrare possit[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter alias nostrae pastoralis sollicitudinis curas, quibus premimur, haec una praecipua est, ut non solum Christi fideles in egestate constituti corporalibus cibis reficiantur, sed spiritualibus praesertim alimoniis confoveantur.

Clemens VIII prohibuerat, quominus fratres huius Congregationis sacris initiarentur.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectorum filiorum vicarii generalis et confratrum Congregationis Ioannis Dei nomine nobis nuper expositum fuit, omnes domus regulares Congregationis praedictae magna incommoda et damna patiantur ex eo quod quadam Constitutione felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri, datâ die nonâ septembris millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, pontificatus sui anno V[2], inter alia confratribus dictae Congregationis ascensus ad sacros ordines interdictus est, siquidem presbyteros saeculares, qui pauperum in domibus praedictis exceptorum confessiones audiant et sacramenta ministrent ac agonizantium animas omnipotenti Deo commendent, habere valde dispendiosum, et, quod deterius est, dicti presbyteri saeculares post celebratum ab iis sacrosanctum missae sacrificium a praedictis domibus saecularibus pro maiori parte diei et nocte totâ absunt, in maximum praeiudicium animarum dictorum pauperum; ideo vicarius et confratres praedicti nobis humiliter supplicari fecerunt, ut aliquibus dictae Congregationis confratribus licentiam sacros ordines suscipiendi, et in illis etiam in altaris ministerio ministrandi, concedere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Hic autem Pontifex ut unus ex dictis confratribus pro una quaque domo ad sacros ordines promoveatur concedit.

§ 2. Nos igitur, piis eorum votis favorabiliter annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, necnon singulares dictae Congregationis personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod in qualibet domo dictae Congregationis unus confrater dumtaxat, arbitrio nunc et pro tempore existentis eius Congregationis apud nos et Apostolicam Sedem protectoris, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines a suo Ordinario, vel de eius licentiâ, a quocumque maluerit catholico antistite, gratiam et communionem praefatae Sedis habente, ad titulum hospitalitatis huiusmodi promoveri, et promotus in illis, etiam in altaris ministerio, ministrare (dummodo tamen praevio diligenti examine ad hoc idoneus reperiatur, neque aliud obstet canonicum impedimentum, et ante sex annos saltem Congregationis

1 De huius Congregationis institutione habes in Pii V Constit. CXCIV *Licet* (in h. n. edit. CCXIV in tom. VII pag. 959).

2 Huiusmodi legitur in tom. X pag. 296 (R. T.).

huiusmodi regulam professus fuerit) libere et licite valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam concedimus et indulgemus.

Nullum tamen officium in domo exerceat.

§ 3. Utque sic promoti, nullum officium, munus, aut administrationem in dictâ Congregatione gerere aut exercere possint, sed missis celebrandis ac sacramentis ministrandis tantummodo vacare debeant;

Et a Congregatione pulsus ab ordinum exercitio suspensus remaneat.

§ 4. Et, si eorum aliquis suis ita exigentibus demeritis dictae Congregationis habitu postea privari contigerit, ipso facto, et absque ullâ declaratione ab ordinum huiusmodi exercitio statim suspensus sit et esse censeatur, eâdem auctoritate statuimus.

Clausulae praeservativae et decretum irritans.

§ 5. Decernentes, praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quopiam defectu, quavis de causâ, occasione, aut praetextu notari, vel impugnari, infringi, suspendi, limitari, retractari, aut revocari ullatenus posse, sed semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores (sublatâ eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate), ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane decernimus, quidquid secus super his a quoquam, etc., attentari.

Quibuscumque nonobstantibus.

§ 6. Non obstantibus praedictâ, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Congregationi illiusque superioribus et fratribus ac quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum omnium et singulorum praemissorum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 7. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticà constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris die I iulii MDCIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 1 iulii 1609, pontif. an. V.

CXXXIV.

Quod cuiuscumque Ordinis, Congregationis et Societatis regulares personae ad eas tantum recta se transferant Indiarum partes, ad quas ab eorum superioribus ad fidem catholicam praedicandam sive ecclesiastica sacramenta ministranda delegantur.

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Legis causae

Accepimus, non sine animi nostri molestiâ, religiosos, qui religionis catholicae propagandae et aliâs in vineâ Do-

mini laborandi causâ ad Indiarum partes et certas illius[1] provincias a suis superioribus delegantur, destinatas sibi provincias et loca non petere, verum, vel in ipso itinere immorari, vel alio deflectere, non sine religionis eiusdem dispendio et salutis animarum detrimento.

Sanctio de qua in rubricâ.

§ 1. Quare nos, pro nostrâ pastoralis officii sollicitudine omnium saluti intendentes, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, omnibus et singulis cuiuscumque Ordinis, et Congregationis, ac Societatis regularibus personis, qui ad partes Indiarum ad fidem catholicam praedicandam sive alia ecclesiastica ministeria exercenda et in messem Domini operarii mittentur, sub excommunicationis poenâ ipso facto incurrendâ praecipimus et mandamus, ut, memores voti obedientiae per eos emissi, ad eas provincias et loca rectâ se transferant, ad quae ab eorum superioribus missi fuerint, nec quovis praetextu absque eorumdem superiorum licentiâ (legitimo tamen impedimento cessante) in itinere immorentur, vel ad loca eis non destinata declinent.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinum, quorum illi professi fuerint, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

1 Legi deberet *illarum* (R. T.).

Transumptorum fides.

§ 3. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Praesentibus ad nostrum, et Sedis Apostolicae beneplacitum duraturis.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die VIII iulii MDCIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 8 iulii 1609, pontif. an. V.

CXXXV.

Monetur abbas Fuldensis, ut nonnullarum praepositurarum possessionem decano ecclesiae Fuldensis restituat[1].

Dilecto filio Ioanni Friderico abbati Fuldensi

Paulus Papa V.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Decanus nonnullis praeposituris se privatum fuisse conqueritur.

§ 1. Exposuit apostolatui nostro dilectus filius Reynhardus Ludovicus decanus istius ecclesiae Fuldensis, quod, cum ipse praeposituras Tubla Blankenaw montis sancti Petri et montis sancti Ioannis in eâdem ecclesiâ pacifice possideret, earum possessione, mandato tuo, privatus fuit, et forsan, te nesciente, iuris ordine non servato.

Hoc autem contra canonum formam peractum esse dignoscitur.

§ 2. Cum autem a dilectis filiis nostris Laurentio tituli sancti Laurentii in Pane et Perna Blanchetto et Ioanne Garzia tituli sanctorum Quatuor Coronatorum sanctae Romanae Ecclesiae presbyteris cardina-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

libus Millino nuncupatis rem diligenter examinari (tam decano praedicto, quam personâ, quae tua negotia in Romanâ Curiâ gerit, saepius auditis) mandaverimus, iidem cardinales nobis retulerunt ex scripturis, iuribus et informationibus, tam in iure quam in facto, ab utrâque parte datis, dignosci, te decanum praedictum a possessione praeposilurarum huiusmodi, sacrorum canonum formâ non servatâ, amovisse.

Monetur abbas ut praeposituras restituat ei ablatas.

§ 3. Quamobrem, cum de tuâ pietate et singulari erga nos et Apostolicam Sedem devotione non dubitemus, tecum paterne agendum censuimus, et in Domino hortandum, ut, ne videaris, quoniam maiores[1], minorem opprimere, eidem possessionem earumdem praeposilurarum unâ cum fructibus, emolumentis, rebusque omnibus restituas, eoque in statu, in quo erat, eum reponas. Nos enim deinde, ut iuris tramite progrediatur, de iure tuo accurate cognosci et iustitiam summarie ministrari faciemus. Quod si, ut speramus, praestiteris, praeterquam quod iustitiae et aequitatis cultorem, ac nostrum et Apostolicae Sedis obsequentissimum filium te omnibus re ipsâ ostendes, non committes, ut apostolicum implorare auxilium decanus iterum compellatur; nobisque longe gratissimum erit.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris die VIII iulii MDCIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 8 iulii 1609, pontif. an. V.

CXXXVI.

Quod causae hospitalis mendicantium de Urbe, in secundâ instantiâ, ab uno ex iudicibus ordinariis Urbis, per cardinalem illius pro tempore protectorem eligendo, cognoscantur, unâ cum notario eiusdem hospitalis[1].

Paulus Papa V,

Dilecto filio nostro Alexandro sancti Laurentii in Damaso diacono cardinali Montalto nuncupato, S. R. E. vicecancellario, salutem et apostolicam benedictionem.

Sixtus V administratoribus hospitalis mendicantium de Urbe dedit facultatem deputandi unum doctorem in iudicem causarum illius.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Sixtus Papa V praedecessor noster, indemnitati hospitalis pauperum mendicantium, per eum apud pontem Sixtum nuncupatum de Urbe erecti, consulere cupiens, inter alia, motu proprio et ex certâ scientiâ suâ, perpetuo statuit et ordinavit, quod, ex tunc de caetero perpetuis futuris temporibus, pro tempore existentes dicti hospitalis administratores unum utriusque iuris doctorem clericum in iudicem causarum hospitalis praedicti eligere seu deputare possent et valerent;

A cuius sententia semel tantum ad gubernatorem Urbis appellari posse decrevit.

§ 2. Decernentes[2], quod a pro tempore existentis doctoris, ut praemittitur, electi et deputati sententiis semel tantum pro qualibet parte liceret appellare et alia remedia intentare coram pro tempore existente Urbis gubernatore, seu alio iudice ab ipso gubernatore deputando, ei vero parti, quae semel appellasset, secundo vel ulterius sublata esset omnis et quaecumque appellatio, sed duae sententiae conformes plenariam exequutionem obtinerent, ac si essent tres conformes.

Iste modo Pontifex ex causis hic expressis dat cardinali hospitalis protectori auctoritatem deputandi unum ex

§ 3. Cum autem, sicut accepimus, administratores, officiales et ministri praedicti, ut expeditionem dictarum causarum in secundâ instantiâ coram gubernatore

1 At legendum esse *maior* quisque intelligit (R. T.).

1 Erexit hoc hospitale Sixtus V in suâ Constitutione LXXXV *Quamvis* tom. VIII pag. 817. Et iurisdictionem eius lites in primâ instantiâ cognoscendi doctori ab illius administratoribus deputando concessit in aliâ Constit. CXXXIII *Postulat* tom. IX pag. 33.

2 Videretur legendum *decernens* (R. T.).

Iudicibus ordinariis ad cognoscendas causas appellationis adhibito notario hospitalis.

seu iudice ab ipso gubernatore deputando prosequi possint, registra et extracta cum magnis expensis conficere et nonnumquam, pecuniis ad id necessariis sibi deficientibus, causas ipsas in maximum eorum praeiudicium deserere cogantur; nos propterea, eorumdem administratorum, officialium et ministrorum praedictorum indemnitati in praemissis consultum esse cupientes, ac illos et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, etc. censentes, discretioni tuae (quem recolendae memoriae Clemens Papa VIII, etiam praedecessor noster, dicti hospitalis protectorem, cum auctoritate, facultatibus, iurisdictione, superioritate, honoribus et oneribus, aliis similium piorum locorum protectoribus, de iure, consuetudine, privilegio, aut aliàs quomodocumque competentibus, ad tui vitam deputavit), ut aliquem ex iudicibus ordinariis Urbis (qui omnes et singulas causas, lites, quaestiones et controversias in secundâ instantiâ per appellationem, seu aliàs a sententiis praedicti doctoris coram gubernatore, seu eius deputato, vigore praedictarum litterarum, ut praedicitur, introductas, et quae introduci deberent, firmo remanente notario per administratores in primâ instantiâ deputato, audiat, cognoscat et fine debito terminet) deputare libere et licite valeas, facultatem et auctoritatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Contrariisque derogat.

§ 4. Non obstantibus litteris praedictis, ac constitutionibus apostolicis, ac dicti hospitalis statutis, etiam iuramento roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis iudicibus et tribunalibus concessis. Quibus omnibus et singulis, etiam si de illis specialis, specifica et expressa mentio facienda seu quaevis alia expressio ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis sufficienter et ad verbum insertis habentes, illis aliàs, etc., permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum, die XX iulii MDCIX anno V.

Dat. die 20 iulii 1609, pontif. an. V.

CXXXVII.

Confirmatio oblationis nonnullarum pecuniarum regi catholico per archiepiscopos, episcopos, aliosque ecclesiasticos regni Siciliae ultra Pharum factae[1].

Charissimo in Christo filio nostro
Philippo Hispaniarum regi catholico
Paulus Papa V.

Charissime in Christo fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ecclesiastici Siciliae pecunias nonnullas regi offerunt persolvendas.

§ 1. Exponi nobis nuper fecisti, quod, cum nuper dilecti filii tres hominum status, seu tria brachia, ecclesiasticum, militare et demoniale[2] nuncupata regni Siciliae ultra Pharum, cuius tu rex existis, quibusdam rationabilibus de causis eorum animos moventibus, de offerendo tibi ac dilecto filio nobili viro Ioanni Fernandez Pacheco marchioni Villenae, eiusdem regni proregi, certas pecuniarum summas,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Lege *domaniale* vel *demaniale* (R. T.).

donativa nuncupata, sub certis terminis ac modo et formâ exigendas inter se tractaverint, venerabiles fratres archiepiscopi, episcopi et dilecti filii archimandrita et aliae personae ecclesiasticae dicti regni certam ratam sponte suâ obtulerunt et dare statuerunt in parlamentis ordinariis habitis de anno praesenti, ipsique archiepiscopi, episcopi et archimandrita ac aliae ecclesiasticae personae eorum ratam huiusmodi, accedente ad hoc nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, persolvere obtulerunt, et forsan etiam persolverunt;

Philippus rex id a Pontifice permitti precatur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat (ex eo quod per Lateranense Concilium novissime celebratum, diversasque alias canonicas sanctiones, sub diversis censuris et poenis caveatur expresse, ne reges, principes et alii potentatus ab archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis personis ecclesiasticis, etiam sponte offerentibus, aliquam pecuniarum summam sive subventionem recipiant), maiestas tua ac tui illius regni ministri nec non dictus Ioannes Fernandez prorex dubitetis, ratam praedictam recipiendo, censuras et poenas praedictas incurrere et forsan incurrisse; et nobis propterea humiliter supplicari fecistis, pro tuà et dictorum ministrorum ac Ioannis Fernandez proregis conscientiae quiete, quatenus praemissis nostram et huius sanctae Sedis auctoritatem interponere dignaremur:

Praestat Pontifex.

§ 3. Nos, supplicationibus huiusmodi inclinati, oblationi et forsan promissioni nec non solutioni per archiepiscopos, episcopos et archimandritam ac alias ecclesiasticas personas factis, pro hac vice tantum, nostram et dictae Sedis auctoritatem interponimus per praesentes, et nihilominus archiepiscopis, episcopis et archimandritae ac aliis ecclesiasticis personis praedictis, ut ratam huiusmodi per eos, ut praefertur, oblatam et promissam persolvere, ac maiestas tua et tui ministri dictusque Ioannes Fernandez prorex eam petere et recipere absque conscientiae scrupulo, seu censurarum et poenarum praedictarum incursu, libere et licite valeant, concedimus et indulgemus: ipsosque archiepiscopos, episcopos et archimandritam ac alias personas ecclesiasticas et earum singulas, quatenus ipsi dictam ratam iam promiserint aut solverint, nec non eamdem maiestatem tuam et tuos ministros ac Ioannem Fernandez proregem praedictum, si eamdem ratam iam perceperint, ab omnibus et singulis censuris et poenis, propterea quomodolibet incursis, eâdem auctoritate absolvimus, et absolutos fore censemus et declaramus.

Et ad eas persolvendas ecclesiasticos singulos teneri declarat.

§ 4. Decernentes, quod omnes et singuli pensionarii, seu ii quibus loco pensionum fructus in totum vel in partem reservati existunt, cuiuscumque dignitatis vel conditionis sint, exceptis tamen sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, ad huiusmodi ratae solutionem, in omnibus et per omnia, perinde ac si nominatim ratam eamdem se soluturos obtulissent (clausulis et decretis in litteris apostolicis reservationum pensionum et fructuum huiusmodi, etiam consistorialiter appositis, etiam quod dictae pensiones ab omni decimâ, subsidio charitativo et quovis alio onere, tam ordinario quam extraordinario, quavis auctoritate, etiam pro expeditione, tam offensivâ quam defensivâ, contra Turcas et alios infideles, ac reipublicae christianae ab illorum conatibus defensione, seu inexcogitabili causâ, a Romano Pontifice pro tempore existente, etiam ad imperatoris, regum, ducum, et aliorum instantiam, illorumque contemplatione et intuitu, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ impositis et imponendis, aut aliàs qualiter-

cumque exemptae sint, nequaquam obstantibus), teneantur et efficaciter adstricti sint; ipsique archiepiscopi, episcopi, archimandrita et aliae personae, quarum ecclesiae, monasteria et alia beneficia ecclesiastica annuis pensionibus, auctoritate apostolicà assignatis, gravata et onerata sunt, ratam pensionariorum suorum, seu eorum quibus fructus huiusmodi sint reservati, solvere, et illud, quod pro ipsis pensionariis seu iis quibus fructus huiusmodi sunt reservati, vere et realiter ac quacumque fictione cessante persolverint, suà proprià auctoritate postmodum penes se retinere possint, nec propterea sententias, censuras et poenas in eisdem pensionum reservationibus contentas incurrant[1].

Obstantia tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicà, vel quavis firmitate alià roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis quibusvis, generaliter vel specialiter, concessis, nec non litteris reservationum pensionum et fructuum huiusmodi, ac quibusvis obligationibus, etiam in formà Camerae, etiam cum iuramento, et censurarum et mandati exequutivi susceptione, vel aliàs desuper factis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentio seu quaevis alia expressio habenda sit, et in eis caveatur expresse, quod per huiusmodi clausulas generales, etiam specialem mentionem importantes, eis derogatum esse non censeatur, aut derogari non videatur, nisi certis modo et formà in illis expressis plene observatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Ecclesiasticos pauperes ad solutionem cogi posse negat.

§ 6. Caeterum, volentes providere ne pauperes ecclesiastici ad contributionem huiusmodi graventur, Ioannem Fernandez proregem praedictum hortamur attente, ac in virtute sanctae obedientiae illi mandamus, quatenus eosdem pauperes ecclesiasticos, qui in redditibus annuis nihil, aut parum, etiam usque ad valorem decem unciarum, scuta viginti quinque monetae illius regni constituentium, inclusive habent, ad contributionem praedictam per quoscumque quavis auctoritate fungentes cogi aut compelli nullo modo permittat[1].

Eos vero qui cogendi sunt, ab ecclesiasticis dumtaxat vult cogi.

§ 7. Volumus, quod exactio pecuniarum huiusmodi contra personas ecclesiasticas per personas etiam ecclesiasticas, a dictà maiestate tuà seu dicto Ioanne Fernandez deputandas, fieri debeat, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Quod si secus in aliquo praemissorum factum fuerit, qui contravenerint, in poenas et censuras incurrant, perinde ac si praedictae litterae non emanassent.

Praesentiumque transumptis credi.

§ 8. Denique volumus praeterea praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticà constitutae munitis, eamdem prorsus fidem, in iudicio et extra, in omnibus et per omnia adhiberi, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXIV iulii MDCIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 24 iulii 1609, pontif. an. V.

1 Confer quae similiter praescripta fuerunt supra, pag. 321 (R. T.).

1 Edit. Main. legit *permittant;* erronee, ut patet (R. T.).

CXXXVIII.

Confirmantur litterae Pii V et Clementis VIII, quibus nonnullae aliae revocabantur concedentes communitati Bisuntinae facultatem erigendi studiorum universitatem[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Pius V universitatem Bisuntinam erigi permisit.

§ 1. Expositum nobis nuper fuit nomine dilectorum filiorum nobilis viri Alberti archiducis Austriae, ac rectoris, magistrorum et scholarium universitatis studii generalis, nec non maioris scabinorum, et consilii oppidi Dolae Bisuntinae dioecesis, quod, cum aliàs felicis recordationis Pius Papa V, praedecessor noster, dilectis filiis senatoribus civitatis Bisuntinae, eorum tunc sibi humiliter porrectis supplicationibus inclinatus, ut in dictà civitate, et loco ad id convenienti et apto, unum collegium scholarium, in quo aliquot praeceptores, seu doctores, qui inibi publice theologiam, et ius tam civile quam canonicum, ac philosophiam et medicinam profiterentur ac docerent, sub certis modo et formà tunc expressis erigendi et instituendi facultatem concessisset;

Postmodum datam facultatem revocavit suis litteris.

§ 2. Ipse praedecessor subinde, per eum vicinitate universitatis studii generalis oppidi Dolae, quod a dictâ civitate octo leucas, plus minusve, distabat, et prout asseritur, distat, intellectà, concessionem praedictam ac omnia et singula in litteris desuper confectis aut conficiendis contenta revocavit, cassavit et annullavit, prout in eiusdem Pii V praedecessoris super revocatione, cassatione et annullatione huiusmodi in simili Brevis formà expeditis litteris tenoris subsequentis continetur:

Pius Papa V ad futuram rei memoriam. Etsi ab Apostolicà Sede (ad quam de diversis mundi partibus negotiorum multitudo confluit), curis continue plenâ innumeris, nonnulla interdum ex aliquibus causis per opportunam[1] petentium instantiam concedantur, non debet reprehensibile videri, si Romanus Pontifex, ad cuius providentiam pro debito pastoralis officii spectat, quandoque per eum concessa, rationabilibus et a iure non deviantibus causis maturius et attentius deinde cognitis, revocat et annullat: praesertim cum scandala inde oriri posse cognoscit, ac, rerum et temporum qualitate pensatà[2], id in Domino conspicit salubriter expedire. Sane cum (postquam nos nuper, dilectorum filiorum senatorum civitatis Bisuntinae supplicationibus inclinati, eisdem senatoribus, ut in dictà civitate, ac loco ad id convenienti et apto, unum collegium scholarium cum dote, ecclesià, vel cappellà, in qua missae et alia divina officia celebrantur[3], ac structuris, aedificiis, cameris et locis et dote simili collegio convenientibus ac necessariis, in quo aliquot praeceptores, seu doctores, qui inibi publice theologiam, et ius tam civile quam canonicum, ac philosophiam et medicinam profiterentur et docerent, sub certis modo et formà tunc expressis, erigere et instituere possent, facultatem, apostolicà auctoritate, concesseramus, seu concedi indulseramus) intellexerimus in oppido Dolensi provinciae Burgundiae insignem et antiquam universitatem studii generalis (in qua non solum grammatica et rethorica, verum etiam logica, philosophia et theologia, omnesque aliae facultates ac canonicum et civile ius huiusmodi leguntur et interpretantur, et in eà quamplures egre-

Quae referuntur.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Suspicor legendum esse *importunam* (R. T.).

2 Edit. Main. habet *pensatis* (R. T.).

3 Forsan legendum *celebrarentur* (R. T.).

gii doctores resident) existere, quodque, si tempore datae concessionis seu indulti huiusmodi de universitate praedictà notitiam habuissemus, illam nullatenus concessissemus, quia, cum dicta civitas Bisuntina consistat in eâdem provinciâ Burgundiae, et, sicut accepimus, a praedicto oppido per octo leucas, vel parum plus, solum distet, ex modicâ distantiâ huiusmodi, ac ex aliis iustis et urgentissimis causis nobis notis, ex erectione collegii huiusmodi gravia et irreparabilia damna, scandala, malaque et inconvenientia verisimiliter oriri ac sequi possent, quae, postquam orta et sequuta forent, illa reparari et tolli difficile foret; nos ideo, damnis et scandalis ac malis et inconvenientibus huiusmodi obviare cupientes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostrâ certâ scientiâ, ac dictae Sedis[1] plenitudine, facultatem et potestatem seu illius concessionem praedictam, ac omnia et singula in litteris desuper confectis aut conficiendis contenta, et inde sequuta quaecumque, et si contingeret collegium huiusmodi erigi[2], dictâ auctoritate apostolicâ per praesentes revocamus, cassamus, annullamus et irritamus, ac pro revocatis, cassatis, annullatis ac irritis haberi volumus et decernimus ac mandamus: necnon omnibus in dictis litteris nominatis et nominandis, ac exequutoribus in illis deputatis et deputandis, ac quibuscumque aliis iudicibus et personis, ne collegium huiusmodi erigere, fundare, construere et dotare, nec erigi, fundari, construi et dotari facere, ac quibuscumque doctoribus, magistris et quibusvis aliis, ne in dictâ civitate logicam, philosophiam, theologiam et alias facultates ac ius canonicum vel civile huiusmodi legere, interpretari audeant seu praesumant, sub indignationis nostrae et excommunicationis sententiâ ipso facto incurrendâ poenâ, praecipimus et mandamus et expresse inhibemus: necnon ipsas praesentes de subreptionis, aut obreptionis, seu quocumque alio vitio, seu defectu notari non posse; sicque, et non aliter, per quoscumque iudices, ac causarum Palatii Apostolici auditores, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, auctoritate et potestate), iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus. Non obstantibus litteris et aliis praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII octobris MDLXVII, pontificatus nostri anno II[1].

Eamdem facultatem a Sixto V concessam revocavit pariter Clemens VIII.

§ 3. Successive vero eisdem senatoribus iterum simili facultate per recolendae memoriae Sixtum Papam V, etiam praedecessorem nostrum, concessâ, et postea eisdem de causis a similis recolendae memoriae Gregorio Papa XIV, pariter praedecessore nostro, litteris eiusdem Gregorii praedecessoris, morte eius superveniente minime expeditis, revocatâ, a similis quoque memoriae Clemente Papa VIII, etiam praedecessore nostro, aliae litterae super revocatione ultimo dictâ emanarunt, quarum tenor est, qui sequitur:

Clemens Papa VIII, ad futuram rei memoriam. Rationi congruit et convenit honestati, ut ea, quae de Romani

1 Nescio an hic desit vox *potestatis* (R. T.).

2 Nempe: *etiam collegium, si contingeret*, etc. (R. T).

1 Istiusmodi constitutio in *Bullario* sub Pontificatu Pii V non habebatur (R. T.).

Pontificis gratiâ processerunt, licet eius superveniente obitu litterae apostolicae desuper confectae non fuerint, suum debitum sortiantur effectum. Dudum siquidem per felicis recordationis Sixtum Papam V praedecessorem nostrum accepto, dilectos filios senatores, seu gubernatores, ac communitatem, et homines civitatis Bisuntinae pro dictae civitatis decore, et eius populi commoditate, ac bonarum artium scientiis in eâ nutriendis et propagandis summopere cupere in dictâ civitate unum collegium erigi, in quo tam theologia, quam ius civile et pontificium, nec non philosophia et medicina docerentur, idem praedecessor, non informatus quod aliqua alia vicina studiorum huiusmodi universitas instituta existeret, ac proinde solum commodum, quod ex studiis provenire solet, tunc considerans, eorumdem conservatorum, seu gubernatorum, ac communitatis, et hominum supplicationibus inclinatus, illis, ut in dictâ civitate, et loco ad id convenienti, collegium scholarium cum ecclesiâ, vel cappellâ, nec non futuris[1] aedificiis, cameris, locis, et dote simili collegio convenientibus et necessariis, in quo aliquot civitatis Bisuntinae, seu aliunde evocandi, idonei et honesti praeceptores, seu doctores, qui inibi publice theologiam, ius tam civile quam pontificium, philosophiam et medicinam profiterentur et docerent, erigere et instituere possent, facultatem concesserat; eiusdemque collegii scholaribus, rectoribus et gubernatoribus, ut omnibus et singulis privilegiis, quibus tam alii urbis nostrae Romae quam Bononiensis civitatis universitatum scholares ad gradus pro tempore promoti, et illorum rectores, nec non doctores et regentes in eis, tam de iure quam consuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, pariformiter uti possent, indulserat, sub certis modo et formâ tunc latius expressis, prout in suis exinde confectis litteris (quas etiam de subreptionis vel obreptionis vitio, aut quocumque defectu nullatenus notari, neque sub ullis revocationibus comprehendi posse, et, quoties revocari contingeret, easdem in pristinum statum restitutas censeri, ac ita per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari debere, irritumque et inane, quidquid secus super his, quavis auctoritate attentari contingeret, decernendo[1]) plenius continetur. Successive per piae memoriae Gregorium Papam XIV, etiam praedecessorem nostrum, accepto, quod in oppido Dolano[2] eiusdem dioecesis, quod insigne existebat, una studii generalis universitas, tam ex sui antiquitate quam doctorum et aliorum litteratorum virorum abundanti numero etiam insignis, dudum instituta fuerat, in eâque (ultra grammaticam et rethoricam, logicam et philosophiam, et omnes alias facultates) theologia ac utrumque ius legerentur et interpretarentur, ipsumque oppidum a civitate Bisuntinâ non amplius, quam octo leucis, vel circa, distaret, ac proinde, et aliàs, collegium in civitate Bisuntinâ non adeo necessarium videretur, immo, si ad effectum perduceretur, verosimile esset, quod id sine gravi adeo ipsius universitatis Dolensis praeiudicio fieri non posset, gravia quoque scandala atque inconvenientia esse subsequutura; hisque potissimum de causis aliàs piae memoriae Pius Papa V, similiter praedecessor noster, postquam in eâdem civitate Bi-

1 Supra ad pag. 577 *b* in loco parallelo const. Pii V legitur *structuris* (R. T.).

1 Aptius legeretur *decrevit* (R. T.).

2 Perperam edit. Main. legit *Volano* (R. T.)

suntinâ tale collegium erexerat, seu erigendi facultatem concesserat, eamdem facultatem cum inde sequutis revocaverat; de quibus tamen et hac vicinâ universitate praedictâ in litteris eiusdem Sixti praedecessoris desuper confectis nulla mentio facta fuerat, ac proinde dictae litterae merito nullae, et subreptioni[1] censendae, et revocandae erant; quibus etiam per eumdem Sixtum praedecessorem acceptis, ac materiâ huiusmodi per dilectos filios nostros tunc suos Hieronymum sanctae Susannae ac Hieronymum sancti Petri ad Vincula titulorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinales Rusticucium et Rovere nuncupatos coram eodem Sixto praedecessore expositâ, litteras praedictas, ut ab eisdem cardinalibus fide dignâ relatione dictus Gregorius praedecessor acceperat, licet plumbatas et de eius mandato in plumbo retentas, postmodum lacerari mandaverat: idem Gregorius praedecessor, ex dictis certisque aliis causis urgentibus atque iustis ei notis, volens scandalis et inconvenientiis praedictis, prout in eo erat, obviare, ac universitatis oppidi Dolani huiusmodi indemnitati, prout par erat, consulere, earumdem litterarum tenores pro expressis ac de verbo ad verbum insertis habens, sub datum videlicet die v februarii MDXCI, pontificatus sui anno I, motu proprio, et ex certâ suâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, licentiam et facultatem erigendi collegium in civitate Bisuntinâ, ac indultum huiusmodi, ac desuper confectas litteras, omniaque et singula alia in dictis litteris contenta, auctoritate apostolicâ perpetuo revocavit, penitusque cassavit, annullavit et viribus evacuavit, ac revocatas, cassatas et annullatas, viribusque evacuatas et irritas, nulliusque prorsus roboris ac momenti vel efficaciae fore nec esse, ac pro omnino infectis haberi debere, nec praedictis conservatoribus, seu gubernatoribus, et communitati, et hominibus, atque adeo ipsi civitati Bisuntinae, aut praeceptoribus et scholaribus praedictis, seu quibusvis aliis, in aliquo suffragari; aliasque litteras tunc desuper conficiendas nullo umquam tempore, etiam quod senatores, seu gubernatores, et alii praedicti ad hoc vocati non fuerint, aut aliàs si[1] ex quavis causâ, de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, vel intentionis suae aut quocumque alio defectu notari, impugnari, aut retractari, seu adversus eas quodcumque iuris, gratiae, vel facti remedium impetrari nullatenus posse; sed observari et adimpleri[2]: sicque per quoscumque iudices etiam causarum Palatii Apostolici auditores et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, irritumque et inane decernens, quidquid secus super his per quoscumque quomodolibet attentari contingeret: non obstantibus eiusdem Sixti praedecessoris, et aliis praemissis, nec non constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis et privilegiis in contrarium forsan quomodolibet concessis: quibus omnibus latissime eâ vice specialiter et expresse derogavit, caeterisque contrariis quibuscumque. Ne autem de revocatione, cassatione, annullatione, evacuatione, decreto et derogatione Gregorii praedecessoris huiusmodi (pro eo quod super illis eiusdem Gregorii praedecessoris, eius superveniente obitu, litterae apostolicae confectae non fuerunt) valeat quomodolibet haesitari, volumus et si-

1 Forsan legendum *subreptionis*, vel *subreptitiae* (R. T.).

1 Particulam *si* redundare videtur (R. T.).
2 Subintellige *debere*, quod seq. postea (R. T.).

militer motu simili decernimus, quod revocatio, cassatio, annullatio, evacuatio, decretum et derogatio Gregorii praedecessoris huiusmodi, perinde a dictâ die quintâ februarii suum sortiantur effectum, ac si super illis dicti Gregorii praedecessoris litterae sub eiusdem diei datâ confectae fuissent, prout superius enarratur: quodque praesentes litterae ad probandum plene revocationem, cassationem, annullationem, evacuationem, decretum et derogationem praedictas ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die nonâ februarii MDXCII, pontificatus nostri anno I[1].

Albertus archidux Austriae hasce revocatorias litteras confirmari petit.

§ 4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipse Albertus archidux, ac rector, magistri et scholares, necnon maior scabinorum, et consilium praedicti pro litterarum praeinsertarum firmiori robore, illas per nos apostolicâ auctoritate confirmari plurimum desiderent; idcirco nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Paulus.

§ 5. Nos igitur Albertum archiducem, necnon rectorem, magistros et scholares, ac maiorem scabinorum et consilium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Pii V et Clementis VIII praedecessorum praedictorum litteras praeinsertas, necnon omnia et singula in eis contenta, quatenus sint in usu et non revocata, nec sub aliquibus revocationibus comprehensa, appostolicâ auctoritate praedictâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eis quomodolibet intervenerunt, supplemus.

Clausulae.

§ 6. Decernentes illa valida, firma et efficacia fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praemissis, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die X septembris MDCIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 10 septembris 1609, pontif. an. V.

1 Hae litterae Clementis VIII in *Bullario* suo loco non legebantur (R. T.).

CXXXIX.

Iubilaeum pro regni Poloniae necessitatibus, ad divinam opem implorandam[1].

Paulus Papa V,

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Universo gregi Dominico per abundantiam divinae gratiae, nullo merito nostro, praepositi, sollicitudine, quam omnibus ecclesiis tenemur impendere, pastorali, cunctorum populorum christifidelium necessitatibus, quantum cum Domino conceditur, consulere assidue conamur. Igitur in regnum Poloniae, Ecclesiae Dei partem grandem et insignem et Apostolicae Sedis[2] praecipue dilectam, mentis aciem intendentes, eiusque praesentes necessitates divinae gratiae auxilium magnopere desiderare cernentes, ut illud efficacius implorari et uberius a divinâ clementiâ impetrari valeat, caelestis Ecclesiae thesauri, cuius nos auctore Domino dispensatores sumus, copiosâ erogatione pro solitâ Apostolicae Sedis benignitate provideri[3] duximus.

Christifideles Poloniae hortatur, ut ieiuniis et orationibus divinam opem implorent. § 1. Quapropter omnes christifideles in praedicto regno Poloniae aliisque dominiis charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae et Svetiae regi illustri subiectis existentes hortamur in Domino, et enixe requirimus, ut, quoniam humilium et mansuetorum semper Domino placuit deprecatio, in humilitate cordis ad Deum conversi continentiam ieiunii, instantiam orationis, et eleemosynarum pium officium studiosius assumant, et in unum propositum devote omnium corda concurrant, ut propter gloriam nominis sui fidem catholicam protegere et promovere, haereses extirpare, principibus christianis pacem et veram concordiam largiri, ac Sigismundum regem praedictum prospere dirigere et protegere, praesentibusque eiusdem regni Poloniae necessitatibus benigne subvenire dignetur.

§ 2. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, meritis minime suffragantibus, contulit, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus praedictis in civitate Cracoviensi existentibus, qui in dictâ civitate duas, cathedralem videlicet et alteram a venerabile fratre episcopo Cracoviensi designandam ecclesias, illis autem, qui extra civitatem praedictam in dicto regno et dominiis huiusmodi fuerint, ac, si dictus Sigismundus rex extra huiusmodi regnum et dominia erit, eidem Sigismundo regi et omnibus illum sequentibus, qui duas alias ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum vicariis, seu officialibus, vel de eorum mandato, et, ubi illi non sunt, ab exercentibus curam animarum pariter designandas, vere poenitentes, et peccata sua confessi, et sacrâ Communione refecti, semel in primâ vel secundâ hebdomadâ post praesentium publicationem, seu postquam ad Ordinariorum locorum, vel eorum vicariorum, seu officialium, et, ubi illi non erunt, ad curam animarum exercentium notitiam hae nostrae litterae pervenerint, devote visitaverint, ibique pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris ecclesiae exaltatione, et pro praesentibus regni Poloniae necessitatibus, pias ad Deum preces effuderint, et feriâ quartâ et sextâ ac sabato primae vel secundae hebdomadae huiusmodi ieiunaverint, et Pia opera ut Indulgentiam consequantur facienda proponit.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Forsan legendum *Sedi* (R. T.).
3 Nisi quis malit legere *providere* R. T.

eleemosynam, prout charitas singulis suggesserit, fecerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium elargimur.

Indulgentiam que concedit.

Legitime impediti qui eam consequi valeant.

§ 3. Regularibus autem personis in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque christifidelibus praedictis, carceris, infirmitatis vel alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut confessarius, quem ut infra elegerint, praedicta omnia et singula vel eorum aliqua in alia pietatis opera commutare vel in aliud proximum tempus prorogare possit[1], eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

Facultates confessariis concessae.

§ 4. Cupientes autem eosdem omnes christifideles thesauri huiusmodi participes fieri, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus praedictis, tam laicis quam ecclesiasticis, saecularibus et regularibus cuiuscumque Ordinis et instituti, licentiam concedimus et facultatem damus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium, tam saecularem quam cuiusvis Ordinis regularem, ex approbatis a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis, contentis, atque aliàs per quascumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae, et hac vice tantum, absolvere et liberare valeant, et insuper vota quaecumque (Religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate publicâ, vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contractâ, dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiae; neque etiam iis, qui a nobis et Sede Apostolicâ, aut ab aliquo praelato, seu iudice ecclesiastico excommunicati, seu suspensi, vel interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus celebrationis huiusmodi iubilaei satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, nullo[1] modo suffragari posse aut debere.

Contraria tolluntur.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et Congregationum sive Institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus et Congregationibus atque Institutis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio

1 Edit. Main. legit *possint* (R. T.).

1 Aptius legeretur *ullo* (R. T.).

aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et ad verbum insertis, ac formam eorum traditam pro servatâ habentes, hac vice dumtaxat, illis aliâs in suo robore permansuris, specialiter, nominatim et expresse ad effectum praesentium derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Ut autem praesentes nostrae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis originalibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Tusculi sub annulo Piscatoris, die x octobris MDCIX, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 10 octobris 1609, pontif. anno v.

CXL.

Confirmantur litterae Clementis Papae VIII quibus statuitur, quod officiales, provisores, et vicarii generales, aliique iudices ordinarii episcoporum, archiepiscoporum, et aliorum Ordinariorum locorum regnorum Castellae, et Legionis debeant esse in sacris ordinibus constituti [1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Provisionis nostrae debet provenire subsidio, ut ius suum unicuique conservetur.

§ 1. Proinde nos tenorem quarumdam litterarum in formâ Brevis felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri in secretariâ domesticâ ipsius praedecessoris repertum ex minutâ originali de verbo ad verbum transcribi, et praesentibus adnotari fecimus, pro eo quod huiusmodi tenore indigere dilecti filii congregatio status ecclesiastici regnorum Castellae et Legionis nobis significarunt; qui quidem tenor talis est, videlicet:

Recensentur Clementis Papa litterae de quibus in rubrica.

Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam. Ecclesiastici Ordinis dignitati et decori maxime convenit, ut qui personis ecclesiasticis et rerum ecclesiasticarum in spiritualibus praesertim administrationi praeficiuntur, ii non solum delatâ sibi auctoritate suffulti, sed, et tali etiam ordine sint initiati, ut nec indecorum sit, illos caeteris in sacris ordinibus constitutis personis praeesse, nec illis post absoluta eorum officia licitum sit ad laicalia vota, cum ecclesiastici Ordinis dedecore, pertransire. Hoc sane consilio, primum in Chalcedonensi, tum in Hispalensi conciliis provide statutum fuit, ut vicarii episcoporum non laici, sed clerici esse deberent: quinimo, ut accepimus, in provinciali synodo Toletanâ anno Domini MDLXVI celebratâ, cum non esset expresse decisum, an vicarius, seu officialis, aut provisor generalis episcopi, et iudex ecclesiasticus, in sacris aut minoribus tantum ordinibus constitutus esse deberet, ad tollendam indecentiam, quae inde provenire poterat, ordinatum fuit, ut iudices ecclesiastici in sacris ordinibus constituti esse deberent. Cumque itaque nuper dilectorum filiorum congregationis status ecclesiastici regnorum Castellae et Legionis nomine nobis expositum fuerit, ipsos, supradictis de causis, maxime cupere, ut, pro ipsius status ecclesiastici dictorum regnorum (in quibus sacerdotum et clericorum in sacris ordinibus constitutorum, doctrinâ aliisque virtutibus insignium, magna, benedicente Domino,

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

copia reperitur) decore, apostolicâ auctoritate statuatur, ut officiales, provisores, et vicarii generales eorum episcoporum, vel archiepiscoporum, aliique iudices ecclesiastici, quos in spiritualibus eis praefici pro tempore contigerit, in sacris ordinibus costituti esse debeant: ac propterea nobis humiliter fuerit supplicatum, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur: nos, iustis ac laudabilibus congregationis huiusmodi petitionibus in praemissis benigne annuere ac ipsam congregationem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac singulares illius personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, dictum decretum concilii Toletani approbantes, ex voto nonnullorum S. R. E. cardinalium, quibus hoc negocium examinandum et nobis referendum commisimus, harum serie perpetuo statuimus et ordinamus, ut nullus posthac in perpetuum officialis, seu provisoris, vel vicarii generalis, seu iudicis ordinarii alicuius archiepiscopi, vel episcopi, aut alterius personae iurisdictionem ecclesiasticam obtinentis in dictis regnis Castellae et Legionis muneribus fungi, aut ad ea munera eligi et deputari possit, qui in aliquo saltem ex ordinibus sacris non fuerit constitutus; ac propterea venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et aliis iurisdictionem ecclesiasticam obtinentibus in dictis regnis Castellae et Legionis districte praecipiendo mandamus, ne deinceps quempiam in aliquo saltem ex sacris ordinibus non constitutum in eorum officialem, provisorem, aut vicarium generalem, seu iudicem ordinarium deputent, eligant, assumant, admittant, vel retineant; et nihilominus omnes et singulas deputationes, electiones, assumptiones, admissiones, ac dispensationes ad huiusmodi munera aut aliquod illorum de quibusvis personis in aliquo sacro ordine non constitutis quandocumque et per quoscumque faciendas, nullas et invalidas ac nullius roboris et momenti fore et esse; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et nuncios (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate), iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus. Quocirca dilectis filiis causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, et nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio, nunc et pro tempore existentibus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictae Congregationis aut interesse habentium fuerint requisiti, per se, vel alios, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praemissa per eos, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolate perpetuo observari; contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus

dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque costitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quarumvis ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ecclesiarum praesulibus aut aliis quibuscumque personis, sub quibusvis, tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Caeterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, ubi necesse fuerit, deferri, volumus et apostolicâ auctoritate decernimus, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die I februarii MDCV, pontificatus nostri anno IX[1].

Confirmantur. § 2. Caeterum, ut earumdem litterarum tenor sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, auctoritate apostolicâ decernimus, ut illud idem robur, eamdemque vim et vigorem dictus tenor in omnibus et per omnia habeat, quem haberent originales litterae praedictae, ac eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur quandocumque et ubicumque, sive in iudicio sive alibi, ubi fuerit exhibitus vel ostensus, ac illi pariter stetur, sicut eisdem litteris originalibus staretur, si forent exhibitae vel ostensae. Per hoc autem nullum ius cuiquam de novo acquiri volumus, sed antiquum solummodo conservari.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris die XVI octobris MDCIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 16 octobris 1609, pontif. an. V.

1 Alterutra anni indicatio erronea est (R. T.).

CXLI.

Moderatio indultorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, super collatione beneficiorum ecclesiasticorum [1].

Sanctissimus in Christo pater, et dominus noster dominus Paulus divinâ providentiâ Papa V

Provide attendens, quod vacatione beneficiorum ecclesiasticorum, Sedis Apostolicae dispositioni reservatorum, etiam apud illam pro tempore occurrente, ex quibusdam indultis et facultatibus santae Romanae Ecclesiae cardinalibus super dispositione beneficiorum huiusmodi concessis, Sedes ipsa omnium parens et alumna saepenumero impeditur, quominus solitam eius benignitatem erga pauperes et personas de se benemeritas ac aliàs sibi gratas et acceptas liberaliter exercere possit; Rationes decreti.

1 Aliam habemus moderationem Pii V in Constit. XXIV, *Sanctissimus..., Ex tam multis* (in h. n. edit. LVI tom. VII pag. 571); ac aliam Gregorii XIV in Constit. XLIV, *Sanctissimus* (in h. n. edit. XLVI, tom. IX, pag. 503).

Moderatio indultorum S.R.E. cardinalium super collatione beneficiorum.

§ 1. Volens propterea super his apportunae provisionis remedium, ut par est, adhibere, simulque contentionibus et litibus circa facultatum et indultorum praefatorum interpretationem oriri solitis obviare, felicis recordationis Pii etiam V et Gregorii XIV Romanorum Pontificum praedecessorum suorum vestigiis in eâ parte inhaerendo, motu proprio et ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnia et quaecumque indulta, concessiones, facultates et privilegia conferendi quaecumque apud Sedem Apostolicam praefatam vacantia aut imposterum vacatura beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, quomodocumque qualificata, etiam inter quascumque personas litigiosa, ad collationem, provisionem, praesentationem, electionem et quamcumque aliam dispositionem tam dictorum cardinalium (ratione patriarchalium, metropolitanarum, et cathedralium, ac aliarum ecclesiarum, non tamen earum, quibus in titulum, aut denominationem sui cardinalatus praesunt, circa quae aliquid de novo disponere non intendit, nec non monasteriorum, prioratuum, dignitatum, et aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, quae quomodolibet obtinent et imposterum obtinebunt, ac etiam quorum collatio et provisio et quaevis alia dispositio illis ex causâ factae per eos cessionis regiminis et administrationis, seu commendae, aut resignationis ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum huiusmodi beneficiorum, apostolicâ auctoritate reservata, etc. existit, vel imposterum reservabitur) quam etiam aliorum quorumcumque inferiorum collatorum aut collatricum, coniunctim vel divisim, de iure, privilegio, consuetudine, aut quomodolibet pertinentia; ac etiam illa commendandi, et aliàs de eis disponendi: vel de consensu ipsorum cardinalium requirendo in provisione eorumdem beneficiorum (apud Sedem eamdem, ut praefertur, vacantium) per Sanctitatem Suam faciendâ, et quod sine consensu huiusmodi factae provisiones aut quaevis aliae dispositiones nullae et irritae sint; omnibus et singulis cardinalibus praefatis per quoscumque Romanos Pontifices, ac Sanctitatem Suam, et dictam Sedem, etiam motu, scientiâ, potestatisque plenitudine similibus, et consistorialiter, ac etiam ex pactis inter dictos Pontifices et cardinales diversis temporibus factis, firmatis et iuratis, nec non quibusvis onerosis et aliis causis, concessa, ac etiam iteratis aut multiplicatis vicibus approbata, innovata et extensa, quibuscumque concepta formulis, ac etiam restitutivis, mentis attestativis, praeservativis, derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis et insolitis clausulis, etiam vim contractus inducentibus, ac irritanti, et quod sine eorum consensu derogationes pro tempore factae nemini suffragentur, aliisque decretis suffulta (quorum omnium tenores Sanctitas Sua haberi voluit pro expressis) specialiter et expresse revocavit: litterasque apostolicas desuper confectas, et quoad ea, in quibus illa effectum nondum sortita erant, et deinde sequuta quaecumque, cassavit, annullavit, viresque, et effectum de caetero non habere decrevit. Salvâ tamen remanente facultate consensus per ipsos cardinales in provisionibus apostolicis beneficiorum, per obitum familiarium continuorum commensalium eorumdem cardinalium, etiam apud Sedem praedictam, vacantium, praestandi, iuxta formam regulae Cancellariae Apostolicae super hoc editae, et in casibus tantum in ipsâ regulâ expressis. Voluit ulterius, quod eadem beneficia per obitum familiarum continuorum commensalium eorumdem cardinalium post-

hac, tam apud eamdem Sedem, quam extra Romanam Curiam vacantia, etiamsi ad alicuius alterius cardinalis collationem vel aliam dispositionem pertinere deberent, etiamsi tunc cessent aliae apostolicae reservationes hactenus editae, nihilominus imposterum dispositioni Sanctitatis[1] suae reservata censeantur, ita ut in provisionibus talium beneficiorum super expeditionibus litterarum illius cardinalis, cuius tunc familiaris defunctus extitit, si ipse cardinalis tunc praesens in eâdem Curiâ fuerit, consensus omnino requiri debeat, non autem beneficia huiusmodi (etiam eodem cardinale ab ipsa Curiâ absente seu praedefuncto, vel aliàs, conferre impedito) ad collationem seu quamvis aliam dispositionem cardinalis ordinarii collatoris ullo modo pertineant, neque eiusdem cardinalis ordinarii collatoris, etiam in dictâ Curiâ tunc praesentis, consensus quoquomodo requiratur. Easdemque constitutiones et regulas Cancellariae, etiam declaratorias, super beneficiis familiarium praedictorum cardinalium editas et edendas, tam quoad cardinales indulta huiusmodi habentes, quam non habentes, atque adeo indulta ipsa, ad terminos praesentis constitutionis reduxit et moderatus fuit.

Declaratio quod haec constitutio extendatur ad indulta de caetero concedenda.

§ 2. Insuper statuit et ordinavit, quod in quibuscumque facultatibus et indultis, quae deinceps singulis cardinalibus praefatis, praesentibus et futuris, super huiusmodi beneficiorum, ut praefertur, vacantium et vacaturorum dispositione, aut de consensu ipsorum cardinalium in provisionibus eorumdem beneficiorum requirendo, per Sanctitatem suam et quoscumque alios Romanos Pontifices successores suos dictamque Sedem pro tempore concedentur, eadem praesens constitutio[2] ad unguem omnino observari debeat; omnesque litterae apostolicae desuper (tam per Cancellariam praefatam, quam Cameram Apostolicam, ac etiam viâ secretâ, sub annulo Piscatoris, absque limitationibus et moderationibus praedictis, ac aliàs, praeter et contra formam atque tenorem praesentis constitutionis huiusmodi, etiam motu, scientiâ, et potestatis plenitudine paribus, etiam cum praesentium speciali et expressâ derogatione, pro tempore expeditae) nullius sint roboris vel momenti, nec cuipiam suffragentur.

Clausula sublata, etc.

§ 3. Decernens sic in iis, caeterisque omnibus praemissis, per quoscumque, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac etiam ipsos cardinales (sublatâ eis quavis aliter iudicandi atque interpretandi facultate et auctoritate) iudicari aut definiri debere, necnon irritum et inane, quidquid secus super his per quoscumque, etiam praetextu indultorum, facultatum et concessionum huiusmodi, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Statuto et ordinatione, decreto et declaratione Suae Sanctitatis in crastinum eius assumptionis ad summi apostolatus apicem editis, quod cardinales in constitutionibus et regulis per eam post priorum suarum constitutionum et regularum editionem et publicationem imposterum faciendis non includantur (nisi illae eorumdem cardinalium favorem concernant vel ipsae edendae constitutiones de illorum seu maioris partis eorum consilio editae fuerint), nec non praedictis et quibuscumque aliis regulis, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque nequaquam obstantibus.

Placet motu proprio publicetur et describatur C.

---

1 Edit. Main. legit *Sanctitati* (R. T.).

2 Ed. Main. habet *eadem... constitutum* (R. T)

CXLII.

Locus columnae sancti Laurentii nuncupatus in civitate Mediolanensi ecclesiasticâ privatur immunitate.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Vices illius, qui dilexit iustitiam et odit iniquitatem, ac propterea unxit illum Deus, Deus eius prae consortibus eius, quamquam immeriti, gerentes in terris, ex debito officii nostri praecipue debemus scelerum fomenta, cum possumus, omnino prohibere.

Locus columnae S. Laurentii nuncupatus asylus facinorosorum erat.

§ 1. Nuper siquidem pervenit ad aures nostras, non sine animi nostri molestiâ, in civitate Mediolanensi non admodum longe ab ecclesiâ sancti Laurentii locum esse, columnas eiusdem sancti Laurentii nuncupatum, ultra triginta passuum intervallum ab eadem ecclesiâ distantem, qui quidem locus, quoniam ecclesiasticâ immunitate gaudet, ob eius opportunitatem, facinorosorum hominum ac merita scelerum supplicia fugientium et curiae saecularis contumacium receptaculum et asylum, non sine pacis publicae et iustitiae detrimento, existit:

Ecclesiastica immunitate destituitur.

§ 2. Quapropter nos huic malo, quantum cum Domino possumus, pro pastoralis officii debito providere volentes, et loci praedicti denominationes, situm, confinia et alias circumstantias, nec non immunitatis huiusmodi privilegiorum et scripturarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, motu proprio et ex certâ scientiâ nostrâ, maturâque deliberatione, praedictum locum, columnas sancti Laurentii nuncupatum, ultra triginta passuum intervallum ab ecclesiâ praedictâ sancti Laurentii distantem, videlicet columnas, intercolumnia, apothecas, domos, tabernas, officinas, viridaria, curtes, seu areas, anditum, seu transitum, per quem ad plateam praedictae ecclesiae itur, viam seu situm inter apothecas et columnas existentem (quae omnia, sicut accepimus, continentur intra spatium, quod est a columnis praedictis ad plateam eiusdem ecclesiae exclusive, cuius spatii longitudo[1] tantum, quantum columnae ipsae praedictae, et ab uno latere ad anditum usque, quo ad domos canonicales itur, exclusive et non ultra extenditur, latitudo vero quoad partem quidem, quae dextrorsum est euntibus a columnis praedictis prope dictum anditum ad plateam dictae ecclesiae ultra quadraginta et unum, quoad alteram vero partem, quae sinistra est, per eumdem anditum ab iisdem columnis pariter euntibus, et quoad anditum ipsum triginta tria brachia mensurae illarum partium non excedit) per dilectum filium vicarium venerabilis fratris archiepiscopi Mediolanensis in spiritualibus generalem, cum interventu personae per curiam saecularem eiusdem civitatis deputandae, terminandum[2], auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, immunitate ecclesiasticâ praedictâ perpetuo destituimus, ita quod imposterum perpetuis futuris temporibus ad locum huiusmodi, intra huiusmodi fines et spatia comprehensum dumtaxat, ex quacumque causâ confugientes, aut in iis degentes, nullo ecclesiasticae immunitatis privilegio gaudeant, sed in iudicis sui potestate libere remaneant, indeque extrahi absque ullo censurae ac poenae ecclesiasticae incursu, perinde atque e caeteris locis praedictâ immunitate non gaudentibus, possint:

Clausulae.

§ 3. Decernentes ita et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et dele-

1 Heic referimus adamussim lect. Main. (R. T.).

2 Edit. Main. habet *terminan.*, quod legi debet *terminandum*; idest locus praedictus per praedictos determinari debebat, ut postea dicetur § 6 (R. T.)

gatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, nec non in synodalibus, provincialibusque et generalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, nec non dictae ecclesiae sancti Laurentii, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque:

Salva immunitate caeterorum locorum.

§ 5. Volumus autem et decernimus, per easdem praesentes nullum omnino praeiudicium plateae eiusdem ecclesiae sancti Laurentii, ac aliis omnibus et singulis locis, tam plateae, quam loco praedicto, ut supra descripto, vicinis aut circumstantibus, quae ecclesiasticâ quomodolibet gaudent immunitate, fieri, sed suum illis privilegium illaesum remanere, perinde ac si praesentes non emanassent.

Terminus executioni harum litterarum praefixus.

§ 6. Volumus etiam et mandamus ut praesentes nostrae litterae nonnisi post duos menses, a datâ praesentium computandos, vires habeant, et quod infra dictos duos menses locus huiusmodi per vicarium, cum interventu personae, ut praefertur, deputandae, omnino terminetur: quodque omnes et singuli, qui hoc tempore et infra dictos duos menses a datâ earumdem praesentium in praedicto loco, immunitate ecclesiasticâ fruendi causâ, commorantur et commorabuntur, vel ad ea confugerint, inde abire et quocumque voluerint se conferre libere et licite, absque ullo impedimento, permittantur, alioquin ecclesiastica immunitas violata censeatur, ac censuris et poenis iuris communis, ac sacri Concilii Tridentini, et apostolicarum constitutionum illis[1] violatores teneantur:

Transumptis danda fides.

§ 7. Utque praesentium earumdem transumptis, etiam impressis et manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra illud, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die ultimâ octobris MDCIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 31 octobris 1609, pontif. anno V.

CXLIII.

Confirmatio concordiae inter regem catholicum et clerum regnorum Castellae et Legionis initae super solutione primae decimae.

Paulus Papa V, [2]
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Pro nostro munere in his partes nostras libenter interponimus, quae ad concordiam et pacem inter catholicos reges et ecclesiasticas personas, super exactionibus apostolicâ auctoritate faciendis, pertinere dignoscuntur.

Philippus rex et Capitula ecclesiarum concordiam ineunt super solutione primae decimae.

§ 1. Nuper siquidem (sicut nobis exponi fecerunt charissimus in Christo filius noster Philippus III Hispaniarum rex catholicus, ac dilecti filii singula Toletanae, Hispalensis, Compostellanae, Granatensis, Burgensis, Legionensis, Ovetensis, Palentinae, Cordubensis, Abulensis, Civitatensis, Salamantinae, Conchensis, Segobiensis, Oxomensis, Placentinae, Pacensis, Cauriensis, Giennensis, Pampilonensis, Cala-

1 Puto legendum foret: *illi* vel *illius* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

guritanae, Calciatensis, Gadicensis, Tudensis, Zamorensis, Malacitanae, Auriensis, Astoricensis, Carthaginensis, Lucensis, Canariensis, Guadicensis et Seguntinae ecclesiarum capitula, quae universum clerum regnorum Castellae et Legionis repraesentant) considerantesque [1] iidem Philippus rex et capitula praedicta, gratiam et concessionem primae decimae quarumlibet ecclesiarum parochialium in omnibus Hispaniarum regnis et insulis illis adiacentibus, dudum per felicis recordationis Pium Papam V praedecessorem nostrum clarae memoriae Philippo II Hispaniarum regi catholico eiusdem Philippi III regis genitori ad quinquennium concessam, et postea pluries a recolendae memoriae Gregorio XIII, ac deinde a Sixto V, et postmodum a Gregorio XIV, ac denique a Clemente VIII praedecessoribus nostris etiam pluries et ultimâ vice ad aliud quinquennium (a tempore in infrascriptae concordiae instrumento, ut asseritur, expresso inchoatum) prorogatam et extensam[2], prout in singulis eorumdem praedecessorum desuper expeditis litteris plenius continetur[3], si eisdem modo et formâ, quibus concessa est, exequutioni demandaretur, id non sine eiusdem cleri incommodo exequi posset[4]; cupientesque praemissis eâ, qua potest, ratione occurri, quo facilius illa, ad quae tenentur, ab ipsis adimpleri valeant, ipsaeque personae ecclesiasticae onus, illis eam ob causam incumbens, supportare facilius possint, ad infrascriptam concordiam per eorum procuratores, ad hoc specialiter deputatos, insimul devenerunt, videlicet:

1 Aptius legeretur *considerantes* (R. T.).

2 Edit. Main. erronee, ut puto, legit *prorogatum* et *extensum* (R. T.).

3 Praedictae litterae Pii V in *Bullario* non leguntur, neque alias aliorum Pontificum supra citatos puto reperiri (R. T.).

4 Ex praec. synt. aptius leg. *posse* (R. T.).

§ 2. In primis, quod praedictus statûs ecclesiasticus coronae Castellae et Legionis darent[1] dicto Philippo regi, seu personae ab eo deputatae, ducentos et quinquaginta mille ducatos, qui ascendunt ad numerum nonaginta trium computorum[2] et septuagintorum et quinquaginta millium morapetinorum[3], quolibet anno, durantibus quinque annis prorogationis, pro iis, quae ad huiusmodi effectum dicto regi debentur et ad eum spectant ratione dictorum regnorum Castellae et Legionis (non comprehensis, in dictis ducentis et quinquaginta millibus ducatis, regnis Aragoniae, Cathaloniae et Valentiae, ac insulis illis adiacentibus, ita ut dictus Philippus rex ab illis possit exigere, prout sibi visum foret, ex prorogatione huiusmodi provenientia[4], exceptâ ecclesiâ Oriolensi, cuius dispositio et pars ingreditur et computatur unâ cum statu ecclesiastico coronae Castellae). Quiquidem ducenti et quinquaginta mille ducati persolvi deberent, ut infra, videlicet: ex fructibus anni MDCVII in duabus solutionibus aequalibus (et quia prima illarum debuisset esse iam facta in fine mensis iunii anni MDCVIII, et secunda in fine novembris eiusdem anni, ex eo quia fuit dilatum fieri congregationem et concordia non fuerat inita, et propterea fuerunt factae prima et secunda solutio in fine supradicti mensis novembris dicti anni MDCVIII); et ducenti et quinquaginta mille ducati fructuum praedicti anni MDCVIII in duabus aequalibus solutionibus, videlicet in fine mensis iunii, et in fine mensis novembris praesentis anni MDCIX; et sic

Articuli concordiae.

1 Aptius legeretur *daret* (R. T.)

2 In Ducange *computus* est cuiusdam monetae valor; at heic legendum esse *millionum* colliges ex loco parallelo, inf. pag. 593 *b* (R. T.).

3 Moneta quaedam hispanica: v. Ducange (R. T.).

4 Edit. Main. habet *provenien.* (R. T.).

successive in tribus restantibus annis, donec adimpleantur praedicti quinque anni supradictae prorogationis. Quos dabunt et solvent suis sumptibus in capitulis singularum dioecesum, iuxta et secundum repartitionem et distributionem infrascriptam inter se factam a praedicto statu ecclesiastico; duas partes in monetâ aureâ, sive argenteâ, aliam vero tertiam partem in monetâ *de Vellon* nuncupatâ, absque eo quod in futurum trahatur in consequentiam; et quod id repartiatur et particulariter exigatur in qualibet dioecesi ex redditibus decimalibus et primitiis, quia super illis et illis, et non aliis redditibus ecclesiasticis, sunt distribuendi et exigendi in unoquoque dictorum quinque annorum praedicti ducenti et quinquaginta mille ducati; et ex tunc remanebant obligati, prout obligabant sua capitula generaliter, et se obligarent, et obligare deberent specialiter pro toto dicto octavo quinquennio ad illorum solutionem annis singulis, iuxta divisionem infrascriptam, videlicet: Capitulum ecclesiae Toletanae pro se et suâ dioecesi solveret summam quatuordecim millionum, trecentorum ac decem et septem millium, nec non noningentorum et viginti quatuor morapetinorum; Capitulum ecclesiae Hispalensis novem millionum, quadringentorum et octuaginta octo millium, et quingentorum ac quinquaginta morapetinorum; Capitulum ecclesiae Salamantinae duorum millionum, et quadringentorum et sexaginta unius millium, et duodecim morapetinorum; Capitulum ecclesiae Zamorensis, pro se et suâ dioecesi, duorum millionum, et trecentorum et viginti novem millium, et noningentorum ac duodecim morapetinorum; Capitulum ecclesiae Seguntinae, pro se et suâ dioecesi, duorum millionum, noningentorum et quatuordecim millium, ac centum et viginti novem morapetinorum; Capitulum ecclesiae Conchensis trium millionum, et noningentorum quadraginta duorum millium, et quingentorum ac octuaginta unius morapetinorum; Capitulum ecclesiae Carthaginensis unius millionis, quadringentorum et quinquaginta duorum millium, ac centum et quinquaginta duorum morapetinorum; Capitulum ecclesiae Oriolensis, quadringentorum et quadraginta millium, ac trecentorum et nonaginta septem morapetinorum; Capitulum ecclesiae Cordubensis trium millionum, et triginta duorum millium, ac centum et octuaginta quinque morapetinorum; Capitulum ecclesiae Pacensis, pro se et suâ dioecesi, unius millionis, et sexcentorum ac nonaginta unius millium, et ducentorum ac triginta unius morapetinorum; Capitulum ecclesiae Cauriensis, pro se et suâ dioecesi, unius millionis et septingentorum millium, ac octingentorum et quinquaginta unius morapetinorum; Capitulum ecclesiae Placentinae, pro se et suâ dioecesi, duorum millionum, et ducentorum ac quadraginta novem millium, et septingentorum ac viginti unius morapetinorum; Capitulum ecclesiae Giennensis, pro se et suâ dioecesi, unius millionis, et noningentorum ac unius millium, et quingentorum ac viginti morapetinorum; Capitulum ecclesiae Compostellanae, pro se et suâ dioecesi, duorum millionum, et trecentorum ac septuaginta novem millium, et ducentorum ac octuaginta novem morapetinorum; Capitulum ecclesiae Burgensis, pro se et suâ dioecesi, sex millionum, et octuaginta duorum millium, ac septingentorum et unius morapetinorum; Capitulum ecclesiae Legionensis, duorum millionum, et sexcentorum ac viginti sex millium, et septingentorum ac viginti quatuor morapetinorum; Capitulum ecclesiae Ovetensis, unius millionis, et duodecim millium, ac octingentorum et viginti

sex morapetinorum; Capitula ecclesiarum Calaguritanae et Calcianensis, pro se et suis dioecesibus, duorum millionum, et quingentorum sex millium, et quingentorum et viginti septem morapetinorum; Capitulum ecclesiae Astoricensis, pro se suâque dioecesi, unius millionis, et ducentorum ac triginta millium, et sexaginta octo morapetinorum; Capitulum ecclesiae Segobiensis, pro se et suâ dioecesi, duorum millionum, et septingentorum ac octuaginta novem millium, et trecentorum ac quinquaginta septem morapetinorum; Capitulum ecclesiae Oxonensis, pro se et suâ dioecesi, duorum millionum, et septingentorum et triginta duorum millium, et ducentorum ac tredecim morapetinorum; Capitulum ecclesiae Auriensis, pro se et sua dioecesi, unius millionis, et nonaginta quatuor millium, ac centum et decem et octo morapetinorum; Capitulum ecclesiae Lucensis, pro se et suâ dioecesi, trecentorum et decem millium, ac quadringentorum et quadraginta morapetinorum; Capitulum ecclesiae Mindoniensis, pro se et suâ dioecesi, ducentorum et octuaginta quinque millium et sexaginta octo morapetinorum; Capitulum ecclesiae Tudensis, pro se et sua dioecesi, quadringentorum et triginta quinque millium, et quingentorum ac septuaginta octo morapetinorum; Capitulum ecclesiae Palentinensis, pro se et sua dioecesi, trium millionum, et septingentorum ac triginta sex millium, ac centum et sexdecim morapetinorum; Capitulum ecclesiae Gadicensis, pro se et suâ dioecesi, sexcentorum et quinquaginta novem millium, ac quingentorum et quinquaginta novem morapetinorum; Capitulum ecclesiarum regni Granatae, pro se et suâ dioecesi, trium millionum, et centum ac triginta quinque millium, et sexcentorum ac quinque morapetinorum; Capitulum ecclesiae Pampilonensis unius millionis, centum decem et novem millium, ac octingentorum et quinquaginta novem morapetinorum; Capitulum ecclesiae Canariensis, pro se suâque dioecesi, quadringentorum et quadraginta septem millium, et noningentorum ac quadraginta trium morapetinorum; Capitulum ecclesiae Vallisoletanae unius millionis, sexcentorum et septuaginta millium, ac quingentorum et quadraginta morapetinorum; Abbatia de Alfaro octuaginta novem millium, ac quingentorum et octuaginta septem morapetinorum; Abbatia de Aqueda centum quinquaginta sex millium, ac septingentorum et octuaginta morapetinorum; Vicaria de Albadeliste centum septuaginta novem millium, ac centum septuaginta septem morapetinorum; Milites Militiae sancti Iacobi duorum millionum, et noningentorum ac undecim millium, sexcentorum et triginta quatuor morapetinorum; Milites Militiae de Calatrava duorum millionum, et centum ac octuaginta trium millium, et septingentorum ac viginti quatuor morapetinorum; Milites Militiae de Alcantara unius milionis, noningentorum et trium millium, ac septingentorum et septuaginta morapetinorum. Qui quidem ducenti quinquaginta mille ducati ascendunt ad nonaginta tres milliones, et septingentos ac quinquaginta mille morapetinos[1]. Insuper, quod aliquis de comprehensis in praedictâ concessione et prorogatione, cuiusvis dignitatis, praeeminentiae, Ordinis et Religionis existat, non eximatur a solutione ratae illius tangentis dictorum ducentorum et quinquaginta millium ducatorum quolibet anno, dictis quinque annis durantibus. Et quod, si nos, aut dictus rex eximeret aliquem ex dictis personis vel Militiis sic comprehensis in dictâ concessione et proro-

[1] In praemissis aliquis error irrepsit, nam ex partialibus totalis summa non exurgit (R. T.).

gatione, idem rex fieri mandet desuper iustam refectionem, recipiendo ab ipsis ecclesiis ad suum computum, defalcando ex dictis ducentis et quinquagiata mille ducatis ratam tales personas vel Militias tangentem. Rursus, quod quaelibet personae cuiuscumque qualitatis et dignitatis existant, quae percipiunt et percipient pensiones, comprehendi debeant, ad effectum contribuendi ad instar aliorum reddituum decimalium, in divisione huiusmodi ducentorum et quinquaginta millium ducatorum, non obstante quacumque clausulâ, exemptione, praerogativâ, aut donatione et obligatione, etiam in formâ Camerae, in sui favorem factis. Quodque decimae et tertiae, quas idem Philippus rex habet, et quocumque modo possidet, vel aliàs vendidit, aut impignoravit cum evictione et declaratione quod sint et esse debeant liberae a divisione et subsidio et qualibet aliâ impositione apostolicâ, remanere debeant liberae et salvae a reparatione[1] dictorum ducentorum et quinquaginta millium ducatorum, absque eo, quod hac de causâ, vel aliquâ aliâ, nisi ex contentis in praesenti concordiâ, aliquid minuatur ex summâ ducentorum et quinquaginta millium ducatorum huiusmodi. Reliquae vero tertiae, decimae et aliae primitiae per quascumquae ecclesias, collegia, universitates, monasteria, et quascumque personas possessae et perceptae, quocumque titulo, iure, consuetudine, seu privilegio fuerint, remaneant comprehensae et contribuere debeant in dictâ divisione ducentorum et quinquaginta millium ducatorum huiusmodi. Insuper quod dictus Philippus rex recipere debeat et recipiat ad computum omne id quod tanget et fuerit iuste distributum mensis archiepiscopalibus et episcopalibus dictorum regnorum Castellae et Legionis eâdem sede vacante, intuitu dictorum ducentorum et quinquaginta millium ducatorum. Quodque dictus Philippus rex debeat mandare, dari quascumque cedulas, et mandata solita et necessaria, ad effectum, ut brachium saeculare det et praestet favorem et auxilium ad exequutionem et exactionem dictae divisionis praedictorum ducentorum et quinquaginta millium ducatorum et expensarum desuper faciendarum, et ut negotia praesentem concordiam tangentia non ducantur aut trahantur ad audientias regias per vim, neque in illis se intromittant. Praeterea, ut, pro parte dictorum Philippi regis et status ecclesiastici praedictorum regnorum, supplicetur nobis, ut concederemus Breve, quo confirmaremus et approbaremus dictam concordiam, quam teneantur adimplere omnes ecclesiae dictorum regnorum, tam illae, quarum procuratores ibi aderant, quae maiorem partem constituunt, quam illae, quae procuratores non habebant, sive quae non se subscripserunt. Rursus, quod iudices, commissarii apostolici, exequutores generales dictae commissionis et prorogationis, dent et dare debeant provisiones et subdelegationes iudicum, et reliqua omnia necessaria ad exactionem dictorum ducentorum quinquaginta millium ducatorum, et expensarum; quodque omnia debita, quae debentur capitulo, vel dignitati, aut canonico, exigi possint a iudicibus subdelegatis, si tamen tale debitum sit de fructibus vel redditibus, super quibus est impositum et oneratum praedictum excusatum[1]. Et subdelegati sint de capitulis, dignitatibus, et canonicis et non alii, ut moris est. Et quoties ad dictos commissarios subdelegatos fuerit appellatum per viam gravaminis, quo aliquis se laesum praetendat ex dictâ divisione et repartitione, si iudex desuper aliquid ordinaverit, nihilo-

1 Forsan legendum *repartitione* (R. T.).

1 *Excusatum* pro tributo non notat Ducange (R. T.)

minus interim non suspendet solutionem, neque impediat subdelegatis exequutionem exactionis, et super omnibus iustitiam administrent, et aliàs prout in publico desuper a dilecto filio Ioanne de Talavera, scriba regio et publico notario, sub die VII mensis ianuarii praesentis anni MDCIX confecto instrumento plenius dicitur contineri.

Partes concordiam confirmari petunt.

§ 3. Cum autem, tam Philippus rex, quam capitula et status ecclesiastici regnorum Castellae et Legionis huiusmodi, cupiant concordiam huiusmodi pro illius maiori validitate apostolicae confirmationis robore communiri; ac propterea nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur;

Confirmat Paulus.

§ 4. Nos, qui honestis regis et capitulorum praedictorum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, eumdem Philippum regem ac singulares personas capitulorum huiusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon concordiae et instrumenti praedictorum veriores tenores praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus inclinati, concordiam huiusmodi, et inde sequuta quaecumque, etiam si ad exactionem pecuniarum in eâdem concordiâ contentarum, etiam ante huiusmodi nostram confirmationem, in totum vel in partem sit processum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; supplentes omnes et singulos, tam iuris quam facti, defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, eaque (ac tam[1] quoad capitula, quae nullo modo praedictis concordiae et distributioni interfuerunt nec illis consenserunt; etiamsi S. R. E. cardinales fuerint ecclesias et alia beneficia possidentes, nec non decimas, primitias, et alios fructus in dictâ concordiâ expressos exigentes) valida et efficacia esse, et per eos omnes inviolabiliter observari debere, ipsosque ad illorum omnium observationem et solutionem, omnibus viis, ac iuris et facti remediis, cogi et compelli posse et debere, decernimus.

Easque a censuris si quas ob initam concordiam incurrerint absolvit.

§ 5. Absolventes etiam, si opus fuerit, tam ipsum Philippum regem, quam quoscumque eius ministros, necnon quascumque ecclesiasticas tam saeculares quam regulares personas, a quibusvis censuris et poenis, si quas propter praemissa quomodolibet incurrerint, etiamsi in irregularitatem aliquam inciderint, ac missas, et alia divina officia interim, non tamen in contemptum clavium, celebraverint, super qua irregularitate huiusmodi, sic per eos forsan quomodolibet incursâ, harum serie dispensamus, nec propterea fructus ecclesiarum et beneficiorum obtentorum suos non fecisse dici aut censeri posse declaramus: ac ab eis omnem inhabilitatis maculam, sive notam, si quam propter praemissa quomodolibet incurrerint, abolemus, eosque in pristinum et eum in quo ante praemissa quomodolibet erant statum, in omnibus et per omnia, restituimus et plenarie reintegramus, ac restitutos, repositos et plenarie reintegratos per praesentes nuntiamus.

Et ad concordatas solutiones monasteria etiam et pia loca vult teneri.

§ 6. Caeterum, ad obviandum litibus et controversiis, quae inter personas ecclesiasticas oriri possent, harum serie declaramus, ad contributionem solutionum, huiusmodi concordiae vigore faciendarum, monasteria et loca pia quae-

1 Scilicet *etiam* (R. T.).

cumque, respectu etiam eorumdem beneficiorum quae vulgo dicuntur *de la Branza et Crianza*, quae videlicet pro usu et victu personarum eorumdem monasteriorum et piorum locorum inserviunt, teneri et obligatos fore declaramus.

Clausulae.

§ 7. Sicque, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam sacri Palatii Apostolici auditores, etiam eiusdem S. R. E. cardinales, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Exequutores designat.

§ 8. Et nihilominus venerabili fratri moderno, et dilectis filiis, nostro et Apostolicae Sedis apud dictum Philippum regem nunc et pro tempore existenti nuncio, et commissario generali cruciatae in regnis praedictis, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Philippi regis et singularum personarum praedictarum fuerint requisiti, ad exequutionem eorum omnium, quae in dictâ concordiâ continentur, procedant, et per eos, ad quos spectat, eamdem observari curent et faciant, necnon eisdem nuncio et commissario generali iniungimus, quod, ubi et quoties super repartitione et aliis in dictâ concordiâ contentis aliquas differentias exortas fuisse compererint, illas, absque retardatione solutionis, iuxta repartitionem iam factam et faciendam, iudicio eorum aequabili componant compositione et terminent, iustitiam partibus ministrando; nos enim eisdem, tam praemissa peragendi, quam quidquid super praemissis statuerint, omni et quacumque appellatione remotâ, exequutioni debitae demandandi, necnon contradictores quoslibet et rebelles per opportuna iuris et facti remedia, ac demum per sententias, censuras et poenas eclesiasticas, appellatione postpositâ, compescendi[1], legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravandi[2], auxiliumque brachii saecularis invocandi, plenam et liberam facultatem concedimus.

Obstantia tollit.

§ 9. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, nec non legibus etiam municipalibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque; necnon omnibus illis, quae in dictâ concessione primae decimae huiusmodi expressum est non obstare; seu si ali-

1 Edit. Main. legit *compescendo* (R. T.).
2 Ibid. legitur *aggravando* (R. T.).

quibus, communiter vel divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Cardinales a quacumque solutione eximit. § 10. Caeterum eosdem S. R. E. cardinales tantum, quibus pensiones annuae super fructibus ecclesiarum cathedralium, aut metropolitanarum, et aliorum ecclesiasticorum beneficiorum reservatae, seu ipsi fructus, vel eorum pars, loco pensionum reservati reperiuntur, a praemissâ contributione, quoad ipsas pensiones et reservationes fructuum, volumus esse exemptos;

Transumptis credi iubet. § 11. Quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die XII novembris MDCIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 12 novembris 1609, pontif. anno V.

CXLIV.

Decernitur eleemosynas, quae pro Terrasanctâ Hierusalem a christifidelibus erogantur, in alios usus converti non posse, praeter quam in conservationem et utilitatem eiusdem Terraesanctae[1].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Caelestis regis, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem, vices licet immeriti gerentes in terris, inter graves officii nostri curas, hanc prae caeteris in visceribus gerimus, ut tanti et tam salubris mysterii monumenta, quae in civitate Hierusalem sunt, conserventur, et eâ, qua decet, honorificentiâ recolantur, et christifidelium eleemosynae, in hanc causam pie erogatae, in alios usus non distrahantur.

Decretum de quo in rubrica. § 1. Quocirca dilectis filiis generali ac provincialibus ministris, commissariis tam de Curiâ quam aliis quibuscumque, necnon custodibus et guardianis, aliisque officialibus, et fratribus quibuslibet, nunc et pro tempore existentibus, Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatis, aliisque omnibus et singulis, ubique locorum degentibus, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, sub privationis vocis activae (Poenae contra inobedientes.) et passivae, necnon officiorum, quae obtinent et obtinebunt, ac inhabilitatis ad illa et alia imposterum consequenda poenis ipso facto incurrendis, tenore praesentium, perpetuo praecipimus et mandamus, ne, perpetuis futuris temporibus, eleemosynas, quae pro piis locis dictae civitatis Hierusalem erogabuntur, seu illarum partem, quavis de causâ, aut sub quovis praetextu, in alios usus, etiam quantumvis pios, convertant; verum eas pro dictis piis locis, et eorumdem ministrorum usu fideliter conservent, et eorumdem locorum agentibus, suis loco et tempore, integre consignent et tradant, seu consignari curent et faciant, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Transumptorum fides. § 2. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum,

1 Ex regest. in Secret. Brev.

sub annulo Piscatoris die XIII novembris MDCIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 13 novembris 1609, pontif. an. V.

CXLV.

Confirmatio litterarum Pauli III quibus privilegia Regularibus regni Granatensis concessa non solvendi decimas ad viam iuris reducuntur [1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Decet Romanum Pontificem praedecessorum suorum gesta, praesertim catholicorum et regum et aliorum christifidelium indemnitatem respicientia, ut perpetuo firma et inviolata persistant, probationis suae praesidio communire, aliasque desuper providentiae suae partes favorabiliter interponere, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

§ 1. Dudum siquidem a felicis recordationis Paulo Papa III praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis:

Recensentur Pauli III litterae de quibus in rubrica. *Charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum imperatori semper augusto, et venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Granatensi, ac aliarum cathedralium regni Granatae episcopis, et dilectis filiis Granaten.*[2] *cathedralium huiusmodi et collegiatarum capitulis, parochialiumque ecclesiarum totius regni administratoribus, ac illorum et ecclesiarum earumdem fabricarum oeconomis, Paulus Papa III.*

Charissime in Christo filii noster, et venerabiles fratres, ac dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Exponi nobis nuper fecistis, quod aliàs regno Granatae e manibus infidelium, divinâ favente clementiâ, per clarae memoriae Ferdinandum et Elisabeth Hispaniarum reges catholicos recuperato, felicis recordationis Innocentius Papa VIII, praedecessor noster, ad ingentes labores et expensas per Ferdinandum et Elisabeth reges praefatos in huiusmodi regni recuperatione perpensos[1] et factas, ut par erat, respiciens, eisdem Ferdinando et Elisabeth regibus, quoad viverent, et deinde eorum successoribus Hispaniarum huiusmodi regibus pro tempore, in perpetuum iuspatronatus et praesentandi personas idoneas ad ipsius regni metropolitanas et alias cathedrales et collegiatas nec non parochiales ecclesias, earumque dignitates, canonicatus et praebendas, ac alia beneficia et hospitalia, inibi tunc iam forsan erectas et erecta seu erigendas et erigenda, reservavit et concessit, ac omnes et singulos fructus, redditus et proventus decimales in toto regno praedicto pro tempore provenientes (eâ tamen conditione, quod ipsi Ferdinandus et Elisabeth reges ex eisdem fructibus competentem dotem et portionem tunc archiepiscopo Granatensi et praefati regni episcopis, ac cathedralium et collegiatarum ecclesiarum huiusmodi capitulis, nec non beneficiatis et hospitalibus, ipsorumque hospitalium et dictarum ecclesiarum fabricis assignare deberent et tenerentur) perpetuo donavit, ipsique Ferdinandus et Elisabeth reges, pro huiusmodi conditionis implemento, duabus nonis partibus fructuum huiusmodi pro se ipsis retentis, reliquas septem nonas partes fructuum eorumdem archiepiscopo, episcopis, capitulis, beneficiatis, hospitalibus et fabricis praedictis, inter eos certo tunc expresso ordine dividendas, reliquerunt et pro eorum dote assignaverunt. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ex tunc in antea,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Fors. legend. *Granatensis et aliarum* (R. T.).

1 Forsan legendum *perpessos* (R. T.).

tam in Granatensi, quam aliis civitatibus et oppidis dicti regni ac eorum districtibus, plura monasteria et domos religiosorum diversorum Ordinum, tam virorum quam mulierum, aedificata fuerint, et in dies aedificentur, et inter alia a viginti annis citra una domus, seu monasterium, Carthusiensis Ordinis, expensis domus del Paular, dicti Ordinis Carthusiensis, Segoviensis dioecesis, quae opulentissima existit, prope et extra muros dictae civitatis Granatensis, constructa fuerit, ac prior et conventus monasterii, sive domus de novo constructae huiusmodi, ex superabundanti pecuniâ dictae domus del Paular in civitate Granatensi et eius districtu, sive regno huiusmodi, quamplura praedia, hortos, terras, vineas et alias possessiones magni valoris comparaverint et in dies comparent, eaque tam per proprios quam alienos colonos cultivari fecerint et faciant; ac (praetextu certorum privilegiorum eidem Ordini Carthusiensi per diversos Romanos Pontifices, etiam praedecessores nostros, et praesertim per piae memoriae Ioannem Papam XXII, etiam praedecessorem nostrum, tunc priori et fratribus domus Bonipassus eiusdem Ordinis Carthusiensis Cavallicensis dioecesis primo concessorum, et deinde per recolendae memoriae Pium Papam II, similiter praedecessorem nostrum, ad omnes et singulas alias domus Ordinis huiusmodi ubilibet aedificatas et aedificandas extensorum) decimas et primitias fructuum ex praediis, hortis, terris, vineis et aliis possessionibus praedictis pro tempore provenientium, vobis, ut praemittitur debitas et in quarum perceptionis possessione pacificâ, vel quasi, vos et praedecessores vestri a dicti regni recuperatione citra, salvis infrascriptis molestationibus, semper fuistis, solvere recusaverint et recusent; vosque desuper pluribus litibus et molestiis involvant et perturbent, et, quod deterius est, vos vestrâ pacificâ possessione, vel quasi, et dote vobis, fratres archiepiscope et episcopi, ac filii capitula, beneficiati, rectores, oeconomi praefati, ut praefertur, assignatâ de facto spoliaverint et spolient in magnum vestrum omnium praeiudicium et perniciosum exemplum; pro parte vestrum nobis fuit humiliter supplicatum, ut omnia et singula privilegia, exemptiones et immunitates et indulta, Carthusiensi et aliis Ordinibus, ac monasteriis et domibus tam virorum quam mulierum in praefato regno constructis et de caetero construendis, concessa et concedenda, ad viam iuris communis perpetuo reducere, aliàsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur attendentes, nec iuri, nec rationi convenire, quod Carthusiensis et aliorum monasteriorum huiusmodi conventus et fratres, praetextu privilegiorum eis propter praetensam paupertatem, ut credendum est, concessorum, Carolum tot iustissimis bellis adversus infideles prope semper occupatum, praelatos gregis dominici directioni satagentes, capitula et ecclesiarum ministros, ecclesiarum earumdem continuo servitio et Dei laudibus et hospitalium ad pauperum subventionem provide institutorum curae intentos, suâ dote et fructibus, eis, ut praefertur, debitis, et illorum possessione audeant spoliare, dictasque decimas sibi[1] denegare et desuper eos litibus inquietare conentur, donationis et assignationis praedictarum, ac desuper confectarum quarumcumque litterarum apostolicarum, etiam in formâ Brevis, nec non omnium et singulorum privilegiorum, indultorum et litterarum apostolicarum, praedictis quibusvis aliis domibus et monasteriis Carthusiensis et cuiusvis alterius Ordinis huiusmodi, illorumque conventibus et

1 Aptius legeretur *illis* (R. T.).

fratribus per dictos et alios quosvis Romanos Pontifices praedecessores nostros ac forsan nos et Sedem Apostolicam super praemissis, ut praefertur, vel aliàs quomodolibet concessorum, confirmatorum et innovatorum ac extensorum tenores, nec non quarumcumque causarum super praemissis vel eorum aliquo, inter vos seu aliquem vestrum et domus seu monasteria huiusmodi vel eorum aliqua, in Romanâ Curiâ vel extra eam, in quacumque instantiâ, coram quibusvis iudicibus, ordinariis vel delegatis, etiam causarum Palatii Apostolici auditoribus, seu S. R. E. cardinalibus, vel aliàs ubilibet indecisarum pendentium status et merita pro plene et sufficienter expressis habentes, causamque et causas ipsas ad nos avocantes, ac litem et lites huiusmodi penitus extinguentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privigia, exemptiones, immunitates et indulta Carthusiensi et aliis Ordinibus, ac domibus et monasteriis, tam virorum quam mulierum, in dicto regno constructis et de caetero construendis, per praefactos et alios quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et dictam Sedem quomodolibet concessa et concedenda (quoad ea dumtaxat, per quae vos in perceptione liberâ fructuum decimalium et primitiarum vobis de iure communi debitarum, impedimini et molestamini, aut impediri videmini) ad viam iuris communis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, penitus et omnino ac perpetuo reducimus, revocamus, restringimus et limitamus; eaque omnia et singula de caetero, perpetuis futuris temporibus, monasteriis et domibus, ac Ordinibus praefatis, illorumque superioribus, conventibus, fratribus et personis, ad hoc, ut illorum vigore, a solutione decimarum et primitiarum de iure communi debitarum eximi, excusari, vel quoquo modo liberari valeant, nullatenus suffragari; quinimo monasteria, domos et Ordines, eorumque praelatos, conventus, fratres et personas ad decimarum huiusmodi solutionem, iuxta dispositionem et formam ac tenorem iuris communis huiusmodi, teneri et efficaciter obligata ac obligatos existere, et ad id per censuras et poenas ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias, et alia opportuna iuris remedia, per dictarum ecclesiarum cathedralium praelatos cogi et compelli posse et debere, decernimus. Nec non eisdem monasteriis et domibus, eorumque conventibus, superioribus et fratribus, super causis et litibus praedictis et ab eis, vel earum aliquâ, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, perpetuum silentium imponimus; ac monasteria et domus, nec non superiores, conventus et fratres huiusmodi ullo unquam tempore, etiam enormis laesionis aut quovis praetextu, desuper litigare seu reclamare, vel adversus praesentes in integrum seu aliam restitutionem in totum vel in partem petere vel obtinere non posse; ac praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae defectu, quovis praetextu, occasione, vel causâ, notari vel impugnari, aut in aliquomodo annullari, alterari, vel reduci, seu annullata, alterata, aut reducta censeri, nullatenus posse; sed valida et efficacia existere, suosque plenarios effectus in totum sortiri debere; illisque nullatenus derogari posse, et, si illis derogetur, quoties id fiet, toties ea in pristinum statum restituta, reposita et plenarie reintegrata esse et censeri: sicque in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam auditores praefatos (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter

iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane similiter decernimus. Quocirca dilectis filiis Hispalensi, Cordubensi et Giennensi officialibus per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi inviolabiliter observari curent et faciant; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, quacumque appellatione postpositâ, compescendo; ac, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas praedictas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Nos enim officialibus praefatis, et eorum cuilibet, conventus et fratres praedictos, ac alios quoscumque, etiam per edictum publicum, constito eis summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu, desuper citandi; necnon eis et quibusvis aliis personis, etiam sub excommunicationis et aliis sententiis ac censuris et poenis ecclesiasticis, et etiam pecuniariis, eorum arbitrio imponendis, applicandis et exequendis, ne vos aut aliquem vestrum, super praemissis vel eorum aliquo, quovis modo molestare, perturbare, seu impedire praesumant, etiam simili edicto inhibendi; et alia in praemissis necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi et exequendi, plenam et liberam, auctoritate et tenore praedictis, facultatem concedimus. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostri de unâ et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non Ordinum, monasteriorum et domorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam *mare magnum*, vel aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, quomodolibet per praefatos vel quosvis alios Romanos Pontifices similiter praedecessores nostros ac nos et Sedem praedictam, etiam ad imperatoris, regum, ducum, seu aliorum principum, aut nullius, instantiam, etiam motu proprio, concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus (etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret) tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si eisdem conventibus et fratribus, ac aliis praedictis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris die XXII iulii MDXLI, pontificatus nostri anno VII[1].

§ 2. Cum autem, sicut charissimus in Philippus III

[1] Huiusmodi Pauli III Constit. in *Bullario* hucusque non legebatur (R. T.).

rex eas petit confirmari.

Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, tam suo, quam praesulum, capitulorum, rectorum, beneficiatorum, administratorum, et oeconomorum praedictorum nominibus, per dilectum filium Ioannem de Mutute ecclesiae Granatensis canonicum nobis nuper exponi fecit, licet ipsi Philippus rex ac praesules et alii, quibus decimae et primitiae fructuum huiusmodi in dicto regno, tam ex privilegio et concessione per piae memoriae Innocentium Papam VIII, et praedictum Paulum, ac quoscumque alios Romanos Pontifices, etiam praedecessores nostros, factis et emanatis, quam aliàs respective debentur, in possessione pacificâ, seu quasi, decimas et primitias huiusmodi percipiendi existant, nihilominus nonnulli praedictorum, seu aliorum monasteriorum, vel domorum et locorum superiores, et religiosi, vel alii quocumque nomine nuncupati, seu eorum aliqui rursus suae exemptionis privilegia et indulta, sic ad viam iuris per easdem praeinsertas litteras reducta, in usum revocare, seque illorum praetextu a solutione et praestatione decimarum et primitiarum per eos debitarum subtrahere et excusare, ac aliàs Philippum regem et alios contra earumdem litterarum continentiam et tenorem perturbare moliantur, ac perturbent; et propterea dictus Philippus rex nominibus praedictis nobis humiliter supplicari fecerit, ut eisdem praeinsertis litteris, pro illarum firmiori subsistentiâ et observatione, approbationis nostrae robur adiicere, ac aliàs in praemissis opportune providere, de benignitate apostolicâ dignaremur;

Confirmat Pontifex.

§ 3. Nos igitur, pro pastoralis officii nobis incumbentis munere ac aequitatis et iustitiae debito, Philippi regis, ac praesulum, capitulorum, beneficiatorum, administratorum et oeconomorum praedictorum indemnitati consulere volentes, nec non donationis et assignationis decimarum et primitiarum, ac assertorum privilegiorum, exemptionum, immunitatum, et indultorum huiusmodi tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertas litteras et per eas a dicto Paulo praedecessore factas privilegiorum, exemptionum, immunitatum et indultorum huiusmodi reductionem ad viam iuris ac revocationem, restrictionem et limitationem, cum omnibus et singulis clausulis, cautelis, decretis, etiam irritantibus, derogationibus, et facultatibus in eisdem praeinsertis litteris contentis et appositis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus, confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti ac solemnitatum quantumvis substantialium defectus, si qui intervenerint in eisdem, etiamsi tales sint, vel fuerint, qui sub generali sermone non veniant, sed speciali notâ et expressione indigeant, supplemus.

Exequutores designati.

§ 4. Quocirca dilectis filiis nostro et Sedis praedictae in illis partibus nuncio, ac Toletano et Giennensi officialibus per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, tam praeinsertas quam praesentes litteras, et in eis pariter contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, faciant, auctoritate nostrâ,[1] ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari: non permittentes Philippum, et pro tempore Hispaniarum regem, ac praesules, capitula, rectores, beneficiatos, administratores et oeconomos praedictos, vel eorum quempiam, desuper quomodolibet

[1] Heic desunt verba *ab iis*, (R. T.).

indebite molestari, perturbari, vel inquietari: contradictores quoscumque per sententias, censuras, et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac, legitimis super his habendis servati processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria tollit. § 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non monasteriorum, domorum, locorum et Ordinum huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus, conventibus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis ac insolitis clausulis et decretis, etiam irritantibus, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos, dictamque Sedem, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, etiam iteratis et multiplicatis vicibus, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; nec non omnibus illis, quae dictus Paulus praedecessor in suis litteris praeinsertis voluit non obstare[1]: quibus omnibus et singulis, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil poenitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet. § 6. Caeterum, quia difficile esset, praesentes litteras ad singula quaeque loca, ubi opus fuerit, transferri, volumus, quod illarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii pubblici subscriptis, et personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo munitis, eadem prorsus fides in iudicio vel extra ubique adhibeatur, quae praesentibus originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV novembris MDCIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 15 novembris 1609, pontif. an. V.

CXLVI.

Confirmatio dismembrationis oppidi de Cranganor a dioecesi Cochinensi, et ad illud translationis ecclesiae Angamalensis[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Ob causas hic indicatas. Aliàs pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Portugalliae et Algarbiorum regis catholici, tam suo quam venerabilis fratris episcopi Angamalensis nominibus, nobis exposito, quod, pro servitio omnipotentis Dei, ecclesiam Angamalensem, quae in terris ab ethnicis occupatis consistebat, ad ecclesiam castri de Cranganor, Cochinensis dioecesis, in qua multi Lusitani habitabant, transferri[2], quippe quod dictus episcopus Angamalensis maiore cum vitae suae securitate et quiete in dicto castro vivere ac libe-

1 Edit. Main. legit *non obstante* (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Hic deest *conveniebat*, vel simile (R. T.).

rius officium suum pastorale exercere posset, et perturbationes ac alia incommoda, quae patiebatur vivendo inter gentem diversis ethnicis, assidue bellum inter se gerentibus, subiectam, evitaret: nos, dicti Philippi regis supplicationibus nobis tunc humiliter porrectis inclinati, per alias nostras sub plumbo expeditas litteras, dictum castrum Cranganor, et dilectos filios illius incolas et habitatores, nec non dictum clerum et populum, a dictâ dioecesi Cochinensi, apostolicâ auctoritate, perpetuo dismembravimus et separavimus; ac ad illud sic separatum et dismembratum, illiusque ecclesiam, sedem episcopalem Angamalensem cum dilectis filiis capitulo ecclesiae Angamalensis ac omnibus et singulis eorum iuribus, fructibus, bonis, reliquiis, et ornamentis ac paramentis ecclesiasticis, sacrâque suppellectili, et aliis ad id pertinentibus, et in quibusvis rebus consistentibus, etiam perpetuo transtulimus; ipsamque ecclesiam dicti castri, cum suis rebus, bonis, et pertinentiis, in locum dictae ecclesiae Angamalensis (etiam quoad privilegia, praerogativas, immunitates, exemptiones, antelationes, indulgentias, indulta, favores et gratias illi tam praedictâ apostolicâ quam regiâ auctoritatibus concessa, nec non quoad fructus, legata, donationes, aliaque bona mobilia et immobilia, obligationes, et onera universa) similiter perpetuo substituimus et surrogavimus. Praeterea episcopo Angamalensi et capitulo praedictis, ut unâ cum omnibus et singulis dictae ecclesiae Angamalensis fructibus et bonis, ac sacrâ communique suppellectili, aliisque praedictis, ad ecclesiam dicti Castri transire et personaliter apud eam residere; ac inibi missam et alia divina officia, diurna et nocturna, aliaque omnia, quae ipsi in dictâ ecclesiâ Angamalensi celebrabant et faciebant, celebrare et facere; ac quaecumque bona dictae ecclesiae Angamalensis, illiusque mensae episcopalis et capitularis, ac[1] dignitatum, personatuum, administrationum, officiorum, canonicatuum et praebendarum, caeterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, ut prius administrare, illaque obtinere; necnon ipse episcopus Angamalensis, tam quae ordinis, quam quae iurisdictionis sunt, ac suum pastorale officium inibi exercere eisdem prorsus modo et formâ, quibus apud eamdem ecclesiam Angamalensem personaliter residendo exercebat et exercere poterat, si inibi vere et personaliter resideret; quodque ecclesia dicti castri ac episcopus Angamalensis et capitulum huiusmodi illis omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, exemptionibus, favoribus et gratiis, quibus ecclesia Angamalensis ac capitulum huiusmodi et ecclesia dicti castri de iure, usu et consuetudine, ac aliàs quomodolibet, utebantur, fruebantur et gaudebant, uti, frui, potiri et gaudere pariformiter et aeque principaliter libere et licite possent, in omnibus et per omnia, perinde ac si apud dictam ecclesiam Angamalensem vere et personaliter residerent, indulsimus, prout in dictis litteris plenius continetur[2].

Dismembratio et translatio huiusmodi factae fuerant.

§ 2. Cum autem, sicut non sine animi nostri moerore accepimus, venerabilis frater episcopus Cochinensis dismembrationem et translationem aliaque praemissa de facto impedire tentaverit, et inter ipsum, seu eius officialem, ac praedictum episcopum Angamalensem variae controversiae exortae, ac, quod deterius est, hinc inde censurae ecclesiasticae, non sine christifidelium ac etiam ethni-

Ortis tamen inter episcopos Angamalensem, et Cochinensem controversiis.

1 Inepte edit. Main. legit *ad* (R. T.).

2 De ecclesià Angamalensi vide supra ad pag. 558 huius voluminis; sed constitutio hîc citata non legitur (R. T.).

corum ibidem degentium scandalo, promulgatae, et ab ecclesiâ dicti castri ornamenta et paramenta ecclesiastica, ac alia ad cultum divinum spectantia, ablata fuerint;

Pontifex factam translationem ratam habet.

§ 3. Nos, pro nostri pastoralis officii debito in praemissis auctoritatis nostrae apostolicae partes interponere volentes, et solum omnipotentis Dei cultus augmentum, et religionis catholicae propagationem prae oculis habentes, supplicationibus dicti Philippi regis nobis humiliter porrectis inclinati, dismembrationem, separationem, translationem, substitutionem, surrogationem, indultum, ac litteras praedictas, et in eis contenta quaecumque, quorum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes et quoscumque, tam iuris quam facti, etiam substantiales, si qui in praemissis intervenerint, nec non interesse habentium, si qui sint, et praedicti episcopi Cochinensis ad praemissa non praestiti consensus defectus supplemus.

Ablataque ab ecclesia Cochinensi ornamenta restitui mandat.

§ 4. Et insuper quaecumque ornamenta et paramenta, ac alia divino cultui destinata, quae a dictâ ecclesiâ praedicti castri de Cranganora quovis praetextu ablata fuerunt, eidem ecclesiae, ad quam spectant, sub indignationis nostrae poenâ restitui praecipimus et mandamus.

Christifideles a censuris contra quoscumque ab utrolibet episcopo latis absolvit.

§ 5. Denique, ne christifidelium salus propterea periclitetur, omnes et quoscumque christifideles, qui, vigore seu praetextu sententiarum seu mandatorum ab Angamalensi et Cochinensi episcopis praedictis, seu eorum officialibus seu ministris, hinc inde relaxatorum, excommunicationem incurrerunt, seu incurrisse dici vel censeri aut praetendi possint, ab eâdem excommunicationis sententiâ, auctoritate et tenore praedictis, sine cuiusquam praeiudicio, absolvimus.

Clausulae.

§ 6. Decernentes praesentes nostras litteras, etiam ex eo quod episcopus Cochinensis, seu quicumque alii in praemissis interesse forsan habentes, seu habere praetendentes, vocati nec auditi fuerint, seu alio quocumque praetextu, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quocumque defectu, notari, impugnari, redargui, aut revocari, annullari, in ius vel controversiam vocari, aut adversus illas quodcumque gratiae vel iustitiae remedium impetrari minime posse aut debere: sicque, et non aliter, ab omnibus et singulis censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores designantur.

§ 7. Quocirca venerabili fratri archiepiscopo Goano, ac dilectis filiis vicariis provincialibus Ordinum fratrum sancti Dominici et fratrum Eremitarum sancti Augustini committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dicti et pro tempore existentis episcopi Angamalensis fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostrâ, illos praemissorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari: contradictores quoscum-

quae per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus praemissis, et, quatenus opus sit, regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Angamalensis et Cochinensis ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illisque, illarumque superioribus, capitulo, et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis; quibus omnibus (etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda foret) eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die III decembris MDCIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 3 decembris 1609, pontif. an. V.

CXLVII.

Sequitur commissio exequutoribus praecedentis Constitutionis assignandi certos limites dioecesi Angamalensi[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam

Dismembrationem oppidi de Cranganor a dioecesi Cochinensi a se factam recenset.

§ 1. Cum, sicut dolenter accepimus, postquam nos per alias nostras sub plumbo expeditas litteras inter alia castrum de Cranganor, olim Cochinensis dioecesis, a dictâ dioecesi Cochinensi dismembraveramus, ac illud sic dismembratum, illiusque ecclesiam, sedem tunc episcopalem, nunc archiepiscopalem Angamalensem, cum dilectis filiis capitulo ecclesiae Angamalensis, ac omnibus et singulis eorum iuribus, bonis et ornamentis transtuleramus, venerabilis frater episcopus Cochinensis, sub quibusdam praetextibus, dismembrationem et translationem huiusmodi impedire tentaverit: ac propterea, et aliis forsan de causis, inter eum et venerabilem etiam fratrem archiepiscopum Angamalensem variae dissensiones et controversiae, cum censurarum ecclesiasticarum hinc inde promulgatione, non sine magno populi scandalo, exortae fuerint;

Exequutoribus praerelatae dismembrationis committit, ut archiepiscopo Angamalensi certam dioecesim assignent.

§ 2. Nos, qui hodie per alias nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras dismembrationem et translationem praedictas confirmavimus, huic malo opportunum remedium adhibere, et, ne amplius similia emergant, providere, praedictoque et pro tempore existenti archiepiscopo Angamalensi certam dioecesim assignare volentes, ac singularum litterarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, venerabili similiter fratri archiepiscopo Goano, et in eius defectum dilecto filio personae ecclesiasticae regimini ecclesiae Goanae interim praepositae, ac, illo legitime impedito, dilectis etiam filiis vicariis provincialibus Ordinum fratrum sancti Dominici et fratrum Eremitarum sancti Augustini, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse archiepi-

scopus Goanus, seu persona ecclesiastica, aut, in eventum praedictum, dicti vicarii coniunctim procedentes, de praemissis se diligenter informent, et adscito, si discordes fuerint, haereticae pravitatis inquisitore in huiusmodi officio antiquiore, vel, si ille absit, alio similiter inquisitore antiquiore in tempore immediate sequente, certam dioecesim, et distinctum territorium praedictae ecclesiae Angamalensi, auctoritate apostolicâ, assignent, et, si ita eis expedire videbitur, quaecumque loca ad dioecesim[1] Cochinensem et Meliapor spectantia, etiam intus regiones ipsas existentia, ab eisdem dioecesibus perpetuo dismembrent, separent, illaque sic dismembrata et separata, cum incolis et habitatoribus eorumdem, praedictae ecclesiae Angamalensi, pro eius dioecesi, etiam perpetuo assignent, necessariasque scripturas et declarationes desuper faciant.

Opportunasque eis facultates concedit.

§ 3. Nos enim archiepiscopo Goano, seu personae ecclesiasticae, aut vicariis et inquisitori praedictis, praemissa et quaecumque circa ea necessaria et opportuna faciendi, dicendi, gerendi et exercendi, ac, quae fecerint, dixerint, gesserint, et exercuerint, sub censuris ecclesiasticis et aliis poenis, eorum arbitrio imponendis et applicandis, exequutioni demandari et observari faciendi, licentiam et facultatem, eâdem auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Et eidem archiepiscopo, atque episcopis Cochinensi et Meliapor committit curam christianorum illarum partium.

§ 4. Insuper, ne catholici illarum partium, propter discordias et controversias praedictas, necessariis ad salutem destituantur, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo statuimus et ordinamus, quod de caetero perpetuis futuris temporibus archiepiscopus Angamalensis, et Cochinensis, et Meliapor episcopi praedicti habeant curam eorum catholicorum, sive pridem, sive nuper ad catholicam fidem et communionem Sedis Apostolicae ex quocumque ritu venient, qui in suis respective territoriis, tam illis hactenus assignatis, quam vigore praesentium assignandis, commorantur, et eisdem catholicis sacerdotes assignent.

Clausulae.

§ 5. Decernentes praesentes nostras litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu quomodolibet et ex quavis causâ habere praetendentes, ad hoc vocati et auditi non fuerint, nec praemissis consenserint, de subreptionis, obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio, quantumvis substantiali, defectu notari, impugnari, redargui, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci non posse, sed illas semper validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ita per quoscumque iudices, et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis et quocumque dissensu, ac regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Angamalensis, Cochinensis et Meliapor ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et quibusvis litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium prae-

1 Forsan aptius legeretur *dioeceses* (R. T.).

missorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis (eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes), illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die III decembris MDCIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 3 decembris 1609, pontif. an. V.

CXLVIII.

Adscriptio fratrum reformatorum Discalceatorum Ordinis sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum inter alios Ordines religiosorum Mendicantium, cum privilegiorum communicatione[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ecclesiae Catholicae regimini nullis nostris meritis a Domino praepositi, ex debito pastoralis officii viros Religiosos, qui sub sanctitate[2] religionis iugo gratum Christo obsequium praestant, libenter favoribus et gratiis prosequimur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Congregationis petitio inter Ordines Mendicantium adscribi.

§ 1. Cum itaque (sicut nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii fratres Ordinis sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum Congregationis Discalceatorum) ipsi actu mendicent et propterea inter caeteros Ordines Mendicantium adscribi, eorumque privilegiorum et gratiis participes fieri desiderent; quare nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicà dignaremur.

Adnumeratur cum privilegiorum omnium communicatione.

§ 2. Nos igitur, dictos fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, etc., censentes, ex sententià dilectorum filiorum nostrorum Octavii tituli sanctae Sabinae Bandini et Ioannis Garsiae tituli sanctorum Quatuor Coronatorum presbyterorum S. R. E. cardinalium Millini[1] nuncupatorum, quibus hoc negotium mature examinandum et nobis referendum commisimus, dictam Congregationem inter caeteros Mendicantium Ordines auctoritate apostolicà, tenore praesentium, adscribimus, ac illam illiusque fratres sub Mendicantium nomine comprehendi debere decernimus et declaramus, ac propterea omnia et singula privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, gratias, libertates, indulta et alias gratias, tam per nos quam quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem Apostolicam, quomodolibet Mendicantibus Ordinibus concessa, eorum omnium, ac tam sub plumbo, quam in formà Brevis confectarum litterarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et insertis habentes, ad ipsam Congregationem Discalceatorum huiusmodi, eiusque fratres, domos, ecclesias et loca quaecumque, de novo (quoad ea quae eorum regulae primitivae et institutis ac constitutionibus non repugnant tantum) eàdem auctoritate extendimus et ampliamus. Necnon omnia et singula Concilii Tridentini decreta pro Mendicantibus Ordinibus declarata et modificata, etiam pro Congregatione huiusmodi eiusque fratribus

1 Huiusmodi Mendicantium privilegia attende in Pii V constit. XIX, *Dum ad uberes*, tom. VII pag. 468, et Constit. LVIII, *Etsi Mendicantium*, ibidem pag. 573.

2 Legendum *sancto aut sanctae* (R. T.).

1 Hyperbaton huiusmodi saepe occurrit (R. T.).

declaramus et modificamus: omnia praeterea privilegia speciali quoque notâ digna, immunitates, exemptiones, libertates, facultates, concessiones, gratias, tam spirituales quam temporales, et indulta etiam per modum extensionis vel communicationis cum particulâ exclusivâ, quorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, universo sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum Ordini praedicto, illiusque domibus, ecclesiis et superioribus, ac fratribus concessa, praedictae Congregationi, ita ut illius fratres non solum ad supradictorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, perinde ac si illis nominatim et in specie concessa fuissent, huiusmodi privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, concessionibus, gratiis et indultis (dummodo tamen praedictis Mendicantium institutis et privilegiis non adversentur) uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, dictâ auctoritate perpetuo pariter concedimus, communicamus et extendimus.

Iussio quod desuper fratres non molestentur.

§ 3. Districtius in virtute sanctae obedientiae, ac illis arbitrio nostro infligendis poenis, inhibentes quibusvis locorum Ordinariis et aliis quibuscumque, ne dictam Congregationem, illiusque Religiosos, contra concessa privilegia desuper quoquo modo molestare, inquietare vel perturbare audeant seu praesumant.

Clausulae huius Bullae praeservativae.

§ 4. Decernentes quoque, praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari vel impugnari ullatenus posse, minusve sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, modificationibus, limitationibus, restitutionibus et aliis contrariis dispositionibus, tam per nos quam alios Romanos Pontifices successores nostros quomodolibet (cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque decretis) pro tempore factis et faciendis, quorumcumque tenorum existant, includi; sed, illis non obstantibus, in suis robore et efficaciâ persistere, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, et sub datâ per ipsos fratres Discalceatos eligendâ, de novo concessas esse.

Clausula sublatâ, etc.

§ 5. Et ita per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublatâ eis, etc., attentari.

Exequutorum deputatio.

§ 6. Quocirca venerabilibus fratribus Toletano et Hispalensi archiepiscopis, ac dilecto filio curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando et quoties opus fuerit, et pro parte dictae Congregationis, vel illius fratrum huiusmodi, aut alicuius eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostrâ eos, et eorum quemlibet, praemissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari, aut inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac

felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ et Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, ac aliis apostolicis nec non in provincialibus et synodalibus conciliis editis specialibus et generalibus constitutionibus et ordinationibus, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoris, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibus quoque et aliis decretis, in in genere vel in specie et quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros praedictos, ac nos, et Sedem praedictam, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, etiam consitorialiter et de fratrum nostrorum consilio, nec non apostolicae potestatis plenitudine, concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter aut divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§ 8. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die XV decembris MDCIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 15 decembris 1609, pontif. an. V.

CXLIX.

Mandatum regi catholico, ut quotannis decem millia ducatorum auri de Camerâ ex eleemosynis cruciatae Portugalliae pro fabricâ basilicae Principis Apostolorum de Urbe transmittantur[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Portugalliae et Algarbiorum regi catholico

Paulus Papa V.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Enunciat se gratias cruciatae dictas ad sexennium prorogasse.

§ 1. Hodie[2], per alias nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras, indulgentias et gratias illas speciales ad triennium publicandas et duraturas clarae memoriae Philippo Hispaniarum regi catholico genitori tuo ac omnibus et singulis christifidelibus in Portugalliae et Algarbiorum regnis, aliisque terris et locis regis Portugalliae dominio subiectis consistentibus et ad illa declinantibus, qui certa munera adimplevissent, a felicis recordationis Gregorio XIV die XII aprilis, pontificatus sui anno I, et deinde a Clemente VIII die IX februarii MDXCII, et XIX ianuarii MDXCVIII, et die XIII octobris MDCIII, ac die XXIII aprilis MDCIV, praedecessoribus nostris, et postremo a nobis die XXII iunii

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Quam simillimas hisce litteras vide supra pag. 557.

MDCV [1] maiestati tuae et aliis personis praedictis, per suas et nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras, ad triennium concessas, et saepius, ut praefertur, extensas et prorogatas, iustis et gravibus causis adducti (omnes et quascumque indulgentiarum et gratiarum huiusmodi extensiones, prorogationes et concessiones a nobis post diem XXII iunii MDCV factas maiestati tuae et aliis personis in eisdem regnis Portugalliae et Algarbiorum et aliis locis in litteris desuper expeditis expressis, et easdem litteras, cassantes et revocantes) ad sexennium a datâ nostrarum litterarum inchoandum extendimus et prorogavimus; necnon eidem maiestati tuae, ac omnibus christifidelibus in praedictis Portugalliae et Algarbiorum regnis, ac eorumdem regnorum insulis, Indiis Orientalibus et ultramarinis conquisitis terris et locis eiusdem Portugalliae et Algarbiorum regis dominio temporali subiectis commorantibus et ad illa declinantibus, necnon regnorum praedictorum subditis in alieno dominio in dictis Indiis mercimonii causâ, non tamen animo in alieno dominio huiusmodi permanendi, degentibus, indulgentias et gratias spirituales et temporales praedictas, cum omnibus et quibuscumque indultis, facultatibus, concessionibus, declarationibus, extensionibus, conditionibus, clausulis et decretis in Gregorii et Clementis praedecessorum nostrorum ac nostris litteris contentis, ad sexennium, auctoritate apostolicâ, de novo concessimus et indulsimus; ita quod, huiusmodi sexennio durante, maiestati tuae, ac omnibus et singulis christifidelibus praedictis, suffragarentur; et aliàs, prout in primo dictis nostris litteris huiusmodi plenius continetur.

Mandat decem millia ducatorum quotannis

§ 2. Ut autem fabrica basilicae Principis Apostolorum de Urbe, quae in eiusdem Apostoli honorem iam multis annis ingentibus sumptibus extruitur, fidelium eleemosynis adiuvetur, volumus, et apostolicâ auctoritate tenore praesentium decernimus, ut ex eleemosynis, quae causâ et occasione dictarum indulgentiarum et gratiarum erogabuntur, decem millia ducatorum auri de Camerâ quotannis, a datâ praesentium incipiendis, eidem fabricae impertiri, et, pro eâ, venerabili fratri episcopo sancti Angeli spoliorum et iurium Camerae Apostolicae in praedictis regnis moderno et pro tempore existenti collectori solvi omnino debeant.

pro fabrica sancti Petri transmitti.

Commissio exequutori bullae cruciatae.

§ 3. Mandantes propterea dilecto filio Francisco de Bragantia canonico Elborensi praedictarum gratiarum exequutori et commissario a nobis deputato, et pro tempore exequutori, et omnibus aliis ad quos spectat et spectabit, ut praedictam pecuniarum summam collectori praedicto integre solvi faciant.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XVI decembris MDCIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 16 decembris 1609, an. pontif. V.

1 Omnes praedictae litterae a *Bullario* exulant (R. T.).

CL.

De distinctione duarum provinciarum Castellae, et Bethicae, et electione vicarii generalis, ministrorum provincialium, definitorum, et aliorum ministrorum Congregationis fratrum Reformatorum Discalceatorum sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum in regnis Hispaniarum [1].

1 Istam Congregationem primo probavit Clemens VIII in sua Constit. CCIII, *Ad militantis* in h. n. edit. CCXIII tom. X pag. 529); hunc vero Ordinem instituit Innocentius III in sua Constit. XVII, *Operante*, tom. III pag. 133.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex debito pastoralis officii nobis ex alto commissi inter alia nos summâ ope niti decet, ut in domibus Religiosorum tales viri ad officia et munera publica eligantur, ex quorum operâ ipsae domus felicia suscipiant incrementa.

Clemens VIII in regnis Hispaniarum Congregationem istam probavit.

§ 1. Cum aliàs felicis recordationis Clemens Papa VIII, praedecessor noster, ex certis causis adductus, unam provinciam seu Congregationem fratrum Discalceatorum Ordinis sanctissimae Trinitatis et Redemptionis captivorum, qui primitivam regulam dicti Ordinis observarent, in regnis Hispaniarum in perpetuum motu proprio erexerit, eamque sic erectam ab aliis provinciis praedicti Ordinis modificatae regulae perpetuo seiunxerit, prout in litteris dicti praedecessoris in formâ Brevis die xx augusti, pontificatus sui anno VIII, confectis plenius continetur[1];

Hic modo Pontifex pro feliciori eius progressu ministros ab universo capitulo provinciali quolibet triennio eligi mandat; et, si interim aliqui decedant, a provinciali et definitoribus eligi iubet.

§ 2. Nos, ut dicta Congregatio felicioribus in dies augeatur progressibus prospicere cupientes, ac eosdem fratres Discalceatos Congregationis huiusmodi a quibusvis excommunicationis, etc., censentes, necnon litterarum dicti praedecessoris, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus dictae Congregationis nobis hac in parte humiliter porrectis inclinati, ex scientiâ dilectorum filiorum nostrorum Octavii tituli sanctae Sabinae Bandini et Ioannis Garsiae tituli sanctorum Quatuor Coronatorum presbyterorum cardinalium Millini nuncupatorum, quibus hoc negocium mature examinandum et nobis referendum commisimus, harum serie perpetuo statuimus et ordinamus, quod in futurum perpetuis futuris temporibus in hac Congregatione ministri a conventibus eiusdem amplius non eligantur, sed de triennio in triennium in capitulo provinciali ab universo capitulo dumtaxat eligantur: quod si dissoluto iam capitulo intra triennium rursus ministerium aliquod vacare contigerit, minister ab ipsismet provinciali et definitoribus, non autem per alios de eorum commissione, eligatur, duret vero usque ad sequens capitulum provinciale, ubi cessant omnia ministeria praedicta;

Et ita et non aliter iudicari mandat.

§. 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, ubique iudicari ac definiri debere, necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Quibuscumque contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Congregationi in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Huiusque transumptis credi decernit.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIV decembris MDCIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 24 decembris 1609, pontif. an. V.

1 Ipsae sunt iam cit. in nota ad rubricam (R. T.).

Sequitur plenior dispositio super praedictis.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In supremo militantis Ecclesiae solio, et apostolicae potestatis plenitudine, nullis nostris exigentibus meritis, sed solâ Dei benignitate constituti, circa statum Religionum regularium et Congregationum ad divinae maiestatis gloriam, animarumque salutem provide institutarum, illarum praesertim, quarum professores se ad strictioris vitae normam et disciplinam solemni voto devinxerunt, nostrae considerationis intuitum[1], quid pro huiusmodi laudabilis earum instituti felici et salubri directione atque progressu conferat, diligenter prospicimus, et desuper providentiae nostrae partes propensis studiis interponimus, prout, temporum et locorum rationibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Clemens VIII istam Congregationem approbavit in regnis Hispaniarum.

§ 1. Aliàs siquidem per felicis recordationis Clementem Papam VIII praedecessorem nostrum accepto, quod nonnulli pii religiosi, Ordinis sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum professores, etc. (*Omittitur tenoris residuum, quia ipsam Constitutionem habes supra*).

Quae cum multum propagata fuerit per unumque ministrum regi non possit.

§ 2. Cum autem, sicut nomine Congregationis praedictae nobis nuper expositum fuit, Congregatio ipsa benedicente Domino nôn mediocriter adaucta et propagata, et quamplurima illius monasteria, domus et regularia loca in diversis dictorum regnorum partibus, cum bonae famae odore, et pietatis et charitatis necnon spiritualium operum incremento, animarumque salute, fundata et instituta fuerint, illaque omnia per unum ministrum provincialem regi et gubernari commode nequeant, ac operae pretium et expediens sit, ut ibidem aliquot provinciae eiusdem Congregationis invicem distinctae, iuxta augmentum et numerum monasteriorum et domorum huiusmodi, instituantur, aliaque infrascripta fiant et ordinentur;

Duas provincias distingui decernit in futuro Capitulo, et earum quamlibet per unum ministrum provincialem gubernari praecipit.

§ 3. Nos, pro pastoralis officii nostri debito ipsius Congregationis pium institutum propensae voluntatis affectu prosequi et confovere illiusque prosperitati et bono regimini consulere volentes, ac universos et singulos fratres Reformatos et Discalceatos praedictos a quibusvis excommunicationis, etc., censentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ex omnibus monasteriis, domibus et regularibus locis Congregationis huiusmodi in dictis regnis nunc fundatis et institutis, et quae imposterum dante Domino fundari et institui contigerit, duas provincias, unam videlicet Castellae alteram vero Bethicae nuncupandas, et in proximo futuro capitulo dictae Congregationis generali, prout huiusmodi monasteriorum et domorum numerus ac locorum opportunitas suaserit, et aliàs expedire videbitur, invicem distinguendas et separandas, quarum quaelibet per unum proprium ministrum provincialem ex fratribus Reformatis et Discalceatis praedictis eligendum, regi et gubernari debeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Et in eodem statuta quaecumque fieri permittit, quae ad bonum regimen Congregationis, et celebrationem capitulorum superiorumque electionem congrua videbuntur.

§ 4. Praeterea statuimus et ordinamus, quod, in eodem proximo futuro capitulo generali, dilecti filii minister provincialis, et definitores dictae Congregationis, ac etiam singulorum illius monasteriorum et domorum ministri ad praesens existentes, sine procuratorum conventualium interventu, antequam ad electiones infrascriptas procedant, quaecumque statuta, ordinationes et decreta, ad omni-

1 Supple *convertentes*, aut simile (R. T.).

potentis Dei servitium, ac eiusdem Congregationis, illiusque regularis instituti prosperitatem, stabilitatem et observantiam, necnon generalis et provincialium capitulorum celebrationem, ac quorumcumque praelatorum et superiorem electionem, piorumque et spiritualium ministeriorum propagationem pertinentia, ac aliàs in praemissis et circa ea eorum iudicio magis convenientia et necessaria, a nobis tamen vel pro tempore existente Romano Pontifice approbanda, et postquam sic approbata fuerint, et non antea, per omnes et singulos, ad quos pro tempore spectabit, inviolabiliter observanda, facere et condere;

Postea ad electionem vicarii generalis devениri praecipit, qui totius congregationis superior existat et ministro generali totius Ordinis subsit.

§ 5. Et deinde unum praelatum, vicarium generalem nuncupandum, cuius officium et potestas per sex annos duret, qui Congregationis praedictae, illiusque provinciarum et ministrorum, tam provincialium quam conventualium, superior existat, et ministro generali totius Ordinis praedicti subsit, prout nunc minister subest provincialis, plenamque potestatem dictam Congregationem gubernandi, praedicto tempore durante, habeat;

Nec non ad electionem definitorum et provincialium.

§ 6. Necnon futuros definitores generales, ac ministros, tam provinciales quam conventuales, eligere libere et licite possint.

Primae electioni dicti vicarii nuncium Sedis Apostolicae praesidere iubet.

§ 7. Et, quoad electionem vicarii generalis huiusmodi, noster et Sedis Apostolicae nuncius, in dictis regnis commorans, illi (pro hac primà vice dumtaxat) praesidere, ipsiusque vicarii generalis sic electi confirmatio ad nuncium praedictum spectare, in aliis vero deinceps quolibet sexennio celebrandis capitulis generalibus eiusdem Congregationis, illius vicarius generalis tunc munere suo defuncturus, seu, in defectum eiusdem vicarii generalis, illius vice et loco primus definitor generalis eiusdem Congregationis, qui ibidem tunc praesens fuerit, electioni vicarii generalis praesidere debeat.

Vicarii generales (hoc primo excepto) a ministro generali totius Ordinis confirmationem petere debent.

§ 8. Et, excepto primo dicto vicario generali, caeteri omnes futuri eius in officio vicariatus generalis huiusmodi successores confirmationem suarum electionum a ministro generali Ordinis praedicti petere et obtinere curabunt.

Statim autem post electionem officium suum libere exercere possint.

§ 9. Statim autem, ut electi fuerint, auctoritatem et potestatem praedictas habeant, ac omnia et singula, quae ad dictum officium vicariatus generalis quomodolibet pertinent, iuxta Clementis praedecessoris huiusmodi ac praesentium litterarum continentiam et tenorem, exercere et exequi valeant.

Clausulas huius bullae praeservativas apponit.

§ 10. Decernentes, easdem praesentes litteras nullatenus de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quocumque defectu (etiam ex eo quod minister generalis dicti Ordinis et quicumque alii interesse forsan habentes ad praemissa vocati non fuerint, nec illis consenserint) notari, vel aliàs quomodolibet impugnari, neque sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam a Sede praedictâ emanatis et imposterum emanandis, comprehendi posse, sed illas semper validas et efficaces esse et fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 11. Non obstantibus praemissis, necnon apostolicis, ac in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicà, vel quavis firmitate

aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini, illiusque generali et provincialibus ministris, superioribus, definitoribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ, et potestatis plenitudine similibus, ac aliàs quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, aliàs de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum mentio, seu quaevis alia expressio babenda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV augusti MDCXIII, pontificatus nostri an. IX.

Dat. die 14 augusti 1613, pontif. an. IX.

CLI.

Approbatio Constitutionis Clementis VIII super confirmatione Congregationis fratrum Discalceatorum Ordinis sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum, primitivam regulam observantium, cum adiectione duorum votorum, ultra alia vota ipsius Ordinis.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Quae pie et sancte a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris circa regularium personarum statum facta sunt, eo libentius approbamus, quo exinde maiorem in Ecclesiâ Dei utilitatem proventuram esse speramus.

Enarratio Constitutionis Clementis VIII. § 1. Quare, cum felicis recordationis Clemens Papa VIII, praedecessor noster, unam Congregationem fratrum Discalceatorum Ordinis sanctissimae Trinitatis et Redemptionis captivorum, qui primitivam regulam praedicti Ordinis perpetuo observent, in regnis Hispaniarum, per unum ministrum provincialem eligendum ex eisdem fratribus Discalceatis regendam et gubernandam, motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine erexerit, eamque sic erectam ab aliis provinciis praedicti Ordinis modificatae regulae perpetuo seiunxerit, ipsosque fratres ac eorum domos ab omni et quacumque iurisdictione, visitatione et superioritate, tam commissarii generalis, quam aliorum ministrorum provincialium, ac aliorum quorumcumque superiorum modificatae regulae eiusdem Ordinis perpetuo exemerit, ac sub obedientiâ et superioritate ministri generalis dicti totius Ordinis perpetuo subesse voluerit, aliaque fecerit, ac alia a tunc et pro tempore existente Sedis Apostolicae in dictis regnis existente nuncio fieri mandaverit, prout in litteris dicti praedecessoris desuper die XX augusti, pontificatus sui anno VIII, confectis plenius continetur[1]; ipsique fratres Discalceati, quae ad suae professionis perfectionem ac obedientiae, paupertatis et castitatis vota pertinent, fideliter, ut accepimus, observaverint:

Confirmatio dictae Constitutionis. § 2. Nos, dictos fratres Discalceatos et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum,

[1] Ipsae sunt iam supra citatae pag. 611 (R.T).

harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon tenorem dictarum litterarum, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus dictae Congregationis nomine nobis hac in parte humiliter porrectis inclinati, ex sententiâ dilectorum filiorum nostrorum Octavii tituli sanctae Sabinae Bandini, et Ioannis Garsiae tituli sanctorum Quatuor Coronatorum presbyterorum cardinalium Millini nuncupatorum, quibus hoc negocium mature examinandum et nobis referendum commisimus, litteras dicti Clementis praedecessoris, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis et decretis ac derogationibus, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque robur apostolicae confirmationis adiicimus, illasque ab omnibus et singulis, ad quos pertinet et in futurum pertinebit, observari volumus et mandamus.

Adiunctio duorum votorum.

§ 3. Quoniam vero[1] Religiosos, inter alias, humilitatis praecipue virtutem habere oportet, eâdem auctoritate apostolicâ statuimus et ordinamus, quod dictae Congregationis fratres, qui de caetero profitebuntur, ultra alia vota tempore eiusdem professionis emittenda, aliud votum etiam emittant, videlicet se directe vel indirecte, per se, aut per alios, intra dictam Congregationem, praelationem aliquam aut officium, per constitutionem praetendi prohibitum, numquam praetensuros: et pariter extra eamdem Congregationem, neque directe neque indirecte, per se, aut per alios, ullam praelationem praetensuros, vel oblatam acceptaturos, nisi praecepto eius, qui eis praecipere poterit, adstringantur; professi tamen, si voluerint, iuxta eamdem formam idem votum emittant.

1 Similem huic praescriptionem vide supra pag. (R. T.).

Dispensatio illorum votorum prohibetur.

§ 4. Decernentes super huiusmodi voto dispensari minime posse, neque illud commutari, non secus ac caetera substantialia vota Religionis.

Contrariis derogatur.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae dictus Clemens praedecessor in litteris suis praedictis voluit non obstare.

Transumptis fides datur.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die x februarii MDCX, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 10 februarii 1610, pontif. an. v.

CLII.

Declaratio reservationis beneficiorum per assequutionem pacificam vacaturorum.

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Paulus divinâ providentiâ Papa V (qui in crastinum eius assumptionis ad summi apostolatus apicem, vestigiis felicis recordationis Benedicti XII et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum suorum inhaerendo, omnia et singula beneficia ecclesiastica, per pacificam assequutionem quorumcumque aliorum per Sanctitatem suam seu eius auctoritate conferendorum beneficiorum ecclesiasticorum, et ex tunc, vacatura, ordinationi et dispositioni suae, cum decreto irritanti desuper apposito, inter alia duxit reservanda; et cui ex fide dignorum relatione innotuit, quod

plerique, de beneficiis ecclesiasticis, praesertim curam animarum habentibus, seu aliàs personalem residentiam requirentibus, dum pro tempore vacant, apostolicâ auctoritate provisi seu providendi, ante illorum assequutionem, alia cum eisdem incompatibilia beneficia ecclesiastica per eos tunc obtenta in fraudem reservationis et decreti praedictorum resignabant seu dimittebant);

Declaratio reservationis beneficiorum per assequutionem pacificam vacaturorum.

§ 2. Cupiens opportunum super his remedium adhibere, voluit, decrevit et declaravit, quod imposterum [quibusvis personis de aliquibus beneficiis ecclesiasticis tunc vacantibus seu vacaturis per Sanctitatem Suam aut eius auctoritate provideri[1], ipsosque provisos seu providendos (intra vacationis et provisionis seu assequutionis eorumdem beneficiorum tempora)[2] quaecumque alia cum illis incompatibilia beneficia ecclesiastica, saecularia vel quorumvis Ordinum ac etiam hospitalium regularia, per eos tunc obtenta, (nullâ speciali et expressâ de eisdem in provisionibus praedictis factâ mentione) simpliciter, vel causâ permutationis, ac aliàs quomodolibet, sive in Sanctitatis Suae, vel alterius Romani Pontificis pro tempore existentis, aut legatorum, vel nunciorum dictae Sedis, sive Ordinariorum, vel aliorum collatorum quorumcumque manibus resignare seu dimittere, aut iuribus sibi in illis vel ad illa competentibus cedere contigerit] omnes et singulae concessiones, collationes, provisiones et quaevis aliae dispositiones de beneficiis seu iuribus sic resignandis, dimittendis et cedendis pro tempore faciendae, cum inde sequutis quibuscumque, cassae et irritae nulliusque roboris vel momenti existant, nec cuiquam suffragentur, sed beneficia et iura, ut praefertur, resignata, dimissa et cessa, eo ipso vacent, et vacare ac sub reservatione et priori decreto praefatis (quae Sanctitas Sua etiam quoad hoc extendit et ampliavit) comprehensa censeantur: ita quod de illis per alium, quam eamdem Sanctitatem Suam, vel pro tempore existentem Romanum Pontificem, nullatenus disponi possit; in omnibus et per omnia, perinde ac si per pacificam assequutionem aliorum beneficiorum huiusmodi vere et realiter vacavissent.

Clausula *sublatâ*, etc.

§ 3. Decernentes sic per quoscumque iudices, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, dictaeque Sedis legatos et nuncios, sublatâ, *etc.*, iudicari et definiri definiri debere, irritumque, *etc.*, attentari.

Papae subscr.

Placet, publicetur, et describatur C.

1 Subintellige *contigerit*, quod postea sequitur (R. T.).

2 Subintellige *contigerit resignare vel cedere*, quod postea sequitur (R. T.).

CLIII.

Litterae processus in die Coenae Domini[1].

Paulus Episcopus
Servus Servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Consueverunt Romani Pontifices hac die eiusmodi bullam edere ex causis hic expressis.

Pastoralis Romani Pontificis vigilantia et sollicitudo, cum in omni Christianae Reipublicae pace et tranquillitate procurandâ pro sui muneris officio assidue versatur, tum potissimum in Catholicae

1 Quoad omnia quasi capitula huius Bullae (ultra Extravagantem 3 Pauli II et Extravagantem 5 Sixti IV in tit. de Poenitent. et remissionibus) habes Urbani V Constit. III, *Apostolatus*, tom. IV pag. 520; Iulii II Constitut. XXX, *Consueverunt*, tom. V pag 491; Pauli III Constitutione XI, *Consueverunt*, tom. VI pag. 218; et Gregorii XIII Constitut. CXLVII *Consueverunt*, tom. VIII pag. 413.

harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon tenorem dictarum litterarum, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus dictae Congregationis nomine nobis hac in parte humiliter porrectis inclinati, ex sententiâ dilectorum filiorum nostrorum Octavii tituli sanctae Sabinae Bandini, et Ioannis Garsiae tituli sanctorum Quatuor Coronatorum presbyterorum cardinalium Millini nuncupatorum, quibus hoc negocium mature examinandum et nobis referendum commisimus, litteras dicti Clementis praedecessoris, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis et decretis ac derogationibus, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque robur apostolicae confirmationis adiicimus, illasque ab omnibus et singulis, ad quos pertinet et in futurum pertinebit, observari volumus et mandamus.

Adiunctio duorum votorum.

§ 3. Quoniam vero [1] Religiosos, inter alias, humilitatis praecipue virtutem habere oportet, eâdem auctoritate apostolicâ statuimus et ordinamus, quod dictae Congregationis fratres, qui de caetero profitebuntur, ultra alia vota tempore eiusdem professionis emittenda, aliud votum etiam emittant, videlicet se directe vel indirecte, per se, aut per alios, intra dictam Congregationem, praelationem aliquam aut officium, per constitutionem praetendi prohibitum, numquam praetensuros: et pariter extra eamdem Congregationem, neque directe neque indirecte, per se, aut per alios, ullam praelationem praetensuros, vel oblatam acceptaturos, nisi praecepto eius, qui eis praecipere poterit, adstringantur; professi tamen, si voluerint, iuxta eamdem formam idem votum emittant.

1 Similem huic praescriptionem vide supra pag. (R. T.).

Dispensatio illorum votorum prohibetur.

§ 4. Decernentes super huiusmodi voto dispensari minime posse, neque illud commutari, non secus ac caetera substantialia vota Religionis.

Contrariis derogatur.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae dictus Clemens praedecessor in litteris suis praedictis voluit non obstare.

Transumptis fides datur.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die x februarii MDCX, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 10 februarii 1610, pontif. an. v.

CLII.

Declaratio reservationis beneficiorum per assequutionem pacificam vacaturorum.

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Paulus divinâ providentiâ Papa V (qui in crastinum eius assumptionis ad summi apostolatus apicem, vestigiis felicis recordationis Benedicti XII et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum suorum inhaerendo, omnia et singula beneficia ecclesiastica, per pacificam assequutionem quorumcumque aliorum per Sanctitatem suam seu eius auctoritate conferendorum beneficiorum ecclesiasticorum, et ex tunc, vacatura, ordinationi et dispositioni suae, cum decreto irritanti desuper apposito, inter alia duxit reservanda; et cui ex fide dignorum relatione innotuit, quod

plerique, de beneficiis ecclesiasticis, praesertim curam animarum habentibus, seu aliàs personalem residentiam requirentibus, dum pro tempore vacant, apostolicâ auctoritate provisi seu providendi, ante illorum assequutionem, alia cum eisdem incompatibilia beneficia ecclesiastica per eos tunc obtenta in fraudem reservationis et decreti praedictorum resignabant seu dimittebant);

Declaratio reservationis beneficiorum per assequutionem pacificam vacaturorum.

§ 2. Cupiens opportunum super his remedium adhibere, voluit, decrevit et declaravit, quod imposterum [quibusvis personis de aliquibus beneficiis ecclesiasticis tunc vacantibus seu vacaturis per Sanctitatem Suam aut eius auctoritate provideri[1], ipsosque provisos seu providendos (intra vacationis et provisionis seu assequutionis eorumdem beneficiorum tempora)[2] quaecumque alia cum illis incompatibilia beneficia ecclesiastica, saecularia vel quorumvis Ordinum ac etiam hospitalium regularia, per eos tunc obtenta, (nullâ speciali et expressâ de eisdem in provisionibus praedictis factâ mentione) simpliciter, vel causâ permutationis, ac aliàs quomodolibet, sive in Sanctitatis Suae, vel alterius Romani Pontificis pro tempore existentis, aut legatorum, vel nunciorum dictae Sedis, sive Ordinariorum, vel aliorum collatorum quorumcumque manibus resignare seu dimittere, aut iuribus sibi in illis vel ad illa competentibus cedere contigerit] omnes et singulae concessiones, collationes, provisiones et quaevis aliae dispositiones de beneficiis seu iuribus sic resignandis, dimittendis et cedendis pro tempore faciendae, cum inde sequutis quibuscumque, cassae et irritae nulliusque roboris vel momenti existant, nec cuiquam suffragentur, sed beneficia et iura, ut praefertur, resignata, dimissa et cessa, eo ipso vacent, et vacare ac sub reservatione et priori decreto praefatis (quae Sanctitas Sua etiam quoad hoc extendit et ampliavit) comprehensa censeantur: ita quod de illis per alium, quam eamdem Sanctitatem Suam, vel pro tempore existentem Romanum Pontificem, nullatenus disponi possit; in omnibus et per omnia, perinde ac si per pacificam assequutionem aliorum beneficiorum huiusmodi vere et realiter vacavissent.

Clausula sublatâ, etc.

§ 3. Decernentes sic per quoscumque iudices, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, dictaeque Sedis legatos et nuncios, sublatâ, *etc.*, iudicari et definiri definiri debere, irritumque, *etc.*, attentari.

Papae subscr.

Placet, publicetur, et describatur C.

CLIII.

Litterae processus in die Coenae Domini[1].

Paulus Episcopus
Servus Servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Consueverunt Romani Pontifices hac die eiusmodi bullam edere ex causis hic expressis.

Pastoralis Romani Pontificis vigilantia et sollicitudo, cum in omni Christianae Reipublicae pace et tranquillitate procurandâ pro sui muneris officio assidue versatur, tum potissimum in Catholicae

1 Subintellige *contigerit*, quod postea sequitur (R. T.).

2 Subintellige *contigerit resignare vel cedere*, quod postea sequitur (R. T.).

1 Quoad omnia quasi capitula huius Bullae (ultra Extravagantem 3 Pauli II et Extravagantem 5 Sixti IV in tit. de Poenitent. et remissionibus) habes Urbani V Constit. III, *Apostolatus*, tom. IV pag. 520; Iulii II Constitut. XXX, *Consueverunt*, tom. V pag 491; Pauli III Constitutione XI, *Consueverunt*, tom. VI pag. 218; et Gregorii XIII Constitut. CXLVII *Consueverunt*, tom. VIII pag. 413.

Fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitate atque integritate retinendâ et conservandâ maxime elucet; nimirum, ut fideles Christi non sint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinae in nequitiâ hominum ad circumventionem erroris, sed omnes occurrant in unitatem fidei et agnitionis filii Dei, in virum perfectum; neque se in huius vitae societate et communione laedant, aut inter se alter alteri offensionem praebeat[1], sed potius in vinculo charitatis coniuncti, tanquam unius corporis membra sub Christo capite, eiusque in terris vicario Romano Pontifice beatissimi Petri successore, a quo totius Ecclesiae unitas dimanat, augeantur in aedificatione, atque ita, divinâ gratiâ adiutrice, sic praesentis vitae quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sane causas Romani Pontifices, praedecessores nostri, hodiernâ die, quae anniversariâ Dominicae Coenae commemoratione solemnis est, spiritualem ecclesiasticae disciplinae gladium et salutaria iustitiae arma per ministerium summi apostolatus ad Dei gloriam et animarum salutem solemniter exercere consueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius[2] est, quam fidei inviolatam integritatem, publicam pacem et iustitiam, Deo auctore, tueri, vetustum et solemnem hunc morem sequentes,

Itaque excommunicantur Haeretici cuiuscumque sectae, eorundem fautores, libros legentes, tenentes aut imprimentes, et schismatici.

§ 1. Excommunicamus et anathematizamus, ex parte Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, auctoritate quoque beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, quoscumque Hussitas, Wikleffistas, Luteranos, Zuinglianos, Calvinistas, Ugonottos, Anabaptistas, Trinitarios, et a Christianâ Fide apostatas, ac omnes et singulos alios haereticos, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae existant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, et generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorumdem libros haeresim continentes vel de religione tractantes, sine auctoritate nostrâ et Sedis Apostolicae, scienter legentes aut retinentes, imprimentes, quomodolibet defendentes ex quavis causâ, publice vel occulte, quovis ingenio vel colore, nec non schismaticos, et eos qui se a nostrâ et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientiâ pertinaciter subtrahunt vel recedunt.

Appellantes a Pontifice ad futurum concilium eorumque fautores.

§ 2. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint (universitates vero, collegia et capitula, quocumque nomine nuncupentur, interdicimus), ab ordinationibus seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium, ad universale futurum Concilium appellantes, necnon eos quorum auxilio vel favore appellatum fuerit.

Piratae, et eorum receptatores et fautores.

§ 3. Item excommunicamus et anathematizamus omnes piratas, cursarios, ac latrunculos maritimos discurrentes mare nostrum, praecipue a monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores et defensores.

Naufragorum christianorum cuiuscumque generis bona, et in litoribus inventa, surripientes.

§ 4. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et singulos, qui (Christianorum quorumcumque navibus tempestate seu in transversum (ut dici solet) iactatis, vel quoquo modo naufragium passis) sive in ipsis navibus, sive ex eisdem eiecta in mari, vel in litore inventa cuiuscumque generis bona, tam in nostris Tyrrheni et Adriatici, quam in caeteris cuiusque maris regionibus et litoribus, surripuerint, ita ut nec ob quodcumque privilegium, consuetudinem, aut longissimi etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcumque praetextum excusari possint.

1 Aptius legeretur *praebeant* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *optabilibus* (R. T.).

Imponentes nova pedagia et gabellas vel ea augentes.

§ 5. Item excommunicamus et anathematizamus omnes, qui in terris suis nova pedagia, seu gabellas, praeterquam in casibus sibi a iure, seu ex speciali Sedis Apostolicae licentiâ permissis, imponunt vel augent, seu imponi vel augeri prohibita exigunt.

Falsificantes litteras apostolicas aut supplicationes a quocumque auctoritatem habente signatas.

§ 6. Item excommunicamus et anathematizamus omnes falsarios litterarum apostolicarum, etiam in formâ Brevis, ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. vicecancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Pontificis signatarum, nec non falso publicantes litteras apostolicas, etiam in formâ Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu vicecancellarii, aut gerentium vices praedictorum.

Deferentes arma et alia ad usum belli instrumenta ad Turcas, vel alios christiani nominis inimicos; et qui ad reipublicae christianae statum pertinentia iisdem in damnum christianorum nunciant.

§ 7. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, et alios christiani nominis hostes et inimicos vel haereticos per nostras sive huius Sanctae Sedis sententias expresse vel nominatim declaratos, deferunt seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stamnum, chalybem, omniaque metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipso canape quam aliâ quacumque materiâ, et ipsam materiam, aliaque huiusmodi, quibus christianos et catholicos impugnant, necnon illos, qui, per se, vel alios, de rebus statum Christianae Reipubblicae concernentibus, in christianorum perniciem et damnum, ipsos Turcas et christianae religionis inimicos, necnon haereticos in damnum Catholicae Religionis, certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet praestant. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, quibusvis personis, principibus, rebuspublicis, per nos et Sedem praedictam hactenus concessis, de huiusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

Impedientes eos qui victualia et alia necessaria Romam convehunt.

§ 8. Item excommunicamus et anathematizamus omnes impedientes seu invadentes eos, qui victualia seu alia ad usum Romanae Curiae necessaria adducunt, ac etiam eos, qui, ne ad Romanam Curiam adducantur vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant, seu haec facientes defendunt, per se, vel alios, cuiuscumque fuerint ordinis praeeminentiae, conditionis et status, etiamsi pontificali, seu regali, aut aliâ quavis ecclesiasticâ vel mundanâ praefulgeant dignitate.

Qui ad Sedem Apostolicam venientes vel ab ea recedentes sua aut aliorum opera laedunt et sine iurisdictione vexant in curia commorantes.

§ 9. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, et recedentes ab eâdem, suâ vel aliorum operâ, interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent; nec non illos omnes, qui, iurisdictionem ordinariam vel delegatam a nobis vel nostris iudicibus non habentes, illam sibi temere vendicantes, similia contra morantes in eâdem Curiâ audent perpetrare.

Romipetas ac peregrinos et in Urbe morantes, vel abeuntes laedunt.

§ 10. Item excommunicamus et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu depraedantes Romipetas, seu peregrinos ad Urbem causâ devotionis seu peregrinationis accedentes, et in eâ morantes, vel ab ipsâ recedentes, et in his dantes auxilium, consilium vel favorem.

Offendentes S. R. E. cardinales et alios praelatos.

§ 11. Item excommunicamus et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. cardinales, ac patriarchas, archiepiscopos, episcopos, Sedisque Apostolicos legatos, vel nuncios, aut eos a suis dioecesibus, territoriis, terris, seu dominii eiicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes,

seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

Ad Romanam curiam pro negotiis suis recurrentes per se vel per alios laedunt.

§ 12. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui, per se vel per alios, personas ecclesiasticas quascumque vel saeculares ad Romanam Curiam super eorum causis et negociis recurrentes, ac illa in eâdem Curiâ prosequentes aut procurantes, negociorumque gestores, advocatos, procuratores, et agentes, seu etiam auditores, vel iudices super dictis causis vel negociis deputatos, occasione causarum nel negociorum huiusmodi, occidunt, seu quoquomodo percutiunt, bonis spoliant, seu qui, per se vel per alios, directe vel indirecte, delicta huiusmodi committere, exequi vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium vel favorem praestare non verentur, cuiuscumque praeeminentiae et dignitatis fuerint.

Appellantes a gravamine vel futura executione litterarum apostolicam ad laicam potestatem.

§ 13. Item excommunicamus et anathematizamus omnes, tam ecclesiasticos quam saeculares cuiuscumque dignitatis, qui praetexentes frivolam quamdam appellationem a gravamine, vel futurâ exequutione litterarum apostolicarum, etiam in formâ Brevis, tam gratiam quam iustitiam concernentium, nec non citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum exequutorialium et aliorum decretorum, a nobis et Sede praedictâ, seu legatis, nunciis praesidentibus, Palatii nostri et Camerae Apostolicae auditoribus, commissariis, aliisque iudicibus, et delegatis apostolicis emanatorum, et quae pro tempore emanaverint, aut aliàs, ad curias saeculares et laicam potestatem recurrunt, et ab eâ, instante etiam fisci procuratore vel advocato, appellationes huiusmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, et alia praedicta capi et retineri faciunt; quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito et consensu vel examine, exequutioni demandari, aut ne tabelliones et notarii super huiusmodi litterarum et processuum exequutione instrumenta vel acta conficere, aut confecta, parti, cuius interest, tradere debeant, impediunt vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, notarios, exequutores, et subsequutores litterarum citationum, monitoriorum, et aliorum praedictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex civitatibus, locis et regnis eiiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt et comminantur, per se, vel alium, seu alios, publice vel occulte, quive aliàs quibuscumque personis, in genere vel in specie, ne pro quibusvis eorum negociis prosequendis seu gratiis vel litteris impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas vel litteras a dictâ Sede impetrent, seu impetratis utantur, directe vel indirecte, prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut notarios, seu tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere praesumunt.

Executionem litterarum apostolicarum aut aliarum expeditionum impedientes et prohibentes eos qui ad gratias impetrandas accedunt.

§ 14. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et singulos, qui, per se, vel alios, auctoritate propriâ, ac de facto, quarumcumque exemptionum vel aliarum gratiarum et litterarum apostolicarum praetextu, beneficiales et decimarum ac alias causas spirituales et spiritualibus annexas ab auditoribus et commissariis nostris, aliisque iudicibus ecclesiasticis, avocant, illarumve cursum et audientiam, ac personas, conventus, collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tamquam iudices interponunt. Quive partes actrices, quae illas committi fecerunt et faciunt, ad revocandum et revocari faciendum citationes vel inhibitiones aut alias litteras in eis decretas, et ad fa-

ciendum vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, a censuris et poenis in illis contentis absolvi, per statutum vel aliàs compellunt; vel exequutionem litterarum apostolicarum, seu exequutorialium processuum ac decretorum praedictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad id favorem, consilium, aut assensum praestant, etiam praetextu violentiae prohibendae, vel aliarum praetensionum, seu etiam donec ipsi ad nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint (nisi supplicationes huiusmodi coram nobis et Sede Apostolicâ legitime prosequantur), etiamsi talia committentes fuerint praesidentes cancellariarum, consiliorum, parlamentorum, cancellarii, vicecancellarii, consiliarii ordinarii vel extraordinarii quorumcumque principum saecularium, etiamsi imperiali, regali, ducali, vel aliâ quacumque praefulgeant dignitate, aut archiepiscopi, abbates, commendatarii, seu vicarii fuerint.

Iudices saeculares, qui ecclesiasticas personas trahunt ad sua tribunalia, quique ecclesiasticam libertatem in aliquo perturbant.

§ 15. Quive ex eorum praetenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque, personas ecclesiasticas, capitula, conventus, collegia ecclesiarum quarumcumque, coram se ad suum tribunal, audientiam, cancellariam, consilium, vel parlamentum, praeter iuris canonici dispositionem, trahunt vel trahi faciunt vel procurant, directe vel indirecte, quovis quaesito colore; nec non qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quaevis alia decreta, in genere vel in specie, ex quavis causâ, et quovis quaesito colore, ac etiam praetextu cuiusvis consuetudinis aut privilegii, vel aliàs quomodolibet, fecerint, ordinaverint et publicaverint, vel factis et ordinatis usi fuerint, unde libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo laeditur vel deprimitur, aut aliàs quovis modo restringitur, seu nostris et dictae Sedis ac quarumcumque ecclesiarum iuribus quomodolibet, directe vel indirecte, tacite vel expresse, praeiudicatur.

Impedientes praelatos ne sua iurisdictione utantur, quique illorum et delegatorum iudicia eludentes ad curias saeculares recurrunt, aut contra illos aliquid decernunt, et praestant auxilium.

§ 16. Necnon qui archiepiscopos, episcopos, aliosque superiores, et inferiores praelatos, et omnes alios quoscumque iudices ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causâ directe vel indirecte (carcerando vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, necnon consanguineos et affines), aut aliàs impediunt, quominus suâ iurisdictione ecclesiasticâ contra quoscumque utantur, secundum quod canones, et sacrae constitutiones ecclesiasticae, et decreta conciliorum generalium, et praesertim Tridentini, statuunt, ac etiam eos, qui, post ipsorum ordinariorum vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias et, decreta aut aliàs fori ecclesiastici iudicium eludentes, ad cancellarias et alias curias saeculares recurrunt, et ab illis prohibitiones et mandata etiam poenalia ordinariis aut delegatis praedictis decerni et contra illos exequi procurant; eos quoque qui haec decernunt et exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium et favorem in eisdem.

Usurpantes Sedis Apostolicae et quarumcumque Ecclesiarum iurisdictiones, vel etiam fructus sequestrantes.

§ 17. Quive iurisdictiones, seu fructus, redditus et proventus, ad nos et Sedem Apostolicam et quascumque ecclesiasticas personas ratione ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes, usurpant, vel etiam quavis occasione vel causâ, sine Romani Pontificis vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressâ licentiâ, sequestrant.

Imponentes decimas et alia onera ecclesiasticis personis, ecclesiis, monasteriis aut eorum fructibus.

§ 18. Quive collectas, decimas, taleas, praestantias, et alia onera clericis, praelatis et aliis personis ecclesiasticis, ac eorum et ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus et proventibus huiusmodi, absque simili

Romani Pontificis speciali et expressâ licentiâ, imponunt, et diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita etiam a sponte dantibus et concedentibus recipiunt. Nec non qui, per se, vel alios, directe vel indirecte, praedicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium vel favorem praestare non verentur, cuiuscumque sint praeeminentiae, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi imperiali aut regali praefulgeant dignitate, seu principes, duces, comites, barones, et alii potentatus quicumque, etiam regnis, provinciis, civitatibus et terris quoquo modo praesidentes, consiliarii et senatores, aut quavis etiam pontificali dignitate insigniti. Innovantes decreta super his per sacros canones, tam in Lateranensi novissime celebrato, quam aliis conciliis generalibus, edita, etiam cum censuris et poenis in eis contentis.

Iudices saeculares, qui se interponunt in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas ecclesiasticas.

§ 19. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et quoscumque magistratus et iudices, notarios, scribas, exequutores, subexequutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus seu criminalibus contra personas ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specificâ et expressâ huius sanctae Sedis Apostolicae licentiâ, quique eiusmodi licentiam ad personas et casus non expressos extendunt, vel aliàs illâ perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint consiliarii, senatores, praesidentes, cancellarii, vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

Occupantes bona, aut terras Ecclesiae Romanae et iurisdictionem illius usurpantes.

§ 20. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui, per se, seu alios, directe vel indirecte, sub quocumque titulo vel colore, invadere, destruere, occupare et detinere praesumpserint, in totum vel in partem, almam Urbem, regnum Siciliae, insulas Sardiniae et Corsicae, terras citra Pharum, patrimonium beati Petri in Thusciâ, ducatum Spoletanum, comitatum Venayssinum, Sabinensem, Marchiae Anconitanae, Massae Trebariae, Romandiolae, Campaniae et maritimas provincias, illarumque terras et loca, ac terras specialis commissionis Arnulforum, civitatesque nostras Bononiam, Caesenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avinionem, Civitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, et alias civitates, terras et loca vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictaeque Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiecta, necnon supremam iurisdictionem in illis, nobis et eidem Romanae Ecclesiae competentem, de facto usurpare, perturbare, retinere et vexare variis modis praesumunt, necnon adhaerentes, fautores et defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet praestantes.

Haec bulla quousque liget.

§ 21. Volumus praesentes nostros processus, ac omnia et quaecumque his litteris contenta, quousque alii huiusmodi processus a nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.

Absolutio Papae reservatur.

§ 22. Caeterum a praedictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiae mandatis et satisfaciendo cautione praestitâ, absolvi possit, etiam praetextu quarumvis facultatum et indultorum quibuscumque personis ecclesiasticis saecularibus, et quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum regularibus, etiam episcopali, vel aliâ maiori dignitate praeditis, ipsisque Ordinibus et eorum monasteriis, conventibus et domibus, ac capitulis, collegiis, confraternitatibus, congregationibus, hospitalibus et

locis piis, necnon laicis, etiam imperiali, regali et aliâ mundanâ excellentiâ fulgentibus, per nos et dictam Sedem, ac cuiusvis concilii decreta, verbo, litteris, aut aliâ quacumque scripturâ, in genere et in specie, concessorum et innovatorum ac concedendorum et innovandorum.

Excommunicatos absolvere praesumentes puniuntur.

§ 23. Quod si forte aliqui contra tenorem praesentium talibus excommunicatione et anathemate laqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficium impendere de facto praesumpserint, eos excommunicationis sententiâ innodamus, gravius contra eos, spiritualiter et temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

Papae absolutio non comprehendit eos qui a praemissis non destiterint, etc.

§ 24. Declarantes ac protestantes quamcumque absolutionem, etiam solemniter per nos faciendam, praedictos excommunicatos sub praesentibus comprehensos (nisi prius a praemissis, cum vero proposito ulterius similia non committendi, destiterint, ac, quoad eos, qui contra ecclesiasticam libertatem, ut praemittitur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones pragmaticas, et decreta huiusmodi publice revocaverint, et ex archiviis, seu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri et cassari, ac nos de revocatione huiusmodi certiores fecerint) eos[1] non comprehendere, nec eis aliter suffragari; quin etiam per huiusmodi absolutionem, aut quoscumque alios actus contrarios, tacitos vel expressos, ac etiam per patientiam et tolerantiam nostram, vel successorum nostrorum, quantocumque tempore continuatam, in praemissis omnibus et singulis ac quibuscumque iuribus Sedis Apostolicae ac S. R. E., undecumque et quandocumque quaesitis vel quaerendis, nullatenus praeiudicari posse aut debere.

Derogatio omnium contrariorum.

§ 25. Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, supradictis vel eorum alicui seu aliquibus aliis (cuiuscumque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis et praeeminentiae fuerint, etiamsi, ut praemittitur, pontificali, imperiali, regali, seu quavis ecclesiasticâ et mundanâ praefulgeant dignitate), vel eorum regnis, provinciis, civitatibus, seu locis, a praedictâ Sede, ex quavis causâ, etiam per viam contractus aut remunerationis, et sub quavis aliâ formâ et tenore, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, concessis (etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus et dignitatibus eorum mentionem), necnon consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac praescriptionibus quantumcumque longissimis, et aliis quibuslibet observantiis, scriptis vel non scriptis, per quae contra hos nostros processus ac sententias, quominus includantur in eis, se iuvare valeant vel tueri. Quae omnia quoad hoc (eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, praesentibus pro expressis habentes) penitus tollimus et omnino revocamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Publicationis in Urbe effectus.

§ 26. Ut vero praesentes nostri processus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, cartas, seu membranas, processus ipsos continentes, valvis ecclesiae sancti Ioannis Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos processus huiusmodi concernunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut quod ipsos ignoraraverint, nullam possint excusationem praetendere, aut ignorantiam allegare,

1 Vos *eos* redundat (R. T.).

cum non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Iussio alibi quoque eam publicandi.

§ 27. Insuper, ut processus ipsi et praesentes litterae ac omnia et singula in eis contenta eo fiant notiora, quo in plerisque civitatibus et locis fuerint publicata, universis et singulis patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et locorum Ordinariis et praelatis ubilibet constitutis, per haec scripta committimus et in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ut per se, vel per alium, seu alios, praesentes litteras, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut, si expedire viderint, etiam pluries in ecclesiis suis, dum in eis maior populi multitudo ad divina convenerit, solemniter publicent et ad christifidelium mentes reducant, nuncient et declarent.

Quicumque audiunt confessiones apud se has litteras habeant.

§ 28. Caeterum patriarchae, archiepiscopi, episcopi, aliique locorum Ordinarii, et ecclesiarum praelati, nec non rectores, caeterique curam animarum exercentes, ac praesbyteri saeculares et quorumvis Ordinum regulares, ad audiendas peccatorum confessiones quavis auctoritate deputati, transumptum praesentium litterarum penes se habeant, easque diligenter legere et percipere studeant.

Fides danda transumptis.

§ 29. Volentes earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, notarii publici manu subscriptis et sigillo iudicis ordinarii Romanae Curiae vel alterius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eamdem prorsus fidem in iudicio et extra illud ubique locorum adhibendam fore, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 30. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MDCX, sexto idus aprilis, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 8 aprilis 1610, pontif. an. V.

CLIV.

Quod superiores Congregationis Clericorum Regularium sancti Pauli Decollati ubique nova monasteria de solâ Ordinariorum licentiâ fundare valeant[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Ecclesiae militantis regimini licet immeriti divinâ disponente clementiâ praesidentes, utilissimam perfectorum militum Christi multitudinem existimamus. Exordium.

§ 1. Cum, sicut non sine spirituali gaudio nostro accepimus, dilecti filii Clerici Regulares Congregationis sancti Pauli Decollati in diversis mundi partibus pergant assidue Deo et Ecclesiae suae sanctae exhibere famulatum, non solum ipsi Deo per orationem et contemplationem sedulo vacantes, verum etiam animarum salutem exemplo, doctrinâ et sacramentorum administratione sollicite procurantes; Congregatio Clericorum Regularium sancti Pauli Decollati commendatur.

§ 2. Cumque in dies uberiores fructus ex dictorum Clericorum Religionis pro- Conceditur facultas eius superioribus, ubique

1 Contrarium generaliter statuerat Clem. VIII in Constit. CCCVIII *Quoniam ad institutam* (in h. n. edit. CCCXX, pag. 21 huius voluminis). Congregationem istam primo approbavit Clemens VII in suâ Constit. XLV *Vota* tom. VI pag. 160.

nova loca et monasteria construendi de sola Ordinariorum licentia.

pagatione benedicente Domino sperandi sint; nos ad ea, quae eorumdem Clericorum Religionis augmento cedere possunt, concedenda, adque ea, quae illis in hoc impedimentum aliquod afferre dignoscuntur, removenda, merito propensiores sumus. Motu itaque proprio et ex certâ scientiâ et merâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, Clericorum Regularium praedictorum superioribus, ut ubique locorum, quilibet in districtu suo, domos et monasteria eorum instituti regularis, servatis sacrorum canonum et Concilii Tridentini decretis, de solâ Ordinariorum licentiâ, nullo aliarum personarum cuiusvis ordinis, etiam regularium, requisito consensu, condere et fundare valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri, quae incipit *Quoniam ad institutam*, sub datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris die XXIII iulii MDCIII, pontificatus sui anno XII, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et cuiusvis alterius Ordinis (etiam iuramento, etc., roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis aliis Ordinibus ac eorum superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis [1]. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium trunsumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris die VIII maii MDCX, pontificatus nostri anno V[1].

Dat. die 8 maii 1610, pontif. an. V.

1 Edit. Main. habet *confirmamus et innovamus* (R. T.).

1 Erronee edit. Main. habet *anno* VI (R. T.).

CLV.

De Magistris linguarum hebraicae, graecae, latinae et arabicae, a Regularibus in suis studiis habendis [2].

Paulus Episcopus
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Apostolicae servitutis onere infirmitati nostrae a Domino, inscrutabili consilio eius, imposito assidue admonemur, sapientibus et insipientibus constitutos nos esse debitores, ut scilicet per ministerium nostri apostolatus, qui sapiunt, quod sanctus docet Bernardus, non desipiant; qui non sapiunt, sapiant; et qui desipuerunt, resipiscant: quibus verbis instrui nos satis perspicimus, ut fideles in fide et charitate conservare, infideles ab infidelitatis tenebris educere; et haereticos ac peccatores a perversitate erroris ac servitute peccati liberare adspirante gratiâ Dei, a quo omnem sapientiam [3], pastorali sollicitudine procuremus.

Causa institutionis.

§ 1. Cum vero praeceptum Domini lucidum illuminet oculos, ac testimonium eius fidele sapientiam praestet parvulis, omni vigilantiâ procurare debemus, ut

2 Huiusmodi magistros in studiis generalibus haberi iussit Clemens V in Clementin. 1 *de Magistr.* Vide etiam Constit. XVI Bonifacii VIII tom V pag. 157.

3 Videretur legendum *omnis sapientia* (R. T.).

praedicatores et doctores verbi Dei ad opus Dei operandum instructi reddantur in dies magis, et partes suas, quantum cum Domino fieri potest, ad gloriam eius et utilitatem animarum quotidie melius et felicius adimpleant. Cui rei plurimum conducere satis constat linguarum cognitionem, hebraicae praesertim, graecae, latinae et arabicae: haec enim conversioni infidelium opportunissima esse dignoscitur, quando magna eorum pars aut arabice loquitur, aut intelligit: ac si unquam reliquarum trium linguarum notitia in Ecclesià Dei utilis fuit, diebus nostris profecto utilissima est: hostis enim humani generis linguarum scientià, singulari dono Dei hominibus tradità, ad ipsius largitoris contumeliam et fidei suae catholicae detrimentum tunc[1] maxime abutitur.

Institutio linguarum hebraicae, graecae, latinae et arabicae in studiis regularium.

§ 2. Quamobrem felicis recordationis Clementis Papae V praedecessoris nostri, quantum conditio temporis patitur, vestigiis insistentes, motu proprio et ex certà scientià, maturàque deliberatione nostris, deque apostolicae nobis attributae potestatis plenitudine, hac nostrà perpetuo valiturà constitutione sancimus, statuimus et ordinamus, ut in cuiuscumque Ordinis et instituti regularium, tam Mendicantium quam non Mendicantium, etiam quomodolibet exemptorum et Apostolicae Sedi immediate subiectorum, studiis omnibus trium linguarum huiusmodi, hebraicae videlicet, graecae et latinae, in maioribus vero, ac celebrioribus, etiam arabicae doctores, regulares quidem et eiusdem Ordinis, si in illo harum linguarum sufficientem notitiam habentes sint, sin minus, saeculares, aut alterius Ordinis regulares, qui illas actu et diligenter doceant, habeantur, si studia in urbibus et locis existunt, ubi linguarum praedictarum peritos conducendi facultas est: studiis vero locorum, ubi huiusmodi doctores desunt, cum primum in aliis studiis, ubi linguae huiusmodi docebuntur, scholares tantum profecerint, ut docendis aliis idonei sint, de iisdem scholaribus provideatur.

Exequutorum deputatio.

§ 3. Quod ut citius et facilius fieri possit et sperati fructus ex linguarum huiusmodi studio appareant, omnibus et singulis regularium superioribus, sub indignationis nostrae poenà, eàdem auctoritate, tenore praesentium, praecipimus et mandamus, et, si ipsi negligentes fuerint, eorumdem Ordinum regularium apud nos et Sedem Apostolicam protectoribus iniungimus, eorum conscientias desuper onerantes, ut omni curà et sollicitudine quanto citius provideant, ut scholae linguarum huiusmodi quamprimum instituantur, ac doctores praedicti deputentur, earumdemque linguarum lectionibus scholares assignentur, qui illis sedulam et assiduam operam navent.

Privilegium scholarium studio dictarum linguarum incumbentium.

§ 4. Hi vero scholares ut alacrius huic studio incumbant, volumus et decernimus ut, in promotione ad doctoratus gradus et ad alios sui Ordinis honores, illi caeteris paribus praeferantur, qui in cognitione trium saltem linguarum praedictarum profecerint, ita ut ad illas docendas apti sint.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis universitatibus, illarumque rectoribus, ac Ordinibus praedictis, et illorum superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus

1 Videretur potius legendum *nunc* (R. T.).

omnibus et singulis, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum sanctionis, statuti, ordinationis, praecepti, mandati, iniunctionis, onerationis, voluntatis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicae MDCX, pridie kalendas augusti, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 31 iulii 1610, pontif an. VI.

CLVI.

Confirmantur declarationes statutorum universitatis mercatorum civitatis Anconae per thesaurarium generalem reverendae Camerae Apostolicae factae[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exortis controversiis super observantiâ privilegiorum Anconitanis mercatoribus concessorum.

§ 1. Cum, sicut nobis nuper expositum fuit nomine dilectorum filiorum communitatis civitatis nostrae Anconae, et consulum, et universitatis mercatorum eiusdem civitatis, inter ipsos nonnullae controversiae et differentiae super statutis, quibus dicta universitas mercatorum et illorum commercium regitur et gubernatur, nec non super facultatibus, iuribus et privilegiis eisdem mercatoribus per felicis recordationis Clementem Papam VIII, seu alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, concessis[1] et per nos etiam confirmatis et approbatis, et super illorum interpretatione et observantiâ, ortae fuerint et oriantur in dies, dictaque communitas pluries ad nos recursum habuerit:

Pontifex thesaurario generali eas decidendas commiserat.

§ 2. Nos, tam dictae communitatis quam praedictae universitatis mercatorum quieti consulere, ac omnes differentias et controversias tollere cupientes, negotium huiusmodi dilecto filio magistro Iacobo Serra, nostro et Camerae Apostolicae thesaurario, generali examinandum, terminandum et componendum commissimus et mandavimus.

Qui confirmatis praedictis privilegiis nonnullas addidit declarationes.

§ 3. Qui (cum interventu nuntii, agentis, et procuratoris dictae civitatis, necnon procuratoris dictorum consulum, et universitatis mercatorum, adhibitis etiam duobus mercatoribus Urbis in huiusmodi negotiis apprime versatis, de communi earumdem partium consensu omnibus statutis, privilegiis, iuribus et exemptionibus, nec non omnibus differentiis et praetensionibus hinc inde vertentibus plene et mature discussis) omnia dicta capitula et statuta dictae universitatis mercatorum, quibus eorum commercium regitur et gubernatur, nec non omnia iura, exemptiones et privilegia eidem universitati concessa, in suo robore et observantiâ iuxta formam litterarum apostolicarum desuper expeditarum inviolata persistere, ac ab omnibus observari debere definivit, composuit et terminavit; declarando tamen et reformando dicta statuta in capitulis infrascriptis, et modo infrascripto, videlicet:

Sequuntur declarationes.

§ 4. Quia in dictis statutis sub rubricâ *De terminatione causarum*, capite XXIV, disponitur, quod causae primae instantiae

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 De hac re vide Const. LXXXII Clem. VIII in tom. X, pag. 104 et const. eiusdem CXX, ibid. pag. 235 (R. T.).

incipi debeant infra duos menses currentes a die primae requisitionis, et pro primâ requisitione dicti consules interpretabantur primam instantiam ad sententiam; ideo declaravit et definivit, quod terminus duorum mensium currat a die primae petitionis iudicialiter factae. Quod si pro alicuius causae expeditione necesse esset aliquas probationes facere in partibus longinquis, tunc et eo casu consules, habito respectu ad loci distantiam et probationum qualitatem, debeant assignare parti unicam tantum dilationem competentem ad probandum quicquid vult et potest: quae dilatio sic assignanda non computetur in termino duorum mensium: in reliquis firma remaneant omnia in dicto capitulo disposita et contenta. Consules vero non incurrant poenam scutorum octuaginta, nisi partes in dictis duobus mensibus institerint pro expeditione. Et quoad capitulum XXI de extractione iudicum appellationum, quia contingere potest, quod per[1] consules, postquam sententiam tulerint definitivam seu interloquutoriam a qua detur appellatio, recusent facere extractionem iudicum, imponitur poena eisdem consulibus scutorum octuaginta auri, nisi statim interpositâ appellatione ad partium seu alterius earum instantiam non[2] fecerint extractionem iudicum. Et licet in dicto capitulo disponatur, quod iudices extrahendi sint numero septem, nihilominus iustis de causis redactus fuit numerus ad quinque tantum, firmis remanentibus aliis in dicto capitulo dispositis, ut supra. Et in capitulo IV in quo disponitur, quod ex tribus consulibus unus sit Florentinus, alius ultramarinus, et tertius cuiusvis alterius nationis, idem magister Iacobus thesaurarius, quod in numero et appellatione Florentinorum intelligantur et comprehendantur non solum naturales Florentini ex ipsâ civitate Florentiae oriundi, sed etiam omnes alii de Statu ac subditi et vassalli dilecti filii nobilis viri Cosmi Hetruriae sibi subiectae magni ducis, dummodo habeant alias qualitates et conditiones a capitulis requisitas, et aliàs, prout in dictâ declaratione et reformatione per dictum magistrum Iacobum thesaurarium in actis dilecti filii Ioannis Iacobi Bulgarini dictae Camerae notarii exhibitâ plenius dicitur contineri.

1 Haec praepositio *per* delenda videtur (R. T.).

2 Repetitio negativae superflua (R. T.).

Pontifex eas confirmat, servarique mandat.

§ 5. Nos, quo declaratio aut reformatio huiusmodi firmius subsistant et ab omnibus inviolabiliter observentur, in praemissis providere volentes, illarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, supplicationibus nomine dictae communitatis et consulum ac universitatis nobis humiliter porrectis inclinati, declarationem et reformationem praedictas, iuxta limitationes per dictum magistrum Iacobum thesaurarium, ut praefertur, factas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, dictaque capitula et statuta cum declaratione et reformatione praemissis, nec non privilegia, exemptiones, facultates et iura, ad maiorem cautelam perpetuo approbamus, confirmamus et innovamus, ac ab omnibus observari volumus et mandamus.

Clausulae.

§ 6. Sicque, et non aliàs, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate), iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus omnibus, quae

in dictis litteris apostolicis praedictus Clemens et alii praedecessores praedicti ac nos in nostris litteris voluimus non obstare. Quibus omnibus et singulis, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die III augustii MDCX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 3 augusti 1610, pontif. an. VI.

CLVII.

Confirmatio nonnullorum statutorum circa dotes pro universitate Hebraeorum de Urbe[1].

Paulus Papa V

Universitati Hebraeorum in almâ Urbe nostra commorantium, viam veritatis agnoscere et agnitam custodire.

Vicarius Papae nonnulla statuta approbat super dotibus mulierum hebraearum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecistis, quod vos (cupientes circa dotes mulierum in melius reformare) nonnulla capitula, ordinationes et reformationes super iis condidistis, quae a dilecto filio in Urbe nostrâ vicario in spiritualibus generali eiusque vicegerente approbata fuerunt.

Eaque confirmari petitur a Pontifice.

§ 2. Ut autem firmius subsistant et ab omnibus inviolabiliter observentur, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desideratis. Ideo nobis humiliter supplicari fecistis, ut vobis in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Paulus.

§ 3. Nos igitur, vos specialis gratiae favore prosequi volentes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, capitula, ordinationes et reformationes circa dotes, ut praefertur, factas[1], nec non omnia et singula in illis contenta, licita tamen et honesta, ac iuri et bonis moribus et ecclesiasticae libertati non repugnantia, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, ac illis inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, illaque, nec non omnia et singula in illis, ut praefertur, contenta, ab omnibus, quos concernunt et concernere possunt quomodolibet in futurum, sub poenis in eisdem capitulis expressis, observari debere volumus et mandamus.

Clausulae.

§ 4. Irritumque et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die VII augusti MDCX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 7 augusti 1610, pontif. an. VI.

CLVIII.

Quod fratres Tertii Ordinis sancti Francisci de poenitentiâ nuncupati familiae ultramontanae habitum humilis panni distinctique coloris a fratrum sancti Francisci de Paulâ habitu gestare teneantur[2].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Aptius legeretur *facta* (R. T.).

2 De hoc Tertio et aliis sancti Francisci Assisiensis Ordinibus, vide Honorii III Constit. LXVII, *Solet*, tom. III pag. 394. Ordinem autem sancti Francisci de Paula primo approbavit Sixtus IV in suâ Constit. VII, *Sedes*, tom. V pag. 212.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter graves pastoralis officii nostri curas, quibus assidue premimur, haec potissimum nos urget, ut christifideles, praesertim regularem vitam profitentes, semotis litium anfractibus, unanimi voce sub concordiae legibus Altissimo vota exsolvant, et, si quae inter eos ortae sint lites et discordiae, illae, prout ius et aequitas postulant, liminentur[1], et, ne in futurum resurgant, opportunis remediis provideatur.

Orta fuit differentia inter fratres Tertii Ordinis sancti Francisci et fratres sancti Francisci de Paula, super distinctione habitus, quam hic Pontifex duobus cardinalibus definiendam delegavit.

§ 1. Aliàs siquidem (per nos accepto, quod lis et causa inter dilectos filios fratres Tertii Ordinis sancti Francisci de Poenitentiâ nuncupati ultramontanae familiae ex unâ, et fratres Ordinis sancti Francisci de Paula partibus ex alterâ[2], super colore habitus gestandi a dictis fratribus Tertii Ordinis, ut a praedictis fratribus sancti Francisci de Paula aperte distingui possent, pendebat) nos litem et causam seu causas huiusmodi venerabili fratri nostro Mariano episcopo Tusculano de Camerino et dilecto filio nostro Hieronymo tituli sancti Blasii de Annulo S. R. E. presbyteris cardinalibus Pamphilio nuncupatis, Minimorum sancti Francisci de Paula[3] (et fratrum Minorum de Observantiâ Ordinum huiusmodi apud nos et Apostolicam Sedem respective protectori et vice protectori) audiendas, cognoscendas, decidendas, fineque debito terminandas, omni et quacumque appellatione remotâ, commisimus.

Qui deinde pronunciarunt fratres dicti Tertii Ordinis habitum gestare debere ex humili panno confectum ex quatuor partibus lanae nigrae et alterâ lanae albae.

§ 2. Qui quidem Marianus et Hieronymus cardinales, in exequutionem commissionis huiusmodi saepe saepius praedictis partibus in voce et in scriptis auditis, multotiesque et mature ab eis considerato huiusmodi negotio, pro maiori dictorum fratrum inter se quiete et tranquillitate iudicarunt, decreverunt et statuerunt, ut iuxta ipsorum regulam, indultaque summorum Pontificum, praesertim felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri, habitus praedictorum fratrum Tertii Ordinis de Poenitentiâ nuncupati sit ex humili panno confectus hoc modo, videlicet, ut ex quatuor partibus lanae naturaliter nigrae, et sine aliquâ tincturâ contextae[1], et unâ parte lanae etiam naturaliter candidae, ita quod singulis quatuor libris lanae naturaliter nigrae, addatur una libra lanae albae, et aliàs, prout in eorumdem Mariani et Hieronymi cardinalium decreto desuper facto plenius dicitur contineri.

Uterque Ordo supplicavit Papae pro dicti decreti approbatione.

§ 3. Cum autem utriusque Ordinis praedicti fratres nobis nuper exponi fecerint[2], ipsi plurimum cupiant decretum huiusmodi pro illius firmiori subsistentiâ et inviolabili observatione a nobis confirmari et approbari, et[3] ideo nobis humiliter supplicari fecerint, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Papa illud approbat et perpetuo observari praecipit.

§ 4. Nos igitur, illorum votis, quo quietius et securius in humilitatis spiritu Altissimo famulari valeant, annuere, eosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, etc., censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praedictum, et omnia et singula in illo contenta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque omnibus et singulis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos, tam iuris quam facti et quoscumque alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, aut

1 Vel lege *eliminentur*, vel *terminentur* (R. T.).
2 Hyperbaton non corrigimus (R. T.).
3 Aliud hyperbaton iam notum (R. T.).

1 Ed. Main. leg. *contexta* et antea *nigra* (R. T.).
2 Supple *quod* (R. T.).
3 Particulam *et* nos addimus (R. T.).

intervenisse dici vel censeri possint, supplemus, eaque omnia et singula valida et efficacia fore et esse, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, ac ab omnibus et singulis utriusque Ordinis praedicti fratribus, nunc et pro tempore existentibus, inviolabiliter observari debere decernimus.

Fratribus dicti Tertii Ordinis ut dicto habitu utantur iubet.

§ 5. Mandantes nihilominus omnibus et singulis ipsius Ordinis de Poenitentiâ fratribus, ministris, et praelatis ultramontanae familiae, praesertim Hispanorum et Gallorum, tam praesentibus quam futuris, in virtute sanctae obedientiae, et sub privationis officiorum, inhabilitatisque ad illa et alia imposterum obtinenda, necnon [1] latae sententiae incurrendis poenis, ut posthac elapsis sex mensibus dicti fratres omnes Tertii Ordinis habitu illo, praedicto modo contexto, induantur et in futurum utantur.

Exequutores deputantur.

§ 6. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis nostris et Apostolicae Sedis nunciis, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus opus fuerit, et quoties pro parte utriusque seu alterius Ordinis fratrum huiusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes illos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari: contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

1 Heic aliquid deesse videtur; forsan *excommunicationis* (R. T.).

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinum praedictorum, etiam iuramento, etc., roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis illorumque superioribus et fratribus et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XIV augusti MDCX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 14 augusti 1610, pontif. an. VI.

CLIX.

Quod clerus et personae ecclesiasticae etiam exemptae, et milites sancti Stephani ratione bonorum per eos in territorio, districtu, et comitatu civitatis Pisanae possessorum, subsidium pro expensis aggerum, fossatorum ad decennium persolvere debeant [1].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam

Nuncius apostolicus ex commissione Papae ab ecclesiasticis pro aggerum reparatione subsi

§ 1. Nomine dilecti filii nobilis viri Cosmi Medices Hetruriae sibi subiectae magni ducis nobis nuper expositum fuit, quod, cum aliàs venerabilis frater Asca-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

dia ad decennium solvenda esse declarat.

nius episcopus Anglonensis, tunc apud bonae memoriae Ferdinandum ipsius Cosmi magni ducis genitorem, etiam Hetruriae sibi subiectae magnum ducem, Sedis Apostolicae nuncius, cognovisset, facultatem laicorum expensis necessariis seu utilibus aggerum, fossatorum, viarum, aquaeductuum, et aquarum diversionem[1], per officiales seu deputatos ad officium fossatorum civitatis Pisanae in districtu, territorio, ac comitatu dictae civitatis faciendis, non sufficere, clerum tam saecularem quam regularem, personasque ecclesiasticas exemptas, et milites Militiae sancti Stephani, ratione bonorum per eos in territorio, districtu et comitatu praedictis possessorum, subsidium dictis expensis ad decennium tunc proximum conferre posse et debere, auctoritate apostolicâ sibi ad id specialiter delegatâ, concessit et declaravit.

Non teneri vero pro expensis cancellariae.

§ 2. Voluit tamen et decrevit, clerum, ecclesiasticas personas, et milites praedictos ad aliquas expensas ministrorum dicti officii, eorumve cancellariae, ordinarias vel extraordinarias, nullo modo teneri, et aliàs, prout latius in dicto decreto dicitur contineri.

Idem declaratur a Pontifice.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictorum fossatorum officium propter expensas necessarias et utiles hactenus factas grave aes alienum ad summam sex millium scutorum ascendens contraxerit, novasque expensas in dies facere cogatur, et ex relatione venerabilis fratris Salustii archiepiscopi Pisarum cognoverimus, non solum easdem causas, ex quibus Ascanius episcopus et nuncius praeedictus ad concedendum et decernendum, ut praefertur, motus fuit, sed etiam maiores hoc tempore vigere; idcirco supplicationibus eiusdem Cosmi magni ducis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, quod clerus tam saecularis quam regularis, personaeque ecclesiasticae etiam exemptae, ac milites sancti Stephani, ratione bonorum per eos in territorio, comitatu et districtu dictae civitatis possessorum, subsidium ad decennium proximum a datâ praesentium computandum modo et formâ in decreto dicti Ascanii episcopi et nuncii praescriptis, et iuxta illius tenorem, conferre, ac officiales et deputati praedicti subsidium huiusmodi, dicto decennio durante, libere ac tutâ conscientiâ exigere possint, omnesque de clero tam saeculari quam regulari, personaeque ecclesiasticae et exemptae, ac milites sancti Stephani, ratione bonorum, ut praefertur, per eos et eorum quemlibet possessorum, ad solutionem subsidii cogi et compelli valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et decernimus. Volumus autem, quod, iuxta dicti decreti tenorem, clerus, ecclesiasticaeque personae, ac milites praedicti ad aliquas expensas ministris dicti officii, eorumve cancellariae, ordinarias vel extraordinarias nullo modo teneantur;

Exactio per archiepiscopi Vicarium et eius curiam facienda.

§ 4. Quodque exactio subsidii praedicti per vicarium pro tempore existentem archiepiscopi Pisani, illiusque curiam tantum, apostolicâ auctoritate fiat et dictis officialibus seu deputatis consignetur: qui quidem officiales, seu deputati, eorumque ministri libros rationum et computorum dicto vicario et archidiacono ecclesiae Pisanae, necnon priori domus Ordinis fratrum Minorum de Observantiâ Pisanae dioecesis praedictae, et pro tempore existentibus, seu saltem duobus ex illis, quorum alter semper sit dictus prior, exhibere teneantur, ex quibus subsidium, per dictos clerum et alios, ut supra, contribuendum, dignosci, comprehendique possit pro exactione contra eos, ut praefertur, faciendâ.

Obstantia tollit.

§ 5. Non obstantibus Lateranensis con-

1 Vel legend. *diversionum*, vel *ad* pro *et* (R.T.).

cilii novissime celebrati, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus et litteris apostolicis, quibusvis personis ecclesiasticis, tam saecularibus quam regularibus, dictaeque Militiae militibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam irritantibus, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris die XXI augusti MDCX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 21 augusti 1610, pontif. an VI.

CLX.

Commissio vicario generali Taurinensi ut cessionem ecclesiae sancti Dalmatii, a monachis sancti Antonii Viennensis factam pro ibi erigendo collegio Clericorum Regularium Congregationis sancti Pauli, approbet, dictumque collegium erigat [1].

Paulus episcopus
servus servorum Dei.

Dilecto filio vicario venerabilis fratris nostri archiepiscopi Taurinensis in spiritualibus generali, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Ex debito pastoralis officii, curae nostrae divinâ dispositione crediti, egregiam et fructuosam operam, quam Congregatio Clericorum Regularium sancti Pauli Decollati, Barnabitarum nuncupatorum, in irriguo militantis Ecclesiae agro iugiter colendo, et vepribus expurgando, ac salutaribus disciplinae sementis instaurando, inter caeteros illius cultores navare dignoscitur, sedulâ meditatione contemplantes, ea, quae pro Congregationis huiusmodi propagatione, illiusque professorum usibus et commoditatibus, ac pii instituti progressu, divinique cultus et devotionis christifidelium augmento concessa fuisse dicuntur, ut firma et illibata persistant, apostolico praesidio libenter communimus, ac etiam innovamus, et alias desuper eiusdem officii partes favorabiliter interponimus, prout, locorum, temporum, et personarum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Caroli Emanuelis Sabaudiae ducis, et Pedemontis principis, ac moderni abbatis, nec non conventus monasterii sancti Antonii de sancto Antonio Viennensi Ordinis sancti Augustini, necnon definitorum capituli generalis eiusdem Ordinis, ac praepositi generalis, ac religiosorum Congregationis Clericorum Regularium huiusmodi petitio continebat, quod, cum aliàs ipse Carolus Emanuel et princeps, considerans eamdem Congregationem ex verbi Dei assiduâ praedicatione, et frequenti sacramentorum ecclesiasticorum administratione, aliorumque piorum operum exercitio gratos Domino et utiles Reipublicae Christianae fructus in singulis civitatibus et locis, in quibus recipiuntur, ad Dei laudem et animarum salutem producere consuevisse, pro eximiâ quam erga ipsam Congregationem gerit propensione, illam in civitatem Taurinensem in quâ nondum recepta erat, introducere desideraret, et ad eum effectum dictae Congregationi nonnullos redditus annuos ex propriis facultatibus et bonis suis pro unius collegii eiusdem Congregationis in dictâ civitate funda- Carolus Emanuel Sabaudiae Dux collegium Taurini pro Congregatione clericorum regularium sancti Pauli erigi curat.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

tione, et sufficienti[1] numeri illius Religiosorum commodâ sustentatione, opportunâ liberalitate perpetuo donavisset et assignavisset, in ipsâque civitate nullum ad fundationem collegii huiusmodi opportuniorem et commodiorem locum, quam ecclesiam sancti Dalmatii, quae parochialis quidem, minime tamen collativa existit, et a praedicto monasterio dependere comperiisset, illamque proinde, unâ cum aedificiis et, contiguis[2] dictae Congregationi ad opus fundationis collegii huiusmodi concedi summopere exoptaret, et penes eosdem abbatem, et conventum, ac definitores pro concessione huiusmodi consequendâ, oblatis tamen infrascriptis quae ecclesiam et aedificia praedicta valore et commodo adaequent, pluries instetisset: postmodum abbas, et conventus, ac definitores praedicti, provide attendentes ex dictâ concessione, si oblatio huiusmodi subsequatur, nullum eidem Ordini detrimentum, praedictae vero civitati maximum spirituale commodum provenire posse, praemissis nonnullis tractatibus, tandem unanimi consensu, et nemine eorum discrepante, praedictam ecclesiam cum domo, curtilibus, seu areis, viridario, et apothecis parvis, aliisque aedificiis eidem ecclesiae contiguis, ac ad dictum Ordinem, ratione ecclesiae huiusmodi, spectantibus praedictae Congregationi, seu pro eâ ipsi Carolo Emanueli duci ad effectum fundationis collegii huiusmodi mediante personâ dilecti filii Petri Croiset subprioris dicti monasterii eorum procuratoris ad id specialiter deputati, sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, perpetuo concesserunt: idem vero Carolus Emanuel dux in remunerationem congruam et aequipollentem Ordini et Petro Croiset praedictis pro eo acceptanti et stipulanti quoddam palatium in civitate praedictâ et parochiâ sanctae Mariae de Platea iuxta suos notissimos fines situm, et ad ipsum Carolum Emanuelem ducem legittime spectans, cum iuribus, membris et pertinentiis suis universis, mediante quoque personâ dilecti filii Iacobi Gorie thesaurarii maioris ecclesiae Taurinensis, ac dilecti filii nostri Mauritii santae Romanae Ecclesiae diaconi cardinalis a Sabaudia nuncupati auditoris, et ipsius ad id specialiter deputati procuratoris, perpetuo donavit sub pactis et conditionibus infrascriptis, videlicet: quod in dictâ concessione furnus prope ecclesiam sancti Dalmatii huiusmodi situs, et aedificia ad eam[1] spectantia, ac etiam cella vinaria ab aedificiis eiusdem furni per ingressum magnae portae intermediatae[2], comprehendi non intelligantur; abbas vero, et conventus, ac definitores praedicti ostium, per quod de praesenti in dictam cellam vinariam itur, quamprimum obturare et perpetuo obturatum relinquere teneantur, et aliud ostium versus viam publicam unicum aperire possint; licitum tamen sit et integrum dicto Carolo Emanueli duci, et ius ab eo pro tempore habenti, furnum, eiusque aedificia, et cellam vinariam huiusmodi pro pretio mille et ducentorum ducatorum, ad rationem duodecim florenorum pro quolibet ducato huiusmodi monetae in dictâ civitate solutionis tempore currentis, redimere, et, sequutâ dictâ redemptione, ipsa Congregatio ab obligatione, quam in se suscepit, solvendi dicto Ordini duodecim ducatonos similes in festo sancti Michaëlis libera et exempta sit et esse censeatur. Caeterum abbas, et conventus, ac definitores praedicti in eodem palatio unam ecclesiam sub invocatione seu titulo sancti Antonii aedi-

Monachi sancti Antonii Viennensis ad hoc offerunt ecclesiam sancti Dalmatii.

1 Forsan legendum *sufficientis* (R. T.).
2 Particula *et* redundat (R. T.).

1 Videtur legendum *ad eum* (R. T.).
2 Fors. legend. *intermediae separata* (R. T).

ficari facere, eodemque palatio tam ad divinum cultum quam ad eorum habitationes uti possint; dictus autem Carolus Emanuel dux illis in subsidium fabricae novae ecclesiae huiusmodi quingentos ducatonos dictae monetae primo quoque tempore numerare teneatur. Praetereaque ecclesia[1] sancti Dalmatii eiusque aedificia huiusmodi ab omni supellectili alioque quovis mobili vacua et nuda dimitti debeant, ipsique abbas et conventus ac definitores a dictà ecclesià sancti Dalmatii iconas proprias, vasa sacra, et omnia alia ecclesiastica ornamenta ac mobilia, cuiusvis qualitatis sint, duasque ex quatuor campanis, quae in campanili ipsius ecclesiae sancti Dalmatii collocatae sunt, ad idem palatium transferre, ac ecclesiam ibi construendam in eius vasis et aliis ornamentis, necnon mobilibus huiusmodi, exornare et decorare possint et valeant. Onus tamen exercendi curam animarum eidem ecclesiae sancti Dalmatii imminentem, ministrandique sacramenta ecclesiastica, et alia necessaria subeundi, in se universum suscipere, ac abbatem et conventum nec non definitores praedictos a manutentione parochi in totum relevare teneantur[2], ac in ipsà ecclesià sancti Dalmatii sacellum vel altare aliquod sancti Antonii construi facere, aut illius titulum simul cum titulo sancti Dalmatii retinere, votaque vel eleemosynas colligere nequeant[3], sed ea omnia, cum oneribus celebrationis missarum et aliorum divinorum officiorum inde incumbentium, dicto Ordini per dilectos filios eius religiosos, ubi pro tempore domicilium habuerint, explenda, dimitti et relinqui debeant. Confraternitas porro de Misericordià nuncupata, in ipsà ecclesià sancti Dalmatii instituta, ibidem, iuxta promissionem dilectis filiis illius confratribus per instrumentum publicum aliàs factam, et oneri quidem dictae Congregationis remanere, illique forma eiusdem instrumenti observari, nec, ut ipsa confraternitas aliquod detrimentum patiatur, permitti debeat. Postremoque processiones dilectorum filiorum capituli dictae maioris ecclesiae, quae ad ecclesiam sancti Dalmatii huiusmodi pro sancto Antonio fiebant, imposterum ad ecclesiam sic costruendam praedictam, onere pro tempore existentium illius religiosorum, fieri debeant, prout in publicis desuper confectis scripturis dicitur contineri.

Praedicta par les auctoritate Pontificia roborari petunt

§ 2. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praemissa omnia divini cultus piorumque operum augmentum, ac animarum salutem, dictaeque Congregationis propagationem, et populi praedictae civitatis spiritualem consolationem concernere dignoscantur, pro parte tam Caroli Emanuelis ducis, quam abbatis, et conventus, ac definitorum, necnon praepositi et religiosorum praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus illa omnia pro eorum firmiori subsistentià et observatione inviolabili approbare et confirmare, aliàsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicà dignaremur.

Confirmat Pontifex.

§ 3. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum aestimationem praedictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, quod etiam observari volumus in quibuslibet concessionibus et applicationibus, quique in ecclesiis et regularibus locis quibuslibet divinum cultum ac religionis et devotionis zelum adaugeri sinceris desideramus affectibus,

1 Edit. Main. legit *ecclesiam* (R. T.).

2 Nempe: *Barnabitae*, nam subiectum mutatur (R. T.).

3 An iterum subiectum mutetur, nescio (R. T.).

certam de praemissis notitiam[1] habentes, ac Carolum Emanuelem ducem, et abbatem necnon praepositum praedictos, eorumque, ac conventus et Congregationis huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, necnon aliarum concessionum et assignationum dictae Congregationi hactenus quomodolibet factarum, ac scripturarum desuper confectarum, tenores, cum inde sequutis quibuscumque, praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, de praemissis te diligenter informes, et, si per informationem eamdem ita esse repereris, dictam ecclesiam sancti Dalmatii cum domo, curtilibus, seu areis, viridario, apothecis, aliisque aedificiis concessis huiusmodi (furno cum eius aedificiis et cellâ vinariâ praedictis dumtaxat exceptis) ab eisdem monasterio et Ordine, auctoritate nostrâ, perpetuo separes et dismembres, ac in illis sic separatis et dismembratis eumdem Ordinem, omnemque statum, essentiam, naturam et dependentiam regulares, ac etiam, quatenus opus sit, praeceptoriae titulum, nomen et denominationem, etiam perpetuo supprimas et extinguas; illisque sic suppressis et extinctis, eamdem ecclesiam sancti Dalmatii, unà cum domo, curtilibus, seu areis, viridario, apothecis, aliisque aedificiis praedictis, dictae Congregationi, illiusque praeposito, et religiosis pro tempore existentibus praedictis sub omnibus et singulis conditionibus et pactis tam superius expressis, quam aliis in dictis scripturis forsan contentis, licitis tamen et honestis, ac sacris canonibus, Conciliique Tridentini decretis non repugnantibus, similiter perpetuo concedas et assignes; ac in domo, cortilibus, seu areis, viridario, apothecis, aliisque aedificiis concessis huiusmodi, unum dictae Congregationis collegium, quod praedictam ecclesiam sancti Dalmatii pro suâ ecclesiâ habeat, unà cum cellis, membris et officinis necessariis et opportunis pro perpetuis usu et habitatione competentis numeri duodecim ad minus religiosorum Congregationis huiusmodi (qui iuxta eius ritus et mores ac instituta regularia vivant, omnibusque et singulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, concessionibus, antelationibus, indultis, favoribus et gratiis aliis universis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus caetera collegia et loca eiusdem Congregationis, eorumque presbyteri et clerici de iure, usu, privilegio, aut concessione apostolicâ, seu aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, similiter et pariformiter uti, frui potiri et gaudere libere et licite valeant, dictamque curam animarum per se ipsos, seu quoscumque ex eis, vel alios presbyteros saeculares, ad hoc pro tempore per superiores dictae Congregationis deputandos et ab Ordinario loci examinandos et approbandos, exercere, omniaque alia onera et officia parochialia inde incumbentia subire, et aliàs eidem ecclesiae sancti Dalmatii laudabiliter in divinis deservire debeant et teneantur) pariter perpetuo sine alicuius praeiudicio erigas etiam et instituas; illique sic erecto et instituto, pro congruâ et competenti eius dote, ac praepositi et

Dat ad id vicario generali archiepiscopi Taurinensis commissionem.

1 Heic particulam *non* abolemus R. T.

religiosorum inibi pro tempore existentium praedictorum substentatione, onerumque illis incumbentium supportatione, omnia et singula proprietates et bona ac fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque ab ipso Carolo Emanuele duce, ut praefertur, donata (ita quod liceat praeposito ac religiosis nunc et pro tempore existentibus praedictis corporalem, realem et actualem illorum omnium possessionem, per se, vel alium, seu alios, eorum et ipsius collegii nomine, propriâ auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere; fructus quoque, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta ex eis provenientia quaecumque percipere, exigere, levare, recuperare, locare et arrendare, ac in communes eiusdem collegii usus et utilitatem convertere, Dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ) perpetuo quoque applices et appropries: praesentes quoque litteras sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos, ac quoscumque alios Romanos Pontifices successores nostros, et Sedem praedictam, etiam motu proprio, et ex certâ scientia, ac consistorialiter etiam, sub quibuscumque verborum formis, ac ex quibusvis causis pro tempore concessis, nisi Congregationis, et praepositi, ac religiosorum praedictorum ad id expressus accesserit assensus, minime comprehendi; sed, uti ad divini cultus, religionis, ac bonorum operum augmentum, salutemque animarum tendentes, semper et omnino ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ per pro tempore existentes praepositum et religiosos praedictos eligendâ, concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, eâdem auctoritate nostrâ decernas.

§ 4. Non obstantibus voluntate nostrâ praedictâ, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, aliisque quibusvis apostolicis, nec non in provincialibus et synodalibus, universalibusque conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, nec non monasterii et Ordinis, ac ecclesiae sancti Dalmatii huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis ac dilectis filiis eorum superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili et consistorialiter, ac aliâs, in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda

Derogat contrariis.

esset, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem, quod, in eventum redemptionis furni et cellae praedictorum, pretium ex inde proveniens in emptionem bonorum stabilium pro monasterio eiusdem Ordinis realiter et cum effectu unico contextu convertatur.

Datum Romae apud sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicae MDCX kalendis octobris, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 1 octobris 1610, pontif. an. VI.

CLXI.

Iubilaeum pro Indiis Peruanis ad impetrandam conversionem ethnicorum [1].

Paulus Papa V,

Universis christifidelibus in regnis et provinciis Peruanis Indiarum Occidentalium praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Pastoris aeterni vices quamquam immeriti gerentes in terris, qui, relictis nonaginta novem ovibus in deserto, venit quaerere unam quae errabat, et inventam posuit super humeros suos, tam maxime [2] gratum illi obsequium praestare non dubitamus, cum ad eius ovile aberrantes oves reducere omni sollicitudine procuramus, atque huius rei gratiâ de ecclesiae suae thesauris, nostrae creditis dispensationi, liberaliter erogamus.

Pro conversione Peruanorum

§ 1. Sane, sicut non sine animi nostri dolore accepimus, licet in Indiis Occidentalibus iamdiu in abundantiâ misericordiae suae notum fecit Dominus salutare suum et per Evangelii praedicationem in conspectum gentium revelavit iustitiam suam, nihilominus in earum regnis et provinciis Peruanis populi quidam sunt, qui adhuc in infidelitatis tenebris et umbrâ mortis sedentes idolis ita obstinate serviunt, ut, lucem veritatis christianae odio miserabiliter prosequentes, Christum agnoscere recusant. Hos vero cum ad Ecclesiae sanctae gremium reducere, adspirante divinâ gratiâ, hoc tempore praecipue laboretur; idcirco nos, ut pium huiusmodi conatum Dominus favore caelesti prosequi dignetur, genua flectenda duximus ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, et simul post orationes, ieiunia et eleemosynas illarum partium fidelium illius misericordiam implorandam.

Iubilaeum illis in regionibus indicitur.

§ 2. Quare, ex parte omnipotentis Dei Patris, Filii et Spiritus sancti, omnes et singulos utriusque sexus christifideles, in regnis et provinciis Peruanis praesertim Chilii Indiarum Occidentalium existentes [1] auctoritate apostolicâ paterne, enixeque requirimus, monemus, et in Domino hortamur ad infrascripta devote peragendum et adimplendum, et ad pias et fervidas ad Altissimum preces effundendum, ut per viscera misericordiae suae fidem catholicam propagare, protegere et dictis populis in tenebris ambulantibus fidei lucem infundere dignetur. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, meritis minime suffragantibus, contulit, universis et singulis christifidelibus in regnis et provinciis Peruanis praesertim Chilii Indiarum Occidentalium huiusmodi existentibus, qui processioni [2] ab Ordinariis locorum, vel eorum vicariis, seu officialibus, vel de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, primâ vel secundâ hebdomada, postquam ad eorum notitiam eae nostrae litterae pervenerint,

Opera pro eo lucrando iniuncta.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Vel potius legendum *quam maxime* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *existentibus* (R. T.).

2 Ibid. legitur *processionem* (R. T.).

indicendae et agendae interfuerint, vel ecclesiam seu ecclesias per eosdem designandas saltem semel visitaverint, ibique pro infidelium praedictae provinciae et regni Chilii ad fidem catholicam conversione Deum oraverint, ac feria quartâ, sextâ et sabbato alterius ex duabus hebdomadis ab eisdem deputandis ieiunaverint, et peccata sua confessi, ac sacrâ communione refecti fuerint et eleemosynas pro suo arbitrio fecerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur.

Navigantes, etc.

§ 3. Navigantes vero, aut iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis omnibus peractis, ut supra, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant.

In claustris degentes aliaque impediti quid agere debeant.

§ 4. Regularibus autem personis utriusque sexus in claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibusvis, tam laicis quam religiosis[1], saecularibus seu regularibus, in carcere aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut confessarius, quem, ut infra, elegerint, praedicta omnia et singula vel eorum aliqua in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

Confessariis concessae facultates.

§ 5. Cupientes autem omnes christifideles regnorum et provinciarum praedictarum participes fieri huius pretiosissimi thesauri, universis et singulis utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, saecularibus et regularibus cuiusvis Ordinis, Congregationis et Instituti in illis partibus existentibus licentiam concedimus et facultatem damus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quecumque presbyterum confessarium tam saecularem quam cuiusvis Ordinis regularem, ex approbatis a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine quavis causâ latis seu inflictis, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, atque alias per quascumque Romanorum Pontificum[1] praedecessorum nostrorum Constitutiones (quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis) quomodocumque reservatis, in foro conscientiae et hac vice tantum absolvere et liberare valeant. Et insuper vota quaecumque (Religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

Praesentium facienda publicatio.

§ 6. Quapropter tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque Ordinariis locorum, regnorum et provinciarum praedictarum, eorumque vicariis et officialibus, vel, iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla acceperint, illa statim absque ullâ retardatione vel impedimento per suas ecclesias, dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, ac clericis et populis sibi subiectis solemnes processiones et supplicationes indicent, et celebrent, ecclesiamque seu ecclesias

1 Forsan legendum *ecclesiasticis* (R. T.).
2 Videretur supplendum *detentis* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *Romani Pontificis praedecessorum nostrorum* (R. T.).

visitandas designent. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate, publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate seu inhabilitate, quoquo modo contractâ, dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi[1], et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae; neque etiam iis, qui a nobis et a Sede Apostolicâ vel ab aliquo praelato seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus celebrationis huiusmodi iubilaei satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim in quibus facultas absolvendi, in certis tunc expressis casibus, ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur[2], ut nec etiam similes vel dissimiles iubilaei, indulgentiarum ac facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, nec non regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, et quorumcumque Ordinum et Congregationum sive Institutorum regularium, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus et Congregationibus atque institutis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut expressio habenda vel quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac formam eorum traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter nominatim et expresse ad effectum praesentium specialiter derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 8. Ut autem praesentes nostrae litterae, quae ad singula loca dictorum regnorum et provinciarum deferri non possunt, ad omnium christifidelium in eisdem regnis et provinciis existentium notitiam facilius deveniant: volumus, ut earumdem praesentium transumptis vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis presentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die XIII octobris MDCX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 13 octobris 1610, pontif. anno VI.

CLXII.

Confirmatio litterarum Clementis VIII super reductione fratrum Tertii Ordinis sancti Francisci regni Franciae sub obedientiâ ministri generalis fratrum de Observantiâ, et de modo eligendi provincialem[1].

Paulus Papa V,
Ad perpetuam rei memoriam.

Clemens VIII provincias fratrum Tertii Ordinis de observantiâ per com-

Aliàs felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, volens prospero statui et felici regimini fratrum

1 Sic emendare censuimus, pro eo quod habet edit. Main. quae legit: *vel aliquam facultatem tribuere, dispensari, seu habilitari, et in pristinum statum restituendi* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *reservatis* (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

missarium generalem Ordinis sancti Francisci et commissarium nationalem regi statuit.

Tertii Ordinis sancti Francisci in regno Franciae existentium opportune prospicere, motu proprio et ex certâ suâ scientiâ ac maturâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, universos fratres dicti Tertii Ordinis sancti Francisci regni Franciae, eorumque conventus seu domos quascumque, dilecto filio ministro generali Ordinis sancti Francisci de Observantiâ, ac commissario generali ultramontanae familiae praedicti Ordinis, nec non commissario generali nationali Franciae, quem praedictus minister generalis vel commissarius generalis pro tempore deputasset, qui, ut dictus Clemens praedecessor acceperat, in ipsorum ministri et commissarii generalis absentiâ septem provincias dicti Ordinis Minorum de Observantiâ regni Franciae gubernare solebat, auctoritate apostolicâ perpetuo subiecit, ipsisque ministro et commissario generalibus ultramontanae familiae, necnon commissario generali nationali Franciae respective, ut eorum singuli, per se, vel alios sui Ordinis fratres ad hoc idoneos ab eis respective deputandos, domos et conventus ac fratres Tertii Ordinis sancti Francisci supradictos, tam in capite quam in membris, visitare, corrigere, reformare et castigare, necnon electionem ministri provincialis, ut infra, faciendam, servatâ formâ decretorum Concilii Tridentini, facere et confirmare possint, facultatem concessit et impertitus fuit.

Eligique provincialem.

§ 2. Praeterea, cum tunc praedicti Tertii Ordinis fratres ministrum provincialem non haberent, voluit et eâdem auctoritate statuit et ordinavit, quod fratres praedicti Tertii Ordinis seu eorum conventuum superiores et alii vocales in unum congregarentur iusso dicti ministri generalis Ordinis sancti Francisci de Observantiâ, seu commissarii nationalis Franciae, et se se ipsis[1] unum ministrum provincialem per vota secreta eligerent, qui, sic electus, ab eodem ministro generali, vel commissario nationali Franciae, aut alio, qui eorum nomine huiusmodi electioni praefuisset, confirmari deberet, ac omnibus privilegiis, facultatibus, et auctoritate super omnes dicti Tertii Ordinis conventus et fratres regni Franciae, quibus alii ministri provinciales aliarum provinciarum Tertii Ordinis sancti Francisci huiusmodi, ubivis existentium, frui et gaudere poterant et possent quomodolibet in futurum, sine aliquâ differentiâ frui et gaudere posset et deberet, prout ei ad hoc nominatim facultatem concessit et indulsit.

Capitulum provinciale singulis trienniis eligi.

§ 3. Voluit etiam, quod singulis bienniis seu trienniis iidem fratres vocales Tertii Ordinis praedicti capitulum provinciale celebrarent, ante cuius celebrationem tunc existens minister eorum provincialis teneretur a dicto generali ministro fratrum de Observantiâ, vel commissario generali ultramontanae familiae, seu a commissario generali Franciae nationali eiusdem Ordinis de Observantiâ, visitatorem petere, qui eorum provinciam visitaret, et electionem novi ministri provincialis, ut supra, faceret et confirmaret. Verum, si huiusmodi visitator intra duos aut tres menses ad summum non accessisset, supradicti fratres Tertii Ordinis ad celebrationem capituli, et electionem novi ministri provincialis, absque interventu dicti visitatoris, procedere valerent; de qua electione visitatorem postea accedentem, qui eam confirmare teneretur, certiorem facere deberent. Sed, si post factam huiusmodi electionem et dictis superioribus notificatam, electio praedicta intra sex menses ab eis confirmata vel infirmata non foret, ipsa electio apostolicâ auctoritate censeretur confirmata eo ipso, et aliàs, prout in dictis Clementis praedecessoris desu-

[1] Vel potius *sibi ipsis* (R. T.).

per in simili formâ Brevis expeditis litteris plenius continetur [1].

Clementis litteras petitur confirmari.

§ 4. Cum autem, sicut iidem fratres Tertii Ordinis huiusmodi reformati regni Franciae nobis nuper exponi fecerunt, ipsi plurimum cupiant litteras Clementis praedecessoris praedictas, quo firmius subsistant et ab omnibus inviolabiliter observentur, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri; iidem nobis humiliter supplicari fecerunt, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Paulus.

§ 5. Nos igitur, dictos fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, nec non dictarum litterarum veriores tenores praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, litteras Clementis praedecessoris praedictas, ac omnia et singula in illis contenta, quatenus sint in usu ac minime revocata aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae.

§ 6. Decernentes illa omnia et singula sic, et non aliter, perpetuo observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio executorum.

§ 7. Quocirca venerabilibus fratribus Lugdunensi et Tolosano archiepiscopis et dilecto filio nostro ac Apostolicae Sedis in regno Franciae nuncio per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum fratrum reformatorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari: contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Tertii Ordinis sancti Francisci, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini illiusque superioribus et personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVII octobris MDCX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 27 octobris 1610, pontif. an. VI.

1 Constitutionem Clem. VIII praedictam vide supra pag. 49 huius voluminis (R. T.).

CLXIII.

Canonizatio beati Caroli cardinalis archiepiscopi Mediolanensis, eiusque relatio in numerum Sanctorum Confessorum, cum festivitatis institutione pro die IV *novembris.*

Paulus Episcopus
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Christus variis temporibus in terris suscitavit sanctos viros ad Ecclesiae suae maiorem gloriam et exemplum aliorum.

Unigenitus aeterni Patris Filius Christus Dominus et Redemptor noster, qui se quotidie unâ cum Patre operari professus est, cum, *Pater meus*, inquit, *usque modo operatur et ego operor*[1] numquam destitit mirabiliter illuminare terram suam a montibus aeternis, sed, variis locis variisque temporibus suscitando aeternae gloriae candidatos Sanctos suos, ecclesiam sanctam illustrare mirabilem in modum consuevit, non solum ut addat in dies magis domui suae gloriam et decorem, sed etiam ut, irradiando humanae vitae tenebras splendoribus Sanctorum, tarditatem nostram urgeat fratrum nostrorum exemplo, quasi praesenti testimonio oculorum.

Novissime suscitavit Carolum pluribus magnisque virtutibus illustrem.

§ 2. Hic idem Dominus, qui facit mirabilia magna solus, magnificavit novissime facere nobiscum, ac miro dispensationis suae opere statuit super Apostolicae Petrae arcem grande luminare, eligens sibi e gremio sacrosanctae Romanae Ecclesiae Carolum sacerdotem fidelem, servum bonum, formam gregis, formam pastorum. Qui videlicet, multiplici fulgore sanctorum operum universam decorando Ecclesiam, sacerdotibus et populo praeluceret quasi Abel in innocentià, quasi Enoch in munditià, quasi Iacob in laborum tolerantià, quasi Moyses in mansuetudine, quasi Elias in ardenti zelo; quique imitandam exhiberet inter affluentes delicias Hieronymi corporis castigationem, Martini in sublimioribus gradibus humilitatem, Gregorii pastoralem sollicitudinem, liberalitatem Ambrosii, Paulini charitatem, ac demum videndum ac perspiciendum ostenderet oculis nostris, manibus nostris contrectandum, hominem, mundo maxime blandiente, crucifixum mundo, viventem spiritu, terrena calcantem, caelestia iugiter negociantem, et, sicut officio in angelum substitutum, ita etiam mente et opere vitam angelorum in terris aemulantem.

Cum inter Sanctos adscribi contigit tempore huius Pontificis qui de hoc plurimum laetatur.

§ 3. Quamobrem merito repletum est gaudio os nostrum et lingua nostra exultatione in insigni die solemnitatis nostrae, quando nullis meritis nostris, sed inscrutabili sapientiae suae arcano, hanc diem mundo dilucere his temporibus ante saecula praeordinavit Altissimus, in qua per ministerium humilitatis nostrae Carolo, sanctae Romanae Ecclesiae cui auctore Domino praesidemus presbytero cardinali, sacris decernendis honoribus, unicae Sponsae suae nova imponeretur corona ornata omni lapide pretioso. Ex hoc enim confundentur omnes qui adorant sculptilia impiarum adiuventionum suarum, et gloriantur in simulacris errorum, confitebuntur autem populi sancti Domino et exaltabitur nomen eius solius.

Quique haec de eius vita et miraculis hac eius Constitutione recensere voluit.

§ 4. Et quoniam solemnis declaratio Sanctitatis Christi famuli, ex inveterato Ecclesiae Romanae ritu et ex praescripto sacrorum canonum celebrata, perpetuis futuris temporibus nostris Apostolicis litteris est de more consignanda, haec duximus ex eius vità et miraculis totiusque causae actis summatim referenda.

Ortus sui nocte magnum videtur lumen super cubiculum maternum.

§ 5. Nascitur dilectus Dei Carolus in primarià Mediolanensi familià Borromaeà, ex parentibus Giberto comite et Margarità Mediceà, anno salutis MDXXXVIII, cuius futurae eximiae sanctitatis splendorem praemonstravit Dominus magno et insolito lumine, qua nocte puer nascebatur,

1 Ioh. V, 17 (R. T.).

super maternum cubiculum compluribus viso.

Puer et adolescens virtutibus emicuit.

§ 6. Nec puerilis aetas eiusdem sanctitatis indiciis caruit: tempus enim, quo vacare licebat, extruendis et exornandis altariolis magnâ cum voluptate dabat. Crescente aetate, quod bonam eius mentem excellentioribus donis Spiritus Sanctus in dies magis praepararet, christianis moribus et litteris non difficile a piis parentibus imbuitur. Eminebant vero in adolescente praeludia benedictionum, quibus dignatus est eum Altissimus, munditia cordis, pax interna, innocentia et modestia; nec rebus solum, sed etiam omnibus verbis turpibus, omnibusque mendaciis abstinebat.

Papiaeque doctoratus insignia suscipit, et Romam vocatus a Pio IV eius avunculo, cardinalis, postea archiepiscopus Mediolani eligitur et gravissimis Ecclesiae negociis praeponitur.

§ 7. In utroque iure in Papiensi universitate, ubi his studiis operam dederat, ad doctoratus gradum promotus, a felicis memoriae Pio Papa IV praedecessore nostro, eius avunculo, paulo ante, disponente Domino, ad Apostolatus apicem evecto, Romam evocatur et in sacrum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium collegium adscribitur. Deinde Mediolanensi Ecclesiae praeficitur, gravissimaque universalis Ecclesiae negocia et Sedis Apostolicae munera illi creduntur.

In ea administratione inculpate, ac laudabiliter omnia gerit.

§ 8. Hic vero coepit Dominus ostendere in Carolo mirabilia sua; cum enim nondum vigesimum tertium explevisset annum, administrabat omnia diligenter in sapientiâ et iustitiâ, summo cum zelo honoris Dei et studio Catholicae Ecclesiae utilitatis. Quae omnia in negociis fidei catholicae et universae Ecclesiae, quae in Concilio Tridentino tunc agitabantur, maxime enituerunt. Non vigiliis, non incommodis, aut laboribus ullis pepercit, ut ne quid retardaret sanctae Synodi absolutionem, quam ipse sollicite et cum spiritus ardore promovit semper, donec a Domino impetraret. In tam sublimi dignitatis gradu constitutus, divitiarum, potentiae, aetatis, aliisque non paucis, nec levibus, delinimentis circumdatus, tantum abest, ut post carnalia desideria abierit, ut, superno assistente praesidio, tunc coeperit Christo magis adhaerere et spiritualia ardentius aemulari.

Mediolanum se contulit, et ecclesiam suam vero ecclesiasticae disciplinae nitori restituit.

§ 9. Itaque, Urbano splendore et amplitudine relictis, bonus operarius in messem, quam susceperat, Mediolanum discedit, ubi, partes suas in dies magis implendo, agrum illum, malitiâ temporum, vepribus turpiter deformem ac silvescentem, in eum restituit nitorem, ut Ecclesiam Mediolanensem praeclarum exemplar redderet ecclesiasticae disciplinae. Hoc autem cum a se praesente praestandum cerneret, numquam a residentiâ discessit, nisi coactus, aut concedente Sede Apostolicâ, vel seniore episcopo suae provinciae approbante. Principio Concilii Tridentini decreta exequutioni mandari sollicite curavit, et, ut ecclesiasticam disciplinam moresque depravatos recte et ordine emendaret, Domini viâ incedendum intelligens, divino auxilio facere incepit et docere.

Reformationi sui ipsius suaeque familiae studuit.

§ 10. Nam, a se suâque familiâ reformationem aggressus, omnia ad sacrorum et sanctorum patrum exempla composuit, laicis familiaribus gratâ missione dimissis, clericorum censuit utendum ministerio, quibuscum assiduae illi erant ad Deum preces, aliaeque complures spirituales occupationes, omni vestium pompâ detractâ, omnique aliâ re minus honestâ et religioso indecorâ sublatâ. Quantum in Ecclesiae suae rectâ administratione praestiterit, satis declarant synodi multae provinciales ac dioecesanae, eiusdemque Ecclesiae actorum edita volumina, quae sacerdotum manibus teruntur et regendi ecclesias doctrinam abunde suppeditant. Civitatis ac dioecesis suae ecclesias, aut ipse solus suis sumptibus, aut grandi eleemosynâ praeeundo unâ cum aliis instau-

ravit, alias a fundamentis aedificavit, alias ornavit, pretiosâ etiam nonnullas suppellectili aere suo instruxit. Pueris et adolescentibus civitatis et dioecesis, tum clericis tum laicis, nec non Helvetiis et Rhetis, moribus et litteris informandis, presbyteris saecularibus in regimine animarum erudiendis, seminaria et collegia instituit. Praeterea regularibus clericis, sacris virginibus, regulares, saecularibus vero, tam mulieribus quam virginibus, saeculares domos, mendicantibus hospitale, canonicis Ecclesiae Mediolanensis ordinariis commune domicilium, archiepiscopis eorumque hospitibus opportunas aedes, aliis piis operibus complures alias pias domos magnis sumptibus, partim propriis partim beneficiorum ecclesiasticorum unione et attributione, extruxit, auxit et necessariis redditibus stabilivit.

Praedicationi et ieiuniis ac orationi assidue intendit.

§ 11. In praedicatione verbi Dei tam frequens erat beatus pontifex, ut plane in omni patientiâ et doctrinâ impleret ministerium suum, vigilando, laborando, labore pene incredibili, ita ut quadraginta horarum solemnibus precibus, continuo persistens in ieiunio et vigiliâ, singulis horis ad populum admirabili patientiâ sermonem haberet.

Ecclesiarum visitationi et cum suae vitae discrimine incubuit.

§ 12. A frequenti visitatione ecclesiarum et populorum suae dioecesis ac provinciae, vel aliarum etiam dioecesum cum ab Apostolicâ Sede demandatur [1], nullis incommodis aut periculis deterreri vel retardari potuit, non aestu, non algore, aut nocturnis tenebris, non praeruptis et asperis Rhetorum et Helvetiorum montium nive et glacie rigentium, neque aliis denique multis et gravibus difficultatibus. Sed vir Dei charitate, quae foras pellit timorem et omnia sustinet, omnibus superatis, etiam cum suae vitae discrimine, increpando, obsecrando, praedicando, et exemplo atque auctoritate personae, haereses, multaque alia gravissima vitia et abusus, praesertim a clero, per Christi gratiam sustulit.

Ecclesiae patrimonium large dispensavit et auxit.

§ 13. In administrando patrimonio Ecclesiae tantum industriae et diligentiae adhibuit servus fidelis, ut eius redditus multo maiores relinqueret, quam acceperat. Nec minus tamen in illis dispensandis fidelis apparuit coram Domino.

Hospitalitatem profitebatur.

§ 14. Hospitalitatem quippe exhibuit usque adeo, ut ostium eius omnibus pateret semper, dioecesanis, alienigenis, notis, ignotis, praesertim vero ecclesiasticis, quos in saecularibus diversoriis manere indecorum dicere solebat, suamque domum publicum hospitium vocabat.

Eleemosynas abundanter dabat.

§ 15. In eleemosynis dandis ita se gessit, ut in hoc opere praecipue abundasse merito dici possit, ac dispersisse et dedisse pauperibus. Quantum enim necessariis sumptibus ex mensae Ecclesiae Mediolanensis et ex aliis propriis redditibus supererat, totum in pauperes abibat: et, ne quemquam aperte rogandi aut accipiendi pudor expertem faceret misericordiae suae, secretis eleemosynis fidelem praeposuerat ministrum, qui eorum occultis necessitatibus subveniret. Eoque processit pauperibus subveniendi studium, ut Uritanum principatum, reliquum patrimonii sui, nec tenuis redditus, distraheret, et quadraginta millium scutorum pretio, quamvis vili, inde percepto, diversis piis locis Mediolani tantum pecuniae paucissimis horis attribueret.

Pestilentiae tempore mirabilia operatus est.

§ 16. Cum vero pestilentiam in civitatem et dioecesim Dominus immisisset et gregem sibi commissum bonus pastor miserabiliter affligi cerneret, ut egenorum calamitati temporalibus etiam auxiliis prospiceret, vel argentea vasa, stragulam, aliamque vestem, ostiorum vela, propriique demum lectuli solatium dedit. Neque hic constitit fervens Christi servi erga proximum dilectio, sed, aemulando

1 Aptius edit. Cherub. legit *demandabatur* (R. T.)

charismata meliora, ad eam charitatem pervenit, qua maiorem neminem habere Dominus ipse pronunciavit. Quasi enim parum iudicaret publicis supplicationibus nudipedalibus verbo et opere inducere clerum et populum ad divinam deprecandam vindictam, et ad poenitentiam provocare, aliaque multa in commune consulendo sollicite ordinare, pro munere pastorali, cernens id etiam animarum saluti et gregis necessitatibus in Domino expedire, dispositis rebus suis et selectis nonnullis adiutoribus, infirmos tam civitatis quam dioecesis cuiuscumque ordinis die nocteque visitando, spiritualia et temporalia ministrabat; defunctos sepeliri, infantes orphanos nutriri, ac sua quemquam onera publice demandata diligenter ac fideliter administrare curabat; non pauperum valetudinaria, non humiles casas invisas dimisit, non ad mortuorum cadavera accedere veritus est, ut viventem miserabiliter inter mortuos infantem ab uberibus defunctae matris eriperet, et sic agendo boni pastoris expleret officium, qui animam suam ponit pro ovibus suis.

Auctoritatis ecclesiasticae vindex.

§ 17. Id quod facere etiam se paratum pro tuendis Ecclesiae iuribus, et ecclesiasticâ restituendâ et conservandâ auctoritate, non semel ostendit, quippe qui in promptu haberet ulcisci omnem inobedientiam, mitissimus alioquin vir et clementissimus, ita ut calumnias, contumelias, gravesque persecutiones patientissime ferret. Quapropter oblata aliquando indicia proditionis vitae suae neglexit, et litteras nec resignatas flammis tradidit.

Misericors in omnes fuit.

§ 18. Fere nullus, quamquam delicti reus, eius misericordiam poenitens imploravit, qui non fuerit consequutus.

Beneficia iuxta sacros canones semper contulit.

§ 19. Severus tamen[1] arbiter erat in expendendis meritis personarum, cum de ecclesiasticis beneficiis et officiis conferendis ageretur; beneficia enim nisi magis idoneis non dabat, neque in illis dispensandis ullatenus a sacrorum canonum voluntate recedebat.

Munera semper reiecit.

§ 20. Et, ut sancte et iuste coram Deo et hominibus omnia tractaret, a muneribus etiam vilissimis abstinuit.

Tribunalia sua ab iniquitatis labe praeservare studuit.

§ 21. Tribunalia sua ut non solum quavis labe iniquitatis, sed etiam suspicione vacarent, omni studio, praesertim saepe illa visitando, praestitit.

Quieti nusquam sed piis operibus assidue incubuit.

§ 22. Nullum tempus animi relaxationi dabat, sed opus Dei et proximi continue agenti negotium negotio succedebat, curam cura excipiebat. Non quietis tempus vacabat ab opere, non refectionis, bonam enim noctis partem lectione, tum scriptione, tum oratione absumebat: interdum in oratione pernoctabat, neque idcirco remissior mane in agendo erat, ita ut in actis inter caetera consignatum sit, quod, cum aliquando Romae in catacumbis noctem, quam ieiunium praecesserat, orando insomnem egisset, mane non solum de corporis refectione aut quiete non cogitavit, sed, valde longâ peregrinatione susceptâ, ad beatae virginis Agnetis ecclesiam pedibus processit, ubi missam agendo et orando tantum temporis posuit, ut ante vigesimam secundam horam cibum non caperet, reipsâ plane ostendens, quam omnia posset in eo, qui illum confortabat.

Castitatem illibatam servavit.

§ 23. Has omnes et sequentes virtutes exornavit mirum in modum castitate et pudicitiâ, quam in florenti etiam aetate, quamquam non leviter tentatus, illaesam fortiter defendit ac diligentissime semper custodivit. Itaque feminas sine arbitris non alloquebatur, omnemque occasionem vitae labefaciendi candorem accurate praecavebat.

Fide, doctrina et charitate emicuit.

§ 24. Firmabat vero eius virtutes omnes solidum fundamentum, praecellens

1 Sic legimus ex contextus ratione et ex Cherubinio; edit. Main. habet *tam* (R. T.).

vivae fidei donum, quod et dilectionis egregia opera et doctrinae veritas ac puritas, quam ex eius ore Ecclesia Mediolanensis aliique non pauci christifideles tot annis hauserunt, comprobant satis.

Pietate et devotione insignis fuit.

§ 25. Pietas praeterea insignis ac devotio, cuius fervore incensus Christi famulus sacra[1] Italiae loca orationis causâ aliquando obibat, longa et difficillima itinera alienissimo anni tempore pedibus agendo. Qua in re, ut nullo loco a sanctis operibus cessaret, tempus rerum divinarum contemplatione, aut psalmorum et sanctarum precum recitatione, aut sermones spirituales cum comitibus conferendo transigebat.

Quotidie Deo sacrificium offerebat et flexis genibus horas canonicas recitabat et sacras scripturas scrutabatur. A sclopi ictu liberatur.

§ 26. Quotidie sacrificium Deo offerebat, genibus flexis horas canonicas recitabat, et sacras scrutabatur scripturas, idque interdum dum secreto refectionem sumeret corporalem. Quamobrem meruit homo Dei, in huiusmodi operibus occupatus, non mediocriter a Domino clarificari. Cum enim ex more aliquando in privato oratorio vespere cum familiâ oraret, et filius perditionis, apostata quidam ex Ordine Humiliatorum, quem alii nonnulli eiusdem Ordinis similes ministri Satanae pecuniâ in necem Caroli subornaverant, quod eorum Ordinis reformationem auctoritate apostolicâ urgeret, in eius tergum plumbeis globulis instructum sclopum ab oratorii portâ explosisset, divinâ protegente dexterâ, sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum, et globorum pars sancti pontificis orantis vestes non penetravit, licet alii, violentiâ ictus, utrinque fuerint in proximo[2] defixi; omnibusque de periculo ac de eius salute trepidantibus, ipse solus mente immotus illos in oratione progredi mandavit, et tunc ipsum Domini monitum illud *Non turbetur cor vestrum, neque formidet*[1] cantari, non sine divinâ voluntate, contigerat.

Redditus ecclesiasticos et patrimoniales ac praeclara officia, ut expeditius Deo serviret, sponte suâ dimisit.

§ 27. Qui igitur sui corporis saluti opus Dei tantum anteponeret, haud mirum, si rerum etiam et honorum contemptu inter Christi servos enituerit Carolus, et illuxerit omnibus qui in domo sunt. Postquam enim ad Ecclesiam regendam Mediolanensem, et ad christianam perfectionem animum appulit, ut expeditior agere posset quod agendum susceperat, maioris poenitentiarii officium, archipresbyteratum basilicae sanctae Mariae Maioris Urbis, Ordinum regularium complurium, regnorum et nationum honorificentissimas clientelas seu protectiones, opulenta munera, grandesque ecclesiasticos et patrimoniales redditus sponte suâ reliquit.

Ieiuniis corpus suum saevissime castigavit.

§ 28. Neque his tantum vinculis sese exsolvendum censuit, ut Christum sequi liberius posset, sed, quod longe difficilius est, quo corpus suum redigeret in servitutem severissime castigavit: quotidiano enim non contentus ieiunio, carnium, ovorum, ac piscium esum sibi interdixit, deinde ter qualibet hebdomadâ, post haec totâ Quadragesimâ pane tantum et aquâ ieiunavit. Ac demum, ut in corde ipsius disposuerat Dominus ascensiones, quadragesimale ieiunium magnâ ex parte solis ficis passis, aut solis dactylis, sanctorum veterum eremitarum more, peregit: denique, postremo vitae tempore, hebdomadâ maiore solis lupinis aquâ mollitis languentem animam sustentavit.

Cilicioque et aspera cubatione et frequentibus flagellationibus

§ 29. Vestis illi interior cilicium, et crassa asperaque tunica; exterior privata, lanea ac vilis et attrita, publica dignitatis propria; super paleas, aut super asses paleis pleno pulvino capiti supposito, cubabat; interdum[2] super ipsam hu-

1 Ex errore edit. Main. fert *sacrae* (R. T.).
2 Supplendum videtur *asse*, vel, *ligno* (R. T.).

1 Ioh. xiv, 27 (R. T.).
2 Edit. Main. diversam hic adhibet interpunctionem: *cubabat interdum; super ipsam humum etc.*; lectio Cherub. melior visa fuit (R. T.).

mum, sagulo tantum substrato: postquam enim lectum suum pauperibus pestilentiâ laborantibus largitus fuit, numquam super lectum culcitâ stratum dormivit. Accedebant frequentes corporis flagellationes, aliaeque id genus complures mortificationes.

Anno aetatis suae XLVII obdormivit in Domino.

§ 30. Quibus tandem gradibus cum ad illam servorum Christi perfectionem pervenisset, ut per gratiam Spiritus Sancti audire a Domino posset, *Serve bone et fidelis*, a paucis et humanis rebus, in quibus fuerat fidelis, super multa et aeterna bona constitui meruit, et intrare in gaudium Domini sui. Anno siquidem ineunte aetatis suae quadragesimo septimo, cum prius, quasi discessui sese comparans, Varalli montis Novariensis[1] dioecesis religiosas passionis Christi memorias adiisset, ibique, universos annos suos recogitando, generali confessione culpas diluisset, et cum amaritudine animae suae quindecim dies in oratione, ieiuniis, vigiliis, aliisque corporis afflictionibus egisset, aeger Mediolanum delatus, consummato cursu obdormivit in Domino.

Miraculis claruit.

§ 31. Eius obitum universi populi Mediolanensis luctus consecutus est, aliis Sanctum, aliis communem Patrem amissum quaerentibus[2]. Excellentem vero famuli sui sanctitatem comprobare etiam voluit Altissimus testimonio miraculorum, quorum complura etsi ab eo vivente facta in actis recensentur, insigniora tamen post eius beatam dormitionem edita probantur.

Caeco infanti oculos dedit.

§ 32. Nam quidam infans, Philippi Navae et Lucinae Mediolanensis filius, quem sine oculis in lucem editum fuisse medici re mature perpensâ affirmaverant, piae matris ad Caroli auxilium conversae precibus mirabiliter illos a Domino accepit; quippe, sorore quinque annorum Carolum infanti benedictionem dedisse et illum oculos aperuisse clamante, mater, clamore advocata puellae, oculos infantem habere deprehendit.

Paralyticae sensum et motum restituit.

§ 33. Et sanctimonialis monasterii maioris Mediolanensis nomine Paula Iustina Casata, cui dexterae partis corporis omnem sensum ac motum paralysis ademerat, cum ad sancti Sacerdotis imaginem, voto prius suscepto et eleemosynâ erogatâ, sacrâ communione refecta magno spiritus ardore et fiduciâ oraret, statim sensum et motum cum valetudine recuperavit, ita ut ad oratorium se conferre et gratias Deo agere libere potuerit.

Hecticam et diutinam febrim ab infirmo expulit.

§ 34. Altera vero monialis ex Capuccinis nuncupatis, eiusdem civitatis, cui nomen Candida de Agadis, triennio hecticâ febre tam acriter laboraverat, ut desperatae salutis ac morti proxima existimaretur: haec, voto similiter emisso, et sancti Pontificis auxilio devote implorato, ad Caroli vestis super impositae contactum statim convaluit.

Membrorum sanitatem infirmae largitus est.

§ 35. Votum similiter cum vovisset Angela Antonia quaedam Senensis, annorum fere septuaginta, quo se Dominus per intercessionem beati Caroli a membrorum infirmitate sanaret, cum absque alterius auxilio incedere non valeret, ante quam votum solvere finivit, valetudinem consequi meruit.

Nervos et crus infirmae sanavit.

§ 36. Ad imaginem rursus Servi Christi magnâ cum devotione dum meritis eius confidens Deum orat Candida Francia de Fortis monialis monasterii S. Agnetis Mediolanensis, ut a gravi morbo liberaretur, quo tertio iam mense affligebatur, quem spasmum ex catarrho medici censebant, indeque crus illi dextrum contractum erat, nullisque remediis depelli valuerat, suavi quadam quasi aurâ nervos et crus dexterum perfundi et refocillari sentit, ac finitâ oratione pedibus consistit et sanatur.

1 Edit. Main. legit *Navariensis* (R. T.).
2 Vel potius lege *querentibus* (R. T.).

Articulari morbo aliam liberavit.

§ 37. Angelâ quoque Buticellâ Papiensi[1] gravissimo articulorum morbo affectâ, ex quo omnium membrorum motu, praeter quam linguae, destituta languebat, ad eius imaginem pro sanitate orante, meritis et precibus Caroli unâ cum devotae femine oratione morbus mirabiliter finivit.

Manuum acerbissimum dolorem ab altera deiecit.

§ 38. Et Anna, mulier nobilis Polona, ex Marchionibus de Mirou, cum annos circiter novem manuum acerbissimis doloribus, cum tumore et digitorum contractione, laborasset, omni medicinae auxilio frustra tentato, ad imaginem itidem beati Caroli conversa, eius opem magno cum spiritus ardore implorans, statim sanitatem recuperavit.

Crurum ulcera alteri consolidavit.

§ 39. Sepulchrum quoque Servi sui placuit Domino multis signis mirificare, fidelium preces in diversis eorum necessitatibus exaudiendo. Ex quibus illud est eximium, quod, cum vir quidam nobilis Mediolanensis, nomine Ioannes Iacobus Lomacius, crurum quinquennii ulceribus affligeretur, neque a medicinâ valetudinem consequendi spes relicta esset, acrioribus, quam soleret, doloribus aliquando correptus, ad viri Sancti sepulchrum, bacillo innixus, proficiscitur, ibique pro recuperandâ valetudine ferventi spiritu orat; oratione finitâ, sine dolore missam audit, deinde incolumis consurgit, ac domum reversus, admirabili Dei beneficio crurum ulcera consolidata, sibique sanitatem redditam deprehendit.

Perversos distortosque alterius pedes recte composuit.

§ 40. Praeterea Margherita Monta Mediolanensis, puella annorum sex, adeo distortis ac perversis pedibus nata erat, ut plantae interius conversae se invicem adspicerent, ac pedis pars exterior plantae officio fungeretur: tamen a corporis vitio huiusmodi quod nec industria obstetricis neque sexennio quaesitum humanum remedium corrigere valuerat, per beati Confessoris intercessionem liberata est: a matre enim ad sepulchrum eius ducta, ab alterius primum, deinde reducta, ac voto etiam edito, ab alterius etiam pedis huiusmodi inversione sanata est.

Infantem, nervis genibusque resolutis natum, sanatum restituit.

§ 41. Non minoris momenti est, quod operatus est Dominus, sancti Pontificis meritis, in alterâ infante, nomine Ioanna de Maronis, eiusdem civitatis, matre ad sepulchrum eius similiter orante: cum enim infans nervis, quibus tibiis alligantur pedes, genibusque resolutis nata esset, ita ut incedere minime posset, ac pedes in humeros, cum vellet, libere attolleret, et quartum iam aetatis annum egressa esset, famâ miraculorum beati Caroli excitati parentes ad eius sepulchrum illam cum oblationibus deferri curant, indeque, vitio sublato, sana domum refertur.

Cancri morbum expulit.

§ 42. Aurelia de Angelis cancri morbo gravissimo, multum inveterato, cum febre et acri dolore in sinistro crure affecta, quem medici insanabilem humanâ arte iudicaverant, ad Servi Dei auxilium conversa, ac voto suscepto, eiusque sepulchrum venerationis causâ cum se adituram vespere proposuisset, mane a febre libera, sanescere mirum in modum crus coepisse cernit, ac triduo penitus convaluit.

Herniae morbo puerum liberavit.

§ 43. Puer vero quinque annorum, Hieronymi Beriolae et Agnetis ab Ecclesiâ filius, Melchior nomine, herniâ admodum gravi et periculosâ laborabat, magno cum dolore, et universi corporis quasi ex aquâ inter cutem tumore: quamobrem medicorum irritos conatus diu mater experta, Beatum Carolum supplex orat, ut ex iis necessitatibus filium suum eriperet, vel impetrando infanti a Domino sanitatem, vel vitae miserandae finem. Has preces somnus consequitur infantis,

[1] Tum edit. Main., tum Cherubinius legunt *Papiensis;* at *Papiensi* legendum esse, ex contextu quisque perspicit (R. T.).

post paucas horas expergefactus matrem vocat, eique refert Cardinalem suum morbi locum manu, in qua lucidum gereret annulum, tetigisse, ac sanasse, quo audito (mirabilis Deus!) mater filiorum[1] adspicit, ac vero convaluisse comperit.

Alium infantem in Ticinum delapsum a demersione praeservavit.

§ 44. Non longe dissimili ratione alterum puerum Papiensem Bernardini Ticoni filium, suprascripto aequalem, a mortis faucibus eripuit Dominus per merita famuli sui, retribuens pietati parentum, qui ad Sancti Dei imaginem filiolum[2] vespere quotidie orare, et illum ivvocare docuerant: cum enim in Ticinum aquis tumidum delapsus fuisset infans, et, antequam quisquam illi opem ferre posset, quasi quarta horae pars elapsa fuisset, numquam tamen est demersus, sed, tamquam leve corpus supernatans, eo usque delatus est, donec educeretur: eductus plane incolumis se se Beato Carolo rubris induto vestibus sustentatum, ne mergeretur narravit[3]; Beati Caroli autem auxilium, more a parentibus accepto, invocans, dum decideret, a pluribus auditus fuerat.

Hinc Clemens VIII de canonizatione Caroli multis modis requisitus negocium cardinalibus sacris ritibus deputatis demandavit et de eorum consilio causam pluribus Palatii Apostolici auditoribus commisit.

§ 45. Haec itaque et alia quamplura signa et prodigia, quibus Servi sui praeclara merita contestatus est Dominus, cum illam in populis sanctitatis famam, et erga beatum Pontificem devotionem, quam[4] vita excitaverat, auxissent et in dies magis augerent, dederunt exordia clarificationis a Patre luminum Carolo praestitutae. Itaque anno MDCI, precibus Congregationis Oblatorum sancti Ambrosii Mediolanensis a Carolo institutae, primum a vicario venerabilis fratris nostri archiepiscopi Mediolanensis duo processus, de vità alter, alter de miraculis sancti Confessoris, formati sunt; exinde clerus et consilium generale eiusdem civitatis Mediolanensis ad felicis recordationis Clementem Papam VIII praedecessorem nostrum oratores de Beati Caroli canonizatione miserunt; quibus auditis, idem Clemens causam venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, S. R. E. cardinalibus sacris ritibus praefectis demandavit, de quorum consilio causa delegata tribus Sacri Palatii nostri causarum auditoribus, dilecto videlicet filio Francisco Peniae decano, ac dilecto etiam filio nostro Ioanni Garziae tituli Ss. Quatuor Coronatorum presbytero cardinali Millino nuncupato, tunc earumdem causarum auditori, ac bonae memoriae Alexandro Littae; quibus deinde bonae etiam memoriae Alexander Iustus, et Bernardinus Scottus, et huic demum dilectus filius Horatius Lancellottus earumdem causarum similiter auditores subrogati fuerunt, cum facultate novos processus, si eis videretur, conficiendi.

Qui novos processus faciendos decreverunt.

§ 46. Ipsi, re mature examinatà, novos processus, auctoritate apostolicâ, faciendos censuerunt.

Leo XI ad ulteriora procedi iussit.

§ 47. Deinde, eodem Clemente praedecessore viam universae carnis ingresso, ac felicis recordationis Leone Papa XI similiter praedecessore nostro ad Apostolatus[1] assumpto, eadem causa praedictis auditoribus commissa, et, ut ad ulteriora procederent, mandatum fuit.

Hic Pontifex pariter negocium canonizationis promovit.

§ 48. Eodemque Leone, sicut Altissimo placuit, ab humanis exempto, nostrâque humilitate, inscrutabili Dei iudicio, nullis suffragantibus meritis, ad Catholicae Ecclesiae regimen vocata, officii nostri debitum exigere censuimus, ut sancti Cardinalis canonizationis negocium promoveretur, quando[2], si Deo adspirante, ut

1 Ita legit etiam edit. Cherub.; at legendum esse *filiolum* aut *filium* quisque intelliget (R. T.).

2 Edit. Main. adhuc legit *filiorum* (R. T.).

3 Edit. Main. habet *narruit* (R. T.).

4 Perperam edit. Main. legit *quae* (R. T.).

1 Heic addendum foret *apicem*; vel cum Cherubin. legendum *Apostolatum* (R. T.).

2 Aptius *quod* pro *quando* legeretur (R. T.).

sperabatur, successisset, magno cum Ecclesiae suae augmento decoris, et credentium, praesertim sacerdotalis ordinis, fructu, gestum iri constabat.

Regesque et principes idem expostularunt.

§ 49. Accedebant etiam charissimorum in Christo filiorum nostrorum Philippi III Hispaniarum regis catholici, Sigismundi etiam III Poloniae regis, et Constantiae reginae, illustrium principum, et aliorum multorum preces quibus a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris praedictis, et a nobis, id saepius postulaverant et postulabant.

Supradicti ergo auditores completo processu et re mature examinata, Caroli canonizationem fieri posse retulerunt.

§ 50. Quamobrem, cum in eâdem causâ absque morâ progredi auditores mandavissemus, ipsi ex novo processu, auctoritate apostolicâ, per venerabiles fratres nostros Philippum Comensem et Claudium Placentinum episcopos confecto, et, ad se misso mandato nostro, diu multumque negocio discusso et accurate examinato, nobis primum, deinde cardinalibus praedictis tandem retulerunt, constare de Beati Caroli sanctitate vitae, excellentiâ fidei, et miraculis, et omnia ad canonizationem a sacris canonibus requisita legitime fuisse probata, ita ut, si nobis videretur, ad Servi Dei canonizationis solemnem actum procedere possemus [1].

Supradicti cardinales causam accuratissime recenserunt et in eamdem sententiam convenerunt.

§ 51. Restabat ut relationem auditorum et universam causam de more iidem cardinales accuratissime recenserent et pro rei gravitate recognoscerent; id quod cum recte fideliter praestitissent, idemque omnes censuissent, ac deinde venerabilis frater noster Dominus episcopus Ostiensis et Veliternensis S. R. Æ. cardinalis Pinellus nuncupatus, eorum antiquior, suam collegarumque sententiam cum totius summâ processus retulisset in consistorio nostro secreto, reliqui cardinales, qui aderant, in eamdem sententiam concesserunt.

1 Edit. Main. legit *possumus*; nos aptiorem censuimus lect. Cherub. (R. T.).

In publico consistorio advocatus aulae consistorialis Papae de canonizatione diserte dixit et regis Philippi nomine supplicavit.

§ 52. Quapropter sequenti publico consistorio, in quo pro canonizatione diserte dixit dilectus filius Iulius Roma aulae nostrae consistorialis advocatus, ac nomine praedicti Philippi regis nobis humiliter supplicavit, nos de tanti momenti negocio, ut par erat, deliberaturos[1] cum iisdem cardinalibus et episcopis in Curiâ praesentibus respondimus, et cardinales et episcopos, qui tunc aderant, hortati sumus, ut eleemosynis, ieiuniis et orationibus Spiritus Sancti auxilium devote implorarent.

Pontifex in semipleno Consistorio de hoc sermonem habuit et omnes beatum Carolum canonizandum esse dixerunt.

§ 53. Cum vero in semipublico consistorio, quod ex more deinde habuimus, vocatis non solum cardinalibus sed etiam patriarchis, archiepiscopis, et episcopis praedictis, ac praesentibus nostris ac Sedis apostolicae notariis, ac sacri Palatii nostri Apostolici causarum auditoribus, nos de vitâ et miraculis Beati Caroli, quae oportebat, proposuissemus, omnes beatum Carolum canonizandum esse apertis suffragiis censuerunt.

Idem Pontifex Deo gratias egit.

§ 54. Quorum unanimi consensu audito, aperuimus os nostrum in benedictionibus, et gratias egimus divinae clementiae, quod tantam gratiam tribuisset puero suo, ac per eum honorificare vellet ministerium nostrum, et canonizationis declaravimus diem, adhortantes omnes, ut iunctis nobiscum precibus, eleemosynis, ieiuniis et sacrificiis Spiritus Sancti gratiam infirmitati nostrae in eam rem procurarent.

Hisceque die 1 novembris rite et recte omnibus servatis, iste Pontifex beatum Carolum Sanctum esse pronunciat, et sanctorum confessorum catalogo adscribit.

§ 55. Denique, cum nihil restaret eorum, quae ex sanctorum Patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, ac S. R. E. antiquâ consuetudine agenda et observanda sunt, hodie in sacrosanctâ beati Petri principis apostolorum basilicâ, in qua solemni ritu, cum iisdem venerabilibus fratribus nostris S. E. R.

1 Ita legimus cum Cherub.; edit. Main. habet *deliberaturi* (R. T.).

cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis praedictis, Romanae Curiae praelatis, officialibus, ac familiaribus nostris, clero saeculari, et regulari, ac maximâ populi frequentiâ, mane convenimus, post repetitas pro canonizationis decreto petitiones nomine eiusdem Philippi regis a dilecto filio nostro Ferdinando sancti Eusebii presbytero cardinale per Iulium advocatum praedictum, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces, post Spiritus Sancti gratiam rite imploratam, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ac fidei catholicae exaltationem et religionis christianae augmentum, auctoritate Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in Urbe praesentium consilio et unanimi consensu, bonae memoriae Carolum Borromaeum, dum vixit tituli sanctae Praxedis presbyterum cardinalem et archiepiscopum Mediolanensem, de cuius sanctitate vitae, fidei sinceritate, et miraculis plene constabat, et constat, Sanctum esse definivimus, ac sanctorum Confessorum Pontificum catalogo adscribendum decrevimus, prout praesentium tenore definimus, decernimus et adscribimus, illumque omnes fideles venerari mandavimus et mandamus.

Eiusque festum die IV eiusdem mensis agi praecipit.

§ 56. Statuentes, ut ab universali Ecclesiâ in eius honorem ecclesiae et altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, aedificari et consecrari possint, et singulis annis die IV novembris festum ipsius et officium sancti Confessoris Pontificis ad breviarii romani praescriptum devote celebretur.

Eadem die eius sepulchrum visitantibus indulgentias elargitur.

§ 57. Eâdemque auctoritate omnibus christifidelibus, vere poenitentibus et confessis, qui annis singulis eodem die festo ad sepulchrum, in quo corpus eius requiescit, devote accesserint visitandum, unum annum, et unam quadragenam, iis vero qui in eiusdem festi octavâ, quadraginta dies de iniunctis seu quomodolibet debitis poenitentiis, misericorditer in Domino relaxavimus, ac relaxamus in formâ Ecclesiae consuetâ.

Deinde ad altare sancti Petri missam egit cum sancti Caroli commemoratione

§ 58. Postremo Deum Patrem aeternum, regemque gloriae Christum Patris sempiterni Filium, ac sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unum Dominum laudibus et confessionibus venerati, sacroque hymno decantato, solemni oratione Confessorum Pontificum per beati Caroli merita rite sumus precati, atque ad altare sancti Petri Apostoli missam egimus, cum eiusdem Sancti Pontificis commemoratione, omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concessimus.

Dat postremo gloriam Deo omnesque apud eum orare hortatur, ut beatum Carolum ecclesiae suae patronum praestare dignetur.

§ 59. Æquum est igitur, dare nos gloriam et honorem et benedictionem Viventi in saecula saeculorum, qui benedixit conservum nostrum in omni benedictione spirituali, ut esset sanctus et immaculatus coram ipso; et, cum illum dederit nobis Dominus tamquam fulgentem stellam in hac nocte peccatorum, tribulationum nostrarum, adeamus ad divinam clementiam ore et opere supplicantes, ut Carolus Ecclesiae, quam vehementer dilexit, prosit etiam meritis et exemplo, adsit patrocinio, et in tempore iracundiae fiat reconciliatio, per Christum Dominum nostrum.

Exemplis huius bullae credi iubet.

§ 60. Caeterum, quia difficile foret praesentes nostras litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctionemque poenalem apponit.

§ 61. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCX, kalendis novembris, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 1 novembris 1610, pontif anno VI.

Papae subscriptio.

✠ EGO PAULUS
CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

Cardinalium subscriptiones.

† Ego A. Maria episcop. Praenestinus, card. Gallus.

† Ego Antonius episcop. Albanen., card. Saulus.

† Ego Evangelista tit. S. Laurentii in Lucina, presb. card. Cusentinus.

† Ego Fr. Gregorius tit. S. Mariae Transtyb., presb. card. de Monte Elpero.

† Ego Franc. Maria tit. S. Mariae in Aracaeli, presb. card. a Monte.

† Ego Flaminius tit. S. Mariae de Pace, presb. card. Platus.

† Ego Federicus tit. S. Mariae Angelorum, presb. card. Borromaeus.

† Ego Petrus tit. Ss. Io. et Pauli, presb. card. Aldobrand. S. R. E. Camerarius.

† Ego Octavius tit. S. Sabinae, presb. card. Bandinus.

† Ego Laur. tit. S. Laurentii in Pane et Perna, presb. card. Blanchettus.

† Ego Bart. tit. S. Mariae in Porticu, presb. card. Caesius.

† Ego Franc. tit. S. Mariae de Populo, presb. card. Mantica.

† Ego Io. Bapt. tit. S. Priscae, presb. card. Bevilacqua.

† Ego Dominicus tit. S. Petri in Monte Aureo, presb. card Thuscus.

† Ego Robertus tit. S. Mariae in Via, presb. Card. Bellarminus.

† Ego Dominicus Ss. Duodecim Apost., presb. card. Gymnasius.

† Ego Ant. tit. S. Crucis in Hierusalem, presb. card. Zappata.

† Ego Carolus tit. S. Clementis, presb. card. de Comitibus.

† Ego Iac. tit. S. Stephani in Monte Coelio, presb. Card. Sannesius.

† Ego Erm. tit. S. Mariae Transpontinae, presb. card. de Valentibus.

† Ego Ferdinandus tit. sancti Eusebii, presb. card.

† Ego Scipio tit. S. Chrysogoni, presb. card. Burghesius, Maior Poeniten.

† Ego Io. Garzia tit. Ss. Quatuor Coronatorum, presb. card. Millinus.

† Ego Marcellus card. Lantes tit. Ss. Quirici et Iulitae.

† Ego Fr. card. de la Rochefoucault tit. S. Calixti.

† Ego Michael Angelus Tontus card. Nazarenus tit. S. Bartholomaei.

† Ego Fabritius cardinalis Verallus tit. S. Augustini.

† Ego Io. B. tit. S. Sixti card. Lenius.

† Ego Alex. S. Laur. in Dam. diac. card. Montaltus S. R. E. vice-cancellarius.

† Ego Odoar. S. Eustachii diac. card. Farnesius.

† Ego A. S. Angeli in Foro Piscium diac. card. Perettus.

† Ego Io. Bapt. S. Mariae in Cosm. diac. card. Daetus.

† Ego A. S. Agathae diac. card. Capponius.

CLXIV.

Declaratio et extensio Constitutionis Clementis VIII circa formam communicandi indulgentias, ad canonicos et

capitulum basilicae Lateranensis de Urbe, et alios quoscumque huiusmodi facultatem communicandi indulgentias habentes[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quae salubriter a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus constituta sunt, ut ab omnibus praesertim in almâ Urbe nostrâ inviolabiliter observentur, ex officii nostri debito providere tenemur, prout in Domino conspicimus expedire.

Clemens VIII praescripsit omnibus regularibus et institutis formam sibi aggregandi alias confraternitates et congregationes, cum indulgentiarum communicatione, ut in sua Constitutione citata.

§ 1. Olim siquidem felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster (volens nonnullas pravas consuetudines tollere, quae irrepserant in usu facultatum a Sede Apostolicâ concessarum nonnullis regularibus Ordinibus, religionibus et institutis, ac etiam christifidelium saecularium archiconfraternitatibus et congregationibus diversarum nationum, nominum et institutorum, tam in praedictâ almâ Urbe nostrâ, quam in aliis civitatibus et locis christiani orbis institutis, erigendi et instituendi, nec non etiam sibi aggregandi confraternitates et congregationes, eisque privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias et indulta sibi concessa respective communicandi) perpetuo valiturâ Constitutione, quae incipit, *Quaecumque a Sede Apostolicâ*, facultates huiusmodi moderando, indulgentias, aliasque spirituales gratias communicandas, et formulam easdem confraternitates et congregationes erigendi, instituendi, aggregandi, et respective communicandi praescripsit, et alia constituit, voluit et ordinavit, prout in litteris in huiusmodi formâ Brevis, sub datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die VII septembris[1] MDCIV, pontificatus sui anno XIII desuper expeditis plenius continetur.

Canonici et capitulum basilicae Lateranensis de Urbe in dicta Constitutione non comprehendi praetendebant.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, dilecti filii capitulum et canonici basilicae Lateranensis de eâdem Urbe, diversas ubique constitutas ecclesias, vel capellas, seu altaria, vel oratoria eidem basilicae submittere, subiicere, annectere, incorporare, ac in basilicae praedictae membrum recipere, atque in submissione, subiectione, annexione, incorporatione et receptione huiusmodi eisdem, nec non aliis similiter ecclesiis, capellis, altaribus, seu oratoriis, et piis locis aedificatis et constructis in solo Lateranensi varias indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, indulta et privilegia, concedere soleant, dictae Constitutionis formâ, eo quod in eâ se non comprehendi praetendant, minime servatâ;

Hic igitur Pontifex declarat dictum capitulum Lateranense et alia quaecumque quoad indulgentias per ea aliis communicandas comprehendi.

§ 3. Propterea nos, volentes ut Constitutio praedicta tam ab eisdem Lateranensis ecclesiae capitulo et canonicis, quam ab aliis quibuscumque ius et facultatem communicandi huiusmodi indulgentias habentibus, ut par est, sine discrimine in posterum observetur, Constitutionem et litteras praedictas dicti Clementis praedecessoris cum suis clausulis et decretis ad basilicae Lateranensis et aliarum basilicarum et ecclesiarum quarumcumque capitula, canonicos, et quasvis alias[2] personas, similes facultates habentes, illisque utentes, ad effectum videlicet, ut ipsa capitula et canonici ac personae nullas in posterum indulgentias communicari possint, nisi praedictae Constitutionis formâ servatâ, et eas solummodo, quae a nobis illis praescribentur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium extendimus, et ab ipsis, perinde

1 Circa praescriptam formam communicandi indulgentias, vide supra Constit. CCCL Clementis VIII quae incipit, *Quaecumque* (in h. n. edit. CCCLXII, quam vide supra pag. 138 huius voluminis).

1 Loco cit. in notâ praec. est *decembris* (R. T.).
2 Edit. Main. habet *aliis* (R. T.).

ac si eorum expressa mentio in dictis litteris facta esset, perpetuis futuris temporibus, sub poenis in eisdem litteris contentis, inviolabiliter observari praecipimus et mandamus.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus praemissis, et omnibus illis, quae idem Clemens praedecessor dictis in litteris voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus tamen, quod indulgentiae, peccatorum remissiones, gratiae et privilegia per dictum capitulum et canonicos Lateranenses vigore indultorum eis a Sede praedictâ concessorum quibusvis ecclesiis, capellis, altaribus, oratoriis, et locis piis hactenus concessa et communicata in suo robore permaneant;

Transumptorum fides.

§ 5. Quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, etc., III novembris MDCX, anno VI.

Dat. die 3 novembris 1610, pontif. an. VI.

CLXV.

Confirmantur constitutiones Collegii Borromaei Papiensis a Friderico cardinali Borromaeo correctae et in volumen redactae[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Sixtus V constitutiones collegii Papiensis confirmavit.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Sixtus Papa, V praedecessor noster, supplicationibus dilecti filii nostri Friderici tituli sanctae Mariae Angelorum presbyteri cardinalis Borromaei nuncupati, tunc in minoribus constituti, ac collegii etiam Borromaei nuncupati in civitate Papiensi erecti administratoris, inclinatus, constitutiones et ordinationes pro dicti collegii recte administrandi gubernandique ratione iuxta mentem et voluntatem gloriosae memoriae sancti Caroli, nuper a nobis suffragantibus eius meritis ad omnipotentis Dei laudem et Catholicae Ecclesiae exaltationem numero et cathalogo Sanctorum adscripti, ipsius collegii fundatoris editas perpetuo confirmavit et approbavit, et per ipsius collegii administratorem, rectorem, et collegiales, aliasque dicti collegii personas tunc et pro tempore existentes observari mandavit, prout in ipsius Sixti praedecessoris litteris in simili formâ Brevis expeditis plenius continetur[1].

Eas vero cum immutandas aliqua ex parte duxerit cardinalis Fridericus Borromaeus.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Fridericus cardinalis nobis nuper exposuit, nonnullae ex dictis constitutionibus et ordinationibus, utiliter et salubriter tunc editae, temporum varietate et rerum vicissitudine sic exigentibus correctae, et aliae de novo de ipsius Friderici cardinalis mandato additae, in unum volumen compilatae, revisae et approbatae fuerint; cupiatque idem Fridericus cardinalis constitutiones et ordinationes huiusmodi sic correctas, immutatas, de novo additas, revisas et approbatas pro illarum subsistentiâ firmiori, ac ut inviolabiliter ab administratore, rectore, collegialibus, et personis praedictis, aliisque, ad quos pro tempore spectabit, inviolabiliter observentur, nostro et Apostolicae Sedis munimine roborari; nobis idcirco dictus Fridericus cardinalis humiliter supplicaverit, ut easdem constitutiones et ordinationes correctas, immutatas, et de novo

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Quas vide in tom. VIII pag. 837 (R. T.).

editas[1] confirmare de benignitate apostolicâ dignaremur:

Clausulae.

§ 3. Nos igitur, constitutionum et ordinationum praedictarum tenores praesentibus, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso praesentibus insererentur, pro expressis et insertis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, constitutiones et ordinationes praedictas sic correctas, immutatas et de novo additas, revisas et approbatas, omniaque et singula in eis contenta, pro optimo ipsius collegii illiusque collegialium et rerum et bonorum regimine et administratione, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos, tam iuris quam facti, defectus, si qui intervenerunt in eisdem, supplemus, ipsiusque collegii administratorem, rectorem et collegiales, aliasque dicti collegii personas, nunc et pro tempore existentes, ad earumdem constitutionum et ordinationum observantiam teneri et obligatos existere, ac ob illarum non observationem poenas in eisdem constitutionibus et ordinationibus contentas incurrere volumus.

Sic in iudiciis definiendum.

§ 4. Et ita per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes etiam causarum Palatii Apostolici auditores et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Exequutores deputantur.

§ 5. Et nihilominus venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Mediolanensi, ac Papiensi et Laudensi episcopis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, constitutiones et ordinationes praedictas ab eiusdem collegii administratore, rectore, collegialibus, et aliis personis, nunc et pro tempore existentibus, etiam sub censuris et poenis tam ecclesiasticis quam pecuniariis, eorum et cuiuslibet ipsorum arbitrio moderandis et applicandis, reclamatione, recursu aut exceptione quibuscumque cessantibus, inviolabiliter observari faciant; contradictores quoslibet et rebelles, ac eisdem constitutionibus et ordinationibus non parentes, per easdem censuras et poenas, appellatione postpositâ, compescendo, ipsasque censuras et poenas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de[1] unâ, et concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti collegii, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, aut aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur

1 Videretur legendum *additas* (R. T.).

1 Perperam edit. Main. legit *ac* (R. T.).

et exprimererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque: aut si administratoribus, rectori, collegialibus et personis praedictis, vel quibusvis aliis, communiter aut divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die III decembris MDCX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 3 decembris 1610, pontif. an. VI.

CLXVI.

Quod archiepiscopi et episcopi, in partibus Indiarum maris Oceani sub ditione regis catholici existentibus, non possint suscipere munus consecrationis, nisi in dictis partibus Indiarum [1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Causae faciendi decreti.

§ 1. Accepimus, non sine animi nostri dolore, quod (licet felicis recordationis Gregorius Papa XIII praedecessor noster per suas in simili formâ Brevis expeditas litteras [2] monuerit et attente hortatus fuerit omnes et singulos archiepiscopos et episcopos, de quorum personis metropolitanis seu cathedralibus ecclesiis in partibus Indiarum maris Oceani sub ditione charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici existentibus provisum erat et ex tunc futuris temporibus provideretur, ut ex Hispaniâ in primo transitu navium ad partes Indiarum praedictarum, de huiusmodi transitu certiores facti, ad ecclesias suas personaliter accederent, alioquin fructus ipsarum ecclesiarum usque ad eorum adventum ad ecclesias praedictas decurrendos amitterent) nihilominus promoti ad ecclesias huiusmodi, seu multi ex illis, absque legitimâ causâ ad suas ecclesias accedere differunt, et, in Hispaniâ commorantes, fructus, redditus et proventus earumdem ecclesiarum exigunt, non sine animarum sibi commissarum salutis detrimento.

Decretum de quo in rubrica.

§ 2. Quare nos, huic malo, quantum cum Domino possumus, obviare cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum consilio, omnibus et singulis archiepiscopis et episcopis, de quorum personis metropolitanis seu cathedralibus ecclesiis in partibus Indiarum maris Oceani sub ditione dicti Philippi regis existentibus ex nunc de caetero perpetuis futuris temporibus provideri contigerit, ne alio in loco quam in partibus Indiarum praedictarum munus consecrationis suscipiant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo inhibemus.

Indultorum non nullorum concessio pro faciliori episcoporum in Indiis consecratione.

§ 3. Et quia illis impossibile foret munus consecrationis infra tres menses, prout de iure tenentur, a die illorum provisionis et professionis huiusmodi computandos, suscipere, et in partibus Indiarum praedictarum plures episcopi, qui muneris consecrationis huiusmodi impensioni assistant, difficile semper convenire possunt, idcirco sic promotis tempus trium mensium, ad suscipiendum munus consecrationis praefixum, a die eorum ad primum portum insularum sive continentis, ubi eorum existunt ecclesiae dictarum Indiarum, appulsus currere debere declara-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Quas non puto esse in *Bullario* (R. T.).

mus, et insuper eisdem sic provisis, ut in defectum episcoporum et abbatum, assistentibus cum episcopo duabus personis in dignitate apostolicâ constitutis munus consecrationis suscipere libere et licite possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus. Quodque sic promoti, qui in primo transitu navium ad partes Indiarum praedictarum de huiusmodi transitu certiores facti ad ecclesias suas personaliter absque causâ necessariâ non accesserint, iuxta praedicti Gregorii praedecessoris litterarum tenorem, quas per praesentes etiam confirmamus et innovamus, fructus, redditus et proventus suarum ecclesiarum usque ad eorumdem adventum ad ecclesias praedictas decurrendos amittant, illisque privati existant et censeantur[1]; prout nos harum serie, auctoritate et tenore similibus, omnibus fructibus, redditibus et proventibus huiusmodi privamus, illosque pro ornamentis et paramentis ecclesiasticis, et fabricâ, ac aliis rebus ad cultum divinum in dictis ecclesiis magis necessariis assignamus, applicamus et appropriamus.

Inobedientes amittant fructus interim decurrendos;

Quos percipiendi et expendendi pro ecclesiis ius tribuit capitulis

§ 4. Ut autem mens et voluntas nostra in praemissis debitae exequutioni demandetur, dilectis filiis capitulis ecclesiarum, quarum praesules in dicto transitu illuc non accesserint seu munus consecrationis alio in loco susceperint, fructus, redditus et proventus praedictos in ornamenta et paramenta ecclesiae, necnon fabricam et alias res ad cultum divinum magis necessarias, dividendi atque distribuendi licentiam, facultatem et auctoritatem concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictarum ecclesiarum, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium earum praesulibus quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 6. Caeterum, quia difficile foret, praesentes litteras ad singula quaecumque loca, ubi necesse fuerit, deferri, volumus, quod transumptis praesentium litterarum, sigillo alicuius praelati ecclesiastici munitis et manu notarii publici subscriptis, eadem fides, tam in iudicio quam extra illud, ubilibet adhibeatur, quae ipsis litteris originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII decembris MDCX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 7 decembris 1610, pontif. an. VI.

1 Supple v. *declaramus*, quod praecessit (R.T).

CLXVII.

Facultas archiepiscopis et episcopis Indiarum Occidentalium celebrationem conciliorum provincialium ad duodennium differendi[1].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis circumspecta providentia interdum ea, quae per Romanos Pontifices provide et mature statuta et ordinata fuerunt, novis supervenientibus causis cogitur immutare, prout, rerum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicit salubriter in Domino expedire.

Gregorius XIII

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordatio-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

episcopis Indiarum Occidentalium praecepit concilium provinciale quolibet septennio celebrare.

nis Gregorius Papa XIII, praedecessor noster, per suas in simili formâ Brevis expeditas litteras archiepiscopis et episcopis in Indiis Occidentalibus existentibus inter alia, ut concilium provinciale de septennio in septennium celebrare deberent, praecepit et iniunxit, prout in litteris praedictis plenius continetur [1].

Quod cum nimium sit difficile,

§ 2. Cum autem, sicut ex insinuatione charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nuper accepimus, magna et gravia incommoda ex frequentiâ celebrationis conciliorum huiusmodi nascantur, cum propter non residentiam episcoporum apud ecclesias suas, qui ob longa et difficilia etiam cum vitae periculo itinera [2] maiori ex parte temporis ab ecclesiis suis absunt, tum etiam propter parum utiles fructus, qui ex crebrâ celebratione conciliorum huiusmodi proveniunt, eo quod, ubi in conciliis huiusmodi nonnulla decreta seu statuta pro felici provinciarum et dioecesum directione et gubernio facta et ordinata sunt, antequam episcopi ad dioeceses suas iam reversi illa debitae exequutioni demandari facere possint, ad concilia provincialia huiusmodi celebranda iterum convocantur:

Paulus ut ad duodennium differatur concedit.

§ 3. Nos praemissis et aliis iustis causis opportune providendum de solitâ Sedis Apostolicae benignitate censuimus. Igitur archiepiscoporum et episcoporum praedictorum commoditatibus, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, de consilio venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum, ut archiepiscopi et episcopi Indiarum Occidentalium ex causis superius expressis concilii provincialis celebrationem ad duodecim annos differre possint (nisi aliud per Sedem Apostolicam postea ordinatum fuerit, vel episcopis et archiepiscopis ipsis quandocumque visum fuerit frequentiori opus esse celebratione) apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praedictis Gregorii praedecessoris litteris, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die VII decembris MDCX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 7 decembris 1610, pontif. an. VI.

1 Hae quoque desunt (R. T.).

2 Perperam edit. Main. legit *itinere* (R. T.).

CLXVIII.

Declaratur, nova statuta edita pro seminario militari sancti Iacobi de Spatha, et sancti Benedicti de Avis in civitate Colimbriensi, non per Ordinarium, sed per collectorem Portugalliae esse approbanda: priores autem et commendatarii dictarum militiarum a contributione faciendâ caeteris seminariis, tam erectis quam erigendis, eximuntur [1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Paulus collegium Colimbriae pro huiusmodi Militiis erigi curaverat

§ 1. Aliàs charissimi in Christo filii nostri Philippi Portugalliae et Algarbiorum regis catholici nomine nobis exposito, quod magna pars parochialium ecclesiarum regnorum Portugalliae et Algarbiorum, praesertim in Ulixbonensi, Elborensi, Colimbriensi, Elnensi, Faraonensi, Portalegrensi, et aliis forsan dioe-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

cesibus, constabat ex praeceptoriis seu commendis Militiarum sancti Iacobi de Spatha sub regulà sancti Augustini, et sancti Benedicti de Avis sub Regulà eiusdem sancti Benedicti; quae parochiales ecclesiae, tam quoad animarum curam quam quoad alia necessaria, per presbyteros Ordinum earumdem Militiarum respective professos (a praedicto Philippo rege, qui etiam dictarum Militiarum perpetuus administrator apostolicà auctoritate deputatus existit, pro tempore praesentandos, et ab Ordinariis locorum respective instituendos) gubernari solebant; et multae illarum in civitatibus et oppidis praecipuis eorumdem regnorum existebant, et propterea non solum per priores et rectores, sed etiam per diversos alios earumdem Militiarum beneficiatos collegialiter deserviri solebant, quod quidem nonnisi adhibito magno idoneorum ministrorum numero fieri poterat; et, licet in conventibus dictarum Militiarum tum grammaticae tum morali teologiae operam navarent, nonnulli tamen in Colimbriensi et Elborensi universitatibus studiorum generalium, expensis dictarum Militiarum, seorsim et separatim, et absque aliquà clausurà vel regularis disciplinae observantià, litterarum studiis incumbebant, ut postea de prioratibus et aliis beneficiis earumdem Militiarum provisi dictis ecclesiis inservirent: quoniam tamen praedictae Militiae pro ipsarum ecclesiarum regimine et administratione maiori eruditorum numero indigebant, nos, dicti Philippi regis et administratoris supplicationibus tunc humiliter porrectis inclinati, per alias nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras, in praedictà universitate studii generalis Colimbriensi unum collegium seu seminarium Militiarum praedictarum (in quo, sub unius rectoris a praedicto Philippo rege et pro tempore existente dictarum Militiarum administratore, seu magno magistro, ad nutum deputandi et amovendi curà et gubernio, aliqui praedictarum Militiarum religiosi sub regulari clausurà et obedientià sacrae theologiae seu iuri canonico operam dare debeant) perpetuo ereximus et instituimus, et, inter alia, ut praedictum collegium, seu seminarium militare, et collegiales in illud pro tempore admittendi iuxta statuta et regulas suorum Ordinum et alias pro felici illius gubernio de novo faciendas (dummodo licitae et honestae ac sacris canonibus, et Concilii Tridentini decretis, nec non constitutionibus apostolicis conformes existerent, et ab Ordinario loci tamquam a Sede Apostolicà approbatae[1] prius examinarentur et approbarentur) regi et gubernari deberet, statuimus et ordinavimus[2].

Cuius statuta a locorum ordinariis approbarentur.

§ 2. Ut autem praeceptores, commendatarii, priores, rectores, et alii beneficiati ac milites dictarum Militiarum onus contributionis faciendae pro manutentione dicti collegii, seu seminarii, facilius perferre possent, illos universos et singulos a quacumque alià contributione seminariis ecclesiasticis in quibusvis civitatibus et dioecesibus (attentâ eorumdem seminariorum illarum partium redditum ubertate, quodque ipsa seminaria non erant in quasi possessione exigendi contributionem a dictis Militiis) etiam perpetuo exemimus et liberavimus[3], ac liberos fore et esse decrevimus, prout in dictis litteris plenius continetur.

Commendatarios autem, etc. a contributione quacumque caeteris seminariis erectis facienda liberaverat, ut huic uni pares essent contribuendo.

§ 3. Nunc autem, cupientes peramplius collegii seu seminarii huiusmodi felici gubernio, ac rectoris, praeceptorum, collegialium, et alumnorum, aliarumque personarum in eo pro tempore

Nunc vero decernit nova statuta a collectore spoliorum R. C. esse approbanda.

1 Fors. pro *approbatae* legend. *delegato* (R. T.).
2 Vide sup. pag. 217 h. vol. (R. T.).
3 Edit. Main. heic legit *eximimus et liberamus*, et postea *decernimus* (R. T.).

degentium manutentioni prospicere, dictarum litterarum tenorem praesentibus pro expresso habentes, supplicationibus eiusdem Philippi regis et administratoris nobis etiam super hoc humiliter porrectis inclinati, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus et ordinamus, quod nova statuta et regulae pro gubernio dicti collegii, seu seminarii, nonnisi per praesidentem et deputatos mensae conscientiae nuncupatos fieri possint: quodque illa, priusquam publicentur, per pro tempore existentem spoliorum et iurium Camerae Apostolicae debitorum in regno Portugalliae collectorem, non autem Ordinarium, examinentur et approbentur.

Et declarat commendatarios etc. exemptos esse a contributionibus seminariis, tum erectis, tum erigendis.

§ 4. Insuper, auctoritate et tenore praedictis, praeceptores, commendatarios, priores, rectores et alios beneficiatos dictarum Militiarum, nunc et pro tempore existentes, non solum a quacumque contributione seminariis puerorum ecclesiasticis tunc erectis, verum etiam in quibusvis civitatibus et dioecesibus per Ordinarios locorum in vim decretorum Concilii Tridentini erigendis et fundandis, faciendâ similiter perpetuo eximimus et liberamus; ac exemptos et liberos fore et esse, sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, pariter decernimus.

Exequutores deputat.

§ 5. Quocirca dilectis filiis curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, ac spoliorum et iurium Camerae nostrae Apostolicae debitorum in Portugalliae et Algarbiorum regnis collectori generali, ac officiali Colimbriensi per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dicti Philippi regis, et pro tempore existentis administratoris, et aliorum praedictorum, seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos et eorum quemlibet eorumdem praemissorum effectu respective pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari; contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria tollit.

§ 9. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non Militiarum praedictarum et quarumcumque ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem collegio eiusque rectori et collegialibus aliisque personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, ac aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non au-

tem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda esset, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque; aut si presbyteris, vel quibusvis aliis, communiter aut divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die VII decembris MDCX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 7 decembris 1610, pontif. an. VI.

CLXIX.

Confirmatio concordiae inter rectorem et deputatos universitatis studii generalis Colimbriensis ex unâ, et rectorem et presbyteros collegii Societatis Iesu etiam Colimbriensis ex alterâ partibus, per quam ex redditibus dictae universitatis assignantur viginti millia scutorum pro restaurandis scholis dicti collegii[1].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam

Facti series.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii rector, lectores, deputati et consiliarii universitatis studii generalis Colimbriensis, et rectores[2], presbyteri et professores collegii Societatis Iesu etiam Colimbriensis, quod, cum aliàs charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum ac Portugalliae et Algarbiorum rex catholicus, tamquam dictae universitatis protector, die V iulii MDCIV praecepisset dictis rectori, lectoribus, deputatis et consiliariis universitatis huiusmodi, ut ex eiusdem universitatis redditibus quotannis ter mille scuta, usque ad summam viginti millium scutorum, rectori, presbyteris et professoribus collegii praedicti, uti membris dictae universitatis, ad effectum perficiendi inceptam fabricam scholarum, in quibus professores praedicti legerent humaniores litteras et artes liberales, cum declaratione, quod, si rector, presbyteri et professores praedicti aliquo tempore desinerent legere litteras humaniores et artes huiusmodi et recederent a conventis cum dictâ universitate, tunc et eo casu illi tenerentur restituere dicta viginti millia scuta, eo quia dictae scholae sunt incorporatae praedicto collegio, nec ab eo separari possunt; dicti vero rector, lectores, deputati et consiliarii universitatis huiusmodi, praesentato sibi mandato praedicto dicti Philippi regis, illi obtemperare recusassent sub diversis praetextibus, et praecipue quod dicta universitas non tenebatur construere, nec dare rectori, presbyteris et professoribus dicti collegii praedictas scholas; et subinde dictus Philippus rex, visis et mature consideratis rationibus quae per dictam universitatem afferebantur, die XX octobris MDCIX iterum praecepisset rectori, lectoribus, deputatis et consiliaris praedictis, ut ex redditibus dictae universitatis solverent rectori, presbyteris et professoribus dicti collegii dicta viginti millia scuta eo modo, quo aliàs mandaverat, cum declaratione, quod, si rector, presbyteri et professores dicti collegii aliquo tempore desinerent legere dictas lectiones, praeter restitutionem dictorum viginti millium scutorum, ad quam tene-

1 Ex regest. in Secret. Brev.
2 Vel potius legendum *rector* (R. T.).

rentur, deberent etiam permittere, ut spatio sex annorum alii lectores in dictis locis legerent, quo tempore aliae scholae per dictam universitatem construerentur; cumque inter rectorem, lectores, deputatos et consiliarios universitatis, et rectorem, presbyteros et professores collegii huiusmodi super solutione dictorum viginti millium scutorum materia quaestionis nonnullaeque aliae differentiae exortae essent; et rector, lectores, deputati et consiliarii universitatis decem et septem millia scuta, quae ex venditione scholarum collegii antiqui artium, aliàs officio[1] sanctae Inquisitionis, venditi ad universitatem praedictam, et non ad rectorem, presbyteros, et professores collegii praedicti, qui pretium praedictum habuerunt, spectare, aliaque praetenderent circa praemissa:

Concordia de qua in rubrica.

§ 2. Tandem rector, lectores, deputati et consiliarii universitatis, et rector, presbyteri et professores collegii huiusmodi quaestionem et differentias omnes amicabilitèr terminare cupientes, ad infrascriptam sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito devenerunt concordiam, videlicet: Quod rector, lectores, deputati et consiliarii universitatis praedictae contenti sunt solvere, prout promiserunt, rectori, presbyteris et professoribus collegii huiusmodi supradicta viginti millia scuta iuxta formam et tenorem mandatorum regiorum supradictorum, cum praedictà declaratione et obligatione, quod, si professores huiusmodi desinant legere in supradictis scholis supradictas lectiones, rector presbyteri et professores huiusmodi sint contenti, prout ipsi sunt, quod rector, lectores, deputati et consiliarii universitatis huiusmodi faciant legere dictas lectiones in dictis scholis per alios lectores spatio sex annorum a die quo professores praedicti amplius non legent, quibus sex annis finitis, rector, lectores, deputati et consiliarii universitatis huiusmodi restituere teneantur dictas scholas rectori et presbyteris collegii huiusmodi: Insuper quod, si dicta viginti millia scuta ad perfectionem dictae fabricae non sufficient, rectores, presbyteri et professores collegii huiusmodi non possint directe vel indirecte, etiam dicto Philippo rege iubente, praetendere et petere quidquam aliud; et ad hunc effectum renunciant omnibus mandatis regiis super hoc in futurum obtinendis, et quovis modo expediendis: Praeterea quod rector, presbyteri et professores huiusmodi se obligent, prout se obligarunt, ad perficiendam fabricam infra sexdecim annos a die quo iste contractus sortitus fuerit effectum suum, expendendo in illà pecunias, quas rector, lectores, deputati et consiliarii universitatis huiusmodi illis dabunt infra sex annos, et, si dictae pecuniae non sufficient, debeant supplere de suo, et perficiant dictam fabricam intra reliquos decem annos, qui supersunt pro complemento sexdecim annorum; et pro dicto supplemento dicti rector, lectores, deputati et consiliarii cedunt rectori, presbyteris et professoribus collegii huiusmodi omne ius, si quod habent, super dictis decem et septem millibus scutis pretii supradictarum scholarum collegii antiqui artium; cum hoc tamen, quod per hanc cessionem nullum censeatur adquisitum ius universitati super dictis decem et septem millibus scutis: Ac etiam quod, si rector, presbyteri et professores collegii praedicti aliquo tempore desinant legere dictas lectiones, teneantur restituere infra sex annos, prout se obligarunt, dictae universitati sine aliquà contradictione supradicta scuta viginti millia, et suam ratam quolibet anno, nullà per rectorem, lectores, deputatos et

1 Forsan legendum *Officii* (R. T.).

consiliarios huiusmodi praestitâ fideiussione, vel factâ obligatione : Et demum voluerunt, quod, si in fabricâ dictarum scholarum supradicta viginti millia scuta non impenderentur, totum, quod superesset, sit supradictorum rectoris et presbyterorum dicti collegii, et illud universitati praedictae restituere non teneantur, et aliàs, prout in instrumento seu scripturis desuper confectis plenius dicitur contineri.

Confirmari petitur.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, rector, lectores, deputati et consiliarii universitatis, nec non rector, presbyteri et professores collegii huiusmodi plurimum cupiant, supradictam concordiam pro illius subsistentiâ et validitate per nos approbari et confirmari; ideo nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatur.

§ 4. Nos igitur, pacem et unitatem, sublatis discordiis, quantum in nobis est, confovere, ipsosque rectorem, lectores, deputatos et consiliarios universitatis, nec non rectorem, presbyteros et professores collegii huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concordiam praedictam, et inde sequuta quaecumque, nec non instrumentum seu scripturas desuper confectas, ac omnia et singula in illis contenta (licita tamen et honesta) apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, etiam substantiales, defectus, si qui in illis quomodolibet intervenerint, supplemus.

Contraria tolluntur.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae universitatis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die I februarii MDCXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 1 februarii 1611, pontif. an. VI.

CLXX.

Monetur patriarcha Maronitarum, ut immutatos a suo praedecessore ritus restituat, et anathemate feriuntur, qui Maronitas antistites in suae iurisdictionis exercitio perturbant[1].

Paulus Episcopus
servus servorum Dei,

Venerabili fratri Petro patriarchae Maronitarum Antiocheno, salutem et apostolicam benedictionem.

Patriarchae Maronitarum studium pro grege sibi commisso laudatur.

Fraternitatis tuae litteras, quas nobis detulit dilectus filius Christi servus Georgius monachus, eo spiritualis letitiae affectu accepimus, quo semper solemus, quae ab istâ Ecclesiâ proficiscuntur, ita Apostolicae Sedi charitate coniunctâ, ut

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

disiuncta intervallo temporum, operante scilicet divinâ gratiâ, ut qui in unitate fidei unum sumus, locorum dissidiis minime seiungamur: sed maiori gaudio affecit cor nostrum, quod ex eodem Georgio cognovimus, fraternitatem tuam isto in agro Dominico tuae curae commisso sollicite versari, ac dare operam, ut, licet inter istas calamitates constitutus flens cogaris semina mittere, manipulos tamen, illosque pleniores, cum exultatione portare Domino possis. Quamobrem nos sollicitudinem tuam auctoritate divinitus attributâ beati Petri Sedi iuvare cupientes, motu nostro proprio, quae tuae Ecclesiae in Domino utilia fore duximus, significanda pro officii nostri debito censuimus.

Recensentur ritus nonnulli a defuncto patriarcha immutati.

§ 2. Siquidem pervenit ad aures nostras bonae memoriae Petro patriarchae decessori tuo visum esse nonnullos antiquos ecclesiae vestrae mores mutare, quod sane experientia docuit non aedificationi sed scandalo cedere; et, quia multis factum est[1], non esse ab omnibus usu receptum: ac propterea expedire duximus per Apostolicam Sedem tibi permitti ad pristinas consuetudines fideles istos reducere. Relatum est enim apostolatui nostro, patriarcham praedictum decessorem tuum voluisse carnibus more laicorum vesci archiepiscopos et episcopos, cum tamen a carnibus ex veteri consuetudine perpetuo abstinerent. Universaeque nationi vestrae, quae totam quadragesimam in abstinentiâ a vino et piscibus celebrabat, piscium cibum et potum vini permisisse. Et cum ieiunium adventus Domini quadraginta diebus ageretur, neque illud ante meridiem solvere liceret, patriarcham tamen praedictum, novitio ritu, a die festo sanctae Barbarae exordiendum decrevisse. Praeterea in honorem beatorum apostolorum Petri et Pauli dies triginta, aut pauciores, Maronitas ieiunare consuevisse, ab eodem vero decessore tuo quindecim solos dies ieiunandum constitutum esse, universi etiam refragante consuetudine Orientis. Cumque hebdomadam quadragesimam praecedentem natio vestra lacticiniis solis sine carnibus transigere consueverit, nunc carnibus vesci passim omnes solere. Quod in benedicendâ mensâ sacerdos panem primum amplius non benedicit, neque adstantibus tribuit, sicut usus erat, sublato hoc etiam more multis in locis.

Quos ut restituat facultas ei conceditur.

§ 3. Quas quidem antiquas consuetudines, quoniam nihil contra fidem catholicam habere dignoscuntur, restitui et servari, ut praefertur, libere posse (quibuscumque decretis, constitutionibus et ordinationibus praedicti patriarchae contrariis non obstantibus), auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Anathemate feriuntur qui episcopos in exercitio suae iurisdictionis perturbant.

§ 4. Insuper, quoniam sic etiam expedire in Domino accepimus, sub anathematis poenâ prohibemus (firmis remanentibus sacrorum canonum et apostolicarum constitutionum poenis), ne quisquam imposterum audeat fraternitatem tuam, tuosque successores violenter inducere quovis modo ad promovendum aliquem ad dignitates, vel gradus, seu ordines ecclesiasticos, neve episcopos aliosque praelatos ecclesiasticos quomodolibet per se vel alios impediat, quominus suam possint ecclesiasticam iurisdictionem in subditos suos ubicumque locorum intra fines sui territorii constitutos iuxta sacrorum canonum statuta libere exercere.

Adhortatio ad patriarcham ut laicos Maronitas moneat, ne ecclesiasticis molesti sint.

§ 5. Praeterea sacrorum canonum decreta illa, quae ecclesiasticis personis in sortem Domini vocatis debitum honorem habendum esse decernunt, ac gravissimas poenas transgressoribus irrogant[1], inviolata apud nationem vestram vigere, ut

1 Sic edit. Main.; an recte, nescio (R. T.).

1 Perperam edit. Main. legit *irrigant* (R. T.).

par est, putabamus[1]. Verum magno animi nostri dolore accepimus, non raro contra illa committi, ac humani generis hostis suggestione tam saeculares quam regulares ecclesiasticas personas laicorum Maronitarum iniuriis affici, ac violentas manus non raro perpeti, eosdemque[2] tamquam laicos tributis et vectigalibus angariari, immunitatis divino iure illis concessae nullâ habitâ ratione, propter quae non dubitamus irrideri vos ab inimicis vestris, et, quod deterius est, divinam maiestatem gravissime offendere et[3] ad iracundiam illam provocare. Quare fraternitatem tuam hortamur et enixe in Domino requirimus, ut scelera huiusmodi evellere a populo isto omnino procures, neque permittas illos in tantis afflictionibus Deum oblivisci, ne aggravet in dies super vos manum suam.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis et aliis contrariis quibuscumque. Curet igitur fraternitas tua, zelo charitatis Dominicae super gregem istum, cuius pastor constituta est, ita in dies melius intendere, ut fructum, quem Dominus a nobis expectat, accipiat, teque regni caelestis muneribus abundantius donet, quod, ut per viscera misericordiae suae tribuere dignetur, supplices exoramus, et apostolicam benedictionem tibi iterum impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MDCX, sexto kalendas martii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 24 februarii 1610, pontif. anno VI.

1 Forsan legendum *putamus* (R. T.).

2 Aptius legeretur *easdemque*, nempe *personas* (R. T.).

3 Perperam edit. Main. legit *est* (R. T.).

CLXXI[1].

De abbatiarum, prioratuum, aliarumque domorum Congregationis monachorum beatae Mariae Montis Virginis Ordinis sancti Benedicti erectione; abbatumque et priorum, ac aliorum eis praeficiendorum electione; vocalium in capitulis praefinitione; novitiorumque, conversorum, et aliorum habitu atque regimine.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Postulat ratio pastoralis officii nobis, licet imparibus meritis, divinâ providentia commissi ut, Congregationum, ad divini cultus augmentum et religionis propagationem institutarum conservationi intendentes, illa statuamus et decernamus, per quae non solum ipsae Congregationes conservari, verum etiam incrementum suscipere valeant.

Quia decreta a delegato apostolico edita, circa monasteria Congregationis retinenda et respective dimittenda, exequi minime opportunum fuit.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, aliàs dilectus filius Ioannes de Leonardis clericus regularis Congregationis Lucensis, ad restituendam et augendam regularem disciplinam monachorum Ordinis sancti Benedicti Congregationis Montis Virginis a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro delegatus, decretis Concilii Tridentini inhaerens, et in vim facultatum sibi a dicto Clemente praedecessore attributarum, ne maior esset monachorum numerus quam eiusdem Congregationis redditibus ali posset, quaedam monasteria Ordinis et Congregationis praedictorum perpetuo retinenda, alia per modum provisionis et ad certum tempus reliqua[2] supprimenda decreverit; experientia vero compertum sit, in exequutione decretorum ipsius Ioannis difficultates et incommoda et detrimenta varia circa ecclesiasticum cultum, red-

1 Hanc sumimus ex seq. volumine edit. Main. pag. 290 num. CCCXIII (R. T.).

2 Huiusmodi vox *reliqua* abundat (R. T.).

dituum[1], et monasteriorum conservationem et manutentionem nasci; et proinde dictus Clemens praedecessor multa ex illis sustulerit et immutaverit, multaque alia pro conservatione et augmento Ordinis et Congregationis praedictorum veniant abroganda:

Pontifex decernit quod monasteria vigintiquatuor sint, cum certo monachorum numero,

§ 2. Idcirco nos, dictorum decretorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, maturâ deliberatione desuper habitâ, hac nostra perpetuo valiturâ constitutione, perpetuo statuimus et ordinamus, quod monasteria, quibus tota Congregatio Montis Virginis constare debet, infrascripta vigintiquatuor sint, et in eisdem infrascriptus monachorum numerus ali debeat, qui neque minui, neque augeri, nisi quatenus augeatur dictorum monasteriorum redditus, possit.

Ex quibus tresdecim gubernentur per abbates.

§ 3. Videlicet: monasterium Montis Virginis de Monte, in quo sint monachi centum, computatis omnibus, tam professis quam oblatis et famulis, ita tamen, ut dimidia saltem pars sint sacerdotes; monasterium sanctae Mariae Montis Virginis de Neapoli, in quo sint sexdecim; et monasterium Casae Maricanae, in quo quatuordecim, comprehensis professis, oblatis et famulis, ut supra dictum est; monasterium sanctae Mariae Virginis de Capua, sanctae Mariae de Gratiâ terrae Pintae, sanctae Mariae Montis Virginis terrae Candidae, sanctae Mariae de Gratia Mariliani, sanctae Mariae Virginis de Aversa, et sanctae Agathae Urbis Romae, sancti Salvatoris de Gufero, sanctae Agathae de Apulia, sanctae Mariae Laventanae Montis Falcionis, sancti Ioannis de Argento; in quibus singulis sint monachi duodecim, omnibus supradictis computatis: praedicta vero monasteria gubernentur sub titulo abbatis, iisque non praeficiantur nisi monachi spectatae virtutis et disciplinae:

Alia vero undecim per priores ad ea eligendos.

§ 4. Monasteria sancti Honuphrii terrae Abbedinae, sanctae Crucis terrae Palmae, sancti Ioannis de Sarno, sancti Iacobi in terrâ Lauri, sancti Benedicti de Ariano, sancti Ioannis Baptistae de Castello, sancti Ioannis Baptistae Nuceriae, sancti Iacobi de Benevento, sanctae Mariae de Gratia de Carviscara, sanctissimi Corporis Christi Montis Aurei, sancti Iacobi terrae sancti Angeli de Scala; in quibus sint monachi sex pro quolibet monasterio, neque plures, neque pauciores, computatis omnibus supradictis: et monasteria praedicta gubernentur sub titulo prioris.

Qui priores iuxta eorum merita sufficiantur in locum decedentium abbatum.

§ 5. Qui quidem priores, abbatibus decedentibus, per gradus praeficiantur monasteriis maioribus supradictis, prout eorum virtutum merita et administrationis ratio postulare videbuntur.

Et eorum tres coram abbate et definitoribus ab ipsismet undecim prioribus eligendi vocem activam habeant in Capitulo.

§ 6. Ex numero vero dictorum undecim priorum, qui erunt ad nutum amovibiles, tres eligantur per vota secreta ipsorum tantum undecim priorum, fabis albis et nigris in pixidem coniiciendis; et qui plura vota tulerint, hi vocem electivam in capitulo habeant; ea vero electio celebretur coram abbate generali, et duobus definitoribus, vel saltem uno, si alter aliquo impedimento intercedente adesse non poterit.

Decanus, definitores, procurator generalis, et omnes supradicti abbates vocem habeant in Capitulis et in electione abbatis generalis ac definitorum

§ 7. Decanus vero, definitores, seu visitatores, procurator generalis in Urbe pro tempore existens, nec non supradicti omnes abbates, et magister novitiorum, qui tantum est ad praesens, et vicarius, similiter ad praesens existens, presbyterorum Montis Virginis, qui declaretur abbas, et deinceps eligetur ex supradicto numero abbatum, semper vocem habeant activam et passivam in capitulis generalibus et provincialibus, et in electione abbatis generalis definitorum.

Abbates prae-

§ 8. Omnesque abbates supradicti gau-

1 Nescio an hic exciderit vox *computationem* aut similis (R. T.).

dicti gaudeant privilegiis abbatum Ordinis Camaldulensis.

deant et gaudere debeant omnibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus et praeeminentiis, quibus gaudent abbates Camaldulenses quocumque iure.

Monachi maiores annis sexaginta qui abbates fuerint aut locis praedictis praefuerint per annos decem vocem habeant, si Capitulum velit.

§ 9. Monachi quoque senes et sexaginta annis maiores, cum fuerint abbates ad minus decem annis et seu per dictum temporis spatium iis locis praefuerint qui nunc abbatiae appellantur, licet velint cedere officio quod obtinent, habeant pariter vocem activam et passivam in omnibus capitulis et electionibus, si tamen ad id consenserit capitulum generale, et non aliàs.

In aliis monasteriis, decem et novem quae praedictis unita sunt, collocetur unus monachus cum converso vel oblato, sacerdos quadraginta annis maior, et hi censeantur de familia monasterii, cui illud in quo degunt monasterium unitum erit.

§ 10. In aliis monasteriis, seu domibus, et membris, quae praedictis monasteriis unita et annexa, vel aliter, reperiuntur, nulla in posterum constituatur familia, sed monachus tantum unus sacerdos, quadraginta annorum maior ac probatae vitae, cum uno converso seu oblato, collocetur, qui sint et censeantur ex familià, cui domus, seu membrum illud unitum fuerit, ac in eà ecclesià celebrent, et bonorum et reddituum curam habeant. Huiusmodi vero monasteria, seu domus sint infrascriptae; videlicet: monasterium sanctae Mariae Magdalenae de Salerno; sanctae Mariae de Nive de Trivico; sancti Bartholomaei de Troia; sancti Ioannis Baptistae de Avellino; Annunciatae Altavillae; sanctae Mariae Annunciatae de Merculiano; Montis Virginis de Thiano; sanctae Mariae de Nive de Prata; sancti Leonardi de Montefusculo; sanctae Mariae de Ascensione de Cariffo; sanctae Mariae Annunciatae de Illiceto; sancti Donati de Asculo; sanctae Mariae de Tocco; sanctae Mariae de Boiano; sanctae Mariae Montis Virginis de Altovilla Capacii; sanctae Catharinae de sancto Martino; sanctae Mariae Annunciatae de Matalona; sanctae Mariae de Airola; et sancti Rocchi de Baniolo.

In reliquis domibus seu membris, alii deputentur, ut hic.

§ 11. In monasteriis[1] autem Feudi, quod, sicut accepimus, membrum est monasterii Montis Virginis, et animarum curam habet, sint monachi, quot, sicut pariter accepimus, in eo esse solent, numero quinque; in monasterio Puteolano, quot ut asseritur hospitium est et membrum monasterii Neapolitani, numero tres; in reliquis domibus, seu membris, deputetur unus oblatus professus spectatae probitatis et aetatis, qui sit ex familià monasterii, cui domus annexa est, qui ecclesiae suppellectilis, aedium et reddituum curam habeat.

Si qua domus ad formam monasterii redigatur, cum competenti dote pro alendis duodecim monachis, vel saltem sex, tunc restituatur sub abbatis vel prioris titulo gubernanda.

§ 12. Si vero forte contigerit, ut aliquod seu aliqua ex monasteri praedictis vel domibus ad formam monasterii redigantur, competenterque dotentur, ita ut duodecim in eo monachi, vel saltem sex ali possint, ut supra dictum est, tunc cum capituli generalis consensu et protectoris licentià restituantur sub abbatis vel prioris titulo respective gubernanda.

Novitiatus in monasterio Montis Virginis et sanctae Agathae de Urbe eriguntur.

§ 13. Praeterea ad propagationem Congregationis unum in monasterio Montis Virginis de Monte, et alterum in monasterio sanctae Agatae de Urbe novitiatum, in quibus, postquam fabricà et rebus necessariis instructi fuerint, novitii[1] recipi et admitti ac sumptibus dictorum monasteriorum respective ali et manuteneri debeant, ad instar aliorum dictae Congregationis novitiatuum, apostolicà auctoritate, tenore praesentium, sine alicuius praeiudicio, perpetuo erigimus et instituimus.

Qui aliorum novitiatuum Congregationis privilegiis omnibus perfruantur.

§ 14. Illisque sic erectis et institutis, nec non novitiis et aliis personis regularibus professis in illis pro tempore existentibus, quod omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, praerogativis, antelationibus, favoribus, praeeminentiis, indultis, licen-

1 Forsan legendum *monasterio* (R. T).

1 Edit. Main. legit *novitiis* (R. T.).

tiis, aliisque gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus alii eiusdem Congregationis novitiatus et illorum novitii ac regulares personae de iure, statuto, usu, consuetudine, privilegio, aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, ipsi pariter et pariformiter ac aeque principaliter, absque ullâ prorsus differentiâ, in omnibus et per omnia ac si illis nominatim et expresse per praesentes concessa et impertita forent (etiamsi talia essent, quae specialem et individuam requirerent mentionem, et sub generali expressione non comprehenderentur) uti, potiri et gaudere possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis, itidem perpetuo concedimus et indulgemus.

Quo vero ad novitios recipiendos, ac regendos, decreta Sedis Apostolicae serventur.

§ 15. Quod vero ad uniuscuiusque loci qualitatem et novitiatus ac recipiendorum in novitios formam spectat, eorumque regimen, decreta super praedictis a Sede Apostolicâ evulgata omnino serventur.

Qui et quot novitii recipiendi sint.

§ 16. Et quoniam, ut ex statu personali monachorum dictae Congregationis nobis constitit, ex quorumdam superiorum negligentiâ seu aliquo humano affectu factum est, ut ex eâdem patriâ, et etiam ex eâdem familia multoties maior numerus monachorum receptus fuerit, quam par erat seu monasterii redditibus, qui in eâdem patriâ sunt, ali possent; decernimus non plures novitios quam tres eiusdem patriae in posterum in Congregatione praedictâ recipiendos, nisi in defectum aliorum; quo casu recipiendi munus huiusmodi ad capitulum generale cum protectoris licentiâ spectet, et non aliter.

Abbas, prior vel cellerarius in propria patria non eligatur.

§ 17. Nemo etiam abbas, prior vel cellerarius creari possit in propriâ patriâ.

Novitiatus duo alii arbitrio Capituli generalis instituantur.

§ 18. Insuper duo alii novitiatus monachorum professorum arbitratu capituli generalis constituantur, in quibus novitii professi usque ab presbyteratus, vel saltem ad subdiaconatus ordinem, in observantiâ disciplinae monasticae, studiis incumbant.

Diversitas habitus pro diversitate monachorum.

§ 19. Sicut autem vestitus novitiorum a monachorum professorum distinctus esse debet, sic conversorum professorum vestitus a non professis distinctus omnino sit, et oblatis non professis tabanus tantum cum beretto albi coloris concedatur.

Filiationes monasteriorum.

§ 20. Volumus etiam et decernimus, ut filiationes monasteriorum, uti habent aliae congregationes sancti Benedicti, in congregationem huiusmodi introducantur;

Abbates et priores ubi praedicare possint.

§ 21. Et tam abbates, quam priores praedicare verbum Dei in locis viginti-quinque milliaribus a suis monasteriis distantibus,

Qui et quando doctoratus gradum suscipiant.

§ 22. Et postquam cursum in theologiâ peregerint, et quinque annos continuos legerint, gradum doctoratus suscipere cum licentiâ abbatis generalis, qui nullâ tamen gaudeant exemptione, possint et valeant.

Oblati professionem quando emittant et quo postea habitu utantur.

§ 23. Ac omnes oblati, tam hactenus professi, quam qui in posterum emiserint professionem, debeant, post illam emissam, deferre scapulare parvum, latitudinis palmi, longitudinis usque ad genua, ac in imâ parte ad figuram ovi redactum, cum cucullâ rotundâ, et sine caudâ, ut dicunt, et dicto scapulari consuetâ, dictaque professio non possit ab illis emitti, nisi de vitâ et moribus a religiosis monasteriorum, ubi servierunt, et tunc servient, fuerint approbati, ac servatis decretis a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro conditis et publicatis: antequam vero emiserint dictam professionem, debeant gestare tunicam oblongam dumtaxat cum mantello et pileo.

Novitiatumque faciant.

§ 24. Hi autem omnes supradicti oblati teneantur per annum integrum novitiatum facere, et, quae sunt necessaria, addiscere.

Alii servientes quem habitum gestent.

25. Alii vero, qui recipientur ad servitia utilia obeunda, nec emittent professionem, solum unam vestem usque ad genua, et non infra, oblongam, unà cum mantello et pileo ad instar laicorum saecularium habere debeant.

Clausulae huius Constitutionis praeservativae.

§ 26. Decernentes praesentes litteras, ac in eis contenta quaecumque, nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari seu impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi vel retractari seu invalidari, aut in ius vel controversiam vocari, aut adversus eas et ea quodcumque iuris et facti vel iustitiae et gratiae remedium intentari, impetrari vel concedi ullatenus unquam posse, sed ab omnibus, quos concernunt et concernent quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari debere:

Decretum irritans.

§ 27. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, ac commissarios, quavis auctoritate fungentes, ac etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 28. Non obstantibus nostrà ac Cancellariae Apostolicae regulà de privilegiis ad instar non concedendis, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non Congregationis et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque: aut si aliquibus, communiter aut divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die XIX maii MDCXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 19 maii 1611, pontif. an. VI.

CLXXII.

Mandatum episcopo Cenetensi, ac eius in spiritualibus vicario generali, nec non communitati et hominibus dictae civitatis, ne eorum quisque aliquid super appellatione causarum in praeiudicium dictae ecclesiae et Sedis Apostolicae innovare praesumat, sed omnino monitorium Clementis Papae VIII observari super hac re emanatum curet[1].

Paulus Papa V.

Venerabili fratri Episcopo Cenetensi, ac dilectis filiis, eius in spiritualibus vicario generali nec non communitati et hominibus civitatis Cenetensis, caeterisque prae-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

sentes litteras visuris, lecturis seu audituris, salutem et apostolicam benedictionem.

Recensentur ea quae per Clementem VIII gesta sunt.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Clemens Papa VIII, praedecessor noster, ad tuenda ex pastoralis muneris debito Sedis Apostolicae et ecclesiae Cenetensis iura (cum civitatis Cenetensis huiusmodi etiam in temporalibus episcopo Cenetensi pleno iure subiecta esset, prout ad praesens est, et ideo appellationes a sententiis pro tempore a tribunali curiae episcopalis Cenetensis latis, etiam in causis mere profanis tam civilibus quam criminalibus, ipso iure ad Apostolicam Sedem devolvantur, et in causis huiusmodi ecclesia Cenetensis in quasi possessione existeret, prout ad praesens etiam existit) ne appellationes huiusmodi ad alios quoscumque, praeterquam ad ipsam Apostolicam Sedem, a quoquam temere interponerentur, opportune providere volens, universos et singulos cives, incolas et habitatores civitatis Cenetensis praedicti episcopi Cenetensis non solum spirituali sed etiam temporali iurisdictioni subiectos, per suas in huiusmodi formâ Brevis expeditas litteras, sub Dei omnipotentis et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, ac suae indignationis, nec non excommunicationis latae sententiae poenis, a quibus nonnisi a se et Sede praedictà, praeterquam in mortis articulo, quisquam absolvi posset, monuit, iisdemque universis et singulis districte praecipiendo mandavit, ne quisquam eorum a quibusvis sententiis in tribunali dictae curiae episcopalis, super quibusvis causis etiam mere profanis, tam civilibus quam criminalibus, eo usque latis, aut deinceps in perpetuum quandocumque ferendis, appellationes ad quoscumque iudices saeculares, etiam principes, et senatum, rempublicam, seu quoscumque alios, cuiuscumque illi gradus, dignitatis et conditionis forent, etiam ducali, regali, vel imperiali dignitate praefulgentes, interponere auderent vel praesumerent; sed ad se, et Romanum Pontificem pro tempore existentem, sanctamque Sedem Apostolicam, ad quos solos causarum dictarum appellationum cognitio pertinet, illas interponere omnino deberent; annullans etiam, de plenitudine potestatis, ac irrita declarans quaecumque decreta, leges et ordinationes in contrarium quomodolibet facta, seu tunc imposterum facienda, nec non appellationes ad praedictos et alios quoscumque interpositas seu tunc interponendas cum omnibus inde sequutis et sequuturis; ac illa et illas nullius roboris et momenti ac minime attendenda esse, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) ubique iudicari et definiri debere decernens, et alia disposuit et ordinavit, prout in litteris praedictis datis apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die XXIII decembris MDC, pontificatus sui anno nono, plenius continetur[1].

Sed his non obstantibus, cum nonnulli aliqua contra iura attentaverint Sedis Apostolicae et ecclesiae Cenetensis;

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, nonnulli nedum contra dictarum litterarum tenorem et prohibitionem, sed alia etiam attentare tractent, seu iam forsan attentaverint, in Sedis Apostolicae praedictae et dictae ecclesiae Cenetensis illarumque[2] iurium et auctoritatis praeiudicium:

Paulus sub gravissimis poenis ea, quae a praedicto Clemente statuta sunt, praecipit observari.

§ 3. Nos, quibus etiam pro nostri pastoralis officii debito incumbit omnium ecclesiarum et praesertim Sedis Apostolicae iurium et auctoritatis defensio, iisdem Clementis vestigiis inhaerentes,

1 Has litteras in *Bullario* habes tom. x pag. 633 (R. T.).

2 Perperam ed. Main. habet *illarum quod* (R. T)

omnibus et singulis personis in dictis litteris expressis, aut quomodolibet comprehensis, sub eisdem Dei omnipotentis ac beatorum apostolorum Petri et Pauli et nostrae indignationis necnon excommunicationis ipso facto incurrendis poenis, a quibus nonnisi a nobis et Sede praedictâ, praeterquam in mortis articulo constitutus, quisquam absolvi possit, tenore praesentium mandamus, ne eorum quisquam per se, vel alium, seu alios, directe vel indirecte, seu aliàs quomodolibet, contra praedictarum litterarum tenorem, aut aliàs quomodocumque et qualitercumque quidquam facere, vel alio quocumque modo in Sedis Apostolicae, et dictae Ecclesiae Cenetensis, illarumque iurium et auctoritatis praeiudicium attentare aut innovare praesumant: immo, si quid in contrarium iam forsan attentatum est, aut imposterum attentabitur vel innovabitur, illud etiam ex nunc prout ex tunc, postquam attentatum seu innovatum fuerit, cum omnibus inde sequutis et sequuturis, de apostolicae plenitudine potestatis similiter tenore praesentium irritamus et annullamus: ac nullius roboris et momenti esse ac fore,

Clausulae.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Praesentes publicandae.

§ 5. Volumus autem, et apostolicâ auctoritate decernimus, ut praesentes litterae, seu illarum exempla, in Urbe ad valvas basilicae Principis Apostolorum, vel in civitate Ferrariae affixae ita omnes arctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent[1].

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI maii MDCXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 21 maii 1611, pontif. an. VI.

CLXXIII.

Fabritius Verospius commissarius deputatur ad componendas lites exortas super confinibus et iuribus pascendi inter civitates Reatinam et Ducalem, necnon universitates et homines terrarum Montis Leonis et Leonissae[1].

Dilecto Filio Magistro Fabritio Verospio in utraque Signatura nostra Referendario

Paulus Papa V.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Deputatio de qua in rubrica.

§ 1. Ut omnibus controversiis super confinibus et iuribus pascendi, inter dilectos filios communitatem et homines civitatis nostrae Reatinae ex unâ, ac universitatem et homines civitatis Ducalis ac terrae Cantalicis ex alterâ, locorum Pontis Curvi similiter ex unâ, ac universitatem et homines terrae Rocchae Guilelmae item ex alterâ, nec non inter universitatem et homines terrae Montis Leonis pariter ex unâ, et universitatem et homines terrae Leonissae Status Ecclesiastici et respective regni Neapolitani ex alterâ similiter partibus, vertentibus finis perpetuus amicabiliter, quod et maxime

1 Aliae quoque similes, eiusdemque tenoris litterae expeditae eàdem die sunt cum sequenti decreto, videlicet: *volumus autem et apostolicâ auctoritate decernimus, ut praesentes litterae seu illarum exempla ad valvas dictae ecclesiae Cenetensis affixae, ita omnes arctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.*

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

cupimus, imponatur; ac de tuâ fide, prudentiâ, integritate ac doctrinâ in aliis gravibus negociis nobis probatis plurimum in Domino confisi; motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, te ad hoc negotium commissarium nostrum apostolicum deputamus, tibique, ut ad loca differentiarum te personaliter conferas, committimus et mandamus, et quascumque differentias, lites ac controversias tam confinium quam iurium pascendi praedictorum et alias quascumque inter utrumque Statum ac ditionem temporalem subditosque praedictos concernentes audire; nec non cum deputatis a dilecto filio nobili viro Petro de Castro comite de Lemos eiusdem regni Neapolitani prorege convenire; et cum eisdem de his quaecumque necessaria et opportuna tibi visa fuerint tractare ac terminare; nec non tractatus, terminationes et conventiones ad communem dictorum populorum utilitatem cum eisdem deputatis in scripturam redigere, et contractus super eisdem celebrare; quascumque communitates et homines civitatum, terrarum et locorum nobis et Apostolicae Sedi subditorum, pro observantiâ omnium et singulorum quae terminaveris et stabiliveris obligando; et, pro exequutione omnium et singulorum praemissorum, universitatibus et quibuscumque personis subditis nostris praedictis, cuiusvis status, gradus, conditionis, et qualitatis, etiam quantumvis privilegiatis et exemptis, tam ecclesiasticis etiam regularibus cuiusvis ordinis quantumvis exempti, quam laicis et baronibus, comitibus et marchionibus et aliis quibuscumque, cuiuscumque dignitatis et praeeminentiae, auctoritate nostrâ praecipere et mandare; nec non etiam unum vel plures commissarios cum simili vel limitatâ facultate deputare; et alias quascumque provisiones, quae tibi magis necessariae videbuntur facere; nec non ad pecuniarias tuo arbitrio applicandas et corporales poenas, ob[1] earum exequutionem, contra inobedientes, transgressores ordinationum tuarum, et similiter contra eos, quos ex subditis nostris aliquid innovasse aut contravenisse constiterit concordiis et transactionibus peractis, procedere; et non solum terminos finium locorum praedictorum et illorum situationes recognoscere et declarare, sed etiam in illis locis, in quibus terminorum vestigia non apparebunt, novos terminos apponere et constituere; et poenas etiam gravissimas contra amoventes vel occultantes dictos terminos etiam pro tuo arbitrio imponere; atque in omnibus et singulis praedictis summarie, simpliciter et de plano, solâ facti veritate inspectâ, ac omni et quacumque appellatione remotâ, etiam procedere; quoscumque quavis auctoritate et potestate fungentes[2], et sub censuris et poenis arbitrio tuo similiter moderandis et applicandis inhibere; etiam per edictum publicum, constito tibi, quantum sufficere videbitur, de non tuto accessu, citare; attentata, innovata quaecumque revocare, et in pristinum restituere; et singulis diebus et horis, etiam feriatis in honorem hominum, procedere; et demum caetera omnia et singula, quae in praemissis et circa ea necessaria quomodolibet fuerint seu opportuna (etiamsi talia sint, quod speciali nota digna essent et specialem requirerent mentionem) facere, dicere, gerere et exequi libere et licite possis et valeas, plenam, liberam et absolutam facultatem et auctoritatem concedimus et impertimur.

Cum facultatibus necessariis.

§ 2. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ et in concilio generali editâ

Obstantia tollit.

1 Praep. *ob* censui saltem addendam (R. T.).

2 Heic edit. Main. habet *citan.*, sed praeter rem et erronee; nam postea sequitur *citare* (R. T).

de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quarumcumque civitatum, terrarum et locorum, ac ecclesiarum, monasteriorum et regularium locorum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXIV maii MDCXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 24 maii 1611, pontif. an. VI.

CLXXIV.

Extensio facultatum nuncii apud regem Hungariae ad regnum Bohemiae, ad beneplacitum Pontificis[1].

Venerabili fratri Placido episcopo Melfiensi ad charissimum in Christo filium nostrum Mathiam, Hungariae et Bohemiae regem illustrem nostro et apostolicae Sedis nuncio

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Episcopus Melphiensis nuncius designatus ad regem Hungariae.

§ 1. Aliâs te ad charissimum in Christo filium nostrum Mathiam, tunc Hungariae regem, designatum nostrum et Apostolicae Sedis nuncium cum potestate legati de latere destinavimus, et ut quae[1] regni Hungariae, illiusque provinciarum et locorum, ac personarum eorumdem saluti et statui operâ tuâ consuleretur, certas tunc expressas facultates concessimus, prout in aliis nostris in simili formâ Brevis, sub die XXI augusti MDCVIII, expeditis litteris plenius continetur[2].

Facultates ei iam datae pro Hungaria ad Bohemiae regnum extenduntur.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, idem Mathias Boemiae rex creatus fuerit, nos, ut personis similiter praedicti regni Bohemiae, ac personarum et locorum illi adiacentium opportune consulere, teque erga illos utilem et benignum exhibere possis, tibi, quem apud eumdem Mathiam etiam Bohemiae regem nostri et Sedis Apostolicae nuncii, ut par est, munere fungi debere intendimus, easdem facultates, tibi, ut praefetur, concessas, quas praesentibus pro expressis haberi volumus, in praedicto Bohemiae regno ac provinciis et locis illi adiacentibus concedimus, teque illis omnibus et singulis, etiam in Bohemiae regno praedicto, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum uti illasque exercere libere et licite posse decernimus et declaramus.

Contraria tolluntur.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXIV maii MDCXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 24 maii 1611, pontif. an. VI.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Hanc vocem *quae* redundare, ex sequentibus colliges (R. T.).

2 Quae in *Bullario* non habentur (R. T.).



INDEX

NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM

NUMERUS PAGINAM INDICAT; *a* PRIMAM COLUMNAM; *b* SECUNDAM DESIGNAT.

A

de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quarumcumque civitatum, terrarum et locorum, ac ecclesiarum, monasteriorum et regularium locorum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXIV maii MDCXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 24 maii 1611, pontif. an. VI.

CLXXIV.

Extensio facultatum nuncii apud regem Hungariae ad regnum Bohemiae, ad beneplacitum Pontificis[1].

Venerabili fratri Placido episcopo Melfiensi ad charissimum in Christo filium nostrum Mathiam Hungariae et Bohemiae regem illustrem nostro et apostolicae Sedis nuncio

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Episcopus Melphiensis nuncius designatus ad regem Hungariae.

§ 1. Aliâs te ad charissimum in Christo filium nostrum Mathiam, tunc Hungariae regem, designatum nostrum et Apostolicae Sedis nuncium cum potestate legati de latere destinavimus, et ut quae[1] regni Hungariae, illiusque provinciarum et locorum, ac personarum eorumdem saluti et statui operâ tuâ consuleretur, certas tunc expressas facultates concessimus, prout in aliis nostris in simili formâ Brevis, sub die XXI augusti MDCVIII, expeditis litteris plenius continetur[2].

Facultates ei iam datae pro Hungaria ad Bohemiae regnum extenduntur.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, idem Mathias Boemiae rex creatus fuerit, nos, ut personis similiter praedicti regni Bohemiae, ac personarum et locorum illi adiacentium opportune consulere, teque erga illos utilem et benignum exhibere possis, tibi, quem apud eumdem Mathiam etiam Bohemiae regem nostri et Sedis Apostolicae nuncii, ut par est, munere fungi debere intendimus, easdem facultates, tibi, ut praefetur, concessas, quas praesentibus pro expressis haberi volumus, in praedicto Bohemiae regno ac provinciis et locis illi adiacentibus concedimus, teque illis omnibus et singulis, etiam in Bohemiae regno praedicto, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum uti illasque exercere libere et licite posse decernimus et declaramus.

Contraria tolluntur.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXIV maii MDCXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 24 maii 1611, pontif. an. VI.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Hanc vocem *quae* redundare, ex sequentibus colliges (R. T.).

2 Quae in *Bullario* non habentur (R. T.).



INDEX

NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM

NUMERUS PAGINAM INDICAT; *a* PRIMAM COLUMNAM; *b* SECUNDAM DESIGNAT.

A

B

D

E

F

G

H

I

K

L

M

N

O

P

R

S

T

U

V

W

Z

INDEX ALPHABETICUS PONTIFICUM

IDEM CHRONOLOGICE DISPOSITUS

INDEX INITIALIS

A

B

C

D

E

F

G

H

I

L

M

N

O

P

Q

INDEX RUBRICARUM

CLEMENS VIII.

LEO XI.

FINIS TOMI UNDECIMI.

V. ex delegatione D. D. Archiepiscopi Taur.
P. Clodovaeus a Costiliolis Ord. Min.

ERRATA-CORRIGE

HUIUS NOSTRAE EDITIONIS.

IN TEXTU

Pag. 3 *b* *linea* 18	eisdem, autem	*Lege:*	eisdem autem
» 4 *a* » 17 *ult.*	constitutum)... celebrandum,	—	constitutum,... celebrandum)
» 102 *a* » 9	pertineat	—	pertineat)
» 237[bis] *b* » 5 *ult.*	decembris	—	novembris
» 291 *a* » 14 *ult.*	liquidatione	—	liquidationes
» 352 *a* » 21	*Quoniam ad instituta*	—	*Quoniam ad institutam*
» *Ibid. in nota*	Haec constitutio pertinuisset, etc.	—	Haec const. habetur supra pag. 21.
» 488 *b* » 22	solus ipse actu legentibus disputantibus respondentibus et argumentandibus fratribus tribuat	—	solus ipse actus legendi, disputandi, respondendi, et argumentandi fratribus tribuat *
» 491 *a* » 8	MDCXI	—	MDCXIX
» 529 *b* » *ult.*	illudque et[2] illa, quidquid	—	illudque et illa, et[2] quidquid
» 588 *b* » 1 *ult.*		*Adde ex Cherub.*	Datum 22 octobris 1609 an. v.
» 617 *b* » 20		*Adde ex Cherub.*	Datum 25 februarii 1610 an. v.
» 630 *a* » 84 *ult.*	Minimorum... (et fratrum	*Lege:*	(Minimorum... et fratrum
» 655 *a* » 2 *ult.*	Papa, V	—	Papa V,

IN NOTIS

» 3 *a* » 2	non	—	nos
» 8 *b* » 2	Heic fortasse	—	Heic
» 180 *a* » *ult.*	Nescio	—	Nescio an non
» 252 *a* » 5	*magnam re-*	—	*magna*
» 252 *b* » 4	§ 11	—	§ 12
» 282 *a* » 5	praesid.	—	praesit
» 282 *a* » 6	sunt	—	sunto
» 282 *b* » 1	*Id.*	—	Idest
» 291 *a* » 3	liquidationem	—	liquidationes
» 317 *a* » 1	totes quoties	—	toties quoties
» 321 *b* » 7	*suo*	—	*tuo*
» 321 *b* » 3 *ult.*	qua	—	qui
» 333 *a* » 3	habet 1606	—	habet ad marg. 1606
» 485 *b* » 3	uná die et uná tantum	—	uná die et uná vice tantum

* Edit. Main. habet: *solus ipse actus legen. disputan. responden. et argumentan. fratribus tribuat:* cuius lectionis vera interpretatio ea est quam hic innuimus.

Typothetarum specimina
repetitis curis contulit et revisit I. B. Dusso Taurinensis.